This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com



Digitized by Google

3506.ee 23

Digitized by Google

# COLLECTIO

# CONFESSIONUM

IN

# ECCLESIIS REFORMATIS

PUBLICATARUM.

---

EDIDIT

Dr. *H. A. NIEMEYER.*

---

LIPSIAE
SUMPTIBUS IULII KLINKHARDTI
MDCCCXL.

Digitized by Google




Digitized by Google

# RIENAECKERO SUO

## HERMANNUS AGATHO NIEMEYERUS

### S. Q. P. D.

Qui novam hanc symbolicorum librorum collectionem parandi consilium cepit Mauritius Roediger, quem praematura morte occubuisse lugent omnes, qui eum norant, homines egregie cordati, Te, Vir summe reverende, eadem coluit observantia, qua ego Te semper prosecutus sum, Tibique hunc librum sanctum esse voluit. Tuo igitur nomine huic operi praeponendo et suavissimo pietatis erga mortuum amicum officio satisfacere et aptissimam nactus esse mihi videor occasionem palam profitendi, quantum consiliorum, quibus aetatis fervorem repressisti, salubritati, quantum doctrinae, qua me saepenumero adiuvisti, subtilitati, quantum denique praeclaro Tuo debeam exemplo. Nam quum ante hos decem annos ex academia Ienensi, in qua felicissimam vitae meae partem transegeram, Halas redirem, Te in exiguo illorum numero esse, qui amicitiam, qua cum patre coniuncti fuerant, in filium benevole conferrent, statim expertus sum, et quae inde ab illo tempore inter nos intercessit familiaritas, ea in dies laetiora incrementa cepit. Ex qua quot quantaque ego ceperim emolumenta, si gratum animum declaraturus vellem explicare, verba haud dubie deficerent dicentem. Quoties enim Tu meum molestis et operosis laboribus fere depressi animum erexisti ac confirmasti! quoties haesitanti ac dubitanti fecisti fiduciam! quoties Tu mihi multis et gravibus curis distracto auctor fuisti, ut omnem operam, curam, cogitationem in literarum studiis figerem, eam-

Digitized by Google

que comiter monstrasti viam, qua, quum neque ad spinosos et steriles recentissimorum philosophorum campos deducat, atque ab inexplicabilibus ambagibus, quibus huius aetatis interpretes scilicet subtiles irretiti tenentur, longissime absit, omnibus, qui metam attingere cupiunt, ingrediendum est. Sed quo minus haec uberius persequar impedit singularis, qua Tu insignis es, modestia. Quamquam igitur omnem rerum, quae huc pertinent, narrationem praetermittendam esse puto, tamen non possum quin alii eique amplissimo Tuo de me merito iustam laudem impertiar. A partium studio me revocasti, quum non solum sacris concionibus doceres, id quod multi docent, amorem erga alios, etiam eos, qui diversas partes sequuntur, certissimum esse hominis Christiani signum, verum etiam tota Tua vita probares, theologum vere Christianum cum probis et honestis omnium partium sectatoribus amore et caritate coniunctum esse posse, eidemque eos tantum arcendos et fugiendos esse, qui improbi et inhonesti ecclesiasticis formulis eo consilio abutuntur, ut orthodoxorum speciem prae se ferant atque venditatione quadam et ostentatione sanctitatis nimiam, qua impelluntur, ambitionem dissimulent. Splendidissimum quod Tu edis, Vir summe reverende, et amoris et honestatis exemplum pro viribus sequar Tuaeque virtutis memor *νικήσω τὸ κακὸν ἐν τῷ ἀγαθῷ*. Vale faveque. Scribebam Halis die VII. Octobris MDCCCXXXIX.

---

Digitized by Google

# PRAEFATIO.

Eodem tempore, quo Lutheranorum theologi libros suos symbolicos Augusti, Saxoniae electoris, iussu collegerunt collectosque *Concordiae* nomine edere coeperunt, fuere etiam in ecclesia, quae Reformata dicitur, viri gravissimi, qui harmoniam confessionum fidei nomine *ecclesiarum Gallicarum et Belgicarum* duas maxime ob causas componerent. Quarum altera in catholicorum clamoribus de magna illarum confessionum et varietate et multitudine, nuper non sine ira et studio repetitis, altera in spe sita fuit, vana quidem illa et fallaci, sed quam sincero animo conceperant auctores, fore ut animos *inter* se dissidentes conciliarent omnesque ecclesias distractas ac separatas communi quodam vinculo coniungerent. Quamobrem in praefatione non solum multis iisque gravissimis argumentis suam contra catholicos defendere conantur causam, verum ubi de consilio totius operis exponunt, etiam quod sperant aperte ac dilucide eloquuntur totique praefationi hanc clausulam adiiciunt: „Vos ergo Reges „Serenissimi, Duces, Comites, Marchiones, Illustrissimi Barones, et „Domini nobilissimi, Civitates et Respub. Sapientiss. Pastores, Do„ctores Populi denique omnes Christianissimi veritatem Evangelicam „profitentes, animis et corporibus adeste, discordiae venenum ulte„rius grassari ne patimini, sed hydram hanc noxiam extinguite, at„que Ecclesiarum Gallicarum et Belgicarum firmissimum hoc per„petuae vobiscum coniunctionis symbolum ac arrhabonem vobis, toto „terrarum orbe conscio, oblatum, Christiana mente, ut par est, „et ut vobis offertur excipite: quo nos unanimi foedere in Christo „simul colligati, Antichristos omnes profligemus, hymnumque Do„mino Deo nostro canamus: Ecce quam bonum et quam iucundum „est consentire fratres in unum.“ Prodiit autem hic liber Genevae apud Petrum Santandreanum anno MDLXXXI. sic inscriptus: *Har-*

Digitized by Google

*monia confessionum fidei Orthodoxarum et Reformatarum ecclesiarum, quae in praecipuis quibusque Europae Regnis, Nationibus et Provinciis, sacram Evangelii doctrinam pure profitentur: quarum catalogum et ordinem sequentes paginae indicabunt. Additae sunt ad calcem brevissimae observationes: quibus tum illustrantur obscura, tum quae in speciem pugnare inter se videri possunt, perspicue atque modestissime conciliantur: et si quae adhuc controversa manent, syncere indicantur.* Hanc igitur *harmoniam* Augustius V. V. in dissertatione historica et literaria de libris ecclesiae reformatae symbolicis non solum collectionem esse arbitratur plurium confessionum et declarationum fidei, verum etiam eam arctissime cohaerere putat cum illo confessionum *corpore*, quod triginta annis post eadem in urbe literarum formis expressum est. Scribit enim p. 606.: „Unica extat apud illos plurium confes„sionum et declarationum collectio, quae tamen *etsi tribus prostet* „*editionibus* et in magna olim aestimatione fuerit, non tam aucto„ritate publica, quam potius privatis nonnullorum Genevensium do„ctorum studiis prodiit ...“ Additque p. 611.: „Haec autem har„monia post *viginti* (?) annorum decursum mutato ordine aliaque „oeconomia operis denuo est edita.“ Quamquam non potest negari talem in errorem induxisse ipsum corporis illius editorem, quoniam de utriusque operis ratione haec in prooemio pronuntiavit: „Fuerat „quidem confessionum harmonia ante triginta annos edita: sed per „varias sectiones intersecta. Nunc vero illae tamquam corpus inte„grum conspiciendae repraesentantur, et quam in illa editione plures.“ At vero si diligentius in rem inquiritur et accurata inter utrumque opus instituitur comparatio, statim apparet, *corpus et syntagma* omnino ab illa *harmonia* differre ideoque opus esse plane novum. Harmonia enim dividitur in sectiones XIX., et in quavis sectione dogma aliquod ita pertractatur, ut e locis variarum confessionum iuxta positis eluceat, quid ecclesiae Reformatae quidque Lutherus eiusque sectatores de eo dogmate praeceperint. Quibus in locis colligendis et componendis editores primum locum dederunt confessioni Helveticae posteriori, „tum quod illius ordo magis appositus, tota„que dogmatum tractatio plenior et commodior videretur; tum quod „confessio illa a quam plurimis diversarum nationum ecclesiis fue„rit publice approbata et subscripta. Hanc .. subsequuntur reliquae „Helveticae et deinceps aliae omnes, nullo delectu ..... *pro sin-*

Digitized by Google

„*gularum sectionum argumento.*“ Harmonia igitur etsi complures continet confessiones, Helveticas scilicet priorem et posteriorem, Basileensem, Bohemicam, Gallicam, Anglicam, Belgicam, Augustanam, Saxonicam, Wirtembergensem et Suevicam, tamen singula membra disiecta sunt et rerum ordo prorsus inversus; ne Helvetica quidem, quam auctores in describendis sectionibus imprimis secuti sunt, suum servavit ordinem. In fine foliis XX. additae sunt, id quod in libri titulo indicatum est, „observationes brevissimae in totam „superiorem harmoniam“ et foliis II. „appendices locorum aliquot „omissorum aut transpositorum in quibusdam confessionum sectio„nibus.“ Corporis vero diversa est ratio. Dividitur enim in partes tres, quarum prima confessionem Helveticam una cum iis, quae Basileenses vocantur, deinde confessionem Gallicam, Anglicam, Scoticanam, Belgicam, Polonicam, denique confessionem Argentinensem, sive quatuor civitatum imperii continet. Secunda habet confessionem Augustanam, Saxonicam seu Misnicam et Wirtembergicam; deinde confessionem Illustrissimi Electoris Palatini et Bohemicam; accedit consensus in fide et religione Christiana inter ecclesias evangelicas maioris et minoris Poloniae, Lithuaniae etc., easque omnes integras exhibet, additis etiam primorum editorum praefationibus. Tertia denique pars catholicum complectitur consensum, sive, quae est huius partis inscriptio, veterum, qui patres vocantur, ex verbo divino cum superiori confessionum fidei syntagmate in omnibus fidei christianae articulis consensum, ex ipsorum sententiis verbisque expressis, sine ullis additamentis constitutum. Tres igitur, in quibus corpus distributum est, partes nullam habent cum harmonia similitudinem, quacum ne ea quidem, quae primae parti foliis III. praemissa est concordantia confessionum fidei per articulos digesta, ullo modo comparari potest. Caeterum omnes, quas modo enumeravimus, partes indicat ipse, quo liber anno MDCXII. editus insignitur, titulus hoc modo ab auctore constitutus: *Corpus et syntagma confessionum fidei quae in diversis regnis et nationibus, ecclesiarum nomine fuerunt authentice editae: in celeberrimis conventibus exhibitae publicaque auctoritate comprobatae. Quibus annectitur in omnibus fidei christianae articulis catholicus consensus ex sententiis veterum, qui patres vocantur, desumptus. Confessionum enumerationem et harmoniam: atque huius catholici veterum cum illis consensus, ordinem indicant paginae primae*

Digitized by Google

*singularum partium huius syntagmatis in tres partes distributi.* Nec quo loco syntagma typis expressum sit, dubium esse potest, quum in omnibus exemplaribus Petrus et Johannes Chouët, celeberrimi apud Genevenses typographi, nominentur. De eo tantum dissentiunt viri docti, utrum Genevae urbis nomen in titulo libri reperiatur nec ne. Legi illud Augustius l. c. p. 611. negat, affirmat Winerus V. V. in sua variarum confessionum comparatione p. 17., uterque non sine idonea causa; nam quae ad manus sunt duo huius corporis exemplaria, quamquam a prima usque ad ultimam paginam inter se congruunt, diversas tamen exhibent inscriptiones, quum in uno „*Genevae*" nomen extet, in altero desideretur. Sed hoc levius est. Multo gravior superest de utriusque libri auctoribus quaestio. Sunt enim qui de iis nihil certi affirmare audeant, velut Winerus l. c. p. 17. not. 4., quem ex parte secutus videtur esse Guerike in theologia symbolica p. 105. not. 98. Et tamen ab Augustio l. c. p. 613. 614. iam dudum demonstratum est Gasp. Laurentium corporis fuisse auctorem. Nam epistolae, tertiae corporis parti praemissae, quae data est ad illustrissimum et potentissimum principem ac dominum Fridericum, comitem Palatinum, nomen suum subscripsit Gasp. Laurentius, eundemque non solum praefationem scripsisse, verum etiam totum corpus composuisse, demonstrant quae ex illa praefatione et paullo ante allata sunt verba et quae deinceps a me subiicientur: „Venustius autem et utilius cernitur ipsum corpus totum, quam eius „partes divulsae. Earum quoque nexus et harmonia facile depre„hendetur vel ex integra lectione, vel ex concordantia per singu„los articulos hîc illis annexa: quibus etiam in hoc syntagmate ad„iungitur ex sententiis veterum, qui patres vocantur, catholicus con„sensus, *anno quidem* 1595. *a me editus*, nunc rursus multo locuple„tior factus ac quibusdam articulis auctus: cuius institutum declarat „*quae in illo est ad illustrissimum principem praefixa epistola.*" — Neque est cur de auctoribus harmoniae dubitemus. Quae enim ab Hospiniano in Concordia Tigur. 1607. p. 92. Augustio teste l. c. p. 607. 608. et Köchero in bibliotheca theologiae symbolicae p. 320. 321. et a Davide Clemente in bibliotheca historica et critica Tom VII. p. 257. sqq. relata sunt, ea Lückius V. V. in annalibus Gottingensibus ann. 1829. p. l. summo iure probavit et Beckio in translatione librorum symbolicorum germanica Tom. II. praef. p. XXI. assen-

Digitized by Google

tiente hanc fere harmoniae originem fuisse probabiliter coniecit. Conventus, qui Francofurti anno 1577. auspiciis Joh. Casimiri comitis Palatini habitus est, egit de nova fidei confessione si non ab omnibus, at certe a plurimis evangelicae ecclesiae partibus accipienda. Tale consilium placuit multis imprimis Franco-Gallicis theologis; nam quae annis 1578. et 1579. in Gallia convenerunt synodi in sententiam illius conventus discedebant, atque qua ratione nova confessio componenda esset diligenter consultabant. Sed ecclesiae Turicensis et Genevensis quum timerent, ne confessio nova novas moveret turbas, illorum sententiam non secutae, mora interposita, tandem saluberrimum Salvarti sive Salnari consilium de componenda harmonia inierunt. Opus igitur a summis theologis, inter quos Salvartus et Beza et Dalaeus nominantur, ecclesiarum Gallicarum et Belgicarum nomine susceptum anno 1581. perfectum est, ita ut non sine publica auctoritate, quae synodo Vitrensi anno 1583. apud Gallos magis etiam aucta est, prodiret. Neque Angli istam repudiarunt harmoniam eamque in vernaculam linguam conserti iusserunt. Augustius quidem l. c. p. 607. dubitat, utrum the harmony of the confessions of the faith of the christian and reformed churches, 1586., quam Albertum in epistolarum libro IV. p. 1074. secutus citat, mera illius sit interpretatio nec ne; sed hanc quoque dubitationem Lückii l. c. expulit acumen. Is enim coniectura satis probabili statuit, anglicam illam harmoniam iterum hoc titulo: harmony of the confessions of faith of the christian and reformed churches, in name of the churches of France and Belgia, translated from the Latin, to which is added the confession of the church of Scotland, Lond. 1646., excusam esse ipsumque titulum nullam de conditione, quae inter latinam et anglicam intercedat harmoniam, relinquere dubitationem, quis est qui non intelligat? Quae quum ita sint, simul perspicitur, harmoniam etiam auctoritate diversam fuisse a corpore confessionum, quod numquam ne specie quidem publicae auctoritatis, quantum equidem scio, usum est. Neque tamen multorum caruit approbatione et plausu. Sed venditis post aliquot decennia primae editionis exemplaribus Petrus Chouët novam editionem anno MDCLIV. typis exprimendam curavit. Titulo non mutato addidit tantum haec verba: „Editio nova, in qua quid praestitum sit, „docet pagina sequens," ubi utriusque editionis diversitas in hunc

Digitized by Google

modum indicatur: „In hac editione peculiariter observandum, I. Hel„vetica confessio exhibetur qualis excusa est Tiguri Jo. Jac. Bod„meri, 1651. II. Belgica confessio exhibetur, qualis relecta, exami„nata, et approbata est in celeberrima augustissimaque Synodo „Dordrechtana, anno 1619. III. In fine addita est confessio Basi„leensis, qualis excusa est Basileae a Georgio Deckero, anno 1647. „IV. Iudicium synodi Nationalis reformatarum ecclesiarum Belgi„carum habitae Dordrechti, anno 1618. et 1619. Cui plurimi insignes „theologi reformatarum ecclesiarum interfuerunt, de quinque doctri„nae capitibus in ecclesiis Belgicis controversis. Ex actis eius „Synodi. V. Subiuncta quoque est Cyrilli Patriarchae Constantinopo„litani fidei confessio, latine ex ipsius autoris αὐτογράφῳ. VI. Ge„neralis confessio doctrinae ecclesiarum reformatarum in regno Po„loniae, Mag. Duc. Lithuaniae, annexisque regno provinciis, ad „liquidationem controversiarum maturandam proposita 1. Septb. 1645. „in conventu Thoruniensi.“ Tertia igitur in parte nihil mutatum est; sed parti secundae addita sunt quae editor ipse l. c. enumeravit scripta haud spernenda, neque idem primam totius corporis partem immutatam reliquit. Primum enim confessionem Helveticam posteriorem, quam in syntagmate anni 1612. ex editione Tigurina, quae anno 1566. apud Christophorum Froschoverum prodiit, exscripsit, nunc exhibuit „qualis fuit excusa Tiguri typis Joh. Jacobi Bod„meri anno 1651.“ Deinde quod confessionem sequitur symbolum Damasi ex Hieronymi operibus desumptum in priore syntagmatis editione prorsus deerat. Denique in illis, quae primae parti antecedunt de singularum confessionum constitutione, observationibus pauca quaedam sed leviora addita sunt.

Has confessionum collectiones nostris demum temporibus aliae sunt secutae, inter quas primum locum tenet, quae hoc titulo: *Sylloge confessionum sub tempus reformandae ecclesiae editarum* Oxonii prodiit e typographeo Clarendoniano anno MDCCCIV., et anno MDCCCXXVII. repetita est. Editio prior continet professionem fidei Tridentinam, confessionem Helveticam una cum iis, quae Basileenses vocantur, Augustanam, Saxonicam et Belgicam, subiunctis catechismo Heidelbergensi et canonibus synodi Dordrechtanae; sed quam exhibet editor Augustanam illa est, quae a Melanchthone variata primum Vitembergae prodiit anno 1540.; genuinam, quae in

Digitized by Google

comitiis Augustanis anni 1530. exhibita est, iste prorsus neglexit. Quamobrem qui posterioris editionis curam suscepit, quamquam reliqua omnia intacta reliquit, hanc tamen genuinam confessionis Augustanae recensionem ex Tittmanni editione inserendam curavit.

Deinde commemoranda est nova symbolorum collectio, quam Jo. Christ. Guil. Augustius instituit in libro, qui inscribitur: *Corpus librorum symbolicorum, qui in ecclesia reformatorum auctoritatem publicam obtinuerunt, Elberfeldi* 1827. Opus bipartitum continet priore in parte tres confessiones Helveticas, Gallicarum ecclesiarum confessionem fidei, ecclesiae Anglicanae articulos triginta et novem, confessionem Scoticam, confessionem Belgicam, canones Dordracenos, confessionem Hungaricam sive Czengerinam et confessiones Polonicas; in posteriore confessionem Bohemicam, Tetrapolitanam et Marchicam, dein colloquium Lipsiacum, declarationem Thoruniensem, formulam consensus Helveticam, denique catechismum Genevensem et Heidelbergensem. Accedit dissertatio historica et literaria de libris ecclesiae reformatae symbolicis, neque deest index rerum et verborum.

Denique duo huc pertinent opera, in quibus libri aliquot symbolici in vernaculam linguam translati et in unum corpus coniuncti sunt, quorum alterum sine auctoris nomine duobus voluminibus anno MDCCCXXX. Neostadiae ad memoriam confessionis Augustanae celebrandam hoc titulo prodiit: *Die symbolischen Bücher der evangelisch-reformirten Kirche. Zum ersten Male aus dem Lateinischen vollständig übersetzt und mit historischen Einleitungen und Anmerkungen begleitet. Für alle Freunde der Union und für Alle, die über Entstehung, Inhalt und Zweck der Bekenntnissschriften sich zu belehren wünschen.* Volumen primum exhibet confessiones Helveticas adiuncto catechismo Genevensi, deinde confessionem Belgicam et canones Dordracenos, denique confessionem Tetrapolitanam et Marchicam, colloquium Lipsiacum et catechesin Heidelbergensem. Accedunt duae appendices, quarum altera ex symbolo apostolico, Nicaeno et Athanasiano, altera ex illa fidei confessione constat, cui ecclesiae Mühlhusana et Lehningensis nostris temporibus subscripserunt. Secundo volumine continentur: Confessio Bohemica, Czengerina, Consensus Sendomiriensis, Acta synodi Thoruniensis, declaratio Thoruniensis, confessio Gallicana, Articuli XXXIX. ecclesiae Anglicanae, confessio Scotica prior et posterior. Sequuntur appendices, in qui-

Digitized by Google

bus exhibentur: Zwinglii fidei ratio, formula consensus Helvetica, confessio Augustana et professio fidei catholicae secundum concilium Tridentinum ex bulla Pii IV.

Paullo ante Beckium, qui huius collectionis editor fuisse dicitur, Joh. Jac. Messius idem ceperat consilium. Is enim confessiones Helveticas iam anno MDCCCXXVIII. lingua vernacula edendas curavit hoc titulo: *Sammlung symbolischer Bücher der reformirten Kirche für Presbyterien, Schullehrer, Confirmanden und Alle, welche eine Union auf dem Grunde der heilsamen Lehre und in der Einheit der alten wahren Kirche Christi wünschen. Erster Theil. Neuwied* 1828., sed anno demum MDCCCXXX. secundum subsecutum est volumen, in quo leguntur: confessio Tetrapolitana, catechismus Heidelbergensis, confessio Marchica, colloquium Lipsiacum, declaratio Thoruniensis et confessio Augustana.

Quamquam multae nostris temporibus extant eorum librorum collectiones, qui ecclesiae reformatae symbolici dici possunt, nulla tamen viris doctis omni ex parte satisfecisse putanda est. Interpretationes enim, quae commemoratae sunt, germanicae etsi cognitionem illorum librorum adiuverunt et auxerunt, accuratioribus tamen theologorum studiis parum utilitatis afferunt, quum doctissimo cuique ad limpidos fontes, unde isti hauserunt, redeundum sit. Collectio Oxoniensis, si illae eiusdem partes respiciuntur, quae ad ecclesiam reformatam pertinent, finibus iusto arctioribus circumscripta est. Eodem vitio quum laboret corpus et syntagma, etiam raritas exemplarium accedit. Neque Augustius in hac re ab omni culpa liberari potest. Quamquam enim libris, quos corpus illud exhibuit, plures, qui huc pertinent, addidit, velut confessionem Marchicam, colloquium Lipsiacum, declarationem Thoruniensem, formulam consensus Helveticam et duos catechismos, Genevensem scilicet et Heidelbergensem, alios tamen, verbi causa Zwinglii articulos sive conclusiones, eiusdem fidei rationem et expositionem, theses Bernenses, Consensum Tigurinum et Genevensem prorsus omisit. Neque quos collegit et edidit, ita disposuit ut ex ipso ordine, quo modo ecclesiarum reformatarum consensus constitutus sit et mutatus, facile appareat. Accedit quod „prologos atque epilogos singularum confessionum, „una cum subscriptionibus paucis exceptis omisit", quanta in iis inesset auctoritas et gravitas fere oblitus. Praeterea ne indicavit

Digitized by Google

quidem quibus singularum confessionum editionibus usus sit quarumque textum typothetis describendum tradiderit. Et quem exhibuit, eum in omni genere vitiis et erroribus corruptum esse intelligent omnes, qui unam alteramve primae partis confessionem cum vetere aliquo exemplari diligentius comparaverint.

Quae quum ita sint, *Mauritii Rödigeri* consilium libros reformatae ecclesiae symbolicos denuo edendi laude sane dignissimum fuit. Voluit autem ille totum opus in duas dividere partes atque officio suo ita satisfacere, ut prior pars eas complecteretur fidei confessiones ac declarationes, quibus consensus ecclesiarum reformatarum constitutus mutatusque probaretur. Quare primo loco ponenda esse censuit scripta ab H. Zwinglio ipso eiusve ingenio composita: articulos scilicet LXVII. a. 1523., theses X. Bernenses a. 1528. editas, Zwinglii fidei rationem a. 1530. eiusdemque expositionem Christianae fidei a. 1531., denique confessionem fidei Basileensem priorem a. 1534. compositam. His addere animum induxerat scriptum ex syncretismo Buceri oriundum, Helveticam priorem sive Basileensem posteriorem fidei confessionem anno 1536., cui scripta subiungenda esse existimavit, quae a Calvino ipso eiusve principiorum *auct*oritate essent composita, Catechismum Calvini a. 1545., Consensum Tigurinum a. 1549., Consensem Genevensem a. 1551., Confessionem fidei Gallicanam a. 1559., Confessionem Scoticanam a. 1560., adnexa Scotica altera a. 1581., et Confessionem Belgicam a. 1561. In fine huius partis ponere voluit scripta ex Palatina religionis emendatione orta, catechesin scilicet Palatinam sive Heidelbergensem a. 1563. et confessionem Helveticam posteriorem a. 1566. Alteram partem componi voluit ex iis fidei confessionibus, quae sunt secundi ordinis: confessione Hungarica Czengerina a. 1570., consensu Sendomiriensi a. 1570., confessione Anglicana sive articulis XXXIX., subiunctis articulis XLII. Eduardi VI. a. 1562., confessionibus Anhaltinis a. 1581. et 1589., confessione Sigismundi sive Marchica prima a. 1613., Canonibus Dordracenis a. 1619., colloquio Lipsiaco sive Marchica secunda a. 1631., Declaratione Thoruniensi sive Marchica tertia a. 1645., confessione Westmonasteriensi sive Puritana a. 1647., et Formula consensus Helvetica a. 1675. Neque in colligendis his omnibus acquiescendum esse existimavit, verum ut duplex adiiceretur additamentum confessio scilicet Tetrapolitana a. 1530.

Digitized by Google

et Bohemica a. 1532. neccessarium esse duxit. Et textum omnium illarum, quae modo commemoratae sunt, confessionum aut ex editione principe, aut ex ea placuit repetere, quae maximam adepta esset auctoritatem, addita ex optimis editionibus scripturae diversitate. Quod ille propositum, quamvis plurimas et maximas difficultates haberet, non tenuisset solum acerrime, quae erat in viro praestantissimo alacritas studiorum atque assiduitas, verum etiam adsecutus esset strenuissime, nisi praeinatura eum mors et amicis, qui eum colebant, et familiae, quae curae cordique erat, et literis, quas diligentissime tractabat, in flore aetatis eripuisset. Cum alia multa, quae suscepturus erat, tum hoc opus reliquit paene intactum. Quare quum mihi multis et molestis, quae nullo cum literis vinculo coniuncta sunt, negotiis mirum in modum distracto illa et colligendi et edendi officium a fratre mortui, viro doctissimo, et uxore honestissima demandaretur, diu dubius haesitavi, utrum honorificis eorum votis satisfacerem, an aliis et doctioribus et sagacioribus itemque negotiorum diversitate ac multitudine non oppressis eam provinciam relinquerem. At vero ad novam hanc collectionem instituendam ipsius me movit Rödigeri memoria. Nos enim multos per annos arctissimo et amicitiae et studiorum vinculo ita iuncti fuimus, ut alter alterum in studiis criticis, exegeticis, historicis omni modo adiuvaret. Quoties paullo ante illius obitum de historia artis paedagogicae, quam mihi tunc sumpseram scribendam, confabulati sumus! Quoties familiares contuli cum illo sermones de ipsa hac librorum symbolicorum collectione! Quae omnia recordatus non potui equidem operam meam, quantulacunque est, iis denegare, qui mortui amici res curandas susceperant. Neque me poenituit operae in hoc libro positae, praesertim quum multi mea studia et adiuvarent et sublevarent. Nactus enim sum Wichmannum, theologiae candidatum, omnis laboris socium, qui magna cum assiduitate et diligentia veteres librorum symbolicorum editiones exscripsit et plagulas typographicas Halas transmissas accurate correxit. Praeterea omnes, quos precibus adii, viri docti, ut editiones, quas vel ipsi possidebant, vel e bibliothecis ipsorum curae traditis adipisci poterant, benevole mecum communicarent, preces meas insigni cum humanitate ratas habuerunt. Prae caeteris amplissimis verbis gratiae agendae sunt Fritzschio V. V., theologo Turicensi, qui non solum

Digitized by Google

libros ab ipso arcessitos celerrime ad me transmisit, verum etiam in bibliothecis perscrutandis rerum mearum studiosissimum se praestitit, et quos invenit vel codices manu scriptos vel vetusta librorum symbolicorum exemplaria ipse accurate contulit mihique scripturae diversitates inde excerptas ultro tradidit. Hinc factum est, ut illius viri optimi benevolentiae singulari et indefesso studio in prima prioris partis sectione multa deberentur nova. Neque preces meas repudiarunt Wilkenii, Wineri, Ullmanni, Henkii, Rankii aliique, quos per literas hisce de rebus rogavi, et tamen quod Beckius quoque expertus est, ne unum quidem confessionis Westmonasteriensis sive Puritanae exemplar usquam acquirere potui. Quamquam igitur in describendis singulis fidei confessionibus et declarationibus eum ordinem secutus sum, quem praescripserat Mauritius Rödiger, ut confessionem Westmonasteriensem omitterem, dira me coëgit necessitas. In fine totius operis loco eius alia eaque non minoris momenti addita est. Quibus expositis nihil iam restat, quam ut primum de origine singularum, quas typis exprimendas curavi, confessionum, deinde de illarum editionibus, denique de ratione, quam ego in iis edendis secutus sim, paucis exponam.

## I. ARTICULI SIVE CONCLUSIONES LXVII. H. ZWINGLII A. 1523.

H. Zwinglio, quum ingentes, quas nova ipsius doctrina excitaverat turbas, animadverteret, saepe et diligenter secum reputanti, quomodo et mala, quae ecclesiae emendationem sequebantur, sine periculo propulsaret, et simul firma ecclesiae reformatae iaceret fundamenta, optimum videbatur esse, utrumque senatum precibus adire, ut disputationem inter catholicos et novae doctrinae sectatores haberi concederet. Quo consilio probato senatus Turicensis et omnes illius terrae clericos et episcopum Constantiensem eiusque legatos publico ad disputationem invitavit diplomate, quod saepius typis expressum nuper ab Hottingero et Vögelio, qui Bullingeri historiam reformationis ex ipsius autographo ediderunt, Vol. I. p. 84. 85. repetitum est. At Zwinglius, ne pugnae cupidi, ut Bullingeri verbis utar, queri possent, ignorasse se, de quibus rebus fuisset disputandum aut certandum, articulos edidit LXVII.,

Digitized by Google

qui gravissima placita continent, quae catholicorum doctrinae opposita ab ipso iam plures per annos et scriptis et sacris orationibus tradita erant et divulgata. Disputatio die constituta (d. XXIX. mens. Ian.) habita ecclesiae emendationi multum utilitatis attulit. Zwinglius enim dicendi occasionem coram amplissima et laicorum et clericorum corona adeptus responsis et expositionibus praeclaris et viro docto dignissimis cum alios multos in suas partes transduxit, tum iisdem artibus effecit, ut senatus Turicensis inde ab eo tempore palam multa catholicorum dogmata et instituta abrogaret. Quomobrem assentiri debemus Gerdesio, qui in introductione in historiam evangelicam saec. XVI. Grön. 1744. p. 221. gravissimum articulorum argumentum prudenter perpendens eos cum notissimis Lutheri thesibus in hunc modum comparavit: „Quomodo „Lutheri theses adversus indulgentias, quas Nr. XI. exhibuimus, „Saxonicae reformationis fundamentum stravisse dici possunt, eo„dem id de his Zwinglii conclusionibus potest adfirmari, iis Hel„veticam inaedificatam fuisse reformationem.“

Caeterum conferantur de illa disputatione Turicensi: *H. Bullingers* Reformationsgeſchichte nach dem Autographon herausgegeben von J. J. Hottinger u. H. H. Vögeli. Frauenf. 1838. Bnd. 1. S. 97. ff. *Sagittarii* Introduct. II. 1504. sq. *Hornbeck* Summa controversiarum p. 241. sq. *Hottinger* historia ecclesiast. Saec. XVI. P. III. p. 628. sq. *Ruchat* histoire de la réformation de la Suisse. Genf. 1727. Tom. I. p. 157. sqq. *Arnold* Ketzergeſchichte 1740. XVI. 1158. *I. L. Hess* Lebensbeſchreibung M. Ulrich Zwinglis, aus dem Franzöſiſchen, nebſt einem literariſch-hiſtoriſchen Anhange von Leonh. Uſteri. Zürich. 1811. S. 137. ff. S. 356. ff. *Lud. Wirz* helvetiſche Kirchengeſchichte, fortgeſetzt von Melch. Kirchhofer. Thl. 5. S. 19. ff. Articulorum editiones, quae mihi innotuerunt, diversi sunt generis: aliae articulos exhibent sine actis et sine interpretatione, aliae vel acta disputationis vel articulorum interpretationem vel utrumque addunt; quas si indicamus omnes, neque versiones latinas neque eas omittere licebit editiones, quae operibus maioris ambitus insertae sunt.

1. *a.* Editio omnium princeps ea est, quam H. Zwinglius ipse ante disputationem typis exscribendam curavit, hoc titulo: Dis nachbeſtimptē artikel vnd meinungē beken ich Huldrich Zwingli

Digitized by Google

mich In der loblichē ſtatt Zürich geprediget habē, vß grund der geſchrifft die Theopneuſtos (das iſt vonn gott ingeſprochen) heißt, vñ embût mich mitt dero genante artickel zebeſchirmē vñ erobrē. Wñ wo ich jetz beruerte geſchrifft nicht recht verſtünde, mich beſſers verſtandes doch vß egedachter gſchrifft berichten laſſen. S. a. et l. una plag. in IV. In citanda illa huius editionis inscriptione consentit *Hallerus* in biblioth. hist. Helvet. Vol. III. p. 76. nr. 174. cum Usterio in append. histor. iam supra laudata p. 358. litt. a., hic tamen addit quae in fine reperiuntur verba: Hie vndernem ſich keiner zu ſtryten mit ſophiſtry od' menſchē tandt, ſund' kōme die geſchrifft für ein richter ze haben, damit man die Wahrheit oder find, oder ſo ſy funden iſt, als ich hoff, bhalt. Amen. Das walt gott.

b. Secunda editio a superiore Hallero teste literis tantum differt et orthographia; si vero Usterium p. 395. b. sequeris, utriusque diversitas imprimis in eo posita est, quod illius pagina prima nihil continet nisi eum quem supra descripsimus titulum, in hac vero eadem pagina praeter titulum septem primos exhibet articulos.

c. d. Tertia, quae disputatione peracta prodiit, Usterio teste p. 359. c. sic inscripta est: Artickel, ſo herr Vlrich Zwinly auf Dornſtag vor Lichtmeß Anno M. D. XXIII. offentlich diſputiert, vnd mit der Evangeliſchen Warheit behalten hatt. — Furſchrifft eines erſamen Raths der Stat Zürich, an alle Pfarherr, Leutprieſter, Seelſorger vnd Predicanten jrer Herrſchaft, newlich außgangen. Sine anno, sed addito supra tituli figuram urbis nomine Turici, una plagula form. 4. Eodem modo haec editio citata est in Feuerlini bibliotheca symbolica P. 2. p. 164. Nr. 5. hac tamen nota praemissa: „Sunt mihi „horum 67. articulorum *duae* editiones, formae 4., unius plagulae, sola „typorum, orthographiae et figurae, titulum ornantis, diversitate dis„cernendae.“ Ista vero omnia si cum iis conferimus quae in Wirzii eccl. helvet. historia a Kirchhofero contin. Vol. V. p. 23. narrata sunt de articulorum editione, quae Hummelbergii cura Augustae Vindelicorum prodiit, non possumus quin alteram illarum Augustae, alteram Turici, typis exscriptam esse statuamus, et propterea coniecturam in opp. Zwingl. ex edit. Schul. et Schulth. Vol. I. p. 113. propositam, hanc editionem Turici prorsus incognitam fuisse, reiiciamus.

e. f. Quam Usterius l. c. p. 359. d. quarto loco affert scriptio-



Digitized by Google

nem quomodo ea cum articulorum editione cohaereat, quam ipse sub lit. c. laudavit, equidem, quoniam hanc rem non satis accurate exposuit, diiudicare nequeo. Id tamen ex epistolis a Fritzschio V. V. ad me missis pro certo affirmare possum, articulos una cum senatus consulto, quod disputationem sequebatur, prodiisse sine a. et l. fol. 8. form. 4. hac inscriptione: Artickel, so herr Ulrich Zwingly uff Dornstag vor Lychtmeß Anno MDXXIII. offentlich disputiert, und mit der Evangelischen Warheit behalten hat. — Fuerschrifft eines ersamen Raths der statt Zürich, an alle Pfarherr, Leutpriester, seelsorger und Predicanten irer herrschafft, newlich uffgegangen. — Abscheyd und Beschluß uf obgemelte Artickel und beschrieben Disputation, von eim ersamen grossen Rath Zürich, das Evangely frey on menschen Zusatz zu predigen. Ab hac editione differt fortasse quam laudat *Hallerus* l. c. p. 76. No. 175.: Artikel so Ulrich Zwinglin Ao. 1523. offentlich disputiert. Vorschrifft des Raths an ihre Geistlichkeit samt Abscheid von der Disputation. Zürich 1523. form. 4.

*g.* Sexta, quae quintum locum apud Usterium l. c. p. 360. lit. e. tenet, memoratu dignissima est, quia eiusdem editor articulis narrationem de disputatione praemisit brevem quidem et apertam, nec tamen omni ex parte probabilem. Cfr. Zwinglii Opp. ex edit. Schuleri et Schulthessi Tom. 1. p. 112. 113. Titulus, quo inscripta est, congruit cum illo, quem lit. c. et d. exhibuimus, his tamen additis: Ain kurtzer begryff, Wye die Fürsichtigen Vnd weyß Herren Von aim Ersamen Radt von Zürch Habend wellen von wegen der Götlichen warhayt ain beystandt thun. Aber die wort mügen en nit vndergon. Den spruch hond die frümen Christen gefaßt, Sy werent ins nyemant zucken lon. ꝛc. fol. 8. form. 4. s. a. et l.

*h.* Denique articuli extant ling. vern. apud Bullingerum in hist. eccl. ex. edit. Hottingeri et Vögelii Tom. I. p. 86. 90. in Zwinglii Opp. ex. edit. Schuleri et Schulth. Tom. 1. p. 153—157.; sermone latino in opere articulorum deinceps afferendo, in Gerdesii historia reform. Tom. 1. inter monumenta antiquit. p. 221—227. in Zwinglii Opp. Vol. I. fol. 1. 2.

2. *a—e.* Paullo post disputationem historiam eius conscripsit Erh. Hegenwaldus sic inscriptam: Handlung der versammlung inn der löblichē statt Zürich vff den XXIX. tag Jenners, vonn wegen des heyligen Evangelii zwischē der ersamen treffenlichen bottschafft

Digitized by Google

von Coſtentz: Hulbrichen Zwingli predigers des Evangelii Chriſti: vñ gemeiner prieſterſchafft des gantzen gebiets der egenanten ſtatt Zůrich vor geſeßnen radt beſchehē: im MDXXIII. Jar. Titulum sequitur dedicatio ad Johannem Jacobum Rusingerum abbatem quae tertio Martii die scripta est; hanc excipit mandatum senatus Turicensis, cui acta disputationis subiuncta esse inter omnes constat. Sed utrum in omnibus huius historiae editionibus articuli quoque 67. additi sint nec ne, adhuc dubitari potest. *Hallerus* l. c. Vol. III. p. 74. No. 170. tres affert editiones, *Frankius* in *catalogo bibliothecae Bunavianae* Tom. III. Vol. I. p. 291. 222. quatuor, *Usterius*, l. c. p. 356—358. quinque, quarum prima, etsi eam accuratissime descripsit, tamen ne verbum quidem de articulis habet. Quam descriptionem si sequimur articulos in illa editione non legi, sed ultima eiusdem verba haec fuisse statuamus necesse est: Das iſt ſumā u. inhalt, aller handlung und reden, vff den tag zu Zůrich ꝛc. vor geſeſſnem Radt, durch die lobwirdig bottſchaft Biſchoffs von Coſtētz und meiſter Vlrichen Zwingli Chorherr und predicant im groſſen můnſter zu Zůrich, ouch ander doctores und herrē dazu gegenwůrtig beſchehē vff zyt und tag wie vorſtat im XXIII. jar, des XXIX. tags Januarij. Sed si Schulerum audimus et Schulthessium, qui nostris temporibus Zwinglii opera ediderunt, in contrariam partem trahimur. Hi enim quamquam in sua opp. Zw. editione Vol. I. p. 111. affirmant, se eam Hegenwaldi historiae editionem, quae *primum* apud Usterium teneat locum, typis repetendam curasse, articulos tamen addunt p. 153. in hunc modum: Das iſt ſumma und inhalt aller handlung .... des 29. tags Januarii. — Diſe nachbeſtimmten artikel und meinungen bekenn ich Hulbrych Zwingli ꝛc. Usterius igitur et operum Zwinglianorum editores inter se pugnant; sed via et ratio in promptu est qua eorum dissensus explicetur. Prima enim, de qua hactenus dictum est editio, teste Usterio l. c. p. 357. constat plagulis X., sive foliis XL. form. 4., secundam vero, quam Panzeri annales No. 2008. testificatus citat, huic primae omnino respondere, sed fol. XLIV. sive pag. LXXXVIII. implere, eam igitur folia IV. plus habere dicit. In his, quae primae desunt editioni, articulos excusos, Schulerumque et Schultessium non primam sed secundam editionem secutos esse censeo. Tertia, quam Usterius p. 359. lit. c. attulit, citatur etiam ab Hallero l. c. in hunc modum:



Digitized by Google

Handlung der Verſamlung inn der löblichen Statt Zürich auff den XXIX. Tag Jenners von wegen des häyligen Euangelii zwyſchen der erſamen treflichē Botſchafft von Coſtentz, Huldrichen Zwinglj Predigers des Euangelii Chriſti vñ gemainer Prieſterſchafft des gantzen Gebiets der egenanten Stat Zürich vor geſeßnem Radt beſchehen, im Jar 1523. Orthographia, quam in ipso titulo editorem secutum esse videmus, prorsus diversa docet, hanc editionem ab illis differre. Constat autem Hallero teste pag. LXXXVII. form. 4. Annus et locus, quo prodiit, non indicati sunt. — Quarta anno 1523. Augustae Vindelicorum in officina Silvani Ottmari fol. XXXVIII. form. 4., quinta fol. XXIV. Lipsiae apud Stökelium typis expressa est. Cfr. *Hallerus* l. c. p. 74. No. 170. *Catal. bibl. Bunav.* l. c. p. 292. *Panzeri* annales No. 2009. 2010. *Usterius* l. c. p. 258. d. e. Zwinglii Opp. ex. edit. Schul. et Schulth. l. c. p. 111. Hanc disputationis historiam in latinum sermonem transtulit Gualterus, Usterio teste l. c. p. 362. hoc titulo: Acta disputationis primae, quae S. P. Q. T. consensu inter R. D. Constantiensis episcopi legatos et D. *Huldrychum Zwinglium*, omnesque Tigurinae urbis et agri ecclesiarum ministros instituta et transacta est: Latinitate donata Rod. Gualthero interprete. Recepta est in Zwinglii Opp. Tom. I. fol. 607 — 623.

3. *a. b.* Huldr. Zwinglius quum articulos publici iuris faceret, haud dubie speravit fore ut disputatione cum catholicorum theologis instituenda optimam occasionem suam doctrinam defendendi et articulos suos fusius explicandi nanciscceretur. Qua spe adversariorum artibus frustratus articulorum interpretationem lingua vernacula conscripsit, eandemque thesibus suo loco insertis typothetis exprimendam tradidit. Huius libelli duae extant editiones, orthographia tantum et notis margini appositis diversae, sic inscriptae: Uſſlegen und grund der ſchlußreden oder Artickle durch Huldrychen Zuingli Zürich vff den XIX. (XXIX.) tag Jenners im MDXXIII. jar Vßgangen .... In fine haec leguntur: Getruckt durch Chriſtophorum Froſchower in der loblichen ſtatt Zürich. pagg. DVI. form. 4. *Feuerlin* l. c. II. 164. *Haller* l. c. p. 75. No. 173. *Ruchat* l. c. I. p. 173. *Usteri* l. c. p. 364. *Wirz* l. c. Vol. V. p. 83. Zwingl. Opp. ex edit. *Schul. et Schulth.* Vol. I. p. 169 sq.

Neque defuerunt, qui articulorum interpretationem a Zwinglio

Digitized by Google

profectam in latinum sermonem verterent. Operae ea in re positae historiam diligenter narravit *Bullingerus* in historia eccl. reform. Vol. I. p. 90., ubi haec extant: Die vßlegung und befeſtigung diſer artickeln, iſt imm truck vom Zwinglj noch diſes 1523. jars, ußgangen, in dem Hôwmonat, in Tutſcher Sprach, hernach ouch in Latin vertollmetſcht durch M. Leo Jud. Doch nitt aller Dingen. Aller Dingen aber durch H. Radolffen Walthatten. Illius interpretationem citat *Usterius* l. c. p. 364. in hunc modum: Opus Articulorum sive Conclusionum a sanctae memoriae clarissimo viro Huldrycho Zuinglio in vernacula lingua conscriptum, nunc vero a Leone Iudae in latinam versum, recens quidem natum et nunc primum impressum Math. XI. Venite ad me etc. Tiguri excudebat Christophorus Froschouerus Mense Martio a. MDXXXV. fol. 371. 8. cum praefatione Bullingeri. Alia huius interpretationis editio commemorata est in Zwinglii Opp. ex edit. Schuleri et Schulthesii Vol. I. p. 170. inscriptione paullulum ab illa diversa: Opus articulorum sive conclusionum a sanctae memoriae clarissimo viro Huldrycho Zuinglio in vernacula lingua conscriptum, a Leone vero Judae in latinam versum. Cuius argumentum versis aliquot paginis invenies. In fine haec posita sunt: Tig. excudebat Christoph. Froschouerus. Annus, quo prodiit, non indicatus est. Caeterum constat foliis 15. paginarum numeris non signatis et pag. 525. form. 8., neque silentio licet praetermittere, theses sive conclusiones sic inscriptas esse: Religionis antiquae et vere christianae potissima capita ad avitae veritatis candorem pura simplicitate summaque diligentia excussa, opera clarissimi viri D. Chariei Cogelii olim in Alemannica, nunc ab Arieo Confessore in latina aedita, cujus elenchum in sequentibus paginis invenies. Et haec Leonis Iudae interpretatio, quamquam mutilam eam fuisse omnes qui de ea exposuerunt testantur viri docti, tamen in Zwingl. Opp. Tom. I. fol. 1—109. recepta est. Quam Bullingero teste curavit Rodolffus Walthartus, quem eundem fuisse atque illum, qui supra Rudolphus Gualtherus nominatus est, coniectura satis probabili assequi licet, ea adhuc neglecta est, quum neque ab Usterio neque a novissimis operum Zwinglianorum editoribus commemorata sit.

4. Denique afferenda est ea quam *Feuerlinus* l. c. p. 164. No. 7. protulit sic inscriptam: Handlung der verſamlung inn der loblichen

Digitized by Google

ſtat Zürich auf den XXIX. tag Jenners, von wegen des h. Euangelii zwiſchen der erſamen treffenlichen botſchafft von Coſtentz. Huldrychen Zwinglj predigers des Eu. Chriſti, vnd gemainer prieſterſchafft des gantzen geppets der egenannten ſtat Zurich vor geſeßnem radt beſchehen Jm Jar 1523. 4. Et hanc quidem ultimo loco posui, quia ex eiusdem descriptione apud Feuerlinum apparet, eam non solum acta disputationis, verum etiam articulorum continere interpretationem. Neque tamen negare possum me in hac editione citanda adhuc dubium haerere; primum quoniam inscriptio eius, si ab orthographiae diversitate vix memoratu digna recedis, prorsus cum titulis supra 2. c. allatis congruit; deinde quoniam in ipsa inscriptione articulorum interpretatio non commemorata est; denique quoniam saepius accidisse suspicor, scripta minoris ambitus in eadem officina, eadem charta adhibita et singulatim typis expressa a bibliopegis tantum in unum corpus ita redacta esse, ut quum in singulis foliorum et paginarum numeri pro more illius temporis omissi sint, plures eiusdem scripti editiones statuantur, quam revera editae sunt. Sed accuratior harum rerum disquisitio theologis Helveticis relinquenda est.

Ego illam editionem typis exprimendam curavi, quae No. 1. lit. e. commemorata est; scripturae diversitatem addidi ex Zwinglii Opp. a Schulero et Schulthessio editis, ita tamen ut leviora, quae orthographiam tantum et interpunctionem spectant, prorsus omitterem. Latinam interpretationem dedi ex opere articulorum quod supra memoravi.

## 2. THESES BERNENSES.

Quod Turici illa, quam modo commemoravimus, de articulis LXVII. disputatione effectum est, idem Bernae effectum iri ea, de qua nunc agimus disputatione ipsi senserunt catholici. Vix enim die XVII. Novembris anni 1527. senatus consultum cum saepe alias tum nuper in Bullingeri historia reformationis ab Hottingero et Vögelio edita Vol. I. p. 395. sqq. repetitum, quo publica indicabatur disputatio, publici iuris factum erat, non solum complures, quae catholicae religioni summo studio deditae erant, Helvetiorum civitates periculosos Bernensium conatus planissime reiecerunt, verum etiam imperator Carolus V., quum epistola ad Bernenses data postularet,

Digitized by Google

ut disputationem in aliud tempus differrent, eam perturbare voluit et impedire. Sed omnes frustra operam conterebant. Senatus Bernensis in sua permansit sententia, reipublicae certe saluberrima; Franciscus Kolbius et Berchtoldus Hallerus decem theses lingua vernacula compositas Turicum miserunt, ubi ipsius Zwinglii auspiciis typis expressae sunt et sigillatim et una cum libro sic inscripto: Radtſchlag haltender Disputation zu Bern 1527. pagg. XI. form. 4, in vulgus editae. Cfr. *Hallerus* in biblioth. histor. helvet. Vol. III. p. 115. No. 313. et *Ioh. Iac. Hottinger* in historia. foederat. civit. Helv. Turic. 1829. Vol. II. p. 106. not. 41. Disputatio igitur coram magna et concitata hominum multitudine inde a die VII. Ianuarii anni sequentis usque ad diem XXVI. eiusdem mensis et anni instituta est. Historici quidem, ubi tempus, quo Bernae a summis illius aevi theologis a Zwinglio, Oecolampadio, Bucero, Capitone, Hallero, Kolbio, aliis contra catholicos certatum sit, definiunt, in diversas abeunt partes: *Ioh. Henr. Hottinger* in histor. eccles. N. T. saec. XVI. P. III. p. 649. disputationem die XVII. Decembris anni 1527. habitam esse scribit, sed diem, quo senatus eam decrevit, cum primo disputationis die haud dubie commutavit. Neque Ruchatum moror, quippe qui vel ipse in computandis diebus lapsus sit, vel typothetarum errorem admiserit. Extant enim in eiusdem historia reformationis helvet. Genev. 1727. Tom. II. p. 24. haec verba: La dispute dura 19 jours consécutifs, sans interruption que d'un jour. Elle commença *le Lundi premier Janvier* et finit le 27. On disputa les Dimanches tout comme les autres jours. Sed ipsum etiam Hallerum in hac re exponenda errorem commisisse memoratu certe dignissimum est. Opinatur enim l. c. Vol. III. p. 116. disputandi initium factum esse die VI. Ianuarii, die lunae; at ex actis disputationis, quae deinceps commemorabuntur, et quibuscum *Bullingerus* libr. cit. Vol. I. p. 432., *Stettlerus* in Chron. Tom. II. p. 4. *Ioh. Iac. Hottinger* in histor. eccl. helvet. Turic. 1708. Vol. III. p. 403. aliique omnes consentiunt, constat, disputationem septimo demum die Ianuarii, die Martis, inchoatam, eandemque die XXVI. Ianuarii finitam esse omnes historici et literati uno ore tradunt.

Conferantur de illius historia: *Iacobi Monasteriensis* Sacerdotis Solodurensis Epistola de rebus in Disputatione Bernensi gestis in

Digitized by Google

*Ioh. Henr. Hottingeri* hist. eccl. saec. XVI. Tom. III. p. 639. *Bucери* praefatio ad Enarrationem in ev. Iohannis summam Disputationis et Reformationis Bernensis complectens. Argentor. 1528. *Bullinger* l. c. Vol. I. p. 395—446. *Stettler* Schweitzerchronik Thl. 1. S. 666. ff. Th. 2. S. 1. ff. *Chph. Luthard* Diputationis Bernensis... defensio .., libr. II. Bern. 1660. *Ruchat* Histoire de la réformation de la Suisse Tom. II. p. 24. sqq. Sam. Fischer Geschichte der Disput. u. Reform. in Bern. Bern 1828. G. J. Kuhn Die Reformation Berns im 16. Jahrh. Bern 1828. Melch. Kirchhofers Berthold Haller, oder die Reformation in Bern. Zürich 1828. Joh. Jac. Hottinger Geschichte der Eidgenossen während der Zeit der Kirchentrennung. Zürich 1829. Abthlg. 2. S. 103. ff. Zwingli's Werke von Schuler und Schultheß. Th. 2. Abth. 1. S. 77. ff.

Finita disputatione qui civitati Thuriensi fuit a tabulis publicis quique cum tribus aliis iussu senatus notarii munere in disputatione functus est, Turicum se contulit ibique teste Hallero l. c. Vol. III. p. 116. No. 317. acta disputationis edidit apud Christophorum Froschouerum. Prima, quae eius cura horum actorum prodiit editio ea videtur fuisse, quam in Feuerlini bibliotheca symb. p. 169. No. 12. commemoratam esse video hac inscriptione: Handlung oder Acta gehaltener Disputation zu Bern in uchtland. Diß gesprech ist beschlossen den 26. Jan. 1528. gedruckt zu Zürich 23. Mart. 1528. 4. Eandemque Hallerus l. c. secundo loco nominat, addens eam contineri foll. 245., pagg. 490. Secundam vero primo loco posuit, eamque hoc titulo insignitam esse prodidit: Handlung oder Acta gehaltener Disputation zu Bern in Uechtland. fol. 282. p. 564. form. 8. In fine haec extant: Getruckt zu Zürich by Christoffel Froschauer am 23. Tag Aprellen. Haec, quippe quae a notario publico non sine publica auctoritate institueretur, saepius, eodem Hallero id affirmante, repetita est, velut Argentorati eodem anno form. 4. et Bernae bis a. 1608. form. 4. et 1701. form. fol. At theses iam ante disputationem saepius prelo subiectae fuerant. Editio princeps, quae Zwinglii auspiciis prodiit, iam supra commemorata est. Addatur necesse est alia, quam inter disputationem apparuisse existimo hac inscriptione: Die Schlußreden über welche Franciscus Kolb und Bertold Haller uf dem Synodo zu Bern Ao. 1528. Antwort und Bericht geben. dimid. plagul. form. 4.

Digitized by Google

Caeterum repetitae sunt in *Bullingeri* hist. reform. Vol. I. p. 398. 399. in famoso Eccii libello: Verlegung der Disputation zu Bern ꝛc. 1528. form. 4. s. l. cfr. *Eccii* Opp. Vol. III., in *Zwinglii* Opp. ex editione Schuleri et Schulthessii una cum actis disputationis Vol. II. p. 76. sq. et in *Lutheri* Opp. ex ed. Walchii Tom. XVII. p. 2008.

Latinam harum thesium interpretationem ipsum Zwinglium dedisse testis est *Ioh. Iac. Hottinger* in historia confoederat. civit. Helvet. Part. 2. p. 106.

Ego vero eas exprimendas curavi ex ea actorum disputationis editione, quam mense Aprili a. 1528. Turici prodiisse antea dictum est. Latina earum interpretatio repetita est ex opere Luthardi, p. 168. 169. quod hac inscriptione ornatum esse Fritzschius V. V. mecum communicavit. „Disputationis Bernensis sive decem conclusionum in disputatione Bernae Helv. a. MDXXIIX. omnibus in territorio Bernensi et vicinis D. D. episcopis, abbatibus, praepositis, theol. doct., canonicis, decanis, monachis et sacrificulis ad examinandum propositarum explicatio. Et contra adversarios, praecipue Iacobum Schuler eccles. collegiatae S. Nicolai decanum proton. apost. S. S. theologiae doct. et quondam vicarium ac officialem episc. Lausan. Friburgi Helvetiorum defensio. Cum descriptione anni urbis conditae: situs: augmenti reipubl. vitae clericorum: causarum mutatae religionis: disputationis: synodi Bernae habitae: turbatae ecclesiae ab Hubero et Alberio. Autore *Christophoro Luthardo*, in schola Bernensi Professore Theologo. Libri duo. Excudebat illustrissimae reipublicae Bernensis typographus, Georgius Sonnleitnerus MDLX. fol.“

## 3. ZWINGLII FIDEI RATIO.

Quum ipse Zwinglius, qui factum sit, ut fidei rationem „citra „gentis suae praeiudicium“ exponeret et „ad Carolum Romanorum „imperatorem Germaniae comitia Augustae celebrantem“ mitteret, ipsa in brevi illa quam rationi fidei praemisit praefatione (p. 16.) aperte declaraverit, mihi nihil relictum est quam ut de iis, quae mihi innotuerunt, editionibus paucis exponam. Editio omnium princeps ea est, quam Zwinglius suis auspiciis typis expressam imperatori tradi iussit. Prodiit, ut in illius fine dictum est, Tiguri apud

Digitized by Google

Christophorum Froschover inscriptione quam totam neque in Feuerlini bibl. symb. P. 1. p. 124., neque apud Hallerum in bibl. hist. helv. Vol. III. p. 132. Nr. 361., neque in catal. biblioth. Bunavian. p. 1208. b. reperi. Usterius vero in libr. supra cit. p. 630. Nr. 65. eam indicavit accuratissime. Est autem haec: Ad Carolum Romanorum imperatorem Germaniae comitia Augustae celebrantem, fidei Huldrychi Zuinglii ratio. Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos. Anno MDXXX. Mense Iulio. Vincat veritas. Quae quidem editio repetita est anno 1590. in eadem officina, sed form. 8. et addita Zwinglii epistola ad illustrissimos Germaniae principes Augustae congregatos, de conviciis Eccii; cfr. Haller l. c. et Usterius l. c.; porro in fasciculo, quem sic inscriptum fuisse testatur Feuerlinus in bibl. symb. l. c. P. 1. Nr. 718.: Io. Oecolampadii Dialogus de Patrum sententia de Coena Domini; Huldrichi Zwinglii confessio fidei ad Carolum V. imp.; Phil. Melanchthonis Iudicium de Controv. Coenae Dom. ad Frider. El. Pal.; Io. Iac. Grynaei Exomologesis. Basileae 1590. 8. Neque omissa est in Zwinglii Opp. Tur. 1581. P. 2. p. 538—544. Exhibetur etiam in *Spiekeri* Confessione fidei Augustanae. Berol. 1830.

Eodem tempore, quo Zwinglius primam huius libelli editionem typis exprimendam curavit, apparuit germanica eiusdem interpretatio, teste Escherio, qui hanc rem in disputatione de confessionibus Helveticis tetigit, quae *Erschii* et *Gruberi* univers. encyclopaediae inserta est, Sect. II. Tom. V. p. 225. eademque hoc titulo inscripta est: Zu Karoln Römiſchen Keiſer, yetzund vff dem Rychstag zu Augspurg, Bekenntnuß des Glaubens, durch Huldrich Zuinglium. Kummend zu mir ir alle, die arbeitend vnd beladen ſind, vnd ich will üch rouw geben. Chriſtus Matth. XI. Die Warheyt ſoll den ſig haben. In fine haec extant: Getruckt zu Zürich by Chriſtoffel Froſchauer.

Interpretationem Anglicanam commemorat Hallerus l. c.: The rekening and declaration of the faith and belief of Hulrik Zwingly bishop of Zurg, the chief town of Helvetia sent to Charles the V. that now is emperor of Rome, holding a parlement or cownsaill at Ausbrougk, with the chief lords and learned men of Germanye. The Year of our Lord 1530. Translated an imprynted at Zürk. 1543. in 12mo.; testificans *Ames* typographical antiquities 504. et *Hospiniani* Hist. Sacrament. II. 101. a. 107. b.

Digitized by Google

Equidem editionem principem cum ea textus recensione contuli, quam in Zwinglii Operibus extare iam supra dictum est.

## 4. ZWINGLII FIDEI EXPOSITIO.

Odium et invidia inter singulas Helvetiorum civitates, quarum aliae fidem catholicam servarant, aliae sacris reformatae religionis addictae erant, in dies maiora incrementa cepit. Altera pars alteram populis regibusque vicinis infestam reddere tentavit; imprimis vero catholici omnibus viribus in eo laborarunt, ut callidis demonstrationibus, compositis mendaciis, turpissimis calumniis ipsam rerum sacrarum emendationem eiusdemque summos et auctores et defensores in suspicionem vocarent. Sed his artibus non ubique profecerunt; atque imprimis Franciscus, Franco-Gallorum rex anno 1530., quo legati eius relicta Soloduro Turici de pace non turbanda cum Helvetiis egerunt, ecclesiae reformatae mitem se praebuit et benignum. Quare Huldricus Zwinglius et patriae et religioni Christianae consulens fidei expositionem eo consilio delineare et huic regi mittere decrevit, ut eum in suas partes traheret. cfr. *Usteri* l. c. p. 641. sqq. *Escher* in Erschii et Gruberi encyclopaedia univers. s. v. Helveticae confess. Sect. II. Tom. V. p. 226. Scripsit igitur anno 1530. paullo ante mortem eam fidei rationem et professionem, quae in collectione nostra quartum locum tenet, eamque manu scriptam Francisco regi tradendam curavit. Quinque demum post annos publici iuris facta est ab H. Bullingero hoc titulo: Christianae Fidei a Huldrycho Zuinglio praedicatae, brevis et clara expositio, ab ipso Zuinglio paulo ante mortem eius ad Regem Christianum scripta, hactenus a nemine excusa et nunc primum in lucem aedita. Matth. XI. Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego requiem vobis praestabo. MDXXXVI. In fine haec extant: Tiguri apud Christophorum Froschoverum Anno MDXXXVI. fol. 44. form. 8. Hac Bullingeri editione usus est Leo Iudae, quum Zwinglii fidei expositionem in linguam vernaculam verteret eamque ederet sic inscriptam: Eyn kurtze klare sum vnd erklärung des Christenen gloubēs von Huldrychen Zwinglin geprediget, vnd vnlang vor synem tod zu eynem Christenen König geschriben. Getruckt zu Zürich by Christoffel Froschauer. fol. 72. form. 8. Haec

Digitized by Google

denique Bullingeri editio etiam in Operibus Zwinglii Tom. II. fol. 550. b — fol. 564. b. repetita est; neque hoc mirum esse potest tum propter summam, qua editor apud omnes utebatur, auctoritatem, tum propter praefationis, quam praemisit, conclusionem (cfr. p. 36.), qua omnia ex ipsius auctoris autographo accurate descripta esse, distinctis verbis affirmat. At manuscriptum, quod ab Henr. Bibliandro anno 1532. ex ipsius auctoris autographo transscriptum est, quodque in bibliotheca senatus Turicensis asservatur (9. V. 174. Nr. 7.) editorem scripto Zwingliano veram formam exuisse luculenter demonstrat. Scripsit enim Zwinglius, uti iam dictum est, non ad *regem quendam Christianum* sed ad *Franciscum, regem Francorum Christianissimum.* Omnia igitur quae ad id spectant Bullingerus ex arbitrio vel delevit vel mutavit. Equidem ex manuscripto illo Turicensi, cuius collationem Fritzschius V. V. benevole mecum communicavit, vera ubique restitui. Unum tamen intactum reliqui, appendicem de Eucharistia et Missa, quam MS. ante articulum de ecclesia intersertam exhibet, minus apto, ut equidem arbitror, loco (§§. 130—183.).

## 5. BASILEENSIS PRIOR CONFESSIO.

De origine confessionis, quae Basileensis prior sive Mühlhusana dicitur, et de anno, quo ea scripta sit, ambigunt theologi. Alii, velut Zwingerus, I. I. Hottingerus, Ruchatus, Beckius, Ochsius, quorum quae huc pertinent scripta ab Hagenbachio in historia huius confessionis p. 26. not. citata invenies, Oecolampadium, *fulgentissimam illam ecclesiae Basileensis lampada*, eius auctorem esse dicunt, affirmantque illam confessioni Augustanae, Tetrapolitanae et Zwinglii fidei rationi coaevam anno MDXXX. in comitiis Augustanis Carolo imperatori traditam esse. Sed hanc sententiam reiiciendam esse nostris temporibus *Kirchhofer* in vita Oswaldi Myconii et *Hagenbachius* in libro iam citato docuerunt, eosque omnes nostrae aetatis theologos velut Winerum, Escherium, Beckium, Guerikium secutos esse video. Hagenbachius duas potissimum causas cur illi suffragari nequeat, affert, quarum altera in silentio, quo hanc confessionem vel ii transeunt, qui historiam comitiorum Augustanorum accuratissime descripserunt, altera in fidei sita est confessione, quae ab Oecolampadio profecta eiusdem orationi anno demum MDXXXI.

Digitized by Google

exeunte in clericorum synodo habitae addita et ita comparata est, ut eam prima tantum illius confessionis lineamenta continere in aperto sit. Sed ut ipsi lectores de conditione, quae inter utramque intercedit, possint iudicare, Oecolampadii fidei confessionem ex Hagenbachii libro p. 213 — p. 217. huc diversis literis transscribendam curavi, ut primo statim adspectu utriusque confessionis et consensus appareat et diversitas.

Art. 1. *Unum* simplicissimum naturâ confiteor *Deum, non tres Deos, tres* autem unius *naturae Personas*, coaeternas et coaequales naturâ, virtute et beatitudine, in quibus nec prior, nec posterior: nec major, nec minor. *Illum fateor praeelegisse secum ante omnia secula servandos* et propterea in utilitatem humani generis, *coelum, terram et omnia, quae in eis sunt, condidisse.* Cumque homo *rectus* et cum liberi arbitrii potestate praeditus *ad imaginem Dei, suâ sponte in peccatum prolapsus sit, damnationi totum genus factum est obnoxium et infirmata est in nobis optima ad bonum habitudo et pro ea successit, tanta ad peccandum proclivitas, ut nisi per Spiritum sanctum reparemur, nihil vel velimus vel agamus boni.* Fateor *et Deum a Seculo curam habuisse humani generis* misisseque Praecones institiae, exhortatores ad invocandum nomen Dei, *ante et post diluvium, patriarchas*; deinde utilem et sanctam *legem, a spiritu sancto inspiratam per Mosen dedisse*, non solum Iudaeis, quod ad ceremonias tunc necessariam, sed et nobis utilem, tum quia ad Christum ducit, tum quia legem naturae in nobis obscuratam excitat, similiter ut sanctissima Dei dona Prophetas amplexamur, quum nos de Christo certiores faciunt.

Art. 2. Tandem *in novissimo tempore praedictum verbum h. e. Filium dei factum esse carnem et humanam naturam divinae naturae in unam Personam iunxisse et factum esse fratrem nostrum, ut filios Dei faceret.*

Art. 3. *Qui de Spiritu Sancto conceptus*, natus ex Maria virgine.

Art. 4. Post vero miracula et sanctissimam doctrinam et post instituta sancta sacramenta (*passus*), *crucifixus* et vere *mortuus sub Pontio Pilato* Praeside, *omnino pro peccatis nostris satisfecit, Patrem coelestem nobis reconciliavit* unicâ hostiâ; *sepultum corpus*, animam vero triumphasse de inferis et morte, in consolationem patrum, quibus hactenus coeli ingressus praeclusus.

Art. 5—8. *Tertio autem die resurrexisse corpore, et postquam* discipulis *satis* se *ostendit resurrexisse*, vere *corpus suum* a terra in coelum assumtum quadragesimo dei post resurrectionem. *Inde eum venturum iudicare vivos, et mortuos* confiteor, pios quidem ad possidendum coelum, impios vero ad ignem inextinguibilem.

Art. 8. 9. Et die quinquagesimo *misisse Sp. S. apostolis*, qui variis illos donis spiritualibus locupletavit, quo idonei fierent, ad congregandam ex Iudaeis et totius mundi gentibus Ecclesiam in unitatem fidei; quae est vera Sion et Hierusalem spiritualis per Prophetas praedicta, *in qua cives sunt qui Christum vere confitentur*, et charitate ab aliis non dividuntur. Eandem fidem sinceram confitentes, et ut animo non sepa-

Digitized by Google

rantur, ita symbolis ad hoc a Christo sacratis fidem charitatemque testantur sive *sub initium Baptismo, sive in profectu coenâ Dominicâ.*

Art. 10. Unde et remissio peccatorum et gratiarum actiones ac salus in Ecclesia, cui ad hoc claves datae sunt regni caelorum ita, ut quodquod illa liget in coelis sit ligatum, et quodquod solvat in terris, solutum sit in coelis. Quo nomine et excommunicationem, si legitime fiat, minime contemnendam, sed valde utile remedium (Ecclesiae) a Christo datum confiteor.

Art. 11. Expecto et bonâ spe diem gaudii, in *qua mortui resurrecturi cum corporibus et omnes a Christo iudice sententiam accepturi prout viverint, et fideles, quorum fides per charitatem operata fuerit, vitam aeternam ingressuros, quorum autem fides ficta, charitatisque nescia fuerit,* et immisericors erga membra Christi comprobata, *aeterni ignis* cum Diabolo incendiis addicendos.

Art. 12. In iis autem quae ad Sacramentum coenae spectant, confiteor, *animas nostras per fidem in mortem Iesu Christi et carne et sanguine pasci et potari*, idque pane dominico sancte commendari: non autem corpus Christi verum vel localiter, vel dimensive, sed sacramentaliter adesse, et sic Christum vere credentibus vere adesse. Non habeo inter christiana dogmata, *pueros Christianorum non licere baptizari, nullo in casu licere iurare, magistratum non posse agere Christianum*, necessario communia omnia Christianis, tolerandas a magistratu imagines, quae provocant ad idololatriam.

Daemoniorum dixerim doctrinam, prohibere cibos et nuptias, non docendam libertatem spiritus. De sanctis et virgine Maria honeste et honorifice loquendum, orationes autem nostras utilissimum esse, ad Deum committere, cuius gloria quaerenda in omnibus.

Haec indubitata mihi sunt; contrariam autem doctrinam ut abominabilem anathematizaverim. In hâc fide, oro fratres, ut unanimes simus et eam confiteri non erubescamus. Quod si qui sunt qui contradicant vel haec suspecta habeant, *certis scripturis communiti, oramus ut indicent.*

Accedit tertia quae a Kirchhofero l. c. p. 141. not. c. addita est causa, eaque repetita est a ratione et modo, quo Helvetiorum theologi in certamine de coena sacra contra Bucerum disputarunt. Hic enim ut sententiam suam firmaret, saepius ad auctoritatem mortui Oecolampadii, quae illo tempore longe amplissima fuit, provocavit; at illi in eo refellendo confessionem Basileensem priorem nunquam eo testificati sunt consilio, ut quid Oecolampadius de coena sacra statuisset, demonstrarent; unde apparet eos Oecolampadium non pro auctore huius confessionis habuisse.

Neque quaenam causa eius fuerit atque origo quaerentes aliam, quae diu inter theologos divulgata fuit, sententiam tueri possumus. Fuerunt enim multi, qui cum Lavatero, Hallero, Planckio aliisque

Digitized by Google

contenderent, ecclesiam Basileensem ad hanc priorem ipsius confessionem componendam iis theologorum Argentinensium obtrectationibus, qua doctrinam de coena sacra spectarent, adactam esse, eamque nihil aliud voluisse quam erroris sibi impositi refutationem. Quam sententiam ut probent, provocare solent ad locum, qui ex epistola Oswaldi Myconii ad Henricum Bullingerum data depromptus est, et his verbis continetur: „Interea tamen ecce conturbor ab Argen„tinensibus, tamquam bellum immineat capitibus nostris a nescio quo „Ferdinando, cuius quidem titulus futurus sit: sacramentum coenae „perperam intellectum. Obiectant enim nobis *Coenamesse sine Christo*, „quodammodo Tragoedia repraesentans Atreum sine Atreo. Equidem „dico ingenue, illud non prius probari posse, quam et fidem nobis „abesse probant. Hoc cum nequeant, neque illud poterunt: si fides est „enim, et Christus est, si fides non est, neque Christus est. *Misimus* „*confessionem nostram*, postulantes, quidnam sint responsuri etc." [cfr. Füsslini epp. Ep. 46.] Sed quamquam negari non potest, verba: „*misimus confessionem nostram*" quibus usus est Myconius, et in quibus haud dubie cardo totius disquisitionis versatur, dubiae esse interpretationis, tamen, quum Myconii epistola, ex qua illa verba repetita sunt, nono demum post editam confessionem mense scripta sit, non possumus quin *Kirchhofero* et *Hagenbachio* assentiamur, qui confessionem eo tempore quo Argentinenses theologi Helvetios coenam sacram sine Christo habere perhiberent, iam absolutam fuisse censent.

Sed quos modo nominavimus theologi in refutandis aliorum sententiis non substiterunt, verum in originem huius confessionis diligenter inquirentes ad eandem delati sunt coniecturam. Statuunt enim Oecolampadii fidei confessionem, quam supra cum lectoribus communicavimus, iterum iterumque retractatam postremo ab Oswaldo Myconio, Oecolampadii successore anno MDXXXII. in formam publicae confessionis redactam et a Senatu probatam civibusque fidei normam eo consilio propositam esse, ut omnium, qui in civitate Basileensi ecclesiae reformatae sacris addicti essent, consensus contra catholicorum calumnias probaretur, eoque ipsa ecclesiae salus adiuvaretur.

Sed utut haec sunt, confessionem Basileensem priorem anno demum MDXXXIV. publici iuris factam esse constat; neque in du-

Digitized by Google

bium vocari potest, quin primum lingua vernacula composita et edita, deinde vero etiam latinitate donata sit, etsi Hallerus l. c. Vol. III. 139. contrariam sententiam videtur secutus esse, quippe qui eam a Leone Iudae in vernaculam linguam translatam esse affirmaverit.

Conferantur: *Iacob. Christoph. Beckii* dissertatio historico-theologica de confessione fidei Basileensis ecclesiae. Basil. 1744. Melchior Kirchhofer Oswald Myconius Antistes der Baslerischen Kirche. Zürich 1813. K. R. Hagenbach kritische Geschichte der Entstehung und der Schicksale der ersten Baslerconfession und der auf sie gegründeten Kirchenlehre. Basel 1827. Escher in Ersch und Grubers allgem. Encyclopädie. Sect. 2. Thl. 5. Art.: helvetische Confession.

Hagenbachius quatuor editiones notatu dignas esse censet, easque literis A. B. C. et D. signat. Prima, cuius titulum ille ex exemplari desumpsit in quo primum folium manu Zwingeri scriptum erat, p. 32. not. Fritzchio teste, cui in bibliotheca Turicensi integrum exemplar inspicere licuit, sic inscripta fuit: BEkanthnus vnsers heyligen Christenlichen gloubens, wie es die kylch zu Basel haldt. Corde creditur ad iusticiam, ore autem fit confessio ad salutem Rom. 10. 1534. pagg. V. form. 4. Reliquae, si ab orthographia recedis, eodem titulo prodierunt; secunda eodem anno form. 8.; tertia 1591. 8.; quarta 1619. 8.; addenda est quinta anni 1629. 8. omnes et orthographia et literarum formis diversae; vetustiores etiam glossis marginalibus, quae in recentioribus vel raro extant, vel omnino desunt insignes. Ex his una repetita esse perhibetur in libro sic inscripto: Kleinod der Kirchen Gottes in der Stadt und Landschaft Basel 1666. p. 15 — 30. Neque defuerunt, qui eam verterent. Versio Franco-Gallica extat apud Ruchatum l. c. v. 510 — 526. In latinam linguam primum anno 1561. conversa est; hanc eius interpretationem in corpore et syntagmate confessionum p. 93. sqq. repetitam invenies. Melior interpretatio ea est, quae anno 1636. prodiit. Omnium praestantissima vero habenda est ea, quae a Zwingero, Beckio et Buxtorfio anno 1647. in usum disputationum edita est, quas illi diebus quibusque Iovis, horis pomeridianis in gratiam studiosorum habendas decreverant. Praeterea invenitur etiam in *Altingii* Methodo Theol. Catech. Basil. 1666. p. 29 — 38.

Quam optimam dixi eam typis exprimendam curavi, sed addi-

Digitized by Google

di simul ex editione principe confessionem lingua vernacula expressam ratione habita eius, quae a Hagenbachio notata est, scripturae diversitate.

Caeterum haec confessio duobus vel tribus annis post Mühlhusae a senatu civibusque recepta et hanc ipsam ob causam Mühlhusana dicta est. Mutationes, quas praefationis initium et finis experta sunt, nunc non moror; sed id memoratu dignissimum esse videtur, in vetustissimis confessionis Mühlhusanae editionibus, quarum altera a. 1537., altera a. 1550. prodiit, articulum septimum, qui de usu excommunicationis agit, prorsus omissum esse. Editiones vero, quae illas annis 1619. et 1671. secutae sunt, eum exhibere testis est Hagenbachius l. c. p. 52. not. 2. et quem ille laudavit Grafius in historia Mühlhusae urbis, et in historia reformationis Mühlhusanae. Quae omnia ubi perpenderis, quaenam temeritas Möhleri insit verbis in theologia symbol. Mogunt. 1832. Proleg. p. XXVIII. etiam non monitus intelliges.

## 6. HELVETICA PRIOR SIVE BASILEENSIS POSTERIOR CONFESSIO FIDEI.

Quod historici quidam tradiderunt, theologos Argentinenses vim aliquam exercuisse in eam, de qua modo egimus, confessionem, id vere in priorem Helveticam sive posteriorem Basileensem cadit. Illi enim theologi, inter quos imprimis Bucerus nominandus est, nihil magis in votis habuerunt, quam ut eos, qui reformatae ecclesiae sacris addicti erant, cum Luthero eiusque sectatoribus coniungerent. Quare doctrinam de coena sacra, cui unica fere discriminis inter Helvetios et Wittembergenses causa inesse putabatur, formulis, quas et Helvetiorum et Lutheranorum theologi probare possent, proponendam esse rati hisce de formulis modo hos modo illos et literis et ipsi praesentes adierunt. Neque operam suam omnino perdere videbantur, quum non solum Helvetios, sed ipsum etiam Lutherum sibi propensos redderent. Hic ad ecclesiam Argentinensem epistolas modestas et bonae spei plenas scripsit; illi Myconii praesertim consilium secuti doctrinam de coena sacra accuratius perpenderunt, videruntque necesse esse, ut formulam huius doctrinae



Digitized by Google

a singulis civitatibus recipiendam prius constituerent, quam cum theologis Argentinensibus de socianda utraque ecclesia convenirent. Qui igitur summi illo tempore Basileae erant theologi Myconius et Grynaeus cum Leone Iudae, Pellicano et Bibliandro, Turicensibus congressi formulam huiusmodi descripserunt descriptamque etiam cum ecclesia Bernensi communicarunt. Sed frustra. Bernenses formula reiecta, ut legati omnium civitatum, quae in Helvetia reformatae ecclesiae sacra receperant, hisce de rebus consultaturi convenirent, valde optarunt, neque restitere Basileenses et Turicenses. Concio igitur Basileae inde a XXX. Ianuarii anni 1536. habenda indicta est. Convenerunt praeter senatores et consiliarios, a singulis civitatibus delectos, Bullingerus et Leo Iudae, Turicenses, Megander Bernensis, Erasmus Ritter et Benedictus Burgauer Scaphusani, Fortmüller Sangallensis, Augustinus Gemusaeus Mühlhusanus et Myconius atque Grynaeus Basileenses, omnes et sincerissimi veritatis amici et ecclesiasticae pacis studiosissimi. Interea fama percrebruerat, inter imperatorem et papam de concilio oecumenico mox habendo convenisse; neque defuerunt qui catholicos illo concilio ab Helvetiis quoque rationem de ea, quam probassent, ecclesiae reformatione, repetituros esse affirmarent. Ergo non solum propter rationem, quae illo tempore inter Helvetiorum ecclesias et Lutheranorum sectatores intercessit, verum etiam ad haec catholicorum consilia respicientes omnes, qui Basileae convenerunt, et theologi et singularum civitatum legati decreverunt, ut nova fidei confessio, quae ab omnibus Helvetiorum civitatibus reciperetur, describeretur. Omnes unanimi consensu eius rei curam demandarunt Bullingero, Grynaeo, Myconio, quibus Leo Iudae et Megander iuncti sunt assessores. Hi nihil morati et labore ipsis imposito diligenter functi magnam illius partem iam absolverant, quum ecclesiae Argentinensis legati, Capito et Bucerus advenirent, quibus, placatis Turicensibus, qui ut exteri ab hac concione abessent, flagitaverant, permissum est, ut eos consilio suo adiuvarent. Neque quod de Luthero et de formulis, quas ille omnibus veram de coena sacra doctrinam profitentibus imprimis retinenda esse censuit, retulerunt, eventu caruit, quum omnes spem consociationis inter ecclesiam reformatam et Lutheri sectatores sincero animo concepissent et hanc ipsam ob causam ad lenitatem propensi in formulis prius

Digitized by Google

probatis non perseverarent. Testis est ipsa, quam composuerunt, confessio, testis publica, qua concio dimissa est, epistola, testis Grynaeus, qui die VII. Februarii ad amicum scripsit: „*Quas formas Lutherus requirit, eas ut in nostram confessionem expresse inseremus Bucerus et Capito obtinuerunt.*“

Caeterum haec confessio, quae a loco, ubi scripta et orta fuit Basileensis, ab Helvetiorum civitatibus, quae eam probaverunt, nominata est Helvetica, primum lingua latina confecta et deinde a Leone Iudae ex auctoritate publica in latinum sermonem translata esse dicitur. Quo facto concio optimis auspiciis dimissa est. Sed spes, qua omnes, qui Basileam venerant legati, quum urbem relinquerent, tenebantur, quamquam magna et firma, tamen mox mirum in modum debilitata est. Fuerunt enim, qui cum alia multa, tum id confessionis novae auctoribus et interpretibus exprobrarent, quod et theologis Argentinensibus nimium indulsissent et latinus confessionis textus cum germanico non satis congrueret. Quare etsi in alia concione mense Martio ab iisdem earumdem civitatum legatis Basileae habita confessio ante septem hebdomadas omnium consensu probata denuo examinata est, tamen omni ex parte iterum confirmata est. Omnes qui aderant ei subscripserunt, idque non mense Maio, ut Guerike aliique affirmant, sed die XXVI. Martii factum est, postquam Myconio et Grynaeo mandaverunt, ut latinum confessionis textum ex germanico corrigerent, et singulari decreto prohibuerunt, ne quis confessionem prius typis exprimeret, quam reliquae ecclesiae omnes, se illam prorsus probasse, declarassent. Quae hactenus paucis exposita sunt, ea apud Ruchatum, Fischerum, Hagenbachium et Escherum ll. cc. imprimis vero apud Kirchhoferum l. c. fusius et copiosius tradita invenies. Restat igitur ut quae mihi innotuerunt editiones enumerem et de ratione exponam, quam ipse in edenda hac confessione secutus sim.

Hallerus in bibl. hist. Helv. Tom. III. p. 140. affirmat, latinam huius confessionis textum publici iuris factum eumdemque deinceps repetitum esse in corpore et syntagmate confessionum Genev. 1654., sed annum quo latina illa confessionis editio primum prodierit, non commemoravit; germanicum vero anno 1536. form. 8. et anno 1550. Basileae typis expressum esse dicit. Consentit cum eo Winerus in variarr. conf. comparat. p. 18., qui editionem a. 1550. omi-



Digitized by Google

sit eiusque loco aliam a. 1587. attulit, et qui Winerum secutus est *Guerike* in theol. symb. p. 110. At in bibliotheca Feuerlini ne una quidem huius confessionis editio commemorata est, et Eschero teste in Erschii et Gruberi encyclop. univers. Sect. II. Tom. V. p. 229. not. 4. nulla eiusdem extat editio, quae publica fruatur auctoritate. Idem deinde hunc exhibet confessionis germanicae titulum: Eine kurze und gemeine Bekenntniß des Glaubens der Kirchen, so in einer Eidgenoßschaft das Evangelium Christi angenommen haben, allen Gläubigen und Frommen zu erwägen, zu beschätzen und zu urtheilen dargestellt; sed simul affirmat, textum confessionis germanicum numquam typis expressum esse, latinum vero tum in harmonia tum in corpore et syntagmate confessionum extare. Addit denique interpretationem Gallicam reperiri apud Ruchatum l. c. Tom. V. p. 510. sic inscriptam: Brieve confession de foi des eglises de la Suisse, qui ont embrassé l'Evangile de Jesus Christ, présentée à tous les Fidéles et les Gens de bien, pour l'examiner et en juger; composée à Bâle l'an 1536., au mois de Février et signée en May par les Cantons Réformez. Et Ruchatus ipse, se confessionem de germanico textu transtulisse dicit l. c. Vol. V. p. 509. ubi haec extant: On l'avoit écrite en Latin, et on chargea Leon de Juda de la traduire en Allemand: Comme cette Piéce n'est pas bien longue, et qu'elle est fort rare, je la mettrai ici tout au long, *traduite fidélement sur la Copie Allemande.*

Equidem etiam hanc confessionem et germanico et latino sermone exprimendam curavi. Germanicam deprompsi ex codice Ms. form. 4. bibl. cuiusdam Basileensis sic insignito: Gal. I. 167., in quo praeterea Blaureri Conf. de S. C., Confessio Saxon. Elect. Territorii cum Interim et alia quaedam, praecipue Bullingeri et Bibliandri scripta continentur. Prima pagina haec extant: Hunc codicem M. S. Bibliothecae Carolinae donavit Mense Maio 1631. Ioh. Rodolphus Stuckius Professor artium dicendi et Bibliothecarius ab anno 1630. In fine notatus est dies, quo scriba opus suum absolvit, dies scilicet XXIII. Ianuarii anni 1538. Codicem hunc Basileensem contulit Fritzschius cum Turicensi, quem in tabulario ecclesiastico reperit signo B. r. ornatum et sic inscriptum: Donationes aliquot Regum et principum virorum. — Antiquitates quaedam de Collegiis et Templis Tigurinis. — Reges Francorum a Phara-

Digitized by Google

mundo usque ad filios Ludovici Pii. Collectaneâ ex variis. MDLXX. HB. S., neque dubii haerere possumus, quin collectionem a Bullingero ipso institutam contineat. Quamquam igitur germanicae confessionis textum e codice Basilaensi repetendum esse putavi, nolui tamen scripturae diversitatem, quam codex ille Turicensis exhibet, prorsus negligere. Quem dedi latinae confessionis textum, is ex eodem codice depromptus est. Nusquam vero illam reperi appendicem, quam additam voluerunt Bullinger et Leo Iudae, cuiusque mentionem Hagenbachius l. c. p. 68. not. fecit et quam his verbis ab Eschero l. l. citatam esse video: „Durch dieſe Artikel wollen wir keines Wegs allen Kirchen eine einzige Glaubensregel vorſchreiben. Denn wir erkennen keine andere Glaubensregel an, als die heil. Schrift. Wer alſo mit dieſer übereinſtimmt, mit demjenigen ſind wir einſtimmig, obgleich er andere von unſerer Confeſſion verſchiedene Redensarten brauchte. Denn auf die Sache ſelbſt und die Wahrheit, nicht auf die Worte ſoll man ſehen. Wir ſtellen alſo Jedem frei, diejenigen Redensarten zu brauchen, welche er für ſeine Kirche am paſſendſten glaubt, und werden uns auch dergleichen Freiheit bedienen, gegen Verdrehung des wahren Sinnes dieſer Confeſſion uns aber zu vertheidigen wiſſen. Dieſer Ausdrücke haben wir uns jetzt bedient, um unſere Ueberzeugung darzuſtellen.

## 7. CATECHISMUS GENEVENSIS.

Ioannes Calvinus in usum ecclesiae Genevensis anno 1536. catechismum lingua Gallica conscripsit, *non illum*, ut Beza in eius vita ait, *in quaestiones et responsiones distributum .. sed alium multo breviorem praecipua religionis capita complexum*, quem latinum ecclesiae Genevensis ministri anno 1538. typis exprimendum curarunt sic inscriptum: „Catechismus sive christianae religionis institutio communibus renatae nuper in Evangelio Genevensis Ecclesiae suffragiis recepta, et vulgari quidem prius idiomate, nunc vero Latine etiam, quo de Fidei illius synceritate passim aliis etiam Ecclesiis constet, in lucem edita. Ioanne Calvino autore. Basileae, anno MDXXXVIII.“ Quae in ipsa hac inscriptione indicata est latinae interpretationis causa, eam, aliis additis, ecclesiae Genevensis ministri in epistola ipsi Catechismo praemissa, quae ad omnes Christi

Digitized by Google

evangelium religiose colentes data est, fusius explicarunt. Continetur ea paginis XV., quarum numeri a typothetis non indicati sunt. Sequitur ipse Catechismus, qui numeris huiusmodi insignitus est, repetita in hunc modum inscriptione: „Catechismus, „seu Christianae religionis institutio Ecclesiae Genevensis, vulgari „prius idiomate edita, nuncque postremo latinitate etiam donata, „Ioanne Calvino autore.“ Illam, quam primo loco posui inscriptionem exhibet Fuerlinus in bibl. T. II. No. 1917. sed mutilatam, hanc invenies in libro quem Henry de vita Calvini conscripsit Tom. II. p. 150. not. 1. Constat autem paragraphis LVIII. ita dispositis.

1) Omnes homines ad religionem esse natos. — 2) Quid inter falsam ac veram rel. intersit. — 3) Quid de deo nobis cognoscendum. — 4) De homine. — 5) De libero arbitrio. — 6) De peccato et morte. — 7) Quomodo in salutem ac vitam restituamur. — 8) De lege domini. — 9—18) Decem praecepta singula. — 19) Legis summa. — 20) Quid ex sola lege ad nos redeat. — 21) Legem gradum esse ad Christum. — 22) Christum fide a nobis apprehendi. — 23) De electione et praedestinatione. — 24) Quid sit vera fides. — 25) Fides donum dei. — 26) In Christo iustificamur per fidem. — 27) Per fidem sanctificamur in legis obedientiam. — 28) De poenitentia et regeneratione. — 29) Quomodo bonorum operum et fidei iustitia simul conveniant. — 30) Symbolum Fidei. — 31—39) Credo (patrem 31., filium 32—35., Spir. s. 36., sanctam Eccles. catholicam 37., remissionem peccatorum 38., carnis resurrectionem, vitam aeternam 39.). — 40) Quid sit spes. — 41) De oratione. — 41) Quid in oratione spectandum. — 42) Orationis dominicae enarratio. — 43—49) Exordium et petitiones sex singulatim. — 50) Orandi perseverantia. — 51) De sacramentis. — 52) Quid Sacram. — 53) De Baptismo. — 54) De Coena Domini. — 55) De ecclesiae pastoribus et eorum potestate. — 56) De traditionibus humanis. — 57) De excommunicatione. — 58) De magistratu.

In fine addita est, „Confessio fidei, in quam iurare cives omnes „Genevenses, et qui sub civitatis eius ditione agunt, iussi sunt: „exscripta e Catechismo, quo utitur Ecclesia Genevensis“ eaque paginis XI. continetur. Ultima denique pagina haec extant: Basileae, in officina Roberti Winter, anno MDXXXVIII. mense Martio.

Sed post paucos annos Calvinus, quum methodum, quam in hoc catechismo secutus erat, ipse non omnino probaret, opus suum retractavit. *Scripsit*, si Bezam l. c. sequimur anno 1541., *catechismum gallice et latine, ab illo priore minime discrepantem, sed multo auctiorem, et in quaestiones distributum.* At si alios posterioris nostrique aevi theologos sequimur, hunc catechismum

Digitized by Google

anno 1541. Franco-Gallica tantum lingua compositum, eumdemque anno demum 1545. latinitate donatum esse docemur. Ita *Ioh. Senebier* in historia literaria Genevensi, Genev. 1786. Tom. 1. p. 251. de Calvini catechismis haec habet: Ce catéchisme parut à Bâle en 1538.; Calvin l'augmenta à Strasbourg en 1541., et il le traduisit en latin en 1545.; ita *Winerus* in variarum confessionum comparatione p. 22., quem *Guerike* in theologia sua symbolica p. 114. a. secutus est; ita etiam *Henry* in vita Calvini Hamb. 1838. Tom. II. p. 151., qui tamen nota addita Bezam quamvis occulte carpit; neque hoc iniuria factum esse videtur, quum Calvinus ipse in praefatione ad latinam huius catechismi editionem, quae Genevae IV. Calendas Decembris anni MDXLV. scripta est, testificetur, se inde ab anno 1538. latinum non composuisse catechismum. Respiciens enim ad catechismum anni 1538. latina lingua conscriptum ait: „Nam quum ante *annos septem* edita a me esset brevis religionis summa sub catechismi nomine: verebar, nisi hoc in medium „prolato anteverterem, ne illa, quod nolebam, rursum excuderetur.“ (p. 124.) Quae omnia *Beckius* in libris symbb. eccl. reform. Tom. 1. p. 208., quamquam neque horum Calvini verborum, neque illius Bezae testimonii mentionem fecit, respexisse et statuisse videtur, catechismum a. 1541. et gallice et latine conscriptum, sed gallicum tantum typis expressum et publici iuris factum esse, latinum vero in auctoris scrinio usque ad annum 1545. latuisse manu scriptum. At quo minus huic sententiae faveamus, impedit ipsa, quam Calvinus a. 1545. latinae catechismi editioni praemisit, praefatio, quae ita comparata est, ut auctorem illo demum anno interpretandi officium suscepisse facili negotio intelligi possit. Quae quum ita sint ut Bezam de his catechismi editionibus minus accurate exposuisse statuamus et catechismum anno 1541. Gallico tantum sermone a Calvino retractatum esse, accipiamus necesse est.

Sed utrum latinus, qui prodiit anno 1545., mera gallici illius catechismi interpretatio sit, quod omnes affirmant viri docti, necne, id tantum abest ut negem, ut ne in dubium quidem vocare audeam, quum editionem anni 1541. inspicere non licuerit; sed monuisse satis habeo, non omnia, quae Henry l. c. p. 152. 153. de ea retulerit, in latinam illius editionem cadere. In hac enim humanae vitae praecipuum finem esse dicit, ut deum, a quo conditi sint homines, ipsi noverint; dein-

Digitized by Google

ceps de vera dei cognitione et de recto eius cultu exponens, nos eum rite honorare ait, si in eo sita sit tota nostra fiducia: si illum tota vita colere, voluntati eius obsequendo, studeamus: si eum, quoties aliqua nos urgeat necessitas, invocemus; salutem in eo quaerentes, et quicquid expeti potest bonorum: si postremo tum corde, tum ore illum bonorum omnium solum auctorem agnoscamus. Quam totius argumenti in quatuor partes divisionem auctor ab initio quidem diligenter servat, quum primum de fide, tum de lege, deinde de oratione agat, sed his expositis quod reliquum est rursus in duas partes disiungit, quum quarto loco verbum dei et quinto demum sacramenta commemoret. Neque haec omnino cum catechismo anno 1538. vulgato congruunt. Etenim si singulae huius catechismi paragraphi, quas omnes supra indicavimus, respiciuntur, prima parte paragraphos 1—7. et 21—39., secunda 8—20., tertia 41—50., quarta 55. et 56. et quinta 51—54. et 57. receptas esse et retractatas apparet, ita ut praeter illud, quod Beza notavit discrimen, aliud etiam, quod in amplificatione et transpositione singularum partium cernitur, deprehendatur.

Sed haec ulterius persequi non huius loci est. Redeamus ad propositum et pergamus in enumerandis catechismi Genevensis editionibus.

Editio huius catechismi, quae postremo commemorata est, sic inscripta esse perhibetur a Senebiero l. c. „Catechismus ecclesiae „Genevensis, primo gallice anno 1536. scriptus, deinde ab ipso au„ctore eo qui nunc extat ordine et methodo editus, tum latine, ad„iecta formula, tum precum publicarum, tum administrationis sacra„mentorum, Genevae 1545.“ eademque maximam nacta auctoritatem non solum repetita est in Operibus Calvini edit. Amstelod. Tom. VIII. p. 11—37., edit. Genev. 1617. Tom. VII. p. 12. 43. et alias, verum etiam in multorum populorum linguas translata. Beza catechismum l. c. opus appellat admirandum, „tantopere plurimis etiam exteris populis probatum, ut non modo vernaculis plurimis linguis, utpote Germanica, Anglica, Scotica, Belgica, Hispanica, sed etiam hebraice ab Immanuele Tremelio Iudaeo-Christiano et graece ab *Henrico Stephano* legatur elegantissime conversus.“ Consentiunt Senebier et Henry, quorum ille l. c. haec habet: „Ce catéchisme „fut d'abord traduit en espagnol, et imprimé sans nom de lieu et

Digitized by Google

„sans date; en 1545. il fut mis en italien, ensuite en anglois, en „grec, en grec et latin et en hebreu.“ hic complures afferens interpretationes addit l. c. p. 151. not. 1. hispanicam catechismi editionem anno 1550. et germanicam una cum catechesi Heidelbergensi anno 1563. prodiisse. Quam etsi inspiciendi occasio data est, tamen eam in edendo catechismo Genevensi non curavi, sed comparatione instituta inter textum editionis Amstelod. et Genevensis illum dedi, mutata hic illic interpunctione et orthographia, atque addidi appendicem, qua precationes aliquot piae, formula precum ecclesiasticarum et sacramentorum administrandorum, ratio celebrandi matrimonii et pauca de visitandis aegrotis continentur.

## 8. CONSENSUS TIGURINUS.

Tigurinus qui dicitur consensus doctrinam de sacramentis exponit, in qua ecclesia Genevensis cum Helvetiae ecclesiis consentit. Origo eius non obscura. Senatus Bernensis convocaverat mense Martio anni 1549. omnes tam germanicae quam gallicae linguae pastores, ut una cum iis de ecclesiae salute deliberaret. (*Kuhn* reform. Bernens. Bern. 1828. p. 414.) Calvinus, qui nihil magis in votis habuit, quam ut qui reformatae ecclesiae sacris addicti erant *in consensum pleniorem coalescerent*, quamquam non rogatus, tamen hanc scribendi opportunitatem non praetermittendam esse censuit misitque Bernensis ecclesiae pastoribus epistolam, additis viginti de sacramentis articulis, ut Bernenses, quaenam recepta sit in ecclesia Genevensi hisce de rebus doctrinae forma, aperte et perspicue viderent. Articuli, quos Henry in vita Calvini Tom. II. Append. p. 134—136. e codice manu scripto Genevensi repetiit, hi sunt:

1) Cum in hunc finem Dominus Sacramenta instituerit, ut per ea gratiam suam nobis testetur atque obsignet: ut verae sint gratiae Dei testimonia et sigilla, vere nobis exhiberi oportet quod figurant. 2) Porro Sacramentorum veritas in Christo continetur; sed ut ea melius constet, priore loco statuendus est Christus ipse, tanquam substantia aut fundamentum: deinde fructus ac vis mortis ipsius, et quaecunque ab ipso proveniunt bona. 3) Hic ergo Sacramentorum finis est: primum ut Christo potiamur, tanquam bonorum omnium fonte; deinde ut beneficio mortis eius reconciliemur Deo, spiritu eius renovemur in vitae sanctitatem, iustitiam denique et salutem consequamur. 4) Ita in Baptismo considerandus est primum Christus ipse cum suo sanguine: deinde ablutio et vitae novitas, quae inde manant. In Coena primum locum

Digitized by Google

obtinent corpus pro nobis crucifixum et sanguis in cruce fusus; deinde peccatorum expiatio, ius adoptionis, vitae novitas, et quaecunque ad vitam aeternam spectant. 5) Ergo quicunque rite et pie utuntur sacramentis, Christum, ut illic nobis offertur una cum spiritualibus eius donis recipiunt. Nam ut verax sit Deus, necesse est quidquid significat ac promittit ab ipso impleri ac praestari. Atque ut vera sit significatio, necesse est ut effectus vel res ipsa signo respondeat. 6) Quod autem per Sacramenta dicimus nos fieri Christi et spiritualium eius donorum participes, in eo non ad signa nuda, sed potius ad promissionem quae illis annexa est, respectum habemus. Quatenus ergo in promissione illic oblata proficit nostra fides, eatenus se ista vis et efficacia quam dicimus, se exerit. Ita materia aquae aut panis, aut vini Christum nequaquam nobis offert, nec spiritualium eius donorum compotes nos facit, sed promissio magis spectanda est, cuius partes sunt nos recta fidei via ad Christum ducere. 7) Hinc concidit Papistarum error, qui in elementis obstupescunt, et illis affigunt salutis suae fiduciam, cum Sacramenta a Christo separata nihil aliud sint, quam inanes larvae, et in ipsis omnibus haec vox clare personet, non alibi quam in solo Christo haerendum, nec aliunde petendam esse salutis gratiam. 8) Praeterea si quid boni per Sacramenta nobis confertur, id non fit propria eorum virtute, etiamsi promissionem, qua insigniuntur, comprehendas. Deus enim plus est qui spiritu suo agit, et quod sacramentorum ministerio utitur, in eo neque vim illis suam infundit, nec spiritus sui efficaciae quidquam derogat; sed pro ruditatis nostrae captu, ea tanquam adminicula sic adhibet, ut tota agendi facultas maneat penes ipsum solum. 9) Itaque quemadmodum Paulus admonet, eum, qui plantat vel rigat, nihil esse, sed unum Deum esse qui dat incrementum; ita et de Sacramentis dicendum est, ea nihil esse, quin nihil profutura sunt, nisi Deus in solidum omnia efficiat. Instrumenta quidem sunt, quibus efficaciter, ubi visum est, agit Dominus, sed ita ut totum salutis nostrae opus ipsi uni acceptum ferri debeat. 10) Constituimus ergo unum esse Christum, qui vere intus baptizat, qui nos in coena facit sui participes, qui denique implet quod figurant Sacramenta, et ita quidem his adminiculis, ut totus effectus penes eius spiritum resideat. 11) Sic interdum sacramenta vocantur sigilla et tamen solus Spiritus proprie est sigillum et idem fidei inchoator et perfector. Nam haec omnia sacramentorum attributa inferiore loco subsidunt, ut ne minima quidem salutis nostrae portio ab unico autore ad creaturas transferatur. 12) Praeterea sedulo docemus Deum non promiscue vim suam exerere in omnibus qui Sacramenta recipiunt, sed tantum in electis: nam quemadmodum non alios in fidem illuminat, quam quos praeordinavit ad vitam, ita arcana peculiarique spiritus sui virtute efficit, ut Sacramenta illis solis exhibeant quod offerunt. 13) Hac doctrina evertitur illud Sophistarum commentum, quod docet Sacramenta novae legis conferre gratiam omnibus non ponentibus obicem peccati mortalis. Praeterquam enim quod in Sacramentis nihil nisi fide percipitur, tenendum quoque est, minime alligatam ipsis esse Dei gratiam, ut quisquis signum habet, re etiam potiatur. Nam repro-

Digitized by Google

bis peraeque ac electis signa administrantur. Veritas autem signorum ad hos solos pervenit. 14) Certum quidem est offerri communiter omnibus Christum cum suis donis, nec hominum infidelitate labefactari Dei veritatem, quin semper vim suam retineant sacramenta; sed non omnes recipiendi sunt capaces. Itaque ex Dei parte nihil mutatur, quantum vero ad homines spectat, quisque pro fidei suae mensura accipit. 15) Quemadmodum autem nihilo plus infidelibus confert sacramentorum usus, quam si abstinerent, imo illis tantum exitialis est, ita extra eorum usum fidelibus constat, quae illic figuratur veritas. Sic baptismo abluta sunt Pauli peccata, quae iam prius abluta erant. Sic idem baptismus Cornelio fuit lavacrum regenerationis, qui tamen iam spiritu sancto donatus erat. Sic in coena se nobis communicat Christus, qui tamen perpetuo in nobis manet; sed quatenus sacramentis confirmatur et augescit fides, confirmantur in nobis Dei dona, adeoque augescit quodammodo Christus in nobis, et nos in ipso. 16) Ad haec utilitas quam ex sacramentis percipimus ad tempus, quo ea nobis administrantur, restringi minime debet, perinde ac si signum visibile, dum in medio profertur, eodem secum momento gratiam Dei adveheret. Nam qui a prima infantia baptizati sunt, eos in pueritia vel ineunte adolescentia interdum regenerat Deus, ita baptismi ad totum vitae decursum patet, quia perpetuo viget quae illic continetur promissio, et sacrae Coenae usus, qui in actu ipso propter incogitantiam vel tarditatem nostram parum prodest, fructum deinde suum profert. 17) Praesertim vero tollenda est praesentiae localis imaginatio. Nam cum hic signa in mundo sunt, oculis cernantur, palpentur manibus, Christus non alibi quam coelo, nec aliter quam mente et fidei intelligentia quaerendus est. Quare perversa et impia superstitio est, ipsum sub elementis huius mundi includere. 18) Hoc modo non tantum refutatur Papistarum commentum de transsubstantiatione, sed crassa omnia figmenta, quae vel coelesti eius gloriae detrahunt, vel humanae naturae veritati minus sunt consentanea: neque enim minus absurdum iudicamus Christum sub pane locare, vel cum pane copulare, quam panem transsubstantiare in eius corpus. 19) Ac ne qua ambiguitas restet, cum in coelo quaerendum esse Christum dicimus, haec locutio locorum distantiam sonat et exprimit; tametsi enim proprie loquendo supra coelos locus non est, quia tamen corpus Christi, ut fert humani corporis natura, finitum est, et coelo continetur, necesse est a nobis tanto locorum intervallo distare, quantum coelum abest a terra. 20) Quod si imaginatione nostra Christum pani et vino affigere fas non est, multo minus licet in pane eum adorare; quamquam enim panis in symbolum et pignus eius quam habemus cum Christo communicationis, nobis porrigitur, quia tamen signum est, non res ipsa, neque rem in se habet inclusam, idolum ex eo faciunt, qui mentem suam in eum convertunt, Christum adoraturi.

Eodem tempore, quo Calvinus articulos, quos propterea inserendos esse existimavimus, quoniam illi prima quasi consensus Tigurini lineamenta continent, ad Bernenses misit, etiam cum *H. Bullin-*

Digitized by Google

*gero* de concordia inter ecclesiam Genevensem et Turicensem constituenda multum per literas egit, et quum illum ecclesiae Turicensis antistitem ipsius partibus favere videret, ipse Farelio socio assumpto Turicum adiit ibique coram senatoribus. et consiliariis publicis cum summis theologis de sacramentorum natura, vi et efficacia disputavit. Omnes qui aderant brevi tempore de articulis convenerunt, quos Bullingerus, quum exspectaret, ut Helvetiorum ecclesiae omnes consensu suo eos approbarent, cum his communicavit. Neque spes eum fefellit. Soli Bernenses in epistola ad Turicenses die II. Iunii missa responderunt: „Quum nostra disputatione et Vestra contra *Lutherum* confessione satis superque declaratum sit, quicquid ad causam hanc pertinet, non videmus quantopere conducat aliam edere *Confessionem*. Sed et neque inter Gebennensem et nostram Ecclesiam umquam publicum fuit dissidium, ut videatur necessarium, publice etiam Papistis nostrum testari consensum." Quamobrem articulis non subscripserunt et simul eos typis non exprimendos esse censuerunt. In illa permansere sententia; hanc vero mutarunt mutata, quae articulis praeposita fuit, praefatione. Reliqua, quae ad historiam horum articulorum, e quibus consensus Tigurinus constat, pertinent, tum mutata illa, de qua modo locuti sumus, praefatio p. 191. et ea, quam ministri Tigurinae ecclesiae ad Calvinum dederunt epistola p. 197. tum literae continent, quibus Calvinus exponit, cur anno 1554. consensionis illius capita fusius exponendi consilium ceperit. p. 199.

Caeterum conferas Sal. Heß Lebensgeschichte Bullingers. Zürich 1829. Thl. 2. S. 15. ff. Kirchhofer das Leben Wilhelm Farels. Zürich 1831. 33. Bnd. 2. S. 93. ff. Paul Henry das Leben Johann Calvins des großen Reformators. Hamburg 1838. Bnd. 2. S. 468. ff. neque negligenda sunt: *Lavateri* historia sacramentaria p. 98. *Hospiniani* historia sacramentaria p. 211. *Löscheri* historia motuum. edit. 1708. p. 54. Hagenbach kritische Geschichte der Entstehung und Schicksale der ersten Basler Confession. Basel 1827. S. 75. ff. (Beck) die symbolischen Bücher der evangelisch-reformirten Kirche. Thl. 2. Vorwort. S. XII. XIII.

*Hessius* l. c. p. 18. not. articulos primum hac inscriptione publici iuris factos esse ait: „Consensio mutua in re Sacramentaria Ministrorum Tigurinae ecclesiae, iam nunc ab ipsis autoribus edita

Digitized by Google

(1 Cor. I.). Obsecro autem vos Fratres, per nomen Domini nostri *Iesu Christi*, ut idem loquamini omnes, et non sint inter vos dissidia, sed sitis integrum corpus, eadem mente et eadem sententia. form. 8. *Tiguri*, ex off. *Rod. Weissenbachii* 1549. 2. plag." Praefixa est teste eodem *Calvini* epistola ad Ministr. Tig. Cal. Aug. data; Tigurinorum vero responsum d. 30. eiusdem mensis subiunctum. Dissentit *Hallerus* in bibl. hist. helv. Tom. III. p. 147. Nr. 409. de titulo atque hunc affert: „Consensio mutua in re Sacramentaria Ministrorum Tigurinae ecclesiae et D. Ioannis Calvini ministri Genevensis ecclesiae, iam nunc ab ipsis Authoribus edita." Tiguri 1549. form. 8. simulque addidit eam in hac editione pagg. XXVI. contineri. Aliae prodiisse dicuntur anno 1551. *Hessius* enim l. c. haec habet: „Edita est haec *Confessio* lat. et germ. demum anno 1551., ... eadem Gallice à Genève de l'imprimerie d. S. Crispin 1551. 2. pl. L'auord passè et conclud. touchant la matiere de Sacramens, entre les Ministres de l'Eglise de Geneve." Et *Hallerus* l. c. narrat eam typis repetitam esse Genevae 1551. form. 8. et ibidem 1552. form. 8., porro in *Ioannis a Lasco* Tract. de Sacramentis Ecclesiae Christi Londini 1552. pagg. XXI. form. 8. et in *Hospiniani* histor. Sacram. II. 367., denique in *Calvini* Operibus (Tom. VIII. p. 648. sqq.), e quibus equidem consensum eiusdemque expositionem typis exprimendam curavi. Sed excusa est etiam in libro sic inscripto: „Defensio sanae et orthodoxae doctrinae de Sacramentis, eorumque natura, vi, fine, usu et fructu: quam pastores et ministri Tigurinae ecclesiae et Genevensis ante hac brevi Consensionis mutuae formula complexi sunt una cum refutatione probrorum, quibus eam indocti et clamosi homines infamant. Iohanne Calvino Authore." Tiguri 1555. pagg. LXIV. form. 8. Et *Senebiero* in hist. lit. de Geneve testante p. 252., quem *Wingrus* secutus est in var. conf. comparat. p. 19. alia consensionis editio prodiit apud Robertum Stephanum anno 1554., eodemque indicante extant consensionis articuli etiam in Calvini tractatibus theologicis, qui prodierunt Genevae 1611. Amstelodami 1667. f. Denique notandum est eos in linguam gallicam conversos reperiri et in Recueil des Opuscules de Calvin 1566. fol. p. 1137—1145. et in *Ruchat* Reform. contin. inéd. P. I. L. III. p. 140—150.

Digitized by Google

## 9. CONSENSUS GENEVENSIS.

Anno 1551. novum malum, ut Bezae verbis in vita Calvini utar, Genevensem ecclesiam invasit. „Dedit autem, sic pergit ille, occasionem Hieronymus quidam Bolsecus ex Carmelitarum societate Lutetiae monachus, qui quum aliquot ante annos cuculla quidem abiecta, sed monachismo retento profugisset, idem etiam decepta Ferrariensi Ducissa ab ea pulsus, ac tandem triduo medicus factus Genevam venerat: ubi quum inter eruditos medicos nullo loco esset, ut sese theologum esse ostenderet, falsum et absurdum quiddam de praedestinatione inter aliquos, ac tandem etiam in congregationis coetu blateravit. Eum Calvinus primum moderata reprehensione contentus refutaverat, deinde ad se vocatum docere meliora fuerat conatus. At ille sive ambitione monastica percitus, sive ab .. factiosis, iampridem quaerentibus per quem Calvinum lacesserent, incitatus, palam ausus est in ipso congregationis coetu XVI. Octobr. quum ille Ioannis locus explicaretur, *Qui ex Deo est, verba Dei audit, et quia non auditis, ex Deo non estis*, liberum arbitrium et operum praevisionem ad aeternae praedestinationis decretum causis omnibus etiam ordine superius evertendum, adiectis etiam in veram doctrinam contumeliis, fastuque mere seditioso proferre, idque eo, ut existimatur, audacius quod forte Calvinum suo loco non sedentem abesse crederet. Et aberat quidem ille initio. Sed eo sermonem ingresso superveniens, pone alios nonnullos sese continuerat. Finita monachi oratione Calvinus repente apparens, quamvis plane nihil antea tale meditatus, tum certe si umquam alias, qui vir esset ostendit. Siquidem illum tot verbi divini testimoniis, tot Augustini praesertim locis, tot denique tamque gravibus argumentis confutavit, perculit, obruit, ut omnes praeter ipsum et perfrictae frontis monachum ipsius vehementer puderet. Aderat in ipso audientium coetu Assessorum Praetoris unus, quorum in urbe ius prehensionis est. Is illum dimisso coetu tamquam seditiosum in custodiam tradit. Quid plura? Causa multis disputationibus agitata, senatus Helveticarum etiam ecclesiarum sententiam percontatus, illum tum ut seditiosum, tum ut mere Pelagianum XXIII. Decembr. publice damnatum urbe expulit, fustuariam poenam minatus, si vel in urbe

Digitized by Google

vel in urbis territorio esset deprehensus." .... „At Genevae interea collegium ministrorum in publico coetu veram de praedestinatione doctrinam asseruit, publicoque scripto deinceps a Calvino comprehensam comprobavit," eoque continetur consensus, qui dicitur Genevensis, cui num anno 1554. etiam ecclesia Turicensis et reliquae Helvetiorum ecclesiae subscripserint, adhuc dubitari licet.

Cfr. *Simleri* narratio de ortu, vita et obitu H. Bullingeri. Tiguri 1575. 4. fol. 26. *Ioh. Henr. Hottingeri* hist. eccl. N. T. saec. XVI. P. 11. p. 832. P. IV. p. 727. sqq. *Jacqu. Beniq. Bossuet* histoire des variations des eglises protestantes. Paris 1688. Tom. II. p. 9. Sal. Heß Lebensgeschichte M. H. Bullingers. S. 36. ff. Kirchhofer Oswald Myconius. S. 391. Hagenbach Geschichte der ersten basler Confession. S. 78. ff. Escher in Ersch und Grub. Encyclop. Art. helvet. Confess. Beck die symbolischen Bücher u. s. f. Vorw. S. 16. 17.

Quod denique ad editiones attinet, nemo, quod ego sciam, enumeravit omnes. Quae mihi innotuerunt hae sunt. Editio princeps, quam Senebier hist. litter. de Geneve p. 252. citavit, hac prodiit inscriptione: „De aeterna dei praedestinatione, qua in salutem alios ex hominibus elegit, alios suo exitio reliquit: item de providentia qua res humanas gubernat, consensus pastorum Genevensis ecclesiae, a Io. Calvino expositus." Porro titulus sacra anchora ornatus est. Denique indicatur locus et annus, quo liber prodiit, in hunc modum: „Genevae, ex officina Ioannis Crispini MDLII." form. 8. Eodem anno Senebiero l. c. et Winero in variarr. conf. compar. p. 19. testantibus, gallica huius consensus interpretatio form. 12. publici iuris facta, eademque, ni omnia me fallunt, hoc titulo ann. 1614. form. 8. repetita est: Congregation faite en l'Eglise de Geneve par M. Jean Calvin en laquelle la matiere de l'élection éternelle de Dieu fut sommairement et clairement par luy deduite et ratifiée d'un commun Accord par ses frères Ministres repoussant l'erreur d'un Semeur de fausse doctrine qui effrontéement avoit desgorgé son Venin. Genève 1614. pagg. 128. cfr. *Halleri* bibl. hist. Helv. Tom. III. p. 171. No. 489. Latinus vero huius consensionis textus in Calvini tractatibus theologicis et in eiusdem operibus (ed. Basil. Tom. VII. p. 688. sqq. ed. Amstelod. Tom. VIII. p. 593. sqq.), quibus ego quoque in edendo illo usus sum, repetitus est.

Digitized by Google

## 10. CONFESSIO FIDEI GALLICANA.

Doctrinae ratio, quam in Germania et Helvetia qui ecclesiae reformatores dicuntur optimo successu contra catholicos defenderant, etiam in Gallia multorum animos insita sua vi et veritate expugnavit. In dies latius propagabatur, etsi qui eam susceperunt et exilio et ferro et igni multabantur. Franco-Gallorum reges ne Iacobaea quidem clade impedire poterant, quo minus in regia ipsorum urbe ecclesia novis sacris addicta constitueretur atque concio omnium convocaretur clericorum, qui in Gallia sacris emendatis favebant. *Chandieu* enim minister reformatae, quae Parisiis constituta erat, ecclesiae Pictavium missus, ibique cum fidei suae sociis multum de necessitate omnes in Gallia ecclesias communi vinculo coniungendi collocutus, ecclesiae Parisiensi ut huiusmodi concionem convocaret statim post reditum persuasit. Legati omnium fere reformatarum, quae illo tempore in Gallia florebant, ecclesiarum Lutetiae Parisiorum anno 1559. convenerunt literisque fidei confessionem consignarunt, Francisco II. tradendam. Eadem deinceps non solum Carolo IX., qui Franciscum secutus est, anno 1561. tradita, verum etiam Rupellae anno 1571. ab Henrico IV. sollemni modo confirmata est:

Ceste Confession de foy des Eglises Reformees du Royaume de France arrestee au premier Synode National tenu à Paris le 19. May 1559. regnant lors Henri II. et depuis presentee à Charles IX. par la grace de Dieu Roy de France, à Poissi l'an 1561. Apres avoir esté leue au synode National assemblé à la Rochelle, il a esté declaré par le dit Synode representant toutes les Eglises de ce Royaume, Que toutes les dites Eglises Françoises approuvent et ratifient la susescrite Confession en tous ses chefs et articles: comme estant entierement fondée sur la pure et expresse parole de Dieu. Et en tesmoignage de ce consentement, la dite Confession de foy a esté signee par les Ministres et Anciens deputez des provinces de ce Royaume au nom des dites Eglises. Et furent presens au dit Synode tenu à la Rochelle, Jean par la grace de Dieu Royne de Navarre: hauts et puissans Princes Henry Prince de Navarre, Henri de Bourbon Prince de Condé, tres-illustre Prince Louys Conte de Nassau, Messire Gaspard Conte de Coligni Amiral de France, et plusieurs Seigneurs, Gentilshommes et autres personnes. Faict à la Rochelle le 13. Auril, l'an de grace mil cinq cents soixante et unce.

*Jehanne. Henry. Henry de Bourbon. Louys de Nassau. Chastillion. Theodore de Besze* esleu pour conduire l'action du Synode. *Chandieu*,

Digitized by Google

pour la Lyonnois et Bourgongne. *Nicolas des Gallars.* *Iean Lyevin* pour l'isle de France et la Picardie. *Lemaison* pour Touraine, Anjou, le Mayne et Vendosmois. *Delescourre* pour la Normandie. *Payan* pour le bas Languedoc, *Claude du Moulin* pour Poictou. *Guillemot* pour Poictou. *Doyseau* pour Bretaigne. *Digne de Bergemont* pour Perigort et Lymosin. *Arnaud Banc* dict la *Source*, pour le Quercy, Rouërgue etc.

*Odet de Nort*, deputé pour les Eglises de Xaintonge. *Desouches*, deputé pour Orleans et Berri. *Morange* pour l'Auvergne. *Dumont* pour Angoulmois.

*Raymonet*, Ancien. *Montein*, Ancien. *Couffeau*, Diacre de Niort. *Lyene*, Ancien. *La Borde*, Diacre. *Martin*, Diacre. *Berrende*, Ancien pour Quercy et Rouërgue. *Pontemer*, Ancien et deputé d'Angoulmois. *Perochon*, Ancien pour Xaintonge.

*De Leslang*, Secretaire esleu. *De la Rogeraye*, Secretaire esleu.

Tota haec confessio Calvini doctrinam repraesentat. Quamobrem *Winerus* in varr. confess. comparat. p. 19., quocum *Guerikius* in theol. symb. p. 118. consentire videtur, eam a Calvino ipso conscriptam esse suspicatus est. Sed haec eius coniectura, tum quoniam omnibus historicis argumentis destituta, tum propterea, ut equidem arbitror, reicienda est, quoniam mira, quae inter confessionem et Calvini doctrinam intercedit, convenientia alio modo explicari potest. Chandieu enim, cuius opera et consilio prima illa reformatarum ecclesiarum synodus in Gallia habita est, et cuius illo tempore magna apud omnes fuit auctoritas, theologiae operam dederat Genevae ibique familiarissime cum Calvino vixerat, id quod testatur *Senebier* in hist. literaria Genevensi p. 320. hisce verbis: „Chandieu (Antoine de la Roche), connu sous le nom de Sadéel et de Zamariel, fils de Guis De la Roche Chandieu, né en 1534: il embrassa dès sa jeunesse la réligion réformée, et il vint à Geneve où il mérita bientôt l'estime et l'attachement de Calvin et de Beze." Quae quum ita sint non ipsum Calvinum, sed coniunctissimum eius amicum et discipulum effecisse arbitror, ut ecclesiarum Gallicarum fidei confessio prorsus cum Calvini doctrina congrueret. Cfr. Salig Vollständige Historie der Augsburg. Confession. Th. 2. Buch 5. Cap. 6. 7. S. 272. Joh. Georg Walch hist. und theol. Einleitung in die Religionsstreitigkeiten, Th. 3. S. 106. Schröckh Christl. Kirch. Gesch. seit der Reformation. Th. 2. S. 246. (Beck) die symbolischen Bücher der evangel. reformirten Kirche Th. 2. S. 272. ff.

In ea, quae supra iam commemorata est, synodo nationali Rupellae habita, Henricus IV. et qui paullo ante nominati sunt tribus



Digitized by Google

subscripserunt confessionis exemplaribus manu scriptis, quae hac insignita erant inscriptione: „Confession de foy faitte d'un commun ac„cord par les François, qui desirent vivre selon la pureté de l'evangile „de nostre seigneur *Jesus Christ.* 1. Pierre III. Soyez tousiours ap„pareillez à respondre à chacun qui vous demande raison de l'es„perance, qui est en vous. MDLXI." Sed utrum haec confessio eodem anno typis expressa et publici iuris facta sit necne equidem diiudicare non audeo. Id tamen constat, eam anno sequente in linguam germanicam translatam esse titulo non satis accurate a Feuerlino in bibl. symb. T. II. p. 136. Nr. 1830. indicato. Est autem hic: Confeſſion, oder Bekantnuß des Glaubens in gemain vnd ainhelliglich von den Kirchen ſo hin vnd wider in Franckreich zerſtrouwet, nach dem lauteren rainen Euangelio vnſers Herren Jeſu Chriſti zuleben begeren, geſtellt, vñ ſampt ainer Supplication der K. M. übergeben. Auß Frantzöſiſcher ſprach ietzt neüwlich in's Teütſch bracht. I. Petri III. Seit allezeit berait zur antwort iederman, der grund fordert der hoffnung die in eüch iſt, etc. In fine pag. ult. haec extant: Getruckt zu Haidelberg durch Ludwig Lück, im jar nach Chriſti geburt „M. D. Lxii. Caeterum ista huius confessionis germanica interpretatio multum differt ab ea, quam apud Crocium in magno martyrum libro Brem. 1682. fol. p. 922. sqq. inveni.

Gallice extat in (Theod. de Beza) histoire ecclesiast. des églises réformées au Royaume de France Tom. II. p. 173 — 190., et in libro sic inscripto: Confessions de Foi des églises reformées de France et de Suisse suivies des 39. Articles de l'église Anglicane et d'un fragment de la confession d'Augsbourg. Montpellier 1825. 8.

Latina huius confessionis interpretatio prodiit demum Genevae hoc titulo: „Gallicarum ecclesiarum confessio Christianissimo regi anno MDLXI. exhibita. Nunc vero in latinum conversa, ut omnino constet eas ab omnibus haeresibus sive sectis esse prorsus alienas. Anno Domini MDLXVI." Deinde saepius repetita est, velut in (Serrani) Commentariis de statu religionis et reipublicae in regno Galliae 1571. p. 73 — 94., ut perspicuum sit quae iampridem fuerit Gallicarum ecclesiarum, in mediis primarum afflictionum tempestatibus, in fidei doctrina conformis atque unanimis consensus. Equidem gallicum ex editione, quae Monte-Pessulano prodiit, a Rödigero qui aut collatione vetustissimi exemplaris manu

Digitized by Google

scripti, quod Genevae asservatur, aut editione principe mihi quidem ignota usus est, diligentissime correcta typis exprimendam curavi, et latinam dedi ex editione principe, cuius inscriptio antea iam indicata est.

## 11. 12. CONFESSIONES SCOTICANAE PRIOR ET POSTERIOR.

In eadem synodo nationali, 1560. Edinburgi habita, qua Scoti *incredibili alacritate papatum sustulerunt*, ut ministri evangelicae doctrinae fidei confessionem literis consignarent, unanimiter decretum est; neque hi, inter quos prae caeteris Iohannes Knox, Calvini discipulus, nominandus est, negotium, quod ipsis demandatum erat, neglexerunt, sed huiusmodi confessionem quatuor diebus composuerunt. Ea primum lingua Scotica, qua scripta fuit, edita et publici iuris facta est a. 1568. Nam qui primus illam in latinum sermonem transtulit is in corpore et syntagmate confessionum ex edit. 1612. p. 6. haec habet: „Quum itaque divina quadam provi„dentia, confessio scoticanae ecclesiae (edita primum anno Christi „millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, quae nulla alia quam „Scotica lingua nullis, quod sciam, ecclesiis est communicata) in „manus meas incideret: et audirem querelam, confessionem eccle„siae Scoticanae in harmonia confessionum desiderari: videbatur „operae pretium, confessionem illam in linguam latinam transferre, „ut piorum desiderio satisfieret, qui illam una cum aliis harmoniae „inseri aut aliter adiungi cupiebant.“ Hac interpretatione in edendo confessionum corpore et syntagmate usus est Gasp. Laurentius; quem ego dedi textum, is ex hoc corpore repetitus est, mutata aliquot locorum interpunctione et correctis quibusdam mendis typographicis.

Ex eodem fonte hausimus Scoticanam posteriorem anno 1581. compositam, qua prior ita confirmata est, ut auctores in „*erronea „et sanguinolenta concilii Tridentini decreta*“ magnopere inveherentur.

De utriusque editionibus nil amplius habeo quod commemorem, quum parva tantum ad manus sit librorum supellex. Quibus inexhaustos magnarum bibliothecarum thesauros adire licet, ii conferant vetustas istas, quas mihi inspicere non contigit, de rebus Scoticis Melvilii, Knoxii, Spotswoodi narrationes; quid quod ne



Digitized by Google

recentiores quidem, velut Robertsoni et Stuarti, qui huc spectant libros adhibendi data erat potestas. *Buchananus* in rerum Scoticarum historia Francof. 1624. *Schröckhius* in historia reformat. Vol. II. p. 478. *Gembergius* de ecclesia Scotica nationali Hamb. 1828. et alii, quos consulere concessum fuit, scriptores et de origine et de variis huius confessionis editionibus vel omnino tacent, vel commemorant tantum quae ab hoc quidem consilio meo aliena erant.

## 13. CONFESSIO BELGICA.

Teste Hermanno Venema in institutionibus historiae ecclesiae V. et N. T. Tom. VII. p. 252. ante annum 1563. „usi sunt Re„formati in Belgio formulis doctrinae et ordinis ecclesiarum „Belgicarum Londini sub Eduardo VI. collectarum; quae fue„runt Confessio et maior Catechismus e lingua Frisiae Orienta„lis in Belgicam translatus a. 1553. a viro nobili Iohanne Utenho„vio, tunc ecclesiae illius Londinensis seniore; praeterea minor Ca„techismus a Martino Microne compositus, denique forma regiminis „ecclesiast. a Iohanne a Lasco, tunc ecclesiarum exterarum in „Anglia sub Eduardo VI. Superintendente, a. 1550. latine conscripta „et dein Belgicam in linguam translata per Micconem. Verum ec„clesiis in Belgio multiplicatis, ut calumniis eo rectius obviam „iretur, propriam confessionem ad Gallicae imprimis formam „cum aliqua mutatione concinnarunt reformati in Belgio, partim „quod Gallica visa fuerit ipsis convenientior, partim Walones „Galli fuerint primi confessionis Belgicae auctores.“ Primus enim de conscribenda huiusmodi confessione cogitavit Guido de Bres, „celebre inter Walones iam anno 1561. nactus nomen in puriore „evangelio,“ cuius quae huc pertinent studia Hadrianus Saravia in epistola, quae die 13. Aprilis stilo Angliae 1612. ad Ioannem Uytenbogardum data est, optime in hunc modum descripsit: „Homines „improbi confessionem Augustanam audacter despiciunt et qui mo„destiores haberi volunt, in illa esse aliquid, quod mutatum vellent, „desiderant: in sua vero confessione, ac si fidei canon esset, nihil „mutari patiuntur. Ego me illius confessionis ex primis unum fuisse „authoribus profiteor: sicut et Hermanus Modetus: nescio an plures „sint superstites. Illa primo fuit conscripta Gallico sermone a „Christi servo et martyre Guidone de Bres. Sed antequam ede-

Digitized by Google

„retur ministris verbi dei, quos potuit nancisci, illam communica-„vit: et emendandum, si quid displiceret, addendum, detrahendum „proposuit: ut unius opus censeri non debeat. Sed nemo eorum, „qui manum apposuerunt, unquam cogitavit fidei canonem edere: „verum ex canonicis scriptis fidem suam probare.“ Auctores igitur, quibus Brandtio in historia reformationis Belgicae Amstelod. 1663. p. 301. et Hermanno Venema l. c. p. 255. testantibus Godofredus Wingen adnumerandus est, a cupiditate aliis suam fidei regulam obtrudendi alienissimi erant; sed quam composuerunt confessionem, ea statim multorum applausu probata, mox typis expressa et in multorum populorum linguas translata est.

Sed ubi de eiusdem editionibus et interpretationibus paullo accuratius agere instituis, interdum dubius mecum haerebis. Laurentius in corpore et syntagmate confessionum a. 1612. p. 7. confessionem Belgicam gallice primum anno 1561. scriptam fuisse affirmat. Alii velut Winerus in variarr. confessionum comparatione p. 20. eam hoc idiomate anno sequente editam esse dicit, neque tamen titulum affert, quem apud alios quoque scriptores frustra quaesivimus, et quem Venema ipse ignorasse videtur. Hic enim, ubi summatim historiam confessionis Belgicae ex Utenbogardo et Triglando in hist. eccl. secum collatis, nec non ex Iohannis Ens historia librorum publicorum eccles. petendam tradit p. 252., haec habet de anno, quo exarata sit et de vetustissimis eius editionibus: „Prima vero confessio, etiam „Gallice scripta, paullo prolixior fuit anno 1562 exarata et sequente „anno 1563. publicata.“ Sed cogitavit fortasse, quum haec scribebat, de belgica tantum huius confessionis recensione, cuius inscriptio extat apud Brandtium l. c. p. 301.: „*Bekentenisse of Belydenisse „des Geloofs in't gemeyn en eendrachtelyk van de gelovigen, die in de „Nederlanden overal verstrooit zyn ende na de zuiverheit des H. „Euangeliums onzes heeren I. Christi begeren te leven.*“ Idemque paullo post ita pergit: „Want in den jaare 1563. wierdt die voor't „eerst, beide in't Nederduitsch en in't Hooghduitsch, uitgegeven, „maer in't jaar 1566. heeft mense wat korter ingetrokken, en daarna „in't Walsch en Neerlandtsch gedrukt.“ Consentit Venema hisce verbis: „quae ipsa confessio dein anno 1566. recognita est, et ad-„breviata in synodo Antverpiensi, cui Marnixius de S. Aldegonde „interfuit et lingua Walonica conscripta ad Genevenses, ut adpro-

Digitized by Google

„baretur, missa per Franciscum Iunium . .“ Neque dubitare licet, quin Benthemius et Guerikius in errore versentur, quorum alter in descriptione civitatis Belgicae p. 144. confessionem a. 1571. Emdae confectam; alter in theol. symb. p. 119. eam saepius imprimis a. 1571. recognitam esse dicit. Prolixior illa confessio, teste Venema, ad annum 1582. in usu fuit, eademque in synodo Vesaliensi (a. 1568.) et Embdensi (a. 1571.) et alibi confirmata (Venema l. c. p. 268. 273.) belgico sermone saepius repetita est. Tandem decreto synodi Medioburgensis, anno 1581. habitae, etiam brevior in linguam Belgicam translata anno 1582. introducta, ac deinceps saepius typis descripta est, quamquam ego unam tantum, quae huc pertinere videtur, editionem a Lipenio in bibliotheca reali universali Frnkfrt. 1685. p. 402. indicatam inveni. Omnibus vero maioris momenti usus est, quum novam eamque optimam pararet huius confessionis editionem Festus Hommius; scribit enim in praefatione ad lectorem: „Confessionem autem cum vetustissimis tum Gallicis tum „Belgicis editionibus contuli, et si quae in posterioribus omissa re„periebantur, quae in prioribus extabant, ea uncinulis discretionis „causâ inclusa passim addidi in gratiam eorum, quibus otium non „est editiones illas diversas conferre.“ Ea vero, quam ipse curavit, editio prodiit Lugduni Batavorum ex officina Elzeviriana anno MDCXVIII. sic inscripta: *Specimen controversiarum Belgicarum, seu confessio ecclesiarum reformatarum in Belgio, cuius singulis articulis subiuncti sunt articuli discrepantes, in quibus nonnulli ecclesiarum Belgicarum doctores hodie a recepta doctrina dissentire videntur. In usum futurae synodi nationalis latine edidit et collegit Festus Hommius. Addita est in eumdem usum harmonia synodorum Belgicarum.*

Sed utrum synodus in constituendo confessionis textu vere hoc opere usus sit nec ne, equidem definire non audeo, neque quae Benthemius de textus recensione a synodo Dordracena instituta refert omni ex parte vera videntur. Scribit enim l. c. p. 145.: Unterdeſſen hat man auf dem Dordrechtiſchen Synodo das Lateiniſche, Franzöſiſche und Niederdeutſche Exemplar unter einander verglichen, wie in allen Editionen einiger Unterſchied in etlichen Worten ſich fand, damit aus dieſen dreien Sprachen ein Exemplar formieret und ſolches auf's zukünftige verauthentiſiret werden könne. Da man denn

Digitized by Google

in der Vergleichung sonderlich auf das Exemplar gesehen hat, welches bisher in den Französischen Niederländischen Kirchen vor aufrichtig war gehalten worden. Solche Uebersetzung und Verbesserung nun haben auf Befehl des Synodi auf sich genommen Antonius Thysius, Hermannus Toukelius, Daniel Colonius, Festus Hommius, und Godofridus Udemannus. At de omnibus his synodi laboribus in eiusdem Actis, quae prodierunt Dordrechti 1620., ne verbum quidem extat. Leguntur enim in illis p. 301. sessione CXLIV., XXIX. Aprilis haec: „Amplissimi DD. Delegati monuerunt ..... Hanc „quoque imprimis esse Illust. DD. Ordinum voluntatem, ut Confes„sio fidei Reformatarum Ecclesiarum Belgicarum ex more in Syno„dis Nationalibus usitato, praesentibus Theologis Exteris *relegeretur* „atque *examinaretur*: utque a singulis Synodi membris, tam Exteris „quam Provincialibus, libere declararetur, si quae in Confessione „ista ab iis observata essent, quae ad dogmata et doctrinae essen„tiam pertinerent, quaeque veritati in Verbo Dei revelatae, aut „aliarum Reformatarum Ecclesiarum Confessionibus minus consen„tanea viderentur. Quae autem methodum aut phraseologiam „spectarent, quaeque ad Regimen atque ordinem Ecclesiae pertine„rent, ea postea a solis provincialibus penitius examinatum iri. „Monitum proinde fuit eo tempore, Articulum trigesimum primum „et secundum, non esse examinandum, quia in utroque de ordine „Ecclesiastico, quem Exteri nonnulli a nostro diversum habent, age„retur. Cum de exemplaribus Confessionis Belgicae prius esset „prospectum, praelecti sunt ordine omnes Confessionis huius Arti„culi. Rogatique sunt singuli, ut rigide probeque iisdem examina„tis, libere deinceps ac sincere declararent, utrum in dogmatibus „Confessione ista comprehensis, quidquam observassent, quod cum „verbo dei minus conveniret, ac proinde necessario mutandum esse „iudicarent.“ Deinde omnes qui aderant sessione CXLV. et CXLVI. p. 301. 302. totum confessionis argumentum probasse dicuntur. Denique haec subsequuntur p. 302.: „Hanc autem Confessionem, „prout in Synodo recognita et approbata est, hic subiungimus,“ eamque deinceps saepius repetitam esse constat, velut in Benthemii civit. eccl. et schol. p. 145. sqq., in compluribus, quas Lipenius l. c. p. 402. indicavit, editionibus, et nostris temporibus in Augustii librorum symbolicorum collectione, Tom. 1. p. 170. sqq. Sed haec,

Digitized by Google

si singula verba eorumque collocationem spectas, prorsus alia est, quam quae synodo oblata est a Festo Hommio, quem ego paucis tantum mutatis secutus sum, adnotata e corpore et syntagmate confessionum a. 1612. scripturae diversitate. Quo minus Hommii recensionem cum illa conferrem, quam Synodum Dordracenam secutam esse diximus, impedivit magnum, quod inter utramque intercedit, discrimen, ita comparatum, ut collatione accurate instituta intelligerem, me ut hanc confessionem, si varias lectiones, quas in schedulis adnotavi, omnes cum lectoribus communicarem, bis ederem iri coactum. Quod ne praeter veritatem dictum esse videatur initium confessionis ex Actis synodi Dordracenae p. 302. cum Hommii textu, quem ipsi p. 360. sqq. dedimus, comparandum apponemus:

Ecclesiarum Belgicarum Christiana atque Orthodoxa Confessio, summam doctrinae de Deo, et aeterna animarum salute, complectens.

Articulus I.

Corde credimus, et ore confitemur omnes, unicam esse et simplicem essentiam spiritualem, quam Deum vocamus; eumque aeternum, incomprehensibilem, invisibilem, immutabilem, infinitum, omnipotentem, summe sapientem, iustum et bonum, omniumque bonorum fontem uberrimum.

Articulus II.

Duobus autem modis eum cognoscimus: primo, per creationem, conservationem, atque totius mundi gubernationem: quandoquidem is coram oculis nostris est instar libri pulcherrimi, in quo creaturae omnes, magnae minoresque, loco characterum sunt, qui nobis Dei invisibilia contemplanda exhibent; aeternam nempe eius potentiam et divinitatem, ut Paulus Apostolus loquitur Rom. I, 20. Quae omnia ad convincendos et inexcusabiles reddendos homines sufficiunt. Secundo, ipse sese nobis longe manifestius et plenius in sacro et divino suo Verbo cognoscendum praebet, quantum quidem id ad gloriam ipsius nostramque in hac vita salutem necessarium est.

Denique pauca de graeca huius confessionis interpretatione monenda sunt. *Lipenius* l. c. p. 402. eam Iac. Revio interprete una cum catechesi interprete Fred. Sylburgio Amstelodami anno 1653. form. 12. publici iuris factam esse indicat; sed *Winerus* l. c. p. 20. huic editioni duas addit a. 1623. et a. 1638. typis expressas, quarum haec ad manus est sic inscripta: *Ἐκκλησιῶν τῆς Βελγικῆς ἐξομολόγησις καὶ κατήχησις. Hoc est: Ecclesiarum Belgicarum confessio interprete Iacobo Revio et catechesis, quae in ecclesiis et scholis Belgicarum provinciarum traditur; interprete Frid. Sylburgio. Amstelodami*

Digitized by Google

*apud Ioannem Ianſonium.* 1638. *form.* 16. Titulum sequitur typographi ad lectorem praefatio, quae, nisi ex editione priore ad verbum repetita est, dubitationem movere potest, num confessio iam a. 1623. a Revio in graecam linguam translata sit. His enim verbis continetur: „Iuventuti Christianae ut una cum bonis literis ipsae pietatis et doctrinae sincerioris elementa simul instillentur, nemo est qui non intelligat quantopere reipublicae Christianae intersit. Huic fini doctissimus et graecarum literarum peritissimus D. Fridericus Sylburgius catechesin Palatinam in linguam graecam olim transfudit. Cum autem distractis exemplaribus versio haec in scholarum, imprimis Belgicarum, usum denuo nobis typis esset describenda, operae nos pretium facturos arbitrati sumus, si eidem quoque confessionis ecclesiarum Belgicarum versionem graecam adiungeremus. Hac in parte doctissimus vir D. Iacobus Revius, ecclesiae Daventriensis pastor, pro singulari suo erga ecclesias et scholas studio, operam suam haud gravate commodavit et confessionem hanc in synodo Dordrechtana nuper recognitam in sermonem graecum convertit.“

## 14. CATECHESIS PALATINA.

Catechesis Palatina iussu Frederici III. electoris (p. 390. sqq.) a Casparo Oleviano, Calvini discipulo, et a Zacharia Ursino, amico Melanchthonis, scripta et deinceps a synodo inspectorum et superintendentium, quae Heidelbergae habita est, probata prodiit primum hac inscriptione: „Catechismus, oder chriſtlicher Unterricht, wie der in Kirchen und Schulen der churfürſtlichen Pfalz getrieben wirdt. Gedruckt in der churfürſtlichen Stadt Heidelberg durch Johannem Mayer 1563. form. 8.“ Quae quidem editio, id quod van Alpen in historia catechismi Palatini p. 21. testatur, multis in rebus differt ab illis, quae posteriore tempore vulgabantur. In divisione catechismi dierum dominicarum nulla ratio habita, quaestiones neque separatae a responsis, neque numeratae, loci ex scriptura sacra raro citati, quaestio 80. de coena sacra et de missa catholicorum vel prorsus omissa vel mutilata; sed exemplaria mox divendita. Quare eodem anno et secunda et tertia huius catechismi editiones publici iuris factae sunt, priori admodum similes, sed addita illa quaestione, quamquam di-

Digitized by Google

verso modo. Sententia enim quae in secunda his verbis continetur: „Und iſt alſo die Meſſe nichts Anderes, deñ eine abgöttiſche Ver„läugnung des einigen Opfers und Leidens Jeſu Chriſti" in tertia, quam nos typis exprimendam curavimus (p. 411.), ita expressa est: „Vnd iſt alſo die Meß im grund nichts anders, denn ein verläug„nung des einigen opffers vñ leidens Jeſu Chriſti, vnd ein verma„ledeite Abgötterey." Ad haec spectant quae in fine utriusque editionis lectori Christiano dicta sunt in hunc modum: Was jm erſten truck vberſehen, als fürnemlich folio 55. Iſt jetzunder auß befehlch Churfürſtlicher Gnaden addiert worden (p. 427.). Sed quae inter tres, quas modo tetigimus anni 1563. editiones et inter eam intercedat ratio, quam nusquam nisi in Feuerlini bibliotheca P. II. p. 142. nr. 1912. memoratam invenimus, equidem non possum definire; Feuerlinus vero hanc sic inscriptam fuisse testis est locupletissimus: Catechismus offte Chriſtlicke underricht, alſe de in kerken unde Scholen der Korfürſtl. Paltz gedrewen werdt, 1563. Eodem anno latina catechismi interpretatio, quam Iosua Lagus et Lambertus Pithopoeus instituerunt, in usum scholarum publice approbata et publici iuris facta est.

Sed haud scio an non deinceps a ludimagistris quaestiones et responsiones non numeratae aliaque huius generis notata sint. Quare anno 1571. quarta editio instituta, eademque anno 1573. repetita est Alpenio teste l. c. p. 22. hac inscriptione: Catechismus, oder chriſtlicher Unterricht, wie der in Kirchen und Schulen der Churfürſtl. Pfalz getrieben wird; ſamt den Kirchencerimonien und Gebeten. Jetzt auf's neue gedruckt mit Zuthuung der Verſikel. Gedruckt in der churfürſtlichen Stadt Heidelberg, durch Johann Mayer. 1573. form. 12. Quaestiones numeratae, in divisione catechismi dierum dominicarum ratio habita, loci e scriptura sacra citati numero aucti et ita allegati sunt, ut non solum singulorum librorum capita, verum etiam versiculi adscriberentur; accedunt precationes aliquot privatae et publicae. Neque defuerunt, qui auctam hanc et emendatam catechismi editionem typis repeterent et quae meliora praebuit in latina exemplaria reciperent, id quod factum esse video in latina catechismi interpretatione, quae germanicae, quam modo laudavimus, editioni omni ex parte respondet. Prodiit ea Antverpiae apud Aegidium Radaeum anno MDXXCIV. sic inscripta: „Catechesis

Digitized by Google

religionis Christianae, quae in ecclesiis et scholis Palatinatus ac Belgii traditur: una cum notis brevissimis."

Eodem anno prodiit alia, in qua dicta, quae dicuntur probantia non solum capitum et versiculorum ratione habita, verum etiam ad verbum descripta et margini apposita sunt. At quae omnium optima dicitur, eam anno demum 1595. a *Zacharia Ursino* editam fuisse affirmant *Alpenius* l. c. p. 22. 23. et *Rienaeckerus* in egregio, quem de catechismo Heidelbergensi *Erschii* et *Gruberi* encyclopaediae universali inseruit articulo. Neque ego repugno. Ad manus enim est editio hoc titulo insignita: Catechismus oder Kurtzer vnterricht Christlicher Lehr, sampt den Kirchen Ceremonien, Gebeten, vnd gantz vollkommenen zeugnussen Bibliſcher Schrifft. Item, Der Vniverſitet Heidelberg Theologen verantwortung, wider die vngegründte aufflagen vnd verkehrung, mit welchen ſolcher Catechismus, vnd deſſelben auß heiliger Schrifft angezogne Zeugnuß, von etlichen vnbillicher weiß beſchweret iſt. Item, D. M. Luthers meynung vom Brodtbrechen im heiligen Abendtmal. Item, Antwort vnd Gegenfragen auff ſechs Fragen, vom heiligen Abendmal, vnd in welchen Artickeln die Evangeliſchen Kirchen im Handel des Abendtmals einig oder ſtreitig ſindt, Geſtellt durch D. Zacharium Vrsinum. Newſtadt an der Hardt. pp. 546. form. 8. Ultimo, quod non numeratum est, folio haec extant: Gedruckt zur Newſtadt an der Hardt, durch Mattheum Harniſch. Anno MDXCV. Sed si is, quem ultimo loco nominavi theologum V. V., simul affirmat, hanc editionem eodem anno in linguam latinam translatam esse, non possum quin eum erroris coarguam. Reperi enim in bibliotheca ecclesiae *Marianae Halensis* editionem a. 1585., qua omnia, quae illa germanica continet, exhibentur, ut vel ex titulo apparet his verbis composito. „Catechesis sive brevis institutio Christianae doctrinae quomodo illa in ecclesiis et scholis Palatinatus tum Electoralis tum ducalis traditur, una cum ceremoniis Ecclesiasticis, precationibus, plenisque ac integris testimoniis sacrae scripturae, ad quem modum antea et capita et versiculi in margine numeris tantum consignati fuere. *Item.* Responsio ad quorumdam theologorum censuram de testimoniis ex sacris literis adductis et in margine Catecheseos Heydelbergensis notatis. *Item.* Responsio et quaestiones sex de coena interrogationibus oppositae. *Item.* Articuli in quibus Evangelicae Ecclesiae de negotio coenae consentiunt vel

Digitized by Google

dissentiunt, conscripti a D. *Zacharia Ursino*. Typis *Matthaei Harnisch*.“ Pagina ultima haec leguntur: „Neostadii in Palatinatu, excudebat *Matthaeus Harnisch*. Anno MDLXXXV.“ Antecedunt tum „index praecipuorum in hoc catechismo tractatorum capitum“, tum „tabella indicans, quota pagina quisque Catechismi contextus, qui diebus Dominicis pro concione explicatur, inveniendus sit.“

Quam editionem quum pueri in scholis multas ob causas, imprimis vero ob maiorem ipsius ambitum manibus versare non possent, aliae multae et germanicae et latinae subsecutae sunt. In illis titulus interdum paullulum immutatus. Nam qui post mortem Frederici III. electoris dignitatem adeptus est Ludovicus VI. Lutheri catechismo favebat eumque in electoratum publica auctoritate augeri iussit. At frater eius *Iohannes Casimir* ut in ea, quam ipse nactus erat, Palatinatus parte Ursini catechesis etiam in posterum adhiberetur decrevit. Editiones, quae hoc tempore prodierunt sic erant inscriptae: Catechismus, wie der in Kirchen und Schulen Weiland der churfürſtlichen, itzt Fürſtlichen Pfalz getrieben wird. (cfr. Alpen l. c. p. 39.), et quum catholici bello triginta annorum Palatinatum occuparent, *Rienaeckerus* testatur editiones divulgatas esse hoc titulo insignitas: Chriſtlicher Unterricht, wie der .... getrieben worden. Latinae, quae mihi innotuerunt mutationibus huiuscemodi non fuere obnoxiae. Feuerlinus l. c. P. II. p. 142. Nr. 1914. citat editionem Heidelbergensem anni 1570. form. 8. sic inscriptam: „Catechesis religionis christianae, quae traditur in ecclesiis et scholis Palatinatus. Heidelb. 1570.“ *Rienaeckerus* l. c. p. affert aliam Francisci Burgonii Commentariis in *Io. Calvini* catechesin subiunctam, quae Antverpiae anno 1584. publici iuris facta est. Neque silentio praeterire licet duas ab eodem Feuerlino l. c. P. II. p. 151. Nr. 2009. et p. 143. Nr. 1915. memoratas, quarum altera Herborniae anno 1594. form. 12., altera Sigenae anno 1597. cum paraphrasi poëtica *Ioh. Pincieri* form. 8. prodiit. Addi poterant aliae, velut: „Catechesis religionis Christianae, quae in ecclesiis et scholis Electoralis Palatinatus traditur, testimoniis sacrae scripturae, ac sententiis sanctorum Patrum caet. Hanoviae apud Guilielmum Antonium MDCIII.“, si operae pretium esset omnes enumerare, sed quum affirmante Alpenio l. c. p. 75. quovis fere anno nova huius catechismi editio parata sit, omnium gravissimas allegasse satis habeo. Quare uno tantum verbo mentio notissimi

Digitized by Google

operis iniicienda est, quo non solum catechismi textus sed etiam eiusdem explicationes aliaque continentur in ipso titulo indicata, quem hanc ipsam ob causam apponendum esse censui: „Explicationum catecheticarum D. Zachariae Ursini Silesii absolutum opus: totiusque theologiae purioris quasi novum corpus: Davidis Parei D. operâ extrema recognitum. Causas recognitionis, et quid in ea sit praestitum, praefatio docebit. Cum gemino Indice: altero capitum, altero rerum et verborum. Nec non Miscellaneis catecheticis seorsum excusis: quibus narratio de vita et obitu D. Ursini est addita. Neustadii in Palatinatu, typis Nicolai Schrammii, sumtibus haeredum Wilhelmi Harnisii MDCIII."

Neque huius loci est certamen, quod Philippo Guilielmo electore sub fine saeculi decimi septimi de catechismo Heidelbergensi eiusque auctoritate, imprimis vero de quaestione 80. gestum et regnante demum Carolo Philippo finitum est, post Alpenium l. c. p. 51—71. fusius exponere. Sufficit decretum illius, quem modo nominavimus, electoris promulgatum die XVI. Maii anni 1720. attulisse, quo declaratum est, „wie Sie sich gnädigst gefallen liessen, daß der bisher eingezogne reformirte Katechismus wiederum gedruckt und von den sämmtlichen Reformirten in der Pfalz ungehindert so lange gebraucht werde, bis diesfalls ein anderes von dem gesammten Reich gut befunden und verordnet werden möchte; wobei Sie sich jedoch ausdrücklich vorbehalten und bedungen haben wollten, daß auf dem Titel des Katechismus das Churfürstliche Wapen, nebst dem Wort: Auf Churfürstliche Verordnung, inngleichen mit Churfürstlicher Freiheit, innerhalb desselben aber die Glosse zu der 80. Frage, als welche etwas von einer ungegründeten, ungereimten und verhaßten Meinung in sich fasse, und dem Texte an Ansehen nicht gleich komme, weggelassen, hiernachst diese ihre Erklärung und Verordnung der neuen Edition von Wort zu Worte mit beigedruckt und hinzugefügt werde." (confr. Alpen. p. 90. 71.) Editionem, quae huius decreti auctoritate prodiit, inspiciendi mihi quidem nulla data est opportunitas; sed quin reformati propter libertatem recuperatam admodum gavisi cuncta ex voluntate electoris perpetraverint non dubito, etsi Alpenius l. c. p. 72. aliique illos quaestionem 80. sine omni mutatione retinuisse affirmant. Sententia, quam in editione secunda et tertia de missa catholico-

Digitized by Google

rum additam esse supra diximus, haud dubie omissa est; reliqua intacta manebant usque ad felicissima illa tempora, quibus reformati neque a Lutheri sectatoribus vexati, neque a monachorum et Iesuitarum catervis exagitati animo minus inimico et infesto Lutheranos aeque atque catholicos intuebantur, quibusque multae inter theologos controversiae sine omni exacerbatione dirimebantur. His igitur temporibus theologi etiam illos in catechismo Heidelbergensi locos, qui hostilem animum redolebant et ita erant comparati, ut Lutheranos et catholicos ad iram concitarent, aliquo modo lenire studuerunt, vel additis explicationibus, vel notis adiectis, vel levibus quibusdam mutationibus. Inter editiones huius generis primo loco nominanda est ea, quae cura *Hermanni Reinholdi Pauli* Halis prodiit a. 1740. Aliam instituit *Georgius Iacobus Pauli* Halis 1781., eaque paucis tantum mutatis repetita est a *Pischonio* a. 1786. Neque silentio praetermittendi sunt labores Conradi et Otterbenii, quorum ille catechismum anno 1781. Berolini, hic eundem a. 1789. Lingeni publici iuris fecit.

Caeterum in hunc quoque catechismum cadit, quod Beza loco, quem supra citavimus, de catechismo Calvini gloriatur, eum scilicet in multorum populorum linguas translatum esse. Complures extant eiusdem interpretationes Belgicae. Graece prodiit Heidelbergae a. 1597., Sylburgio interprete, eaque interpretatio in usum scholarum saepius repetita est. Cfr. p. LII. Deinde ex decreto ordinum generalium foederati Belgii provinciarum et in dialectum recentiorum Graecorum et linguam Hispanicam a. 1648. conversus est. Neque defuerunt, qui eum in aliorum populorum linguas verterent. Prasmovius Polnicam, Franc. Scarasius Hungaricam, Chelius Arabicam, Konyer Singalesicam, alii Gallicam, Anglicam, Italicam, Bohemicam instituerunt interpretationes, quid quod etiam versio eius Hebraica extat. Sed de origine et omnibus, quae hactenus commemoratae sunt editionibus et interpretationibus vide: Burcard Gotthelf Struve's Ausführlicher Bericht von der pfälzischen Kirchenhistoria. Frankf. 1721. 4. D. L. Wundt Grundriß der pfälzischen Kirchengeschichte .... bis zu dem Jahre 1742. Heidelb. 1743. 8. Die neueste Religionsverfassung und Religionsstreitigkeiten der Reformirten in der Unterpfalz. Leipz. 1780. 8. *Jacques Lenfant* l'innocence du catéchisme de Heidelberg. Heidelb.

Digitized by Google

1688. et deinde Amstel. 1723., cui editioni additus est un discours sur les catéchismes, in quo historia catechismi Heidelbergensis tractata esse dicitur. *Hieronym. Simon van Alphen* Oeconomia catecheses. Palatinae. Praemisso Prologo de catecheticis institutionibus. Traject. ad Rhenum 1729. 4. Christ. Rittmeyers katholische Anmerkungen über den heidelberg'schen Catechismus. Heidelberg. 1707. Christliche Erinnerungen auf die erste Section der katholischen Anmerkungen von den Reformirten Professoren Theologiae zu Heidelberg. Heidelb. 1707. Joh. Christ. Köcher, katechetische Geschichte der reformirten Kirchen. Jen. 1756. 8. Heinr. Simon van Alpen Geschichte und Literatur des heidelberg'schen Katechismus. Frankf. 1800. 8. Joh. Christ. Wilh. Augusti Versuch einer historisch-kritischen Einleitung in die beiden Hauptkatechismen der Evangelischen Kirche. Elberfeld 1824. Rienäcker in der allgem. Encyclopäd. von Ersch u. Gruber. Sect. II. Thl. 4. S. 286. ff.

Textum catechismi germanicum ex editione tertia anni 1563., latinum ex editione, quam prodiisse supra diximus anno 1584., sed additis et correctis bibliorum locis ex editione Neostadiensi anni 1585. et collata illa, quam Augustius in suo librorum symbolicorum corpore exhibuit, editione dedimus.

## 15. CONFESSIO HELVETICA POSTERIOR.

Confessio Helvetica posterior ab Henrico Bullingero Turici anno 1562., *Hottingero* testante in historiarum Helveticarum Tomo III. p. 849., conscripta commemoratur ab ipso auctore in testamento, quod anno 1564. confecisse ab eodem Hottingero l. c. perhibetur. Quem si cum *Hagenbachio* in historia conf. Basil. p. 86., et *Beckio* in libris symbolicis reform. eccl. Tom. I. p. 62. sequimur, non possumus quin *Hospinianum*, quocum *Löscherus* in historia motuum Tom. II. p. 302. consentit et *Escherum* vituperemus, quorum alter in historia Sacramentaria T. II. p. 329. hanc confessionem anno 1565. in gratiam Frederici tertii, alter in Erschii et Gruberi encyclopaedia univers. Sect. II. Tom. V. pag. 234. eam anno 1564., quo gravis et urbem et agros ussit pestilentia, scriptam esse tradidit. Sed quo anno in ipsius usum a Bullingero literis consignata sit, scire non multum interest; multo gravior videtur esse expositio causarum, cur anno 1566.

Digitized by Google

publici iuris facta sit, et quum in his declarandis optime versatus sit Escherus, eum sequar ducem certissimum. Instabant comitia Augustana. Omnes, qui ecclesiae reformatae sacris addicti erant, imprimis vero Fredericus tertius, Palatinatus elector, summus huius ecclesiae protector, acerbissimo premebantur Lutheranorum odio; neque illorum sententia, qui timerent, ne Fredericus a pace inter Protestantes et catholicos firmanda excluderetur, prorsus a vero abhorruit. Quare illo tempore omnes omnium reformatarum ecclesiarum antistites, quo modo se cum aliis arctius iungerent suasque res magis firmarent, diligenter meditati sunt, et Fredericus, quo Lutheranorum calumnias et machinationes reprimeret, nihil intactum reliquit. Anno 1565. exeunte literas dedit ad Bullingerum, eumque de comitiis illis consulens postulavit ab eo, ut fidei confessionem, qua Lutheranorum cavillationes posset reprimere, ipsi quam celerrime mitteret. Bullingerus misit eam, quam anno 1552. ab ipso conscriptam diximus, eaque electori placuit magnopere. Respondit, se nisi auctor repugnaret, curaturum, ut in linguam germanicam verteretur. Quae benigna eius responsio movebat primum Turicenses, qui iamdudum secum reputarunt, quam magna ex fidei confessione a multis probata redundare posset ad ecclesiam reformatam utilitas, ut aliis quoque ecclesiis Bullingeri confessionem ab ipsis et Palatinatus electore iam probatam acceptam redderent. Omnes, qui eam illo tempore receperunt, ecclesiae in titulis editionum, quae anno 1566. prodiere, nominatae sunt. Inter has primum locum tenet editio princeps, latino sermone concinnata, quae ad verbum in corpore et syntagmate confessionum anno 1612. repetita esse dicitur, sic inscripta: „Confessio et expo-„sitio simplex orthodoxae fidei et dogmatum Catholicorum syncerae „religionis Christianae, concorditer ab Ecclesiae Christi ministris, „qui sunt in Helvetia, Tiguri, Bernae, Scaphusii, Sangalli, Curiae „Rhetorum, ed apud confoederatos, Mylhussii item, et Biennae, „quibus adiunxerunt se et Genevensis Ecclesiae ministri, edita in „hoc, ut universis testentur fidelibus quod in unitate verae et an-„tiquae Christi Ecclesiae perstent, neve ulla nova aut erronea „dogmata spargant, atque ideo etiam nihil consortii cum ullis sectis „aut haeresibus habeant: hoc demum vulgata tempore, qui de ea „aestimare pijs omnibus liceat. Rom. X. Corde creditur ad iustitiam,

Digitized by Google

„ore autem confessio fit ad salutem. Tiguri. Excudebat Christopho„rus Froschoverus, Mense Martio MDLXVI.“ teste *Hallero* in bibliotheca hist. helv. Tom. III. p. 153. Nr. 435. pagg. 95. form. 4. Eodem anno prodiit interpretatio eius confessionis germanica ab ipso Bullingero facta et hoc titulo, si *Escherum* in Gruberi et Erschii encyclopaedia univers. Sect. II. Tom. V. p. 235. sequimur, ornata: Bekantnuß des waaren Gloubens, und einfalte erlůterung der råchten allgemeinen Leer und houptartickln der reinen christenlichen Religion von den Dienern der kyrchen Christi in der Eydgnoschaft, die da sind zu Zůrych, Bern und Schaffhusen, in der Statt Sant Gallen, in der Statt Chur und in den dryen Půndten, ouch zu Můllhusen und Byel, zu welchen sich ouch gethon habend die Diener der kyrchen zu Genff, einhållig ußgangen, yedermann zu bezůgen, daß sy in der einigkeit der waaren, uralten, christenlichen kyrchen bestond, unnd keine nůwe jrrige leeren, ouch gar kein gemeinsamme mit einichen Secten oder Kåzeryen habend. Zůrich 1566. form. 4. pagg. 135. Neque hoc ipso anno defuit, qui eam in linguam gallicam transferret; quem laborem cum Beza ab Hallero, Eschero aliisque suscepisse dicatur, Senebierum, quem quam accuratissime de eius scriptis in historia literaria Genevensi egisse constat, de illa interpretatione ne verbum quidem dixisse miror. Hallerus eam Genevae anno 1566. „de l'Imprimerie de François Perrier pour „Jean Durant“ pagg. 280. form. 8. prodiisse affirmat, sed totus, quo insignita est haec interpretatio, titulus neque ab eo neque ab Eschero indicatus est.

Exemplaria celerrimme in diversas Europae regiones mittebantur, ita ut haec confessio Gallis, Scotis, Polonis et Hungaris simul innotesceret; neque qui in divulganda ea operam suam posuerunt, hanc perdidisse dici possunt, id quod vel ex ipso secundae, quae Tiguri prodiit, editionis titulo colligere licet, in hunc modum composito: „Confessio et expositio simplex orthodoxae „fidei, et dogmatum catholicorum syncerae religionis Christianae, „concorditer ab Ecclesiae Christi ministris, qui sunt in Helvetia, „Tiguri, Bernae, Scaphusij, Sangalli, Curiae Rhetorum, et apud „confoederatos, Myllhusii item et Biennae, quibus adiunxerunt se „et Genevensis Ecclesiae ministri, *Neocomensis quoque, praeterea „alij ex amplissimis regnis Poloniae, Hungariae, et Scotiae, quorum*



Digitized by Google

„*post Praefat. fit mentio:* [cfr. p. 465.] edita in hoc caet. . . . Ti„guri Excudebat Christophorus Froschoverus MDLXVIII.“ form. 8. foll. 78. pagg. 155. Errat igitur *Hallerus* l. c. p. 154., qui iniecta editionis germanicae anno 1600. exscriptae mentione in hac demum editione Neocomenses, Polonos, Hungaros et Scotos commemoratos esse contendit. Tertia latinae confessionis editio, quae Turici typis expressa est, prodiit anno 1608., form. 8. foll. 72., sed ni omnia fallunt eadem inscriptione; nomina certe ecclesiarum, quae hanc confessionem consensu suo comprobarunt, non mutata invenies, quum illae adeo, quae in Helvetia Basileae, Glaronae et Abbatiscellae floruerunt ecclesiae, anno 1608. huic confessioni nondum subscripserint. Harum civitatum nomina extant *Hallero* teste primum in titulo editionis germanicae, quae Tiguri anno 1644. form. 4. pagg. 133. typis expressa esse narratur; neque desunt in editione latina a. 1651., quae in corpore et syntagmate confessionum anni 1654. repetita et sic inscripta est: „Confessio et expositio simplex „orthodoxae fidei et dogmatum catholicorum sincerae religionis „Christianae. Concorditer ab Ecclesiae Christi ministris, qui sunt „in Helvetia, Tiguri, Bernae, *Glaronae*, *Basileae*, Scaphusii, *Ab„batiscellae*, Sangalli, Curiae Rhetorum, et apud Confoederatos, „Mylhusii item, et Biennae: quibus adiunxerunt se Genevensis „et Neocomensis Ecclesiae Ministri, una cum aliis Evangelii Prae„conibus in Polonia, Hungaria et Scotia: edita in hoc caet. .. „Tiguri Typis Ioh. Iacobi Bodmeri Anno MDCLI.“ form. 4. pagg. 96. cum praefatione, quae pagg. 12. complectitur.

Inde ab hoc tempore confessionis inscriptio nullam graviorem mutationem experta est; quamobrem editionum enumeratio paucis absolvi potest. Confessio, de qua agimus, prodiit porro *latine* Tiguri anno 1714. form. 12. adiuncta formula consensus, Bernae 1722. form. 4., ibidem 1759. form. 4., Sulzbachii 1825., denique Turici curante Fritzschio 1839., *germanice* si a tribus, quas iam attulimus, recedis editionibus, Basileae anno 1654. form. 8., ibidem anno 1666. eadem forma, Turici anno 1673. form. 12., Bernae anno 1676. form. 12., Sangalli anno 1723. form. 8., Bernae 1762. form. 4., et Curiae anno 1775. form. 8. omnes ab *Hallero* l. c. allatae.

Idem memoratu dignissimas attulit interpretationes, duas scilicet gallicas praeter illam quam supra commemoravimus, quarum altera,

Digitized by Google

quam Ruchatus curavit, nondum excusa est, altera ab Elia Bertrando profecta Bernae prodiit, anno 1760. form. 4. pagg. 190., deinde Anglicam a Bertrando in praefatione laudatam, tum Belgicas, quarum illam hoc titulo ornatam esse dicit: Belydenisse ende eenuoudige wtlegginge des waerechtighen geloofs, ende der algemeynen articulen van den suyvere Christelyke religie, gemaeckt met gemeyner eendrachtichaydt von dye Dyenaers der kercken Jesu Christi, die daer in Switzerlandt zyn: te weten te Zürich, te Bernen, te Schaphousen, te Sainct Gal, te Chur der Retzen, eñ hare bontgenoten, te Meylhousen eñ Biennen, byden welcken dathaer ooc de Dienaers vom de kercke vom Geneuen geurecht hebben — 1578. form. 12. pagg. 97., adnexa ecclesiarum Gallicarum fidei confessione; hanc a Daniele de Hoegstraten Amstelodami form. 8. anno 1724. curatam, eademque forma anno 1738. repetitam esse affirmat.

Addit Hungaricas, sed dubitat, utrum confessionis editio quae Debrecini anno 1567. prodierit, (cfr. Collect. nostr. p. 465.) latina sit, an hungarica: quam ego dubitationem non queo removere. Alia, cuius mentionem facit, continet confessionem in utraque lingua, eaque sic inscripta est. „Confessio et expositio fidei christianae az az azkeresztyeni igaz hitröl valo Vallas tetel. Mellyet elsöben helvetiaban irtanak es be vettenek: Annak utaña 1567. Esztendöben Magyar orssaghan is javallottanak, be vöttenek es mind ez ideig sok ecclesiakban megh tartottanak. Deakbol Magyarra forditator Szenczi Csene Peter altal. Mostan pedig uyonnan nagyob hassonnert, Deakul es magyarul egyuve foglaltatot. Debreczen ben Nyomtatta *Lipsiai.* P a l. 1616.“ form. 8. foll. 200. Tertia, quam commemoravit, prodiisse dicitur anno 1713., quarta typis expressa Claudiopoli anno 1742., ab editione anni 1616. paululum diversa est.

Neque omisit interpretationem confessionis Polonicam cuius haec est inscriptio: „Confessio Wyzname Wiary powszechney Koscyolow Kriescip ánskich. Pobskich. Krotko, á prostemi sto wyzanckeyone wedte podania Apostolskiego y starich doktorow. Ktorego sie zgodine tozymaia ludzie Krzescianscy Rzeßny Nicmieckiey maw nie wß eb zie w. Helwetyny, w. Anglicy, we Francyey, w Sykocyey w Danicy, w Cziehach w. Wegrzech, w. Niederlanie y po wßystkich stronach swiatá Wydaná, dla teg, áby wßem wiadomo biw, ze nie no wa omi obtedliwa wiare



Digitized by Google

trzimamy ale ſtaradawna Apoſtolska, Poloßechna. Zuowu drukowana. Romansosercem bywa Wierzono kusprawiedliwosci ale vsty wyznavac potrzeba Kuzbá Wieniu. Przybdan jeſt Consens, to jeſt, Zrzwolenie ſpolne w Sendomir zu vc Zynio ne: y Act, Synodu General Nego w Krakowie Zebránego." pp. 356. form. 8. In fine: „W. Krakowie zdrukarnie Macyeja Wiezbyety, Typographa Jego Krolewſkiey Miwci, Roku od Narodzenya Syn a Bozego. 1574. Addita sunt acta synodi generalis Cracoviensis et Consensus Sendomirienſis. Pagina ultima haec extant: Cracau aus der Druckerey des Königl. Buchdruckers Michael Wiegbyely, im Jahr der Geburt des Sohnes Gottes 1574. Neque dubitare licet, quin hoc opus mera sit confessionis Helveticae posterioris interpretatio, si a duobus additamentis p. 239. et 275. recedis, quae ad doctrinam de coena sacra pertinent.

Minoris momenti sunt versiones Arabicae, Turcicae, Italicae et Rumanicae ab eodem Hallero citatae.

Equidem editionem anni 1568. typis exprimendam curavi; addita tum e libro manu scripto, qui in bibliotheca Turicensi asservatur et de quo Fritzschius in sua huius confessionis editione Prolegg. p. IV. accurate egit, tum e sylloge Oxoniensi et Kindleri editione scripturae diversitate.

Caeterum conferendi sunt: Johann Jacob Hottinger Helvetiſche Kirchengeſchichten. Zürich 1708. Thl. 3. p. 894. ff. Eſcher Helvetiſche Confeſſion in Erſch und Grubers Encycl. Sect. 2. Thl. 5. S. 234. ff. Hagenbach kritiſche Geſchichte der Entſtehung und Schickſale der erſten Basler-Confeſſion. Baſel 1827. S. 85. ff. *Fritzschii* Prolegomena in huius confessionis editionem. Turici 1839. Alii quos inspicere licuit rem leviter tantum tractarunt, velut, inter vetustiores: Stettler Schweizer-Chronik. Thl. 2. S. 219. *Hospinianus* historia Sacramentar. Tiguri 1612. fol. P. II. p. 529. *Löscher* historia motuum. Frkfrt. 1707. Thl. 2. p. 302., et inter recentiores: Kuhn die Reformatoren Berns. Bern 1828. S. 417. Fiſcher Geſchichte der Disputation und Reformation in Bern. Bern 1828. S. 536. 558. Beck die ſymb. Bücher. Neuſt. 1830. Thl. 1. S. 61. ff.

Digitized by Google

## 16. CONFESSIO CZENGERINA.

De confessione Hungarica, quae in synodo Czengerina ab ecclesiae reformatae ministris composita est, haec refert *Bossuet* in historia variationum Tom. II. libr. X. p. 151. „Parmi les Polonais „separés de la communion Romaine, il y en avoit quelques-uns „qui defendaient le sens figuré, et ceux-ci avoient souscrit en „l'an 1567. la confession de foi que les Suisses avoient dressés „l'année précédente. Ils s'en contentèrent trois ans durant: mais „en l'an 1570 ils jugèrent à propos d'en dresser un autre dans „un Synode tenu à Czenger, qu'on trouve dans le recueil de Genève „où ils s'expliquent d'une façon fort particulière sur la Cene." In his cum omnino falsa veris mixta sint, tum praesertim vituperandum est, quod Bossuet annum, quo confessio Czengerina primum typis expressa est, cum eo commutavit, quo in synodo Czengeri habita literis consignabatur. Dubii quidem haerent historici, quo anno synodus illa convocata sit: *Saligius* in historia confessionis Augustanae Vol. II. p. 837. eam anno 1557. vel 1558. institutam esse affirmat; *Schröckhius* in historia ecclesiastica post reformationem Vol. II. p. 737. non prorsus consentit, addit enim verba, quibus haec quoque notitia in dubium vocetur; sed nemo, quantum equidem scio, cum Bossueto synodum Czengerinam anno demum 1570. habitam esse censuit, neque ego illius sententiae favebam, quum pag. XIII. de confessione Czengerina anni 1570. agerem, sed eo loco illum consulto indicabam annum, quo confessio primum Debrecini ab Andrea Lupino excusa est. Haec eius editio repetita est in corpore et syntagmate confessionum anni 1612. et 1654. eamque ego quoque typothetis exprimendam tradidi.

## 17. CONSENSUS POLONIAE.

De historia consensus Poloniae eiusque editionibus conferatur prae caeteris: *Daniel Ern. Iablonski* historia consensus Sendomiriensis inter evangelicos regni Poloniae et M. D. Lithuaniae in synodo generali evangelicorum utriusque partis Sendomiriae An. MDLXX. die 14. Aprilis initi . . Berolini apud Ambrosium Haude An. Dn. 1731., neque negligendi sunt: *Bossuet* histoire des variations

Digitized by Google

etc. Tom. II. p. 238. sqq. *Iohann Andr. Schmid* in Sagittarii introduct. Tom. II. p. 1544. sq. Petrus Zorn Historie der zwischen den Lutherischen und Reformirten Theologis gehaltenen Colloquiorum. S. 107. ff. Christ. Aug. Salig vollständige Historie der Augsburgischen Confession. Buch 6. Cap. 5. Th. 2. S. 724. ff. Joh. Georg Walch historische und theologische Einleitung in die Religionsstreitigkeiten u. s. f. Thl. 3. S. 1043. ff. *E. Löscher* historia motuum. P. 3. p. 41. De Friese zur Reformationsgeschichte in Polen. Bnd. 1. S. 433—465. Schröckh Kirchengeschichte seit der Reformation. Thl. 2. S. 735. ff. Beck die symbol. Bücher der evang. reform. Kirche. Thl. 2. S. 87. ff.

Qui inter Polonos fuerunt Lutheri sectatores confessionem Augustanam, reformatae ecclesiae addicti confessionem Helveticam posteriorem, fratres Bohemici suam habuerunt, vixeruntque per annos aliquot disiuncti et separati. Neque tamen defuerunt qui omnium partium coniunctionem exoptantes dissidentium animos sedarent omnibusque persuaderent, parvas res crescere concordia et certissimum vere Christiani signum amorem esse erga alios. Ita animo affecti Lutheri sectatores in Polonia primum Posnaniae anno 1570. cum fratribus Bohemicis, deinde Vilnae in Lithuania eodem anno cum theologis reformatis eo consilio convenerunt, ut transactiones de formula concordiae deinceps componenda praepararent. Quo facto generalis synodus Sendomiriae eodem anno habita, in eaque formula huiusmodi, nomine consensus Sendomiriensis composita et ab omnibus, qui aderant praesentes, Lutheranis, reformatis et fratribus Bohemicis subscripta est.

„De editionibus consensus, ait Jablonski l. c. p. 183., lector monendus est eum conscriptum quidem esse anno 1570., typis vero anno demum 1586. latine et polonice (per columnas sibi respondentes) editum fuisse; una cum synodis generalibus consensum secutis eumque confirmantibus, nimirum Posnaniensi 1570., Cracowiensi 1573., Petricowiensi 1578. et Wlodislaviensi 1583. Quae editio, ita pergit Jablonski l. c., curante Sim. Theoph. Turnovio Thoruni repetita fuit an. 1592. mens. Januar. Postea huic synodorum collectioni accessere acta et conclusiones synodi generalis Thoruniensis anni 1595., quae anno sequenti 1596. ibidem Thorunii typis exscripta fuere.“ Tertia editio prodiit Heidelbergae sic in-

Digitized by Google

scripta: „Consensus in fide et religione Christiana inter ecclesias „Evangelicas maioris et minoris Poloniae magnique Ducatus Lithu- „aniae et caeterarum ejus Regni provinciarum primo Sendomiriae „anno MDLXX. in Synodo generali sancitus: Et deinceps in aliis, „ac demum, Wlodislaviensi generali Synodo anno MDLXXXIII. „confirmatus: Et Serenniss. Poloniae Regibus Augusto, Heinrico „ac Stephano oblatus: Ex decreto autem Synodico in publicum „typis editus anno Christi MDLXXXVI. Accesserunt in hac editione „acta et conclusiones synodi generalis Thoruniensis." Heidelbergae typis Vögelianis MDCV. pagg. 88. form. 8. Eandem consensus et synodorum syllogen cum prolixa praefatione et versione germanica edidit deinceps D. Sam. Strimesius Francofurti ad Oderam anno 1704. form. 8., eademque extat apud Jablonskium l. c. p. 489. sqq. et teste Saligio l. c. p. 735. not. 6. etiam apud Pareum in Irenic. c. XXII. p. 129. Ego editionem Thorunensem anni 1592., cui anno 1596. acta synodi Thorunensis addita sunt, typis exprimendam curavi eamque contuli cum editione Heidelbergensi.

## 18. 19. CONFESSIONES ANGLICANAE.

Rerum sacrarum emendatio in Anglia tardius, quam aliis in terris processit, imprimis fidei confessio, qua omnes, qui sacris reformatis addicti erant, inter se coniungerentur, diu illis defuit, quum summi eorum clerici et theologi tantam rem non temere accelerandam esse recte putarent. Secundum Cranmeri sententiam, ut Gilberti Burneti verbis in historia reformationis ecclesiae Anglicanae P. II., p. 110. utar, „praestabat fidei confessionem gradatim construere, et expectare, donec episcoporum ordine repurgato eorum plerorumque consensus certus sperari posset: et secundum illum, prudentiae non erat religionis systema in lucem mittere, cuius consilium invicta acerbitate a multis praecipuis ecclesiae pastoribus virga censoria notatum fuisset. Praeterea, in cultu corruptiones maioris momenti, quam in doctrina errores ei videbantur: et revera populi vix deum religioso cultu prosequi poterant, quin in damnabiles praxes dilaberentur: Illud ipsum omni sedulitate atque studio corrigendum erat: Sed quod ad doctrinae articulos spectabat, eo usque non urgebat necessitas, ut statim de iis enu-

Digitized by Google

cleate disputandum esset. Et archiepiscopus existimabat, hominibus minori cum periculo sententiarum quam superstitiosarum praxium libertatem relinqui posse. Alio etiam spectarunt reformatores, antequam agitatae controversiae dirimerentur optimum factu esse crediderunt, si populum iis assuefacerent eas in antecessum proponendo et agitando in disputationibus publicis et in operibus typis excusis. Nam praeterquam quod exacta reformatio vix cum praecipiti festinatione consistere poterat, et quae iam reformata fuerant recognoscere turpe fuisset, sperandum non erat, ecclesiasticos uno momento opiniones deserturos in quibus consenuerant. His rationibus adducti cunctanter egerunt reformatores. Fidei confessio anno solum 1551. confici coepta est: Ad umbilicum perducta fuit antequam clerus congregaretur; id est ante mensem Februarium anni 1552. Nescimus certo, quo modo instituta fuerit illius operis compositio: nec an varia eius dogmata episcopis et theologis distributa fuerint, ut suas sententias referrent. Illud ipsum sub Henrico VIII. regno factitatum fuerat. Multi scriptores referunt Cranmerum et Ridleyum ea digessisse, et aliis postea misisse, ut quae necessaria crederent, corrigerent adderentque." Neque quin ex auctoritate Cranmeri et adiuvante Ridleyo in XLII. articulos digesta sint, dubitare licet. Cfr. Salig Vollſt. Geſch. der augsb. Confeſſion. Thl. 2. S. 455. ff. Bentham Engelländiſcher Kirch- und Schulenſtaat. Leipz. 1722. S. 167. ff. *Walchii* bibliotheca theologica sel. Jen. 1757. Tom. I. p. 416. Schröckh Kirchengeſch. ſeit der Reform. Thl. 2. S. 613. ff.

Articuli XLII. primum anno 1553. Londini publicati sunt, eodemque anno prodierunt Tiguri hac inscriptione: „Catechismus „brevis christianae disciplinae summam continens omnibus ludima„gistris authoritate regia commendatus. Huic catechismo adiuncti „sunt articuli, de quibus in ultima Synodo Londinensi, Anno Do„mini 1552. ad tollendam opinionum dissensionem, et consensum „vere religionis firmandum, inter Episcopos et alios eruditos atque „pios viros convenerat: Regia similiter authoritate promulgati. Ti„guri apud Andream Gessnerum F. Anno Domini MDLIII." Illam editionem videtur secutus esse Gilbertus Burnetus, qui articulos in collectione documentorum historia reformationis addita nr. LV. p. 123. sqq. cum lectoribus hoc titulo communicavit: „Articuli in

Digitized by Google

quos consenserunt Episcopi aliique Eruditi Viri in Synodo Londini habita, anno 1552., ad Opinionum diversitates eliminandas et Consensum circa veram Religionem stabiliendum. Authoritate Regia promulgati.“ Editionem Turicensem equidem recudendam curavi, quamquam ea mirum in modum a Burneti textus recensione differt. Neque tamen hanc scripturae diversitatem notandam esse censui, quum articuli XLII. iccirco minoris momenti esse viderentur, quia paucos post annos retractati et aliis mutatis aliis additis ad numerum XXXIX. redacti sunt. Articuli XXXIX. in synodo Londinensi, quam Elisabetha regina anno 1562. convocaverat, solemni modo sanciti, omnium consensu approbati, deinceps saepius confirmati auctoritatem symbolicam acceperunt eamque usque ad nostra tempora conservarunt. Teste Walchio l. c. p. 416. „lucem adspexerunt cum separatim *latine* Londini 1562. form. 8., 1571., 1575. form. 4., Oxonii 1636. form. 4., *anglice* Londini 1562. 4., Oxonii 1536. form. 4., ac praeterea saepissime utroque sermone; tum coniunctim pluribus libris vel inserti vel adiuncti,“ velut in editionibus liturgiae anglicanae, in *Weismanni* historia ecclesiastica, et in *Benthami* libro, supra iam citato, in quo etiam inscriptio invenitur, qua eos Londini anno 1571. prodiisse affirmavit Walchius. „Articuli de quibus inter Archi-Episcopos et Episcopos utriusque Provinciae et Clerum universum in Synodo, Londini 1562. secundum computationem Ecclesiae Anglicanae, ad tollendam opinionum dissensionem et consensum in vera Religione firmandum. Editi authoritate Serenissimae Reginae. Londini apud Iohannem Day, 1571.

## 20. REPETITIO ANHALTINA.

Quae ex consilio praefationis de origine huius fidei confessionis dicenda sunt, continentur et iis quae typographus (p. 612. 613.) monuit, et ipsa Anhaltinorum praefatione (p. 613—617.); quare ne verbum quidem addatur. Neque multa de editionibus repetitionis Anhaltinae dicenda sunt. Mihi enim duae tantum innotuerunt, quarum altera, cuius inscriptionem attuli p. 612.: „Neapoli Casimiriana in officina *Matthaei Harnisch* CIↃ. IↃ. LXXXI.“, altera teste Lipenio in bibliotheca universali p. 401. eodem anno Neostr. form. 8. prodiit. Illam typothetis exscribendam tradidi. Sed quam

Digitized by Google

*Mauritius Rödiger*, uti p. XIII. notatum est, addere voluit confessionem sic inscriptam: Bekenntnuß der anhalt. Theologen von den fürnehmsten Hauptartikeln der christlichen Lehre, eam inspiciendi non data fuit opportunitas. Neque Ioannis Georgii, principis Anhaltini fidei confessionem, quae articulis XXVIII. constare perhibetur, acquirere potui.

## 21. 22. 23. CONFESSIONES MARCHICAE.

„Calvinistae deducunt nos in loco de persona Christi, praedestinatione, coena domini, baptismo a cultu, consolatione, verbo, coelo ad contemtum Christi, desperationem, nuda elementa, infernum. Ergo impleat nos deus odio Calvinianismi.“ Hae Distelmaieri preces infestum, quo Lutherani ecclesiae reformatae socios in Pomerania, Borussia et electoratu Brandenburgico sub finem saeculi XVI. et ab initio saeculi XVII. persequebantur, animum optime declarant; praesertim multi summae auctoritatis inter illos theologi Christi praeceptorum de mutua caritate prorsus obliti nil reliqui fecerunt, ut hos quovis modo vexarent et premerent. Sed accidit illis odio obcaecatis quod omnibus accidere videmus, qui cupiditate aliqua incensi, aequitatem abiiciunt et contra ius fasque agunt. Nimio partium studio ecclesiae, cui emolumenta volunt afferre, nocent magnopere. Iohannes Sigismundus, elector Brandenburgensis, natura prudens et benignus Gedickii praeceptoris aliorumque Lutheranorum clamoribus de vana et perniciosa, quae inter reformatos propagata esset, doctrina eo adactus est, ut ecclesiae reformatae partibus favere, theologorum, qui huic ecclesiae addicti erant, libros legere et novi testamenti studiis vacare inciperet. Quo diligentius in hos libros incubuit, eo certius Lutheranorum theologos a vero aberrasse intellexit, eoque magis ad sacra ecclesiae reformatae animus inclinavit. Tandem relictis Lutheranorum placitis et coena sacra die XXV. Decembris anni 1613. ex more ecclesiae reformatae celebrata publice confessionis mutationem declaravit, deinde die XXIV. Februarii anni sequentis, ne quis reformatos eorumque doctrinam contumeliis et conviciis publice afficeret, edixit, denique mense Maio eiusdem anni suam fidei confessionem publici iuris fecit.

Digitized by Google

Incautus et intempestivus Lutheranorum fervor quemadmodum effecit, ut Iohannes Sigismundus ad sacra ecclesiae reformatae transiret, ita multa, quae henotica dicuntur, acta reddidit irrita; quibus tamen neque colloquium Lipsiense anno 1631. inde a die tertio usque ad diem vicesimum tertium mensis Martii habitum, neque conventum Thorunensem anno 1645. per tres menses institutum adnumeranda esse censeo. In illo enim a theologis reformatis Iohanne Crocio, Theophilo Neubergero et Iohanne Bergio, viris doctissimis et concordiae studiosissimis, inchoato Lutherani quoque Polycarpus Leyserus et Henricus Hoepfnerus, theologiae professores Lipsienses et Matthias Hoë ab Hoënegg, electoris Saxoniae concionator aulicus etsi a formulis in libro concordiae probatis non recedebant, comes tamen se praebuerunt et humanos, ita ut colloquium placide absolvi posset. Declararunt unanimiter se „eo unice spectasse, ut compendiaria via exploraretur, primo, an et quatenus utraque pars in viginti octo confessionis Augustanae articulis consentiat: dein, anne sperandum et ulterioribus plurium pacis amantium theologorum colloquiis, interveniente item Christianorum principum et statuum auctoritate, opera in eo collocanda, ut arctior in posterum coniunctio sanciatur: eoque pacto vera dei ecclesia augeatur et extendatur, pontificiis vero spes, quam ex evangelicorum dissidiis hactenus concepere, aliqua ex parte adimatur. Interea antequam haec eveniant, omnia, quae in hac collatione acta sunt, in eo statu erunt, ac si nunquam acta fuissent: neutrique parti licebit, hancce tractationem eiusque consignationem sine expresso alterius permissu in vulgus spargere: theologi vero utrinque christiana charitate in posterum sese prosequentur. Omnia bona fide et sine dolo. Deus veritatis gratiam suam largiatur, ut omnes in ipso unum fiamus et in uno perfecti simus, sicut ipse et filius unum sunt.“ Cfr. *Iaegeri* hist. eccl. decenn. IV. lib. 1. c. l. p. 485. nostramque collectionem p. 667. 668.

Neque quin in colloquio Thorunensi iussu Vladislai IV. Poloniae regis anno 1645. habito incredibilis catholicorum, imprimis Iesuitarum impudentia concordiae maius etiam detrimentum quam foeda Borsaci, Calovii et Hülsemanni pervicacia attulerit, dubitare licet. Theologi reformati, inter quos Ioannem Bergium nominasse satis habeo, se pacis studiosissimos esse dictis factisque ostenderunt,

Digitized by Google

sed frustra. Quare ad eos non pertinet quod echus nomine circumfertur de synodo Thorunensi dystichon:

„Quid synodus? nodus: Patrum chorus integer? aeger:
„Conventus? ventus: Gloria? stramen. Amen."

Sed haec uberius persequi non huius loci est. Sufficit commemorasse reformatos statim in primis synodi sessionibus „postulata et desideria, generalem professionem doctrinae et specialiorem eius declarationem" praesidi tradidisse, hanc vero quamquam saepius catholicis flagitantibus mutatam synodi actis non insertam et hanc ipsam ob causam deinceps separatim editam esse. Cfr. *Hartknoch* Preuſſiſche Kirchenhiſtoria. Frnkfrt. 1686. S. 525. ff. S. 934. ff. *Jägeri* historia ecclesiastica et politica. Hamb. 1709. p. 479. sqq. p. 689. sqq. *Sam. Buchholz* Verſuch einer Geſchichte der Churmark Brandenburg. Berl. 1767. Thl. 3. S. 567. S. 617. ff. *Dan. Heinr. Hering* hiſtoriſche Nachricht von dem erſten Anfange der evangeliſch-reformirten Kirche in Brandenburg und Preuſſen unter dem gottſeligen Churfürſten Johann Sigismund, nebſt den drei Bekenntnißſchriften dieſer Kirche. Halle 1778. Deſſelben Neue Beiträge zur Geſchichte der evangeliſch-reformirten Kirche in den Preuſſ. Brandenb. Länder. Berl. 1787. Thl. 2. S. 1. ff. Porro: *I. A. Schmidii* historia colloquiorum ecclesiasticorum post reformationem habitorum, in supplemento ad introductionem Sagittarianam in hist. eccl. p. 1588. sqq. p. 1592. sqq. *Zornii* historia derer zwiſchen den Lutheriſchen und Reformirten Theologis gehaltnen Colloquiorum. Hamburg 1705. p. 126. 127. p. 111. 112. *Calovii* historia syncretistica p. 50. p. 231. sqq. p. 424. sqq. *Hoornbeeckii* summa controversiarum p. 276. sqq. Wälch's hiſtoriſche und theologiſche Einleitung in die Religionsſtreitigkeiten u. ſ. f. Thl. 1. S. 503. 504. Thl. 3. S. 1048. ff. Beck die ſymboliſchen Bücher der evangeliſch-reformirten Kirche. Thl. 1. S. 472. ff. Thl. 2. S. 110. ff. S. 130. ff. Carl Wilhelm Hering Geſchichte der kirchlichen Unionsverſuche. Leipzig 1836. 1837. Band 1. S. 261. ff. S. 329. ff. Band 2. S. 1. ff.

Porro conferantur de colloquio Lipsiaco: Kurzer Discurs von der zu Leipzig anno 1631. mense Martio angeſtellten Religionsvergleichung zwiſchen den Chur-Sächſiſchen und Chur-Brandenburgiſchen, auch Fürſtlichen Heſſiſchen Theologen. Sine nomine auctoris, sine anno et loco. *Hering* l. c. Thl. 1. S. 343. ff. et de colloquio Tho-

Digitized by Google

runensi: *Acta* conventus Thoruniensis celebrati anno 1645. mens. Septembr. Octobr. Novembr. pro ineunda ratione componendorum dissidiorum in religione per regnum Poloniae impressa authoritate et mandato sacrae regiae Maiestatis, ad exemplum et fidem Regii Protocolli. Varsaviae 1646. form. 4. His iure addit *Pfaffius* in introductione in hist. theol. P. II. p. 178. tum *Copiam* literarum, quibus dissidentes in rebus fidei ab Ecclesia Catholico-Romana in regno Poloniae magnoque ducatu Lithuaniae ad fraternam cum eâdem reconciliationem invitantur, nec non dissidentium ad easdem responsa. Dantisci 1645. form. 4., tum Catixti colloquii Thoruniensis relationem, quae Helmstadii anno 1635. form. 4. prodiit, et Berolinensem anni 1646. form. 4., cui suam opposuit Hülsemannus Lipsiae 1646. form. 4. reclamante C. Prawdeckio in libro sic inscripto: Entdeckung derer Unwahrheiten D. Hülsemanni von dem Colloquio charitativo. 1647. form. 4. Neque negligendus est Hieronymus a St. Hyacintho in idea colloquii charitativi cum dissidentibus anno 1645. indicti. Cracoviae 1646. 4.

Confessio Sigismundi ipsius auctoritate quater publici iuris facta est. Primam anno 1613. editam esse testis quidem est *Walchius* in bibliotheca theol. schol. Tom. I. p. 432., sed *Heringio* l. c. p. 101. affirmante eam mense Maio anni 1614. demum a typothetis absolutam esse constat. Prodiit sic inscripta: Des Durchlaucht. Hochgebohrn. Fürsten und Herrn, Herrn Joh. Siegmunds, Marckgrafen zu Brandenburg, des H. Römischen Reichs Erzkämmerers und Churfürsten etc. Bekändtniß von jetzigen unter den Evangelischen schwebenden und in Streit gezogenen Puncten. Durch einen Liebhaber der Wahrheit in Druck gebracht, Anno 1614. s. a. et l. pagg. 35. form. 12. Secunda eodem anno apparuisse dicitur una cum aliis scriptis ad sacrorum emendationem in electoratu Brandenburgensi pertinentibus, hoc titulo: Churf. Durchl. zu Brandenburg Bekändtniß, Edict und Schreiben an die Landschaft, neben etlichen so wohl von S. F. G. dem Herrn Statthaltern, als auch Theologen und Landständen ausgefertigten Schriften. Tertia et quarta anno 1615. publici iuris factae sunt. Illa in libro hac inscriptione ornato: Initia reformationis Marchiae, d. i. etliche denkwürdige Schriften und andere Acten, so bei angehender christlicher Reformation, in der Churf. Marck Brandenburg von Chur- und Fürstl. Gn. auch den

Digitized by Google

Landständen und Theologen hin und wieder ergangen und gewechselt worden, foll. 34. form. 4.; haec in opere amplioris ambitus sic insignito: Der Chur Brandenburg Reformation Werk, d. i. 1, des Durchl... Herrn Johann Siegmunds, Markgrafen... Bekänndtniß von jetzigen unter den Evangelischen schwebenden und in Streit gezogenen Puncten..... Anno 1615. Gedruckt zum Berlin durch Georg Rungen, in Verlegung Johann Kollen Buchhändlern und Buchbindern daselbst, idemque opus repetitum est anno 1621., sed titulo prorsus mutato: „Gründlicher und wahrhaftiger Bericht, Der in der Chur- und Mark Brandenburg vormeineten Reformation, wie die in der Continuatione Iohannis Sleidani befunden wird." Neque posteriore tempore defuerunt, qui Sigismundi confessionem iterum iterumque typis exprimerent, Köchero in bibliotheca theol. symb. et catechet. p. 312. id testante, sed satis sit gravissimas editiones nominasse. Inter has recenset Heringius l. c. p. 109. editionem anni 1659. foll. 19. form. 8.; deinde affert Sigismundi confessionem una cum colloquio Lipsiaco et declaratione Thoruniensi anno 1695. et quidem bis form. 4. apparuisse, scilicet Coloniae ad Spream et Custrini, simulque affirmat utramque ad verbum sibi respondere, sed Coloniensem foliis 42., Custriensem foliis 44. constare, huiusque discriminis causam in ipso titulo indicatam esse, illam enim unam tantum, hanc duas electoris exhibere declarationes. Neque contra id dico. Sed complures huius generis editiones iam ante annum 1695. fuisse constat. *Lipenius* in bibliotheca univers. p. 404. Johannis Sigismundi confessionem una cum colloquio Lipsiaco et confessione Thorunensi Francofurti ad Moen. anno 1644. form. 4. editam esse testatur, et mihi duae huiusmodi editiones innotuerunt, quarum altera hoc titulo ornata est: Die drei Confessiones Oder Glaubens-Bekänntnisse, Welche in der Churfürstl. Brandenb. die Religion betreffenden Edictis offte genennet werden; 1) Johannis Sigißmundi, Chur-Fürsten zu Brandenburg glorwürdigsten Andenkens, Glaubens-Bekänntniß. 2) Colloquium Lipsiacum Anno 1631. da die anwesenden Reformirten und Lutherische Theologi eine Liquidation angestellet, wie weit sie einig und nicht einig seyn. 3) Thornische Confession, welche Anno 1645. nicht allein von den Brandenburgischen Reformirten, sondern auch von allen auß der Cron Pohlen, Groß-Fürstenthum Littauen, und incorporirten Provincien Deputirte Proceribus et Theologis ist

Digitized by Google

übergeben worden. Hierbei auch die Churfürstl. Brandenb. Edicta selbst, nebenst der Declaration, wie auch die Reverse, welche die Inspectores, Prediger und Candidati Ministerii zu unterschreiben haben. Cum Privilegio Elect. Brandenburg. hats verlägt Rupertus Völcker, Buchhändl. in Cöln an der Spree. Zu Franckfurt auff der Churfl. Brand. Acad. druckts Erasmus Rösner. s. a. Altera eodem modo inscripta est, paucis tantum mutatis. Primum pro: „welche ... offte genennet werden," exhibet: welche zu beobachten befohlen worden." Deinde de confessione Thorunensi non dictum est: „welche ... ist übergeben worden." sed: „welche ... ist unterschrieben worden, quibus verbis haec adduntur: Hierbei auch die Churfürstl. Brandenb. Edicta selbst, nebst zweyen Declarationen. Cölln an der Spree, Druckts Georg Schultge, Churfürstl. Brandenb. Hof-Buchdr. M.DC.LXXXIII. Utramque ab Heringio praetermissam esse miror. Affert ille deinceps l. c. p. 111. duas ex initio seculi decimi octavi editiones publicae auctoritatis, ipseque tres illas confessiones libello iam saepius citato adnexuit.

Restat ut pauca de primis colloquii Lipsiaci et declarationis Thorunensis editionibus dicantur.

„Colloquium Lipsiacum primum edidisse theologos reformatos, quamquam conventum esset, ne pars altera sine alterius praescitu et consensu id faceret, teste *Iaegero* l. c. Tom. 1. p. 485. ipse *Gesselius* fatetur. Sed, si *Walchium* l. c. Vol. III. p. 1054. sequimur, *Matthias Hoë ab Hoënegg* electoris Saxonici concionator primus fuit, qui quod Lipsiae inter theologos Lutheranos et reformatos transactum fuit in libro sic inscripto: Unvermeidentliche Rettung vvider das Oraculum Dodonaeum. Lipsiae 1635. form. 4. publici iuris faceret. Quare Ioannes quoque Bergius, qui colloquio interfuit et summam illo tempore apud reformatos habuit auctoritatem, colloquium edidisse dicitur hoc titulo: Relation der privat-Conferentz, welche bei währendem Convent der protestirenden Evangelischen Chur-Fürsten und Stände zu Leipzig im Jahr 1631. im Monath Mart. zwischen den anwesenden Chur-Sächsischen, Chur-Brandenburgischen und Fürstlichen Hessischen Theologen gehalten. 1635. form. 4. Deinde saepius repetitum est. *Latine* prodiit Hagae Comitis 1656. form. 4., una cum decreto ordinum evangelicorum Francofurti anno 1634. facto; *graece* et *latine* in F. U. Catixti via ad pacem inter Protestantes praeliminariter restaurandam; *germanice* in Hieronymi

Digitized by Google

Kornmayeri locis antisyncretisticis. Lips. 1669. Ratisbonae 1722. form. 4.

Declarationem fidei, quam theologi reformati synodi Thoruniensis praesidi tradiderunt, exhibet *Calovius* in historia syncretismi p. 424. — p. 441., nulla habita mutationum ratione, quas ut supra iam indicatum est catholicis urgentibus est experta. Reliquae editiones enumeratae sunt a *Ioanne Daniele Hoffmanno* in historia literaria colloquii charitativi Thoruniensi, quae in libro sic inscripto: Die Preuſſiſchen Zehenden. Vol. III. p. 365. sqq. extat. Omnium princeps est, quae prodiit Berolini a. 1646. hoc titulo. „Scripta partis reformatae in Colloquio Thoruniensi anno 1645. Parti Romano-Catholicae exhibita; sed ab ea in Protocollum pleraque non admissa; ideoque seorsim nunc edita, cum Declaratione Partis Romano-Catholicae de regula fidei, eiusdemque Consideratione.“ form. 4.

## 24. CANONES DORDRACENI.

Decreta et canones synodi Dordracenae, de divina praedestinatione, de morte Christi et hominum per eam redemptione, de hominis corruptione et conversione ad deum eiusque modo et de perseverantia sanctorum, quae remonstrantium articulis de conditionato praedestinationis decreto, de universo merito Christi, de libero hominis arbitrio, de resistibili gratia divina et de fidei amissibilitate opposita fuisse constat, eodem, quo synodo finis impositus est, anno saepius typis descripta et publici iuris facta sunt. Neque hoc illis mirum videri potest, qui quanta congregatorum frequentia et quam magna synodi fuerit auctoritas sciunt simulque reputant, Calvinistarum chorum in ea condemnasse doctrinam late propagatam et a summis illius aevi theologis modeste et docte defensam. Editio princeps eo, qui pag. 690. indicatus est, titulo ornata prodiit paulo post synodum finitam anno 1619. form. 4., eodem anno subsecuta est alia sic inscripta: Synodus Dordrechtana form. 4., utraque teste *Walchio* l. c. Tom. I. p. 412. lingua latina. Idem addit Belgicam et Anglicam eiusdem anni, Londini publicatam form. 4. Hanc exceperunt aliae, velut ea, quam Groningae anno 1747. cum praefatione de auctoritate decretorum synodi apparuisse constat. Sed *Walchio* l. c. auctore non solum separatim verum etiam

Digitized by Google

coniunctim cum aliis libris exierunt. Extant in actis synodi nationalis in nomine domini nostri Iesu Christi, authoritate illustr. et praepotentum DD. Ordinum generalium foederati Belgii provinciarum Dordrechti habitae. Dordrechti 1620., in corpore et syntagmate confessionum a. 1612. et a. 1654., in notissimo *Aymonii* opere sic inscripto: Tous les synodes nationaux des églises reformées de France. Tom. II. p. 298., in *Hottingeri* fatis doctrinae de praedestinatione et gratia dei lib. IV. cap. 5. p. 333., in *Benthemii* holländiſchem Kirchen und Schulenſtaat. p. 391., in *Langii* gloria Christi et Christianismi et in recentioribus illis, quas supra nominavi, confessionum fidei collectionibus.

De historia synodi praeter celeberrima, quae theologi remonstrantes contra eam publicarunt, scripta, velut antidotum, apologiam, acta et scripta synodalia aliaque huiusmodi conferantur imprimis qui a *Hallero* in bibliotheca hist. Helv. Tom. III. p. 172—175. Nr. 491—501. 503. citati sunt, libri.

## 25. FORMULA CONSENSUS HELVETICA.

Formula consensus Helvetica, quam sententiae Mosis Amyraldi de gratia universali, Ios. Placaei de imputatione peccati adamitici, aliorum de obedientia Christi activa et Ludovici Capelli de punctis vocalibus codicis Hebraei oppositam esse vel ipsius docet argumentum, auctorem habet Iohannem Henricum Heideggerum, theologum Turicensem, qui eam Francisco Turretino, Genevensi et Luca Gernlero, Basileensi assentientibus et cohortantibus non sine publica auctoritate anno 1675. conscripsit. *Hallerus*, qui eam sequenti demum anno compositam esse dicit in bibliotheca hist. Helvet. Tom. III. p. 183. hisce verbis: „J. H. Heidegger hat dieſe Formel a. 1676. aus Befehl der Obrigkeit und Antrieb einiger Geiſtlichen verfaſſet", vel ipse erravit, vel in numeris errarunt typothetae. Nam eam a quibusdam Helvetiorum civitatibus iam anno 1675. receptam esse et dudum inter omnes constabat, et nuper ex actis Basileensibus et Turicensibus a *Hagenbachio* in historia conf. Basil. p. 175. et p. 176. not. 2. probatum est. Neque tamen assentiri possumus *Walchio*, qui in bibliotheca theol. selecta Tom. I. p. 414. eam hoc ipso anno etiam editam esse hoc modo affirmat: „Quum conscripta illa esset a Io.Henr. Heideggero iussu magistratus Tigurini, prodiit ea in



Digitized by Google

lucem latine ac germanice Tiguri 1675. form. 4. hancque editionem primam secutae sunt aliae.“ Quamquam enim illam latine et germanice form. 4. vere typis exscriptam et publici iuris factam esse *Hallerus* quoque l. c. p. 182. testatur, tamen quo loco et quo anno id factum sit, *Walchius* coniectura tantum videtur assecutus esse. Primum enim typographus in ipsa editione neutrum indicavit, deinde *Hallerus* l. c. eandem editionem anno demum 1723. publicatam esse censet, denique *Escherus* in Erschii et Gruberi encyclopaedia universali Sect. II. Tom. V. p. 245. formulam non ante annum 1714. typis expressam esse locupletissimus est testis. Sed utrum hoc anno una tantum an duae eiusdem editiones excusae sint, equidem dubius haereo. Quam *Hallerus* l. c. primo loco posuit, eam haud dubie editionem principem esse ipse existimavit, eandemque sic inscriptam esse testatur: „Formula Consensus ecclesiarum Helveticarum reformatarum circa Doctrinam de Gratia universali et connexa, aliaque nonnulla capita“ form. 12., sed simul affirmat etiam in hac editione neque annum neque locum, quo prodierit, esse indicatum. At mihi ad manus est, quam repetendam curavi, editio eodem titulo insignita eademque forma, foliis XII., in qua formula consensus ei confessionis Helveticae posterioris editioni addita est, de qua supra p. 66. egimus et quae titulo id indicante prodiit Tiguri apud Davidem Gessnerum Anno 1714. Deinde saepius repetita et in multorum populorum linguas translata est. *Latine* extat in libro sic inscripto: Fortgesetzte Sammlungen von alten und neuen theologischen Sachen. 1722., cum notis et apud Pfaffium in schediasmate de formula consensus Helvetica; *Germanice* prodiit sic inscripta: Einhellige Formul der reform. eidg. Kirchen, betreffend die Lehre von der allgemeinen Gnad und was derselben anhanget; sodann auch etliche andere Religionspunkten (cfr. *Escher.* l. c. p. 245.), anno 1718. form. 12., et anno 1722. form. 12. pagg. XXXVI.; *Belgice* cura Danielis de Hoogstraten 1724., form. 8., cum notis; *Gallice* hoc titulo: Formulaire de consentement des églises reformées de Suisse, sur la doctrine de la grace universelle et les matières, qui s'y rapportent, comme aussi sur quelques autres articles, traduit en François, avec des remarques. sine a. et l. (Amstelod. 1722. cfr. *Escher* l. c. p. 248. not. 1.) pagg. 135. form. 8. Exhibetur, *Walchio* teste, in hoc libro formula latine cum interpretatione gallica

Digitized by Google

cura Barnaudii atque animadversionibus, quibus Barbeyracius auctor formulam „variorum vitiorum insimulat ac notat sententiam eorum, qui damnati fuerint, non recte enarratam: scripturae effata, quae a re aliena sunt, adducta: perversam argumentandi rationem adhibitam, atque ea tradita esse, quibus sacer codex ac veteres Helvetiae theologi repugnent.“ Praeter hanc editionem conferatur de origine et historia formulae consensus Helveticae: *Bibliotheca* hist. philol. theol. Bremensis Class. VII. Fassic. 4. p. 669.; *Historia* vitae I. H. Heideggeri §. 97.; *J. Jac. Hottinger* Vertheidigte F. C. 1723.; Deſſelben Helvetiſche Kirch. Geſch. Zürich 1708. Thl. 3. S. 1086. Thl. 4. S. 258. 268. f.; *Pfaffii* dissert. histor. theol. de formula consensus. Tubing. 1723.; *Salchli* stricturae et observationes. Bern. 1723.; (*Barnaud*) Mémoires pour servir a l'histoire des troubles arrivées en Suisse a l'occasion du Consensus. Amsterd. 1726. Alia illius et posterioris temporis, quae huc pertinent, scripta minoris momenti affert *Hallerus* l. c. Nr. 577—592. Inter recentiores praecipue consulendi sunt: Hagenbach Kritiſche Geſchichte der Entſtehung und der Schickſale der erſten Baslerkonfeſſion. Baſel 1827. S. 171. ff. *Escher* in Erſch und Gruber Allg. Encyclopädie. Sect. 2. Thl. 5. Art.: helvetiſcher Conſenſus.

## 26. CONFESSIO TETRAPOLITANA.

De confessionibus, quae in additamentis inde a p. 740. exhibentur, paucis exponam. Primum inter illas locum tenet quae dicitur Tetrapolitana, sive Suevica, sive Argentinensis, de cuius origine et historia conferantur: *Wernsdorff* historia confessionis tetrapolitanae, resp. Mch. H. Reinhardo. Viteb. 1694., ed. 4. ibid. 1721.; *Io. Henr. Felsii* dissert. de varia confessionis Tetrapolitanae fortuna, praesertim in civitate Lindaviensi. Götting. 1755. *I. G. Schelhorn* in amoenitatt. litterarr. Tom. VI. p. 305. sqq.; Deſſelben Reformations-Hiſtorie der Reichsſtadt Memmingen. *D. Gerdesius* in scrinio antiquar. Tom. V. p. 2. pag. 193—221. Addas: *Salig* Hiſtorie von der Augsb. Confeſſion B. 2. Cap. 12. Thl. 1. S. 387. ff. *Löscher* historia motuum P. 1. lib. 2. cap. 1. p. 195. Walch Einleitung in die Religionsſtreit. Thl. 3. S. 30. ff. Schröckh Chriſtliche Kirchengeſchichte ſeit der Reformation Thl. 1. S. 483. Förſtemann Urkundenbuch Thl. 2. S. 21. ff.



Digitized by Google

Haec confessio a Bucero adiuvantibus Casp. Hedione et Wolfg. Fabricio Capitone composita et Carolo V. imperatori per legatos civitatum Argentorati, Constantiae, Memmingae et Lindaviae in comitiis Augustanis anno 1530. tradita et civitatum, quae modo nominatae sunt, auctoritate Argentorati anno 1531., primum latine, deinde germanice edita est. Neque de his rebus dissentiunt viri docti. Sed utrum eodem anno semel tantum latine expressa et publicata sit, an bis, mense scilicet Augusto et mense Septembri, adhuc non satis exploratum est. Editio enim, quam principem nuncupare solent, a literatis diverso modo citatur. *Feuerlinus*, quem editionum titulos diligentissime descripsisse constat, confessionem Tetrapolitanam primum hoc titulo apparuisse in bibliotheca iam saepius citata P. 1. p. 122. nr. 712. testatur: „Confessio Religionis Chri„stianae Imp. Carolo V. in Comitiis Aug. 1530. per Legatos Civi„tatum Argentorati, Constantiae, Memmingae et Lindaviae exhibita. „Argentorati, Ge. Ulrichero Andlano impressore, 1531. form. 4.“ Sed *Saligius* l. c. p. 398. not. n., *Schelhornius* l. c. p. 381. aliique eam primam esse dicunt, quae sic inscripta est: „Confessio Reli„gionis Christianae sacratissimo Imperatori Carolo V. Caesari Au„gusto in Comitiis Augustae anno M. D. XXX. per legatos civita„tum Argentorati, Constantiae, Memmingae et Lindaviae exhibita. — „Si quis voluerit voluntatem eius obtemperare is cognoscet de „doctrina utrum ex deo sit, an ego a me ipso loquar. Ioh. VII. *In „fine*: Argentorati Georgio Ulrichero Andlano Impressore. Anno „M. D. XXXI. mense Septembri.“ Accedit quod *Dr. Pappus* in refutatione relationis Bipontinae p. 33. testante Saligio editionis mentionem fecit, quam mense Augusto anni 1531. publicatam esse dicit, ita ut de numero editionum anni 1531. summo iure dubites. Editio, quam secundo loco commemoravimus, in corpore et syntagmate confessionum repetita est, eandemque typis exprimendam curavimus ipsi p. 740. sqq.

Quae mihi innotuerunt editiones germanicae ex his Feuerlinus in bibl. sua l. c. p. 122. 123. Nr. 112. 113. et 114. tres tantum attulit, sic inscriptas:

1. Bekandtniß der vier Frey und Reichſtätt, Straßburg, Coſtantz Memingen, vnd Lindaw, in deren ſie Keyſ. Maieſtat, vff dem Reichstag zu Augſpurg, im xxx. Jar gehalten, ihres Glaubens und Fürhabens,

Digitized by Google

der Religion halb, rechenschaft gethan haben. Schriftliche Beschirmung vnd verthedigung derselben Bekandtnuß, gegen der Confutation vnd Widerlegung, so den gesandten der vier Stätten, vff bemeldtem Reichstage offenlich fürgelesen, vnd hie getrewlich eingebracht ist. In fine: Straßburg, durch Johañ Schweintzer, vff den xxii. Augusti, Anno MDxxxi. form. 4.

2. Confeßio oder Bekantnus der vier Frey und Reichsstätt, Straßburg, Costantz, Memmingen, und Lindaw, in deren sie Keys. Maiestat auf dem Reichstag zu Augsp. im 30. Jahr gehalten, ires Glaubens Rechenschaft gethan haben. Schrifftliche Beschirmung und vertheidigung derselbigen Bekanntnuß gegen der Confutation, so auff bemeldten Reichstage fürgelesen, und hie eyn bracht ist, Neustadt an der Hardt. 1580. form. 4.

3. Bekanntnuß der vier Frey und Reichs-Stätt. Schrifftliche Beschirmung derselben. Zu fernerer Erklärung des Berichts auf die Neue Straßburgische Kirchen-Ordnung, 1598. Erstlich gedruckt zu Straßburg, 1531; jetzt nachgedruckt zu Zweybrück, 1604. form. 4.

Omisit quem anno 1579 hoc titulo publicatam esse testatur Hallerus in bibliotheca hist. Helv. Tom. III. p. 132. Nr. 363. Bekandtnuß der vier Frey- vnnd Reichsstätt, Straßburg, Costantz, Memmingen vnd Lindav, in deren sie Keys. Maiestät auf den Reichstag zu Augspurg im XXX. Jar gehalten, ihres Glaubens vnd fürhabens der Religion halb, Rechenschafft gethan haben. Schriftliche Beschirmung vnd Verthedigung derselbigen Bekanntnuß gegen der Confutation vnnd Widerlegung, so den Gesandten der vier Stätten auff bemeldtem Reichstage, offentlich fürgelesen, vnd hie getrewlich einbracht ist. Straßburg 1579. pagg. 223. form. 4., et quam cura Theodosii Richelii prodiisse affirmat Schelhornius l. c. p. 382. Idem addit p. 382.: „Ex his autem nonnisi binae illae editiones, Latina scilicet et Germanica, quae Argentorati a. 1531. luci expositae fuerunt, publica auctoritate et consensu quatuor civitatum prodiere. Alteram contra Argentinensem, quam officina Richeliana dedit, suppressam esse opinor, ita tamen ut quaedam eius exemplaria elapsa sint, quale et mihi ad manus est. Vix enim typographicos carceres evaserat, cum Perillustris Reip. Argentorensis Senatus propterea consilium theologorum suorum exposceret, qui eius suppressionem maximopere suaserunt, rati, aequum haud esse, ut insciis ac invitis reliquis civitatibus, quarum nomine Caesari olim oblata erat, recuderetur, praeterea fore ut apud caeteros Evangelico-Lutheranos Argen-

Digitized by Google

tinenses in eam suspicionem incidant, ac si reiecta invariata Confessione Augustana, cui iam olim nomen dederint, Tetrapolitanam rursus probaverint: denique variis inter Ecclesiae et Scholae ministros dissidiis et altercationibus fenestras sic aperiri."

Feuerlinus porro omisit eam, de qua Saligius l. c. p. 398. not. a. haec habet: „Ich habe auch eine alte teutsche Edition ohne Jahr und Ort unter dem Titel: „Bekandtnuß der vier Frey und Reichsstätt, Straßburg, Costantz, Memmingen und Lindau, in deren sie Keys. Mayst. uff dem Reichs-Tag zu Augspurg im 30sten Jar ihres Glaubens und Fürhabens, der Religion halb, Rechenschaft gethan haben,"" eamque editionem principem esse coniecit Förstemannus, vir doctissimus l. c. p. 24.

Denique nova huius confessionis interpretatio germanica reperitur in Lutheri operibus ex editione Walchii Tom. XX. p. 1966 — 2008.

## 27. 28. CONFESSIONES BOHEMICAE.

Inter confessiones Bohemicas, quarum magnus est numerus, duae potissimum memoratu dignae sunt, quarum una in additamentis collectionis a nobis institutae secundum, altera tertium locum tenet.

Illa maximam partem e confessionibus longe antiquioribus, quas Saligius in historia conf. Augustan. Tom. II. p. 540. not. enumeravit, et ex illa a. 1532., quam etiam Luthero acceptam fuisse ipsa eius praefatio testificatur, constituta et deinceps primum a liberis Baronibus et aliis nobilibus regni Bohemiae Ferdinando regi oblata, deinde Wittebergam transmissa et a Luthero, Melanchthone, Iusto Iona, Iohanne Bugenhagio et Casparo Crucigero comprobata est. Prodiit autem primum lingua Bohemica, deinde latine reddita Vitembergae publici iuris facta est, hac, si Walchium in bibliotheca theol. sed. Tom. I. p. 439. sequimur, inscriptione: „Confessio fidei ac religionis baronum ac nobilium regni Bohemiae serenissimo ac invictissimo Romanorum, Bohemiae cet. regi Viennae Austriae sub anno domini 1535. oblata." Vitemb. 1538. Idem testatur eam anno 1542. recusam et denuo anno 1558. cura Petri Pauli Vergerii editam esse. Sed in hac re vir alioquin diligentissimus falsus esse videtur. Saligius enim l. c. Tom. II. p. 546. not. d. Vergerii praefationem die 1. Augusti anni 1557. scriptam esse narrat eiusque editionem ab illa diversam esse docet, quae anno

Digitized by Google

1558. Vitembergae prodiit sic inscripta: „Confessio Fidei ac Religionis Baronum ac Nobilium regni Bohemiae, Ser. ac Invictiss. Romanorum, Bohemiae etc. Regi Viennae Austriae sub anno Domini 1535. oblata. Adiectum simul quorumdam gravissimorum virorum de hac confessione iudicium. Hanc multae Ecclesiae, quae sunt in regno Poloniae, nuper susceperunt. Nunc iterum excusa anno 1558. plagg. VIII. form. 8."

Haec confessionis Bohemicae recensio in corpore et syntagmate a. 1612. et in nostra collectione typis expressa non sine multis et gravissimis mutationibus anno 1573. tum latine tum germanice denuo edita est. Editionis latinae haec est inscriptio: „Confessio fidei et religionis Christianae, quam Seren. et Potent. Romanorum, Ungariae et Bohemiae etc. Regi Ferdinando obtulerunt Viennae in Austria XIIII. die Nov. anni Iesu Christi 1535. Barones et ex nobilitate in regno Bohemiae ii, qui puriori doctrinae in piis Ecclesiis, quas Communitatem fratrum Bohemicorum nominant, dediti sunt coniuncti: quae eadem et imperatori Maximiliano II. Aug. et Seren. Regi Poloniae Sigismundo etc. oblata est: recognita et conversa in linguam Latinam nova interpretatione anno Christi MDLXXIII. Psal. CXIX. Loquebar de testimoniis tuis coram Regibus et non confundebar." Witteb. 1573. plagg XIV. form. 8. In fine: „Witteb. excudebant Clemens Schleich et Antonius Schöne a. 1573." Germanica sic inscripta est: „Confessio, Das iſt, Bekentnis des Chriſtlichen Glaubens. Dem aller Durchleuchtigſten und Grosmechtigſten Römiſchen zu Vngern und Behem etc. König Ferdinando, Von den Herrn vnd Ritterſchaft der Kron Behem, welche der reinen Lere, in der Chriſtlichen Gemeine, ſo man der Behemiſchen Brüder einigkeit nennet, zugethan vnd verwandt ſind, zu Wien in Oeſtreich auff den 14. Novembris, im 1535. Jar vberantwortet, und verbeudſcht im Jar 1564. Dieſe bekentnis iſt auch Keiſer Maximiliano dem andern etc. vnd König Sigemund in Polen etc. vbergeben. Pſalm 119. Ich rede von Deinen zeugniſſen fur Königen, vnd ſcheme mich nicht. Wittenberg. 1573." In fine: Gedruckt zu Wittenberg, durch Johann Schwertel. cfr. Salig Geſchichte der Augspurgiſchen Confeſſion. Thl. 2. S. 752. ff.

Sed ne hac quidem textus recensione acquieverunt fratres Bohemici; novam curarunt anno 1609. eaque latine edita est, teste *Walchio* l. c. p. 441. hac inscriptione: „Fidei et religionis christianae

Digitized by Google

confessio, quam Romanorum, Ungariae et Boëmae regi Ferdinando optimates et equites orthodoxe reformatam doctrinam professi, suo fratrumque, quos unitatem boëmicam vocant, nomine primo exhibuerunt: postea imperatori Maximiliano et Poloniae regi Sigismundo Augusto obtulerunt: postremo MDCIX. recognita. Herborn. MDCXII." form 8. Idem *Loescherum* in historia motuum part. III. p. 319., *Reimannum* in catalogo bibliothecae theol. p. 415. et *Baumgartenii* librum: Nachrichten von einer hällischen Bibliothek. Vol. I. p. 556. testificatus addit: „In publicum etiam conspectum venit germanica illius editio, eiusdem loci atque anni; quae tamen paullum a latina differt atque epistolas ad Waldenses a Luthero, Bucero et Capitone exaratas atque in latina editione omissas complectitur," simulque commemorat Ioannem Christophorum Koecherum tres confessionis Bohemicae recensiones hoc titulo publicasse: Die drei letzte vnd vornehmste glaubensbekenntnisse der böhmischen bruder, ihrer seltenheit wegen von neuen ans Licht gestellet. Frankf. 1741. form. 8. Caeterum conferantur: *Ioach. Camerarii* historica narratio de fratrum orthodoxorum ecclesiis in Bohemia, Moravia et Polonia. Heidelb. 1605. Köcher historischer Vorbericht von den mancherley Glaubensbekänntnissen der böhmischen Brüder, quem commentationi iam citatae praemisit; *Clement* bibliotheque curieuse, historique et critique. Tom. IV. p. 456. sqq. aliique, quos Walchius et Saligius ll. cc. laudarunt.

Praeter hanc, quam bis retractatam esse breviter modo indicatum est, circumfertur Confessio bohemica, quae, ut Walchii utar verbis, per eminentiam ita vocatur, et quam ab evangelicis regni ordinibus in comitiis Pragae habitis anno 1575. Maximiliano secundo et anno 1608. Rudolpho secundo traditam esse ex epistola supremi notarii dedicatoria (p. 820.) patet. *Walchius* l. c. germanicas tantum eiusdem editiones attulit. Haec enim in eius bibliotheca Tom. I. p. 142. extant: „Ex bohemico germanice conversa in lucem exiit. MDLXXXIV. MDCIX. cum inscriptione: Bekäntnis des heiligen, christlichen glaubens aller drei stände des königreichs Böhmen; form. 8., item Amberg. MDCXI., Francof. MDCXIV. et cum Theobaldi Hussitenkrieg, Norimb. MDCXXI. form. 4.," sed mihi ad manus est etiam exemplar latinum cuius inscriptionem integram dedi p. 818. Et illo quidem ego in edenda hac confessione usus sum.

Digitized by Google

# PARS I.

## CONFESSIONES AC DECLARATIONES FIDEI,

QUIBUS

CONSENSUS ECCLESIARUM REFORMATARUM
CONSTITUTUS MUTATUSQUE

PROBATUR.



Digitized by Google

Digitized by Google

# 1.

# Articuli sive Conclusiones LXVII H. Zwinglii, a. 1523.

Disse nachbeſtympten ſyben vnd ſechzig [1]) Artickel vnnd meynungen, bekenn ich Huldrich Zwingly mich in der loeblichen ſtatt Zürich geprediget haben, uſſ grundt der geſchrifft, die Theopneiſtos (das iſt, von Gott yngeſprochen) heyſſt, vnd entbeůt [2]) mich mit denen [3]) genannten artickelen zu beſchirmen vnd erobren. Vnd wo ich yetzt berurte geſchrifft nit recht verſtünde, mich beſſers verſtands, doch uſſ eegedachter geſchrifft berichten laſſen.

1. Alle ſo reden, das Evangelium ſey nůt, on die bewernůſſ der kirchen [4]), yrrend vnd ſchmähend Gott.

2. Summa des evangeliums iſt, das unſer Herr Chriſtus Jheſus, warer gottes ſun, uns den willen ſeins himmeliſchen vatters kundt gethon, und mit ſeiner unſchuld vom tod erlöſſt, und gott verſünt hat.

3. Dannen har [Daher] der einig weg zur ſeligkeit Chriſtus iſt aller die ye warend, ſeind, vnd werdent.

4. Welcher ein andere thůr ſucht oder zeygt, der yrrt, ja iſt ein mörder der ſeelen und ein dieb.

# Elenchus articulorum

## in disputationem primam promulgatorum ab Huldrico Zuinglio.

I. Quicunque Evangelion nihil esse dicunt, nisi ecclesiae calculus et adprobatio accedat, errant et deum blasphemant.

II. Summa Evangelii est, quod Christus filius dei vivi innotuerit [a]) nobis voluntatem patris coelestis, et quod innocentia sua nos de morte aeterna redemerit, et deo reconciliaverit [b]).

III. Hinc sequitur Christum esso unicam [c]) viam ad salutem omnium, qui fuerunt, sunt et erunt.

IV. Quicunque aliud ostium vel quaerit vel ostendit, errat; quin animarum [d]) latro est et fur.

---

1) ſyben vnd ſechzig om. Schulthess. 2) entbeůt] embůt i. e. entbiete. 3) denen] dero. 4) kirchen] kilchen. Sic ubique.

Scripturae diversitas a Roedigero notata: a) *notefcoit.* b) *redemit* — — *reconciliavit*, c) *unam.* d) *animorum.*



Digitized by Google

5. Darumb alle so ander leeren, dem Evangelio gleich oder höher messent, yrren, wissen nit was Evangelion ist.

6. Dann Christus Jesus ist der wegfürer und haubman allem menschlichem geschlecht von gott verheissen vnd auch geleysket.

7. Das er ein ewig heyl vnnd haubt sey, aller gläubigen die sein leichnam seind, der aber todt ist vnnd nüt vermag on jn.

8. Uß dem volgt, zu eim, das alle so in dem haubt lebend glyder und kinder gottes seind, und das ist die kirch oder gemeynsamme der heyligen, ein hausfraw Christi. Ecclesia catholica.

9. Zum anderen, das wie die leiblichen glyder on verwalten des haubts nüt vermögen, also in dem leib Christi niemant ettwas[5]) vermag on sein haubt Christum.

10. Wie der mensch toub [toll] ist, so die glyder ettwas on das haubt, würckend, reyssend, wundent, schädigent sich selbs. Also, wenn die glyder Christi ettwas on ir haubt Christum understond, seind sye taub, schlahend und beschwerend sich selbs mit vnweissen gesatzen.

11. Dannen här wir sehen der geistlichen (genennet) satzungen, von irem pracht, reichtumb[6]), ständen, titlen, gesatzten, ein ursach aller vnsynnigkeit sein. dann sye dem haubt nitt mitthellend.

12. Also tobend sye noch, nit von des haubts wegen (dann des fleysst man sich uff gnaden gottes zu dissen zeyten härfür zebringen) sonder das man sye nymme[7]) will lassen toben, aber dem haubt einig lossen.

13. Wo dem gelosset würt, erlernet man lauter und klarlich den willen gottes, und würt der mensch durch seinen geist zu jm gezogen, und in jn verwandlet.

14. Darumb alle christen menschen iren höchsten fleyss ankeren sollen, das Evangelion Christi einig geprediget werd allenthalb.

15. Dann in des glauben stot unser heyl. vnd in deß vnglauben, unser verdamnüß. dann alle wahrheit ist klar in jm.

16. Jm Evangelio lernet man, das menschen leer und satzungen, zu der seligkeit nüt nutzent.

## Merck Bapst[8]).

17. Das Christus ein einiger ewiger oberster priester ist. daruff ermessen würt, das die sich oberst priester uffgeben hand, der eer und gewalt Christi widerstreben, ja verschupffen.

## Von der Messz[9]).

18. Das Christus sich selbst einest vffgeopffert in die ewigkeit[10]) ein werend vnd bezalend opffer ist, für aller gläubigen sünd. daruff ermessen würt, die messz nit ein opffer, sonder des opffers ein widergedächtnüß sein, und sicherung der erlössung die Christus uns bewissen hat.

5) leib... ettwas] lyb Christi nieman ützid... 6) reichtumb] rychtagen. 7) nymme] nummen. 8) Merck Bapst] Vom papst. 9) Messz] Meß. 10) ewigkeit] ewigheit.

Digitized by Google

V. Quicunque ergo alias doctrinas Evangelio vel aequant vel praeferunt, errant, nec intelligunt quid sit Evangelium.

VI. Nam Christus Jesus dux est et imperator, a deo toti generi humano et promissus et praestitus.

VII. Ut sit ipse salus et caput omnium credentium, qui corpus eius sunt, quod quidem absque [e]) ipso mortuum est, et nihil potest.

VIII. Ex his sequitur, quod omnes, qui in [f]) isto capite vivunt, sunt membra et filii dei. Et haec est ecclesia seu communio sanctorum sponsa Christi, ecclesia catholica.

IX. Quemadmodum membra corporis sine administratione capitis nihil possunt, sic in corpore Christi nemo quidquam potest sine capite eius, Christo.

X. Quum membra absque capite aliquid operantur, ut, dum sese lacerant aut perdunt, demens est homo: sic, dum membra Christi sine capite Christo aliquid tentant, insana sunt, sese gravant et perdunt imprudentibus legibus.

XI. Colligimus hinc Ecclesiasticorum (quos vocant) traditiones et leges, quibus fastum [g]), divitias, honores [h]), titulos legesque suas fulciunt et defendunt, causam esse omnis insaniae; nam capiti Christo non consonant.

XII. Adhuc ergo insaniunt non pro capite, quod per gratiam dei pii omnes summo studio conantur erigere, sed quod non permittuntur insanire et furere. Volunt enim pii soli capiti Christo auscultare.

XIII. Verbo dei quum auscultant homines, pure et synceriter [i]) voluntatem dei discunt. Deinde per spiritum dei in deum trahuntur et veluti transformantur.

XIV. Summo igitur studio hoc unum in primis curent omnes Christiani ut Evangelium Christi unice et synceriter ubique praedicetur.

XV. Qui credit Evangelio, salvus erit; qui non credit, condemnabitur. Nam in Evangelio omnis veritas clarescit.

XVI. In Evangelio discimus, hominum doctrinas et traditiones ad salutem nihil esse utiles.

XVII. Christus unicus [k]) aeternus et summus est sacerdos. Qui ergo se pro summis sacerdotibus venditant, gloriae et potentiae Christi adversantur, et Christum [l]) reiiciunt.

XVIII. Christus qui sese semel in cruce obtulit hostia est et victima satisfaciens in aeternum pro peccatis omnium fidelium. Ex quo colligitur missam non esse sacrificium, sed sacrificii in cruce semel oblati commemorationem et quasi sigillum redemptionis per Christum exhibitae [m]).

---

e) *absque* om. f) *sub.* g) *superbiam.* h) *opes.* i) *sincere.* k) *unus.* l) *Christumque.* m) *effectae.*

Digitized by Google

### Fürbitt der heyligen[11]).

19. Das Christus ein einiger mittler ist zwüschen Gott, und uns.

20. Das uns got alle ding will in seinem namen geben. daruff entspringt, das wir usserthalb disser zeyt, keines mittlers dörffent dann sein.

21. Das so wir für einander uff erden bittent, das in der gestalt thuend, das wir allein durch Christum uns alle ding gegeben werden vertrawent.

### Gute Werck.

22. Das Christus unser gerechtigkeit ist. daruff wir ermessen, das unser werck so vil gut, so vil sye Christi. so vil sye aber unser, nit recht, nit gut seind.

### Wie der geistlichen gut Christi sey[12]).

23. Das Christus die hab und pracht disser welt verwürfft. daruff ermessen, das die reichsstag[13]) zu jn zyehend[14]) in seinem namen, jn gröblich schmähent, so sye jn ein deckmantel ires geyts und mutwillens machent.

### Speiff verbott.

24. Das ein yeder christ, zu den wercken die gott nit gebotten hatt unverbunden ist, gebarr[15]) alle zeyt alle speiff essen. daruff erlernet würt, käff vnd ancken, brieff[16]), ein Römische geschwindigkeit sein.

### Von fyrtag und wallfart.

25. Das zeyt vnnd statt den christen menschen vnderworffen seind, vnd der mensch nitt jnen. Daruff gelernet, das so zeyt[17]) vnnd statt anbindent, die Christen irer freyheit beraubent.

### Kutten kleidung, zeychen ꝛc.

26. Das gott nüt missfelliger ist, weder gleissnen[18]). dannen här erlernet, das alles so sich schönt vor den menschen, ein schwere gleissnery[19]) und verrüchte [Verruchtheit] ist. Hye fallent kutten, zeychen, blatten ꝛc.

### Orden vnnd Secten.

27. Das alle christen menschen brüder Christi, vnd sye under einander seind, keinen vatter uffblassen sollend uff erden. Da fallent hyn örden, secten, rotten ꝛc.

### Der geistlichen Ee.

28. Das alles so Gott erlaubt, oder nitt verbotten hatt, echt ist. dannen här die Ee allen menschen zimmen erlernet würt.

---

11) Fürbitt der heyligen] Quae ap. Schulth. extat inscriptio: Von der Fürbitt der heiligen pertinet tantum ad artic. XX. et XXI. Caeterum etiam in aliis articulorum inscriptionibus Schulth. addit praepositionem „von." 12) Wie der geistlichen gut Christi sey] Vom gut der geistlichen. 13) reichstag] rychtag. 14) zu jn zyehend] zu jnen ziehend. 15) gebarr] gebar. 16) käff vnd ancken, brieff,] käs- und ankenbrief. 17) das so zeyt] daß die, so zyt. 18) gleissnen] glychsnen. 19) gleissnerey] glychsnerey.

Digitized by Google

XIX. Christus unicus est mediator inter deum et nos.

XX. Omnia nobis per Christum et in nomine Christi praestat deus: hinc sequitur, nobis extra hanc vitam n) intercessore praeter Christum nullo opus esse.

XXI. Quum mutuo pro nobis hic in terris oramus, in hoc o) facere debemus, quod p) per solum Christum omnia nobis dari confidamus.

XXII. Christus est nostra iustitia. Hinc consequitur opera nostra catenus esse bona, quatenus sunt Christi; quatenus vero nostra, non esse vere bona.

XXIII. Quod Christus substantiam q) huius mundi et fastum contemnit, docet, quod hi r), qui sub Christi titulo divitias ad se rapiunt, ipsum magna infamia afficiunt, quum cupiditatis suae et luxus eum patronum faciunt.

XXIV. Christianorum nullus ad ea opera, quae Christus non praecepit, adstringitur; quolibet tempore, quolibet cibo vesci potest. Consequitur ergo literas, quas pro caseo et butyro dant pontificii, Romanas esse imposturas.

XXV. Tempus et locus in potestate sunt hominis, non homo in illorum potestate. Qui ergo tempus et locum s) alligant, Christiana libertate pios fraudant et spoliant.

XXVI. Nihil magis displicet deo quam hypocrisis: hinc discimus hypocrisim esse gravem t), et impudentem audaciam quidquid sanctum se simulat coram hominibus. Hic cadunt cuculli, signa, rasus vertex, etc.

XXVII. Omnes Christiani fratres sunt Christi, et fratres inter sese, patrem ergo super terram u) vocare non debent. Hic cadunt factiones et sectae.

XXVIII. Quidquid deus non vetat et permittit, iuste fit. Ex quo discimus matrimonium omnibus ex aequo convenire.

---

n) *ultra hoc aevum.* o) *ita* pro *in hoc.* p) *ut.* q) *facultates.* r) *hos* pro *quod hi,* et postea *afficere* pro *afficiunt.* s) *tempore et loco.* t) *detestabilem.* u) *in terris.*

Digitized by Google

### Der vnrein geistlich nem ein weyb[20]).

29. Das alle die man geistlich nennet sündent, wenn sye nachdem sye innen worden seind, das jnen gott reynigkeit halten abgeschlagen hat, sich nit mit der Ee verhütent.

### Gelübd der reynigkeit.

30. Das die so reynigkeit verheissen, sich närrisch oder kindtlich zu vil übernemmen. daruff erlernet, das die soliche gelübdt ynnemen, fräuelich an den frummen menschen farend.

### Von dem Bann.

31. Das den Bann kein besonder mensch yemant ufflegen mag, sonder die kirch, das ist gemeynsam deren, under denen der Bann würdig wonet, mit sampt dem wächter, das ist der Pfarrherr[21]).

32. Das man allein den bannen mag, der offentlich verergeret.

### Von vnrechtfertigem gut.

33. Das unfertig [ungerecht] gut nit templen, klösterenen, münchen, pfaffen, nunnen, sonder den dürfftigen, geben soll werden, so es dem rechten besitzer nit widerkert werden mag.

### Von Oberkeit.

34. Der geistlich (genennt) gewalt, hat seines prachts keinen grundt uff der leer Christi.

### Weltlicher gewalt von gott[22]).

35. Aber der weltlich hat krafft und bevestigung uff der leer und that Christi.

36. Alles so der geistlich (genennt) stat[23]), jm zugehören rechtes und rechtes schirm halb fürgibt, gehört den weltlichen zu, ob sy christen sein wöllend.

37. Jnen seind auch schuldig alle christen ghorsam zu sein niemant uffgenommen.

38. So ferr sye nüt gebieten das wider gott ist.

39. Darumb sollen alle ire gesatz dem göttlichen willen gleichförmig sein, also, das sye den beschwerten beschirmen ob er schon nüt klagte.

40. Sye mögent allein mit recht tödten, auch allein die so offentlich verergerent (gott vnerzürnet) der heissze denn ein anders[24]).

41. Wenn sye recht rath und hilff zudienen denen, für die sye rechnung geben werdent vor gott, so seind auch disse jnen schuldig leiblich handtreichung zu thun.

---

20) om. Schulthess. 21) ist der pfarrherr] ist pfarrer. 22) om. Schulthess. 23) Alles so der geistlich (genennt) stat,] Alles, so der geistlich genämt staat. 24) verergerent (gott vnerzürnet) der heissze denn ein anders.] verärgrend (gott unerzürnt, der heisse denn ein anders).

Digitized by Google

XXIX. Qui Ecclesiastici vulgo seu spirituales vocantur, peccant, dum, posteaquam senserint castitatem sibi a deo negatam, non uxores ducunt aut nubunt.

XXX. Qui vovent castitatem, stulta praesumptione et puerili arrogantia tenentur. Qui ergo ab eis vota huiusmodi vel exquirunt vel oblata recipiunt, iniuriam eis faciunt et tyrannidem in simplices exercent.

XXXI. Excommunicationem nemo privatus ferre potest, sed ecclesia in qua excommunicandus habitat una cum episcopo.

XXXII. Nemo potest nec debet excommunicari, quam is[x]), qui sceleribus suis publice offendit.

XXXIII. Ablata iniuste non templis, monasteriis[y]), non monachis aut sacerdotibus, sed pauperibus danda sunt, si iis quibus ablata sunt restitui commode non possunt.

XXXIV. Potestas quam sibi Papa et Episcopi, caeterique quos spirituales[z]) vocant, arrogant, et fastus, quo turgent, ex sacris literis et doctrina Christi firmamentum non habet.

XXXV. Magistrastus publicus firmatur verbo et facto Christi.

XXXVI. Iurisdictio aut iuris administratio, quam sibi dicti spirituales arrogant, tota magistratus saecularis est, si modo velit esse Christianus.

XXXVII. Magistratibus publicis omnes Christiani obedire debent nemine excepto.

XXXVIII. Modo contra deum nihil praecipiant!

XXXIX. Leges magistratuum ad regulam divinae voluntatis sunt conformandae, ut oppressos et vim passos defendant et ab iniuria asserant[aa]), etiam si nemo queratur.

XL. Magistratus iure duntaxat occidere possunt, atque eos tantum qui publice offendunt, idque inoffenso deo, nisi[bb]) deus aliud praecipiat.

XLI. Quum illis, pro quibus rationem reddere coguntur, consilia et auxilia legitime administrant, debent et illi ipsi magistratibus subsidia corporalia.

---

x) *praeter eum* pro *quam is.* y) *vel monasteriis.* z) *spirituales.* aa) *vindicent.* bb) *si non.*

Digitized by Google

42. So sye aber vntrewlich und usser der schnur Christi faren würden, mögen sye mit gott entsetzt werden.

43. Summa, des reich ist allerbest und vestest, der allein mit gott herschet, vnd des aller bössest vnnd vnstätest, der uss seinem gemüt.

### Von gebett.

44. Ware anbetter ruffent gott im geist vnnd warlich an, on alles geschrey vor den menschen.

45. Gleissznet thun ire werck das sye von den menschen gesehen werdind. Nement auch den lon in dissem zeyt yn.

46. So mussz ye volgen, das tempelgesang oder geschrey on andacht, vnd nur[25]) umb lon, entweders rhum sucht von den menschen, oder gewinn.

### Von ergernüss.

47. Leiblichen todt soll der mensch ee leiden, dann er einen christen menschen vererger oder geschend.

48. Der uss blödigkeit oder vnwissend sich will on ursach verergeren, den soll man nit kranck oder klein lassen bleiben, sonder jn starck machen, daß er nit für sünd hab, das nit sünd ist.

49. Grösser verergerniss weyssz ich nit, dann das man den pfaffen Eeweyber haben nit nachlasszt, aber Huren haben umb gelts willen vergynnt. Pfuch der schand!

### Von nachlassen der sünd.

50. Gott lasszt allein die sünd nach, durch Christum Jesum seinem sun unseren herren allein.

51. Welicher solichs der creatur zugibt, zeücht Gott sein eer ab, vnnd gibt sye dem der nitt gott ist, ist ein ware abgötterey.

52. Darumb die beecht so dem priester oder nächsten beschicht, nit fürein nachlassung der sünd, sonder für ein rathforschung fürgeben werden soll.

53. Uffgelegte busszwerck, kommen von menschlichem rathschlag (ussgenommen den Bann) nement die sünd nitt hyn, werden uffgelegt anderen zu eim schrecken.

### Leiden Christi büsszt die sünd[26]).

54. Christus hat alle unsere schmertzen und arbeit getragen. Welcher nun den busszwercken zugibt das allein Christi ist, der yrrt vnd schmäht got.

### Vorbehalten sünd[27]).

55. Welicher einerley sünd dem rewenden menschen nach zulassen verhielte, were nit an gottes, noch Petri, sonder an des teüfels statt.

---

25) nur] nun. 26) nachlassung] nachlassen. 27) om. Schukh.

Digitized by Google

XLII. Quando vero perfide et extra regulam Christi egerint, possunt cum deo deponi.

XLIII. Huius regnum optimum est et firmissimum qui ex deo et cum deo regnat; huius vero pessimum et infirmissimum qui sua libidine.

XLIV. Veri adoratores invocant deum in spiritu et veritate, corde orantes, non clamore coram hominibus.

XLV. Hypocritae omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus; propterea mercedem suam hic recipiunt.

XLVI. Cantiones ergo, seu verius boatus, qui in templis sine devotione pro mercede fiunt, aut laudem aut quaestum ab hominibus quaerunt.

XLVII. Potius mortem eligere debet homo, quam Christianum offendere aut pudefacere.

XLVIII. Qui ex infirmitate aut ignorantia absque causa vult offendi, non patiamur ut is infirmus et ignorans maneat; sed demus operam ut rite edoctus firmus tandem evadat, nec peccatum ducat quod peccatum non est.

XLIX. Maius et gravius scandalum non puto, quam quod sacerdotibus matrimonio legitimo interdicitur; concubinas et scorta habere accepta ab eis pecunia permittitur.

L. Solus deus peccata remittit, idque per solum Christum Iesum dominum nostrum.

LI. Qui remissionem peccatorum creaturae tribuit, deum gloria sua spoliat et idololatra est.

LII. Confessio ergo, quae sacerdoti aut proximo fit, non pro remissione peccatorum, sed pro consultatione haberi debet.

LIII. Opera satisfactionis a sacerdote imposita humanae sunt traditionis (excepta excommunicatione); peccatum non tollunt, sed aliis in terrorem imponuntur.

LIV. Christus dolores nostros et omnes labores nostros tulit; qui vero operibus poenitentialibus tribuit, quod Christi solius est, errat et deum blasphemat.

LV. Qui vel unicum[cc]) peccatum poenitenti remittere negat, is non dei nec Petri sed diaboli vicem tenet.

---

cc) *unum.*

Digitized by Google

56. Welicher ettliche sünd allein umb gelts willen nachlasszt, ist Simons vnnd Balaams gesell vnnd des teufels gentzlicher[28]) bott.

Vom Fegfeur[29]).

57. Die war heylig geschrifft weysszt kein fegfür nach dissen zeyten.

58. Das vrteyl der abgescheydnen ist allein gott bekannt.

59. Und ye minder uns gott darvon hatt lassen wissen, ye minder wir uns darvon zu wissen undernemen sollent.

60. Ob der mensch für die gestorbene sorgfeltig, gott umb genad jnen zu beweissen anrufft, verwürff ich nitt. doch davon zeyt stellen [bestimmen] (siben jar um ein todsünd), vnd umb gewinns willen liegen, ist nit menschlich, sonder teüfelisch.

Von der priesterschaft vnd ir weyhe[30]).

61. Von dem character (wyhe), des die priester in den letsten zeyten seind ynnen worden, weysst die göttlich geschrifft nüt.

62. Sye erkennet auch keine priester, dann[31]) die das Gottes wort verkünden.

63. Denen heysst sye eer erbieten, das ist, leiblich narung zu dienen.

Von abstellung der misszbreüchen.

64. Alle so ir yrrung erkennent, soll man nüt lasszen entgelten, sondern sye im frid sterben lassen, vnd nach dem die wydem[32]) [i. e. ein der Kirche gewidmetes Gut] christlich verordnen.

65. Die sich [i. e. ihren Irrthum] nit erkennen wöllen, würt gott wol mit jnen handlen. darumb man mit iren leiben keinen gewalt fürnemen soll, es were dann das sye so vngestaltlich füren, das man des nit entberen möcht.

66. Es sollen alle geistlich fürgesetzten sich eylentz vnderlassen[33]), vnd einig das kreütz Christi, nit die kisten, uffrichten. oder sye gond umb, [gehen unter], die axt stot am baum[34]).

67. Ob yemant begerte gespräch mit mir zu haben, von zinssen, zehenten, von vngetäufften kindlin, von der firmung, entbeüt ich mich willig zu antwurten.

Hye vndernem sich keiner zu streiten mitt sophistrey oder menschen tandt, sonder komme de geschrifft fuer ein richter zu haben[35]). da mit man die warheit oder findt, oder so sye funden ist, als ich hoff, behalt.

Amen.

Des walt gott[36]).

Die Geschrifft athmet den geist gottes.

---

28) gentzlicher] eigentlicher. 29) Fegfeuer] fegfür. 30) vnd ir weyhe] om. Schulthess. 31) dann] denn. 32) vnd nach dem die wydem] und demnach die widem. 33) eylentz vnderlassen,] ylends niderlassen. 34) oder sye gond umb, die axt stot am baum.] oder sy gond um, (gehen unter) denn ich sag dir: die ax stat am baum. 35) sonder komme de geschrifft fuer ein richter zu haben.] sunder kumme an die gschrift, die für ein richter ze haben, (foras cares! die gschrift atmet den geist gottes). 36) Schulthess addit: Dieser artiklen grund und uslegung werdend bald durch den druck usgon.

Digitized by Google

LVI. Qui quaedam tantum dd) peccata idque pro mercede aut pecunia remittunt, Simonis et Balaami socii sunt, et veri satanae legati.

LVII. Scriptura sacra purgatorium post hanc vitam nullum novit.

LVIII. Defunctorum iudicium soli deo cognitum est.

LIX. Quo minus de hisce ee) rebus nobis revelat deus, hoc minus nobis pervestigandae sunt.

LX. Si quis pro mortuis sollicitus, apud deum gratiam eis imploret aut precatur, non ff) damno; sed tempus de hoc gg) definire hh) et propter quaestum mentiri, non humanum est sed diabolicum.

LXI. De charactere, quem postremis hisce temporibus excogitarunt sacrifici, nihil novit divina scriptura.

LXII. Scriptura alios presbyteros aut sacerdotes non novit quam ii) eos qui verbum dei annunciant.

LXIII. Illis vero presbyteris, de quibus kk) diximus, qui verbum dei praedicant, scriptura divina iubet, ut necessaria ministrentur.

LXIV. Qui errorem agnoscunt, illis nihil damni inferendum, ferantur autem ll) donec in pace decedant, deinde sacerdotiorum bona iuxta Christianam charitatem mm) ordinentur!

LXV. Qui errorem non agnoscunt nec ponunt, deo sunt relinquendi, nec vis corporibus illorum inferenda nisi tam enormiter ac tumultuose se gerant, ut parcere illis magistratui salva publica tranquillitate non liceat.

LXVI. Humilient se illico quicunque in Ecclesia sunt praefecti, crucemque Christi (non cistam) erigant! aut perditio eorum adest, nam securis radici arboris est admota.

LXVII. Si cui libet disserere mecum de decimis, reditibus, de infantibus non baptizatis, de confirmatione, non detrectabo colloquium.

---

dd) *tantum* om. ee) *his.* ff) *cum non.* gg) *huic rei.* hh) *definire*] add. (*septennium pro peccato mortali*). ii) *nisi.* kk) *quos.* ll) *autem* om. mm) *pro Christiana caritate.*

Digitized by Google

## 2. Die zehen Schlußreden.

Uber diſe nachvolgend Schluſſreden, wellend wir Franciſcus Kolb, vnnd Berchtoldus Haller, beyd Predikanten zu Bernn, ſampt andren, die das Evangelium verjechend [1]) [i. e. bekennen], einem yeden, mit Gott, antwort vnd bericht geben, uſſ heyliger Bybliſcher gſchrifft, Nüws vnnd alts Teſtaments, uff angeſetztem tag zu Bern, Sonnentag nach Circumciſionis, im jar. M.D.XXVIII.

I. Die heylig Chriſtenlich Kilch, deren eynig houpt Chriſtus, iſt uſſ dem wort Gottes geborn, im ſelben belybt ſy, und hört nit die ſtimm eines frömbden.

II. Die Kilch Chriſti, machet nitt geſatz vnd bott, on Gottes wort. Deſſhalb all menſchen ſatzungen, ſo man nempt der Kilchen bott, vns nit wyter bindend, dann ſy in Göttlichem Wort gegründt vnd botten ſind..

III. Chriſtus iſt vnnſer eynige wyſſheyt, gerechtigkeyt, erlöſung und bezalung für aller wellt ſünd. Deßhalb ein andern verdienſt, der ſäligkeit, vnnd gnug thun, für die ſünd bekennen, iſt Chriſtum verlöugnen.

IV. Das der lyb vnd das blut Chriſti wäſenlich vnd liplich in dem brot der danckſagung empfangen werd, mag mit Bibliſcher geſchrifft nit bybracht werden.

V. Die Mäſſ, yetz im bruch, darinn man Chriſtum, Gott dem vatter, für die ſünd der läbendigen vnd todten, vffopffere, iſt der geſchrifft widrig: dem aller heyligeſten opffer, lyden vnd ſterben Chriſti, ein leſterung, vnnd umb der miſſbrüchen willen, ein grüwel vor Gott.

VI. Wie Chriſtus iſt alleyn für vns geſtorben, alſo ſol er ein eyniger mitler vnd fürſpraech, zwüſchent Gott dem vatter, vnd uns glöubigen, angerüfft werden. Deſſhalb all ander mittler vnd fürſprächen vſſerthalb diſem zyt anzerüffen, von vns on grund der gſchrifft uffgeworffen.

VII. Das nach diſem zyt kein Fägfhür in der gſchrifft erfunden wirt. Deſſhalb all todten dienſt, als Vigill, ſeelmäſſ [2]), Seelgraet, Sibend, Tryſſgoſt [3]), Farzyt [4]), amplen, kertzen, vnd derglychen, vergeblich ſind.

VIII. Bilder machen zu vereerung, iſt wider Gottes wort, Nüws vnd Alts Teſtaments. Deſſhalb wo ſy in gefar der vererung fürgeſtellt, abzethund ſyend.

IX. Die heylig Ee, iſt keinem ſtand verbotten in der geſchrifft, ſunder hury vnd vnkünſchheyt zu vermyden allen ſtänden botten.

X. Diewyl ein offenlicher hurer nach der gſchrift im waren bann, ſo volget, das vnküſcheit vnd hury der ergernuſſ halb, keinem ſtand ſchädlicher, dann Prieſterlichem.

Alles Gott vnd ſinem heyligen wort zu eren.

---

1) verjechend] Schulth. verjächend. 2) all todten dienſt, als Vigill, ſeelmäſſ,] Edit. Oct. alle todtendienſt, als Vigily, Sellmaeſſ. 3) Tryſſgoſt,] Edit. Oct. driſſgoſt. Schulth. dryßgeſt. 4) Farzyt,] Schulth. jarzyt.

Digitized by Google

# Theses Bernenses.

De sequentibus Conclusionibus nos Franciscus Kolb et Berchtollus Haller, ambo pastores Ecclesiae Bernensis, simul cum aliis orthodoxiae professoribus unicuique rationem reddemus, ex scriptis biblicis, Veteris nimirum et N. Testamenti libris, die designato, nimirum primo post dominicam primam circumcisionis, anno MDXXVIII.

I. Sancta christiana ecclesia, cuius unicum caput est Christus, nata est ex Dei verbo, in eoque permanet, nec vocem audit alieni.

II. Ecclesia Christi non condit leges et mandata extra dei verbum, ea propter omnes traditiones humanae, quas Ecclesiasticas vocant, non ulterius nos obligant, quam quatenus in dei verbo sunt fundatae et praeceptae.

III. Christus est unica sapientia, iustitia, redemptio et satisfactio pro peccatis totius mundi; Idcirco aliud salutis et satisfactionis meritum pro peccato confiteri, est Christum abnegare.

IV. Quod corpus et sanguis Christi essentialiter et corporaliter in pane Eucharistiae percipiatur, ex Scriptura Sacra non potest demonstrari.

V. Missa, ut hodie in usu est, in qua Christus Deo Patri offertur pro peccatis vivorum et mortuorum, Scripturae est contraria, in sanctissimum sacrificium, passionem et mortem Christi blasphema et propter abusus coram Deo abominabilis.

VI. Quemadmodum Christus solus pro nobis mortuus est, ita etiam solus ut mediator et advocatus inter Deum Patrem et nos fideles adorandus est: Idcirco alios mediatores extra hanc vitam existentes ad adorandum proponere cum fundamento verbi Dei pugnat.

VII. Esse locum post hanc vitam, in quo purgentur animae, in Scriptura non reperitur; proin omnia officia pro mortuis instituta, ut vigiliae, missae pro defunctis, exequiae, septimae, trigesimae, anniversariae, lampades, cerei et id genus alia frustanea sunt.

VIII. Imagines fabricare cultus gratia, Dei verbo, Veteris et N. Testamenti libris comprehenso repugnat; idcirco si sub periculo adorationis proponantur, abolendae.

IX. Matrimonium nulli ordini hominum in Scriptura interdictum est, sed scortationis et impuritatis vitandae causa omnium ordinum hominibus praeceptum et permissum.

X. Quia manifestus scortator iuxta Scripturam excommunicandus; sequitur, scortationem aut impurum coelibatum propter scandalum nulli ordini hominum magis quam sacerdotali damnosum esse.

Digitized by Google

## 3.

## AD CAROLUM ROM. IMPERATOREM, FIDEI HULDRYCHI ZWINGLII RATIO.

Expectabamus anxie, Carole iustitiae sacer Caesar, qui Evangelium in urbibus Christianae civitatis praedicamus, quando a nobis quoque fidei nostrae, quam et habemus et confitemur, ratio peteretur. Cumque ad hunc modum erecti stamus, adfertur magis rumore quam certo nuncio, multos iam adornavisse religionis ac fidei suae tenorem ac summam, quam tibi offerant. Hic nos inter sacrum et saxum sumus, hinc enim veritatis amor et publicae pacis studium extimulant, quo magis et ipsi faciamus, quod alios facere videmus. Isthinc autem fugax occasio terret, cum quod agi omnia celerius, ac veluti perfunctorie, tuae properationis causa, oporteat, nam et eandem fama nunciat: tum quod, qui per urbes et agros dictae civitatis verbi divini praecones agimus, longius constituti ac dissiti sumus, quam ut tam brevi tempusculo coire, et quid maxime conveniat ad celsitudinem tuam scribere, deliberare possimus. Ut igitur aliorum deinde confessionem, imo eorundem adversariorum etiam confutationem vidimus, quae tamen praeparatae videntur, antequam quicquam ab eis postulatum sit; iam importunum fore non credidi, si solus meae fidei rationem citra gentis meae praeiudicium protinus exponerem. Nam si uspiam lente festinandum, hic certe propere festinandum fuit, ne transmisso per oscitantiam negocio, aut in periculum suspecti silentii, aut arrogantis negligentiae incideremus. En igitur tibi Caesar hac lege fidei meae summam, ut simul tester, non horum modo articulorum, sed omnium quae unquam scripsi, aut per Dei bonitatem scripturus sum, iudicium, nulli uni, nullisque paucis, sed toti Ecclesiae Christi, quatenus illa ex verbi et spiritus Dei tum praescripto tum adflatu pronunciat, crediturum ac permissurum esse.

Digitized by Google

## [FIDEI H. ZWINGLII RATIO.][a]).

Primo igitur, et credo et scio unum ac solum esse Deum, eumque esse natura bonum, verum, potentem, iustum, sapientem, creatorem et curatorem rerum omnium visibilium atque invisibilium. Esse patrem, filium, et spiritum sanctum personas quidem tres, sed essentiam horum unam ac simplicem. Et omnino iuxta expositionem Symboli[b]) tam Niceni quam Athanasici per singula de numine ipso deque nominibus sive personis tribus sentio. Filium carnem adsumpsisse credo et intelligo, quod humanam naturam, imo totum hominem, qui ex corpore et animo constat, vere ex immaculata perpetuaque virgine Maria adsumpserit. Id autem hoc modo, ut totus ille homo in unitatem hypostaseos sive personae, filii Dei, sic sit adsumptus, ut peculiarem personam homo non constituerit, sed adsumptus sit ad filii Dei personam inseparabilem[c]), indivisibilem, et indissociabilem. Quamvis autem utraque natura, divina videlicet et humana, ingenium ac proprietatem suam sic servaverit, ut utraque in illo vere et naturaliter esse deprehendatur, adhuc tamen naturarum distinctae proprietates et opera, personae unitatem non dissociant. Non magis quam in homine animus, et caro duas personas constituunt: ut enim ista natura diversissima sunt, ita diversis quoque proprietatibus et operationibus pollent. Attamen homo, qui ex his consistit, non duae personae, sed una est. Ita Deus et homo, unus est Christus: Dei ab aeterno, et hominis a temporis dispensatione in aeternum filius. Una persona, unus Christus: perfectus Deus, perfectus homo: non quod una natura altera fiat, aut inter se confundantur, sed quod utraque propria maneat, et unitas tamen personae ista proprietate non disiungatur. Hinc unus et idem Christus pro humanae naturae ingenio vagit, incrementum capit, proficit sapientia, esurit, sitit, edit, bibit, aestuat, alget, vapulat, sudat, vulneratur, trucidatur, timet, tristatur, et caetera quae ad mulctam et poenam peccati attinent fert, nam ab ipso peccato alienissimus est. Pro divinae autem naturae proprietate, cum patre summa et ima temperat, omnia permeat, sustinet, ac fovet, caecos illustrat, claudos restituit, mortuos evocat, hostes verbulo sternit, mortuus ipse vitam resumit, coelos petit, spiritum sanctum de suo mittit. Et haec omnia unus idemque Christus, quantumvis natura ingenioque diversa, facit, una Dei filii persona manens, ita ut etiam quae divinae sunt naturae, propter personae unitatem ac perfectionem nonnunquam humanae tribuantur, et quae humanae sunt,

De unitate ac trinitate Dei confessio.

De Christo Dei et hominis filio.

De duabus naturis in una persona.

Distinctae operationes naturarum non dividunt personam.

a) *Fidei* etc. om. ed. pr. b) Ed. pr. *simboli.* c) Ed. pr. *inseperabilem.*



Digitized by Google

interdum de divina dicantur. Filium hominis sese dicebat esse in coelo, cum corpore coelos nondum conscendisset: pro nobis perhibet Christum passum esse Petrus, cum sola humanitas pati possit. Sed propter personae unitatem vere dicitur, Et filius Dei passus est, et filius hominis dimittit peccata: nam et is qui filius Dei et hominis una persona est, pro humanae naturae proprietate passus est: et is qui filius Dei et hominis una persona est, pro divinae naturae proprietate peccata dimittit. Quomodo dicimus hominem esse sapientem, cum tamen ex corpore non minus quam animo constet, et corpus a sapientia sit alienissimum, imo scientiae et intelligentiae venenum ac remora. Et rursus eundem dicimus esse vulneribus conscissum, cum solum corpus recipere vulnera possit, animus minime. Hic nemo dicit ex homine duas personas fieri, cum utrique parti suum tribuitur: et rursus nemo dicit naturas confundi, cum de toto homine id praedicatur, quod propter personae quidem unitatem totius est, sed propter partium proprietatem, unius tantum. Paulus dicit, Cum aegroto potens sum. Quis vero est qui aegrotat? Paulus, Quis recte simul valet? Paulus, At hoc nonne disparatum, inconstans, et intolerabile est? Minime, non enim est una natura Paulus, quanquam est una persona. Cum ergo dicit, Aegroto, ea certe persona loquitur quae Paulus est: sed quod dicitur, non de utraque natura vel praedicatur vel intelligitur, sed de carnis aegritudine tantum. Et cum dicit, Potens ac salvus sum, certe Pauli persona loquitur, sed animus tantum intelligitur. Sic filius Dei moritur, is certe qui pro personae unitate ac simplicitate et Deus et homo est, sed pro humanitatis tantummodo ratione moritur. Ad hunc ergo modum non solus sentio, sed sic senserunt tam de ipso numine quam de personis, deque adsumpta natura, Orthodoxi omnes sive prisci sive Neoterici: sic sentiunt qui veritatem etiamnum agnoscunt.

Hic labitur liberum arbitrium.

Secundo. Scio numen istud summum, quod Deus meus est, libere constituere de rebus universis, ita ut non pendeat consilium eius ab ullius creaturae occasione, hoc enim est mutilae illius humanae sapientiae proprium, praecedente discursu aut exemplo statuere. Deus autem, qui ab aeterno usque in sempiternum universa unico et simplici intuitu inspicit, non habet opus ulla ratiocinatione, aut factorum expectatione; sed ex aequo sapiens, prudens, bonus etc. libere constituit ac disponit de rebus universis, sua enim sunt quaecunque sunt. Hinc est, ut quamvis sciens ac prudens hominem principio formaret qui lapsurus erat, aeque tamen constitueret filium suum humana natura amicire, qui lapsum repararet. Hac enim ratione bonitas illius ex omni parte manifestata est. Ista enim cum in se misericordiam et iusticiam contineat, iusticiam exeruit cum transgredientem Paradisi beatis laribus eiecit, cum pistrino

De homine.

Bonitas Dei continet misericordiam et iusticiam

humanae miseriae et compedibus aegritudinum alligavit, cum lege, quam nunquam perfecturus erat quantumvis sancta esset, constrinxit. Hic enim bis miser, discebat non modo carnem in aerumnam incidisse, sed mentem quoque metu transgressae legis excarnificari. Cum enim secundum spiritum videret legem esse sanctam, iustam, et divinae mentis nunciam, ut, quae nihil quam quod aequitas suaderet praeciperet, simul tamen videret factis mentem legis sese non implere, suo ipsius iudicio damnatus, abiecta spe potiundae foelicitatis, desperabundus a conspectu Dei abiens, nihil quam aeterni cruciatus dolorem ut laturus esset meditabatur. Hactenus manifestabatur Dei iusticia. Porro cum tempus esset prodendae bonitatis, quam non minus ab aeterno quam iusticiam ostendere constituerat, misit Deus filium suum ut naturam nostram ex omni parte, quam qua ad peccandum propendet, adsumeret: ut, frater et par nobis factus, mediator esse posset, qui divinae iusticiae, quam sacrosanctam et inviolatam permanere oportet, non minus quam bonitatem, pro nobis perlitaret: quo certus esset mundus et de placata iusticia, et de praesente Dei benignitate. Cum enim filium suum nobis et pro nobis dederit, quomodo non omnia nobis cum illo et propter illum donabit? Quid est quod nobis de illo non debeamus promittere, qui sese huc demisit, ut non tantum nobis par, sed totus quoque noster esset? Quis divinae bonitatis opes et gratiam satis miretur, qua sic dilexit mundum, hoc est, humanum genus, ut filium suum exponeret pro illius vita? Hos Evangelii fontes ac venas esse duco: hanc unicam et solam languentis animi medicinam, qua et Deo et sibi restituitur. Nihil enim illum certum de gratia Dei facere potest quam Deus ipse. Ille autem tam liberaliter, tam abunde, tamque prudenter totam in nos effudit, ut iam residuum nihil reliquerit, quod desyderare possimus, nisi supra summum et supra redundantem habundantiam quis quid requirere audeat.

Una sola via ad reconciliationem et foelicitatem Christus.

Tercio. Scio nullam aliam esse expiandorum scelerum hostiam quam Christum, nam ne Paulus quidem pro nobis est crucifixus: nullum aliud pignus divinae bonitatis et clementiae certius esse ac indubitatius, nihil enim aeque firmum ac Deus est: et non est aliud nomen sub sole in quo nos oporteat salvos fieri quam Iesu Christi. Relinquuntur ergo hic cum operum nostrorum iustificatio et satisfactio, tum sanctorum omnium, sive in terra sive in coelis degentium, de bonitate et misericordia Dei expiatio aut intercessio. Hic enim unus ac solus mediator Dei et hominum est, Deus et homo Christus Iesus. Constat autem et firma manet Dei electio, quos enim ille elegit ante mundi constitutionem, sic elegit, ut per filium suum sibi cooptaret: ut enim benignus et misericors, ita sanctus et iustus est. Resipiunt ergo universa opera illius miseri-

Electi hac lege eliguntur, ut per filium salvi fiant.



Digitized by Google

cordiam et iusticiam. Iure igitur et electio utramque resipit. Bonitatis est elegisse quos velit, Iusticiae vero, electos sibi adoptare et iungere per filium suum, hostiam ad satisdandum divinae iusticiae pro nobis factum.

De Originali peccato.

Quarto. Scio Tritavum illum nostrum primum parentem φιλαντίᾳ, hoc est suiipsius amore huc tractum, suggerente perniciosum consilium per invidiam diabolo, ut Deo par fieri cuperet. Hoc crimen cum designasset, vetitum ac perniciosum pomum depransus est, quo in culpam reatumque capitalis supplicii incidit, perduellis et hostis Dei sui factus. Hunc ergo perdere cum posset vel aequitate iubente, melior tamen Deus supplicium in conditionem vertit, ut servum faceret quem plectere potuisset. Hanc conditionem nec ipse nec quisquam ex ipso natus cum tollere posset, (Nequit enim servus nisi servum gignere) omnem posteritatem exitiali gustu in servitutem coniecit. Hic de Originali peccato sic sentio: Peccatum vero dicitur, cum contra legem itum est: ubi enim non est lex, ibi non est praevaricatio: et ubi non est praevaricatio, ibi non est peccatum proprie captum, quatenus scilicet peccatum, scelus, crimen, facinus, aut reatus est. Patrem igitur nostrum peccavisse fateor peccatum, quod vere peccatum est, scelus scilicet, crimen ac nephas. At qui ex isto prognati sunt, non hoc modo peccarunt: quis enim nostrum in Paradiso pomum vetitum depopulatus est dentibus? Velimus igitur nolimus, admittere cogimur, peccatum originale, ut est in filiis Adae, non proprie peccatum esse, quomodo iam expositum est, non enim est facinus contra legem. Morbus igitur est proprie et conditio. Morbus, quia sicut ille ex amore sui lapsus est, ita et nos labimur: Conditio, quia, sicut ille servus est factus et morti obnoxius, sic et nos servi et filii irae nascimur, et morti obnoxii. Quanquam nihil morer hunc morbum et conditionem iuxta Pauli morem adpellari peccatum, imo tale est[d]) peccatum, ut quicunque in eo nascuntur hostes et adversarii Dei sint: huc enim trahit illos nativitatis conditio, non sceleris perpetratio, nisi quantum hoc semel perpetravit primus parens. Vera igitur perduellionis et mortis causa est perpetratum ab Adam crimen ac nephas. Atque hoc vere est peccatum. At peccatum istud, quod nobis adhaerescit, et vere morbus et conditio imo necessitas est moriendi. Hoc tamen nunquam futurum fuisset per nativitatem, nisi crimen nativitatem vitiasset: criminis igitur tanquam causae, non nativitatis, est humana calamitas. Nativitatis vero non aliter quam eius, quod ex fonte et causa sequitur. Confirmatio huius sententiae, autoritate et exemplo nititur. Paulus Rom. quinto, sic loquitur: Si enim propter unius peccatum mors imperium obtinuit per

Servi, quod servati sint cum possent interfici.

Crimen causa est humanae calamitatis.

d) *est*] Ed. pr. *esse*.

Digitized by Google

unum, multo magis etc. Hic videmus peccatum proprie capi. Unus enim Adam est, cuius culpa mors cervicibus nostris imminet. Cap. tertio, sic inquit: Omnes enim peccaverunt, et egent gloria, hoc est bonitate et liberalitate, Dei. Hic peccatum pro morbo, conditione et nativitate accipitur, ut omnes peccare dicamur, etiam antequam profundamur in lucem, hoc est in conditione esse peccati et mortis, etiam priusquam actu peccemus. Quae sententia irrefragabiliter firmatur eiusdem iterum verbis Rom. quinto. Sed obtinuit aut pervasit mors ab Adam usque ad Mosen, in illos quoque, qui non similiter, atque Adam transgressus erat, peccavissent. En nobis mortem etiamsi non peccaverimus quomodo Adam. Quamobrem? Quia ille peccavit. Nos autem cum non hoc modo peccaverimus, cur mors populatur? Quia ille mortuus est propter peccatum, et mortuus, hoc est morti adiudicatus, nos generavit. Morimur ergo et[e]) nos, sed illius culpa, nostra vero conditione et morbo, aut si mavis peccato, verum improprie capto. Exemplum tale est. Bello captus, perfidia et inimicicia commeruit ut servus teneatur. Qui ex illo progenerantur οἰκέται, hoc est vernae, aut dominati fiunt servi: non culpa, reatu, aut crimine, sed conditione, quae culpam secuta est: nam parens, ex quo nati sunt, scelere hoc commeruerat. Nati scelus non habent, sed poenam ac mulctam sceleris, puta conditionem, servitutem, et ergastulum. Ista si scelus libet adpellare, ideo quia pro scelere infliguntur, non veto. Istud originale peccatum, per conditionem et contagionem agnasci omnibus qui ex adfectu maris et foeminae gignuntur, agnosco: et nos esse natura filios irae scio, sed gratia, quae per secundum Adam, Christum, casum restituit, inter filios Dei recipi non dubito. Sed eo modo qui iam sequitur.

Ex scelere oritur conditio.

Quinto. Hinc constat, si in Christo secundo Adam vitae restituimur, quemadmodum in primo Adam sumus morti traditi, quod temere damnamus Christianis parentibus natos pueros, imo gentium quoque pueros. Adam enim si perdere universum genus peccando potuit, et Christus moriendo non vivificavit et redemit universum genus a clade per istum data, iam non est par salus reddita per Christum, et perinde (quod absit) nec verum, Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vitae restituuntur. Verum quomodocumque de gentilium infantibus statuendum sit, hoc certe adseveramus, propter virtutem salutis per Christum praestitae, praeter rem pronunciare qui eos aeternae maledictioni addicunt, cum propter dictam reparationis causam, tum propter electionem Dei liberam, quae non sequitur fidem, sed fides electionem sequitur: de quo sequenti articulo. Qui enim ab aeterno

Temere damnanus infantes.

De infantibus ex incredulis, nihil definit.

e) et particula deest in Opp.

Digitized by Google

electi sunt, nimirum et ante fidem sunt electi. Non debent igitur temere a nobis damnari qui fidem per aetatem non habent, nam etsi istam nondum habeant, nobis tamen abscondita est Dei electio: apud quem si electi sunt, praecipitanter iudicamus de incompertis. Veruntamen de Christianorum infantibus, aliter definimus. Videlicet quod Christianorum iufantes, quotquot sunt, de ecclesia populi Dei sunt, eiusque ecclesiae partes et membra. Quod hac via probamus: Cunctorum ferme prophetarum testimoniis promissum est, ecclesiam ex gentibus ad ecclesiam populi Dei esse congregandam. Et Christus ipse, Venient, inquit, ab Ortu et Occasu, et recumbent cum Deo Abraham, Isaac et Iacob: et, Ite in orbem universum, etc. Ad ecclesiam autem Iudaeorum aeque pertinebant infantes ipsorum atque ipsi Iudaei. Nihilo igitur minus pertinent nostri infantes ad ecclesiam Christi quam olim Iudaeorum: nam si secus, iam non rata esset promissio, quia non aeque recumberemus cum Deo sicut Abraham. Ille enim cum iis qui etiam secundum carnem ex eo nati erant, ecclesiae accensebatur. Si autem nostri non sic connumerantur parentibus, iam sordidus et invidus esset in nos Christus cum nobis negaret quod priscis donavisset. Quod impium est dicere, alias enim irrita fieret omnis de vocatione gentium prophetia. Christianorum igitur infantes cum non minus sint de visibili ecclesia Christi quam adulti, constat non minus esse de eorum numero quos nos electos iudicamus quam parentes. Hinc fit ut impie ac praesumptuose facere iudicem, qui Christianorum infantes diris devovent, cum tot aperta[g]) scripturae testimonia reclament, quae ecclesiam ex gentibus non iam parem, sed ampliorem Iudaeorum futuram praedicant. Quae omnia nunc fient planiora cum de ecclesia fidem nostram exponemus.

Christianorum pueri de populo et[f]) ecclesia Dei sunt.

De ecclesia. Sexto. Igitur de ecclesia sic sentimus. Ecclesiam in scripturis varie accipi. Pro electis istis qui Dei voluntate destinati sunt ad vitam aeternam. De qua Paulus loquitur, cum dicit eam nec rugam habere nec maculam. Haec soli Deo est nota, is enim iuxta Solomonis verbum solus novit corda filiorum hominum. Sed nihilominus qui huius ecclesiae membra sunt, seipsos quidem, cum fidem habent, electos, et primae huius ecclesiae membra esse norunt, verum alia a se membra ignorant. Sic enim scriptum est in Actis: Et crediderunt quotquot ad vitam aeternam ordinati erant. Qui ergo credunt, ad vitam aeternam sunt ordinati. At qui vere credant nemo novit nisi is qui credit. Hic ergo iam certus est se Dei electum esse. Habet enim spiritus arrabonem iuxta Apostoli verbum, quo desponsus et obsignatus, scit se esse vere liberum et filium

Haec est fidei foelicitas, scire se

f) Opp. *et de.* g) Ed. pr. *adperta.*

Digitized by Google

familiae factum non servum. Spiritus enim ille fallere non potest. Qui si dictat nobis Deum esse patrem nostrum, et nos illum certi et intrepidi patrem adpellamus, securi quod sempiternam haereditatem simus adituri, iam certum est spiritum filii Dei esse in corda nostra fusum. Certum est igitur eum esse electum qui tam securus et tutus est: qui enim credunt, ad vitam aeternam ordinati sunt. Cum autem multi sint electi qui fidem nondum habent. Diva enim θεοτόκος, Ioannes, Paulus, dum adhuc infantes essent ac parvuli, annon electi erant, et hoc ante mundi constitutionem? At istud neque ex fide neque revelatione sciebant. Matthaeus, Zacheus, Latro et Magdalene, an non electi erant ante mundi constitutionem? attamen hoc nescierunt usque dum spiritu illustrati et ad Christum a patre tracti essent. Ex his ergo colligitur ecclesiam istam primam soli Deo esse cognitam, et quod soli isti qui fidem certam et inconcussam habent, sciunt sese esse huius ecclesiae membra. Sumitur iterum ecclesia universaliter pro omnibus scilicet qui Christi nomine censentur, hoc est, qui Christo nomen dederunt, quorum bona pars Christum sensibiliter per confessionem aut sacramentorum participationem agnoscit, in pectore tamen ab illo vel abhorret vel ignorat. De hac igitur ecclesia esse credimus quotquot fatentur Christi nomen. Sic Iudas erat de ecclesia Christi, et omnes ii qui retro pedem a Christo retulerunt. Iudas enim ab Apostolis non minus credebatur de ecclesia Christi esse quam Petrus aut Ioannes, cum nihil minus esset. Christus autem sciebat qui essent eius, et qui esset diaboli. Est igitur ecclesia ista sensibilis, quantumvis non conveniat in hoc mundo, omnes qui Christum confitentur, etiamsi reprobi multi sint inter eos. Nam Christus depinxit illam lepida decem virginum, quarum pars prudentes, pars fatuae erant, allegoria. Haec etiam nonnunquam electa vocatur, etiamsi non sit prima ista quae est sine macula, sed quemadmodum est hominum iudicio ecclesia Dei, propter sensibilem confessionem, sic eadem ratione adpellatur electa. Nos enim et fideles et electos esse iudicamus qui Christo nomen dant. Sic locutus est Petrus: Electis, inquiens, qui passim sunt per Pontum etc. Ubi electorum nomine cunctos intelligit qui de ecclesiis, ad quas scribit, erant, non eos tantum qui proprie a Domino sunt electi, ut enim isti Petro ignoti erant, ita non potuisset ad illos scribere. Capitur postremo ecclesia pro quovis particulari coetu hujus universalis ac sensibilis ecclesiae, ut ecclesia Rhomana, Augustana, Lugdunensis. Sunt et aliae acceptiones ecclesiae, quas nunc res non est adnumerare. Hic igitur credo unam esse ecclesiam eorum, qui eundem habent spiritum, qui eos certos reddit quod veri filii familiae Dei sint, et haec est ecclesiarum primitiae. Hanc credo in veritate non errare, puta in primis istis fidei fundamentis,

haeredem esse aeternorum.

Id est, Dei parens aut genitrix.

De universali sensibilique ecclesia.

In ecclesia quae nostris patet sensibus etiam mali sunt.

Electi etiam largius vocantur, quos nos electos iudicamus.

Digitized by Google

in quibus cardo versatur. Credo et universalem sensibilem unam esse, dum veram confessionem istam, de qua iam dictum est, tenet. Credo etiam de hac ecclesia esse, quicunque nomen illi dant iuxta verbi Dei praescriptum et promissionem. Credo infantem Isaac, Iacob, Iudam, et omnes qui de semine Abrahae erant, eos quoque infantes, quorum parentes inter ecclesiae primordia praedicantibus Apostolis ad Christi partes concedebant, de hac esse ecclesia. Nam Isaac et reliqui veterum nisi fuissent, non recepissent ecclesiae tesseram. Cum ergo isti de ecclesia fuerint, fuerunt et primitivae ecclesiae infantes ac parvuli. Quocirca credo et scio, baptismi sacramento signatos. Fatentur enim et infantes cum ecclesiae offeruntur a parentibus, imo cum eos promissio offert, quae non minor est nostris infantibus facta, sed multo amplior et crebrior quam priscis Hebraeorum infantibus. Atque ista sunt fundamenta de baptizandis et ecclesiae commendandis infantibus, contra quae omnia Catabaptistarum tela et machinae nihil possunt. Non enim soli qui credunt baptizandi sunt, sed qui fatentur, qui de ecclesia ex verbi Dei promissis sunt. Nam alias neminem omnino quisquam etiam Apostolorum baptizaret, cum nulli Apostolorum certo constet de fide fatentis ac nomen dantis. Simon enim praestigiator, Ananias, Iudas quoque, et qui non? baptizati sunt cum nomen darent, fidem tamen non haberent. Contra, Isaac infans circumcisus est, cum non daret nomen neque crederet, sed nomen dabat promissio. Cum autem nostri infantes eo loco sint quo Hebraeorum, iam et nostrae ecclesiae promissio nomen dat et fatetur. Vere igitur baptismus perinde ac circumcisio, (loquimur autem de sacramento baptismi) nihil quam alterum istorum, aut confessionem sive nominis dationem, aut foedus sive promissionem requirit. Quae et ipsa omnia paulo clariora fient ex his quae sequuntur.

Fatetur non tantum os proprium, sed paternum quoque, dum habet promissionem.

Fatetur et ecclesia.

Septimo. Credo, imo scio omnia sacramenta, tam abesse ut gratiam conferant, ut ne adferant quidem aut dispensent. Qua in re forsan audacior tibi videri potero, potentissime Caesar. Sed stat sententia. Nam gratia ut a spiritu divino fit aut datur (loquor autem latine cum gratiae nomine utor, pro venia scilicet indulgentia et gratuito beneficio) ita donum istud ad solum spiritum pervenit. Dux autem vel vehiculum spiritui non est necessarium, ipse enim est virtus et latio qua cuncta feruntur, non qui ferri opus habeat: neque id unquam legimus in scripturis sacris, quod sensibilia, qualia sacramenta sunt, certo secum ferrent spiritum, sed si sensibilia unquam lata sunt cum spiritu, iam spiritus fuit qui tulit, non sensibilia. Sic cum ventus vehemens ferretur, simul adferebantur linguae venti virtute, non ferebatur ventus virtute linguarum. Sic ventus adferebat coturnices, et locustas

Sacramenta non conferunt gratiam.

Digitized by Google

auferebat: sed nullae coturnices aut locustae unquam tam volucres fuerunt ut ventum adportarent. Sic cum spiritus tam grandis ut etiam tollere montes posset transit praeter Heliam, non tamen in spiritu Dominus ferebatur, etc. Breviter spiritus ubi vult spirat, hoc est, sic flat ventus ut fert ingenium, et vocem eius quidem audis, sed nescis unde oriatur aut ubi sidat. Sic est omnis qui nascitur ex spiritu, hoc est invisibiliter et insensibiliter illustratur ac trahitur. Veritas haec locuta est, non igitur hac mersione, non hoc haustu, non illa deunctione adfertur spiritus gratia: nam si sic, iam sciretur quomodo, ubi, quo, et in quod ferretur spiritus: nam si sacramentis alligata est gratiae praesentia et efficacia, iam quo adferuntur operantur: quo non adhibentur, flaccescunt omnia. Nec est ut materiam sive subiectum causentur Theologi, quod huius dispositio ante requiratur, hoc est, quod baptismi aut Eucharistiae gratia (sic loquuntur isti) ei conferatur qui prius sit ad hoc adornatus. Nam is qui istam per sacramenta gratiam recipit secundum ipsos, aut ipsus seipsum ad hoc praeparat, aut a spiritu praeparatur. Si seipsum praeparat, ergo et ex nobis aliquid possumus. et gratia praeveniens nihil est. Si a spiritu praeparatur ad gratiae acceptionem, quaero an hoc etiam fiat sacramento duce an extra sacramentum. Si sacramento mediante, ergo sacramento paratur homo ad sacramentum, et sic usque ad infinitum processus erit: nam semper ad sacramenti praeparationem requiretur sacramentum. Si vero citra sacramentum praeparamur ad sacramentalis gratiae acceptionem, ergo spiritus sua benignitate adest ante sacramentum, et perinde gratia et facta et praesens est antequam adferatur sacramentum. Ex quibus hoc colligitur (quod in re sacramentaria volens ac libens admitto) sacramenta dari in Testimonium publicum eius gratiae, quae cuique privato prius adest. Sic datur Baptismus coram Ecclesia ei qui, priusquam illum recipiat, religionem Christi aut confessus est aut promissionis verbum habet, quo scitur illum ad Ecclesiam pertinere. Hinc est ut, cum adultum baptizamus, rogemus num credat. Si respondet, Etiam, tunc tandem recipit baptismum. Ergo fides adfuit antequam baptismum reciperet. Non igitur datur fides baptismo. Si vero infans offeratur, quaeritur an parentes illum offerant ad baptizandum. Cumque responderint per testes, velle ut baptizetur, tunc tandem baptizatur infans. Et hic antecessit Dei promissio, quod nostros infantes non minus reputet de Ecclesia, quam Hebraeorum. Cum enim hi offerunt, qui de Ecclesia sunt, iam baptizatur infans, hac lege, quod quandoquidem ex Christianis natus sit, intra Ecclesiae membra divina promissione reputetur. Baptismo igitur Ecclesia publice recipit eum, qui prius receptus est per gratiam. Non ergo adfert gratiam baptismus, sed gratiam factam esse

Sacramenta sunt testimonia quibus nos testamur Dei gratiam Ecclesiae.

Digitized by Google

ei cui datur, Ecclesiae testatur. Credo igitur, o Caesar, sacramentum esse sacrae rei, hoc est factae gratiae, signum. Credo esse invisibilis gratiae, quae scilicet Dei munere facta et data est, visibilem figuram sive formam, hoc est visibile exemplum, quod tamen fere analogiam quandam rei per spiritum gestae prae se fert. Credo testimonium publicum esse. Ut cum baptizamur, abluitur corpus mundissimo elemento: sed hoc significatur, gratia divinae bonitatis in Ecclesiae et populi Dei coetum allectos esse, in quo candide sit ac pure vivendum. Sic Rom. sexto. Paulus mysterium exponit. Testatur ergo is, qui baptismum recipit, De Ecclesia Dei se esse, quae fidei integritate et vitae synceritate Dominum suum colat. Et ob hanc causam sacramenta, quae sacrae sunt cerimoniae (accedit enim verbum ad elementum et fit sacramentum), religiose colenda, hoc est in precio habenda, et honorifice tractanda sunt, ut enim gratiam facere non possunt, Ecclesiae tamen nos visibiliter sociant, qui prius invisibiliter sumus in illam recepti, quod cum simul cum promissionis divinae verbis in ipsorum actione pronunciatur ac promulgatur, summa religione suspiciendum est. Nam si aliter de sacramentis sentiamus, puta quod exterius adhibita intus purgent, iam rediit Iudaismus, qui variis unctionibus, unguentis, oblationibus, victimis, ac epulis, credebat scelera expiari, et gratiam velut coëmi ac comparari. Quod tamen prophetae, et in primis Isaias ac Ieremias, semper constantissime exagitarunt, docendo liberalitate Dei promissiones ac beneficia data, non meritorum aut externarum cerimoniarum respectu. Credo etiam Catabaptistas, dum baptismum negant infantibus fidelium, toto coelo errare, neque hic solum, sed in multis quoque aliis, de quibus non est dicendi locus. Et at cavendum illorum sive stultitiam sive maliciam, primus contra ipsos non sine periculo, Dei auxilio fretus, et docui et scripsi, ut nunc per illius bonitatem ea lues apud nostros valde remiserit: tam abest, ut quicquam huius seditiosae factionis receperim, docuerim aut defenderim.

Sacramenta analogiam prae se ferunt rei intus aut prius gestae per spiritum.

De Eucharistia h).

Octavo. Credo quod in sacra Eucharistiae, hoc est gratiarumactionis coena, verum Christi corpus adsit, fidei contemplatione: hoc est, quod ii qui gratias agunt Domino pro beneficio nobis in filio suo collato, agnoscunt illum veram carnem adsumpsisse, vere in illa passum esse, vere nostra peccata sanguine suo abluisse, et sic omnem rem per Christum gestam illis fidei contemplatione velut praesentem fieri. Sed quod Christi corpus per essentiam et realiter, hoc est corpus ipsum naturale in coena aut adsit aut ore dentibusque nostris mandatur, quemadmodum Papistae, et quidam qui ad ollas

h) Ed. pr. om. *De Euch.*

Digitized by Google

Egyptiacas respectant, perhibent, id vero non tantum negamus, sed errorem esse qui verbo Dei adversatur constanter adseveramus. Quod tuae maiestati opitulante Deo, Caesar, paucis tam perspicuum faciam quam Sol est. Primo divina oracula adferendo: secundo argumentis ex his desumptis velut arietibus in adversarios vadendo: postremo veteres Theologos in hac nostra sententia fuisse ostendendo. Tu interim creator spiritus adsis et mentes tuorum illustra, imple gratia et luce, quae tu creasti pectora. Christus ipse os et sapientia numinis, sic inquit:

Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Hic negatur sola corporis praesentia, nam secundum divinitatem semper adest, quia semper ubique est, iuxta aliud eius verbum, Ego ero vobiscum usque ad consummationem saeculi, videlicet secundum divinitatem, virtutem et bonitatem. Nobiscum sentit Augustinus. Nec est, cur causentur adversarii, humanitatem Christi esse ubicunque est divinitas, alias dividi personam: nam id tolleret veram humanitatem Christi. Ubique enim esse nihil quam numen potest. Et humanitatem in uno loco esse, divinitatem autem ubique, ita non dividit personam, sicut humanitatem adsumpsisse filium non dividit essentiae unitatem. Imo potentius esset ad separandum unitatem essentiae, dum una persona creaturam sibi adsumit quam aliae omnino non adsumunt, quam sit ad separandum personam, humanitatem esse in uno loco, divinitatem vero ubique. Cum et in creaturis videamus corpora esse ad unum locum alligata, potentiam vero et virtutem latissime vagari. Exemplum est Sol, cuius corpus in uno loco est, virtus autem porro omnia pervadit. Humanus animus astra etiam superat, et inferos penetrat, attamen corpus in uno loco est. In Ioan. tract. 50.

Iterum dicit: Iterum relinquo mundum, et vado ad patrem. Hic habetur verbum relinquendi, sicut prius habendi, quo minus possint adversarii dicere, Non habemus eum visibiliter. Cum enim de visibili corporis sui subtractione loquitur, sic inquit: Modicum et non videbitis me, etc. Nec nisi praestigium aleretur, si corpus eius naturale adesse contenderemus, sed invisibile. Cur enim visum fugeret qui tamen hic esset, qui se toties post resurrectionem discipulis ostendit? sed expedit vobis, ait, ut ego vadam. At si hic esset, non expediret ut eum non videremus. Ipse enim quoties discipuli ad eius intuitum hallucinarentur sese aperte i) exhibuit, ne vel sensus vel cogitatus quicquam pateretur. Palpate, inquit, me: et, Nolite timere, Ego sum: et, Maria noli me tangere, etc.

Cum iam iam abiens discipulos commendaret patri, dicebat: Latini quo-

i) Ed. pr. *adperte.*

Digitized by Google

que iam pro posthac usurpant.

Ego posthac non ero in mundo, καὶ οὐκ ἔτι[k]) εἰμὶ ἐν τῷ κόσμῳ. Hic habetur verbum substantivum, Posthac non sum in mundo, non minus quam in his verbis, Hoc est corpus meum, ut neque hic possint adversarii dicere tropum esse, cum negent substantiva tropum recipere, sed res his opus non habet. Sequitur enim: Hi autem sunt in mundo. Quae antithesis manifeste docet, illum non esse pro humana natura in mundo, tum cum discipuli essent.

Et ut sciamus quando abierit, non, ut illi fingunt potius quam exponunt, quando sese invisibilem fecerit, sic inquit Lucas: Et factum est cum illis valediceret, recessit ab eis, et sublatus est in coelum. Non dicit Evanuit etc. aut invisibilem se reddidit.

De qua re Marcus sic: Dominus postquam locutus est eis, adsumptus est in coelum, et sedet a dextris Dei. Non dicit: Mansit hic, sed invisibile reddidit corpus suum. Rursus Lucas in Actis: Cum haec dixisset, illis inspicientibus sublatus est ac elevatus, nubes autem suscepit illum ab oculis eorum. Nubes texit eum, qua nihil fuisset opus si solummodo adspectum sustulisset et alias adfuisset. Nec opus fuisset sublatione aut elevatione. Ibidem: Hic Iesus, qui adsumptus est a vobis in coelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum ire in coelum. Quid hoc est clarius? A vobis, inquit, adsumptus est: ergo non erat apud illos, neque visibiliter, neque invisibiliter secundum humanam naturam. Cum ergo videbimus eum redire quemadmodum abiit, tunc sciemus adesse. Alioqui sedet secundum humanam naturam ad dexteram patris, donec redeat ad iudicandum vivos et mortuos.

Cum autem sint qui corpori Christi locum abrogent, et dicant non esse in loco, videant quam aperte[l]) contra veritatem clausis tamen oculis eant. In praesepi fuit, in cruce, Ierosolumis[m]) cum parentes essent in intinere, in sepulchro, extra sepulcrum, ait enim angelus: Surrexit non est hic, En vobis locum, ubi posuerant illum. Et ne possint dicere, corpus eius esse ubique, audiant: Venit Iesus ianuis clausis, et stetit in medium ipsorum. Quid venire fuisset opus, si corpus eius est ubique, sed invisibiliter? satis futurum erat, non venire, sed qui praesens erat sese solum ostendisse. Sed valeant tam calumniosae nugae, quae nobis veritatem tum humanitatis Christi, tum sacrarum literarum tollunt.

Haec testimonia tollunt corporis Christi praesentiam ubique quam in coelo, canonice loquendo, hoc est quantum nobis scriptura constat de ingenio et proprietate corporis adsumpti. Quantumque antinomiae cogunt, quae quicquid nobis de potentia Dei proponamus, nunquam tamen huc nobis tor-

Hoc est, contrariae scripturae collatae.

k) ἔτι om. Opp. l) Ed. pr. *adperte*. m) Opp. *Hierosolymis*.

Digitized by Google

quenda est, ut facere Deum contra verbum suum credamus. Hoc enim impotentiae esset, non potentiae, etc.

Quod autem ore nostro naturale Christi corpus non edatur, ipse ostendit cum diceret conflictantibus de corporali esu carnis suae Iudaeis, Caro non prodest quicquam, ad edendum scilicet naturaliter: sed ad edendum spiritualiter plurimum, vitam enim dat.

Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex spiritu, spiritus est. Si ergo naturale corpus Christi ore nostro editur, quid aliud ex carne naturaliter mansa quam caro fiet? Et ne leve videatur alicui argumentum, audiat alteram partem, Quod natum est ex spiritu, spiritus est. Ergo quod spiritus est, ex spiritu natum est. Si ergo caro Christi salutaris est animae, spiritualiter manducatum oportuit, non carnaliter. Hoc etiam pertinet ad sacramentorum materiam, quod spiritu spiritus generatur, non re corporea, ut ante attigimus.

Solus spiritus generat spiritalia.

Paulus monet, quod si Christum aliquando secundum carnem noverit, at iam non agnoscat secundum carnem.

His locis cogimur fateri, verba ista, Hoc est corpus meum, non naturaliter, sed significative perinde accipi oportere, atque ista: Hoc est Paessa. Agnus enim, qui quotannis edebatur, cum ipsa feriarum celebritate, non erat transitus, sed praeteritionem ac saltum olim factum significabat. Huc accedit successio, quod Agno successit coena, quae res monet similibus usum esse verbis Christum, servat enim Mimesim successio. Accedit eadem verborum compositio. Accedit tempus, cum in eadem coena vetus Paessa ponitur, et nova gratiarumactio instituitur. Accedit omnium *μνημοσύνων* proprietas, quae nomen eius sibi vendicant, cuius mentionem ac commemorationem faciunt. Sic *σεισάχθειαν* vocabant Athenienses, non quasi quotannis aes alienum levaretur, sed quod Solon olim fecerat, isti perpetuo celebrant, et hanc suam celebrationem rei ipsius nomine honestant. Sic vocatur corpus Christi et sanguis, quae veri corporis symbola sunt. Sequuntur nunc argumenta.

Id est commemorationum, Zichronim זיכרונים[n]

Ut corpus re spiritali pasci nequit, sic neque anima re corporali. Quod si corpus Christi naturale editur, quaero an corpus an animum pascat? non corpus, ergo animam: si animam, ergo anima vescitur carnibus, et non esset verum quod spiritus ex spiritu tantum nascatur.

Secundum hoc quaero, Quid corpus Christi naturaliter perfectum efficiat. Si remissionem peccatorum, ut una pars perhibet, ergo discipuli adepti sunt remissionem peccatorum

n) Verbum Hebr. om. Opp.

Digitized by Google

Una eademque factio sensit, Eucharistiam tollere peccata, et peccatorum remissionem in cruce factam dispensare.

in coena, frustra igitur Christus est mortuus. Si comesum dispensat virtutem passionis Christi, ut eadem pars perhibet, ergo dispensata fuit virtus passionis et redemptionis antequam nata esset. Si pascit corpus ad resurrectionem, ut alius quidam satis indocte adserit, ergo multo magis sanat nostrum corpus, et ab aegritudine levat. Sed aliter amat Irenaeus intelligi cum corpus nostrum ali ad resurrectionem Christi corpore tradit. Vult enim ostendere, quod spes nostrae resurrectionis firmatur Christi resurrectione. En lepidum tropum.

ἀνθυποφορὰ obiectionis adversariorum occupatio.

Tertio, Si corpus Christi naturale est in coena praebitum discipulis, iam necessario sequitur ut istud ederint quale tum erat. Sed tum erat passibile, ederunt ergo vulnerabile corpus, nondum enim erat clarificatnm. Cum enim dicunt, Ederunt idem corpus, sed non quemadmodum erat passibile, verum idem quale post resurrectionem fuit, obiicimus, Ergo aut duo corpora habuit, unum quod nondum esset clarificatum, et alterum quod esset: aut unum idemque corpus eodem tempore fuit passibile et impassibile. Et sic, cum tantopere aversaretur mortem, nimirum voluit non pati, sed corporis ista dote uti qua indolens erat. Non igitur vere passus est, sed per hypocrisim, qua nobis via Marcion pulchre reducitur ab Andabatis istis. Sexcenta possent, o Caesar, argumenta adduci, sed his nunc contenti erimus.

ἀνάλγητον quod dolere, aut ledi dolore non potest.

Quod autem veteres, quae postrema huius articuli pars erit, nobiscum sentiant, duobus testibus firmabo iisque primis.

Ambrosio, qui sic in epistolam priorem ad Corinthios, super his verbis, Mortem Domini annunciate etc. dicit, Quia enim morte Domini liberati sumus, huius rei memores, in edendo et potando, carnem et sanguinem, quae pro nobis oblata sunt, significamus, etc. Loquitur autem Ambrosius de cibo et potu coenae. Et perhibet nos vera ista quae pro nobis oblata sunt, significare.

Augustino quoque, qui in Ioannem tractatu XXX. Corpus Christi quod a mortuis resurrexit, adfirmat in uno loco esse oportere. Ubi impressa exemplaria Posse habent pro Oportere: sed male, nam et in sententiarum Magistro, inque Decretis Canonicis, in quae sententia ista Augustini translata est, legitur Oportet. Quo palam videmus veteres omnino non intellexisse de naturali esu corporis Christi, sed de spirituali, quicquid tandem de coena magnifice locuti sunt. Cum enim sciverunt corpus Christi in uno loco esse oportere, et cum ad dexteram Dei esse, non detraxerunt illud ut dentibus hominum foetidis subderent commolendum.

Idem Augustinus adversus Adimantum capit. XII. tria ista, Sanguis est anima, Hoc est corpus meum, Et petra erat Christus, συμβολικῶς, hoc est, ut ipse loquitur, in signo et significative dicta esse docet. Et inter alia multa huc

Digitized by Google

tandem verborum venit: Possum etiam interpretari praeceptum illud in signo esse positum. Non enim Dominus dubitavit dicere, Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui. Sic Augustinus. En nobis clavem qua universos veterum sermones de Eucharistia reserare possumus. Id quod tantummodo signum est corporis, dicit corpus esse adpellatum. Eant nunc et nos haereseos damnent, qui volent, modo sciant sese eadem opera Theologorum columen damnare, contra Pontificum decreta. Ex his enim fit manifestissimum, quod veteres semper sunt o) symbolice locuti cum corporis Christi in coena esui tantum tribuerunt, puta, non quod sacramentalis manducatio mundare animum posset, sed fides in Deum per Iesum Christum, quae spiritualis est manducatio, cuius externa ista symbolum est et adumbratio. Et quemadmodum panis corpus sustinet, vinum vegetat, et exhilarat, sic animum firmat et certum facit de misericordia Dei, quod filium suum nobis dedit: sic reficit mentem, sanguine illius, peccata, quibus ipsa urebatur, esse restincta. His contenti erimus nunc loci, quamvis totos libros compilare quis posset ad exponendum et confirmandum quod veteres in nostra sint sententia. Nec quemquam moveat libellus nuper editus de veterum sententia, quam ille se ῥητῶς tecturum scilicet pollicetur. Brevi enim doctissimi viri fratris nostri Occolampadii, cuius ab exordio provincia fuit veterum sententiam adserere, confutationem videbimus. Quae vero in hac materia pro planiore expositione aut adversariorum confutatione requiri possent multis libris ad diversos scriptis abunde puto praestitimus, qui in hac sententia sumus.

Veteres omnes sunt symbolice locuti cum de fructu manducationis corporis Christi disseruerunt.

Nono. Credo cerimonias, quae neque per superstitionem fidei, neque verbo Dei contrariae sunt (quanquam huiusmodi nesciam an quae inveniantur) per charitatem tolerari, donec lucifer magis ac magis allucescat, posse. Sed simul credo eadem charitate magistra, cum citra magnam offensionem fieri potest, dictas cerimonias abolendas esse, quantumvis reclament qui perfido sunt animo. Non enim prohibebat Magdalenen Christus ab effusione unguenti tametsi Iudae avaricia et perfidia contumaciter tumultuarentur. Imagines autem quae ad cultum prostitutae sunt, non censeo inter cerimonias, sed ex eorum esse numero quae verbo Dei ex diametro repugnant. Quae autem non prostant ad cultum, aut ubi cultus futuri nullum est periculum, tam abest ut damnem, ut et pictoriam et statuariam Dei dona esse agnoscam.

De ceremoniis p).

Imagines quas periculum est ne adorentur unquam, tolli debent.

Decimo. Credo prophetiae sive praedicationis munus sacrosanctum esse, ut quod ante omne officium sit summe ne-

De prophetia vel ministerio verbi. q)

o) *sunt* om. Opp. p) Ed. pr. om. *De cerem.* q) Ed. pr. om. *De proph.* etc.

Digitized by Google

cessarium. Canonice enim sive regulariter loquendo videmus apud omnes populos externam praedicationem Apostolorum et Evangelistarum sive Episcoporum praecessisse fidem, quam tamen soli spiritui ferimus acceptam. Videmus enim proh dolor, satis multos qui externam Evangelii praedicationem audiunt quidem, sed non credunt, quod spiritus penuria usuvenit. Quocunque igitur prophetae sive praedicatores verbi mittuntur, signum est gratiae Dei, quod vult electis suis cognitionem sui manifestare: et quibus negantur, signum est imminentis irae. Sicut ex prophetis colligere licet et Pauli exemplo, qui interim vetitus est ad quosdam ire, interim vocatus. Sed et leges ipsae ac magistratus nulla ope praesentius iuvari possunt ad tuendam publicam iusticiam quam prophetia. Frustra enim praecipitur quod iustum est, nisi quibus mandatur iusti rationem habeant et aequitatem ament. Ad hoc autem parant animos prophetae tanquam ministri, spiritus tanquam autor tum doctoris tum auditoris. Hoc genus ministrorum, qui scilicet docent, solantur, terrent, curant, prospiciunt ex fide, in populo Christi agnoscimus. Illud quoque, quod baptizat, in coena Domini corpus et sanguinem (sic enim nos quoque μετωνυμικῶς sacrum panem coenae ac vinum adpellamus) circumfert, quod aegrotos visitat, quod mendicos cibat ecclesiae opibus ac nomine. Istud postremo, quod legit, interpretatur, profitetur quo vel ipsi vel alii formentur ut aliquando ecclesiis praesint. At mitratum hoc genus atque pedatum, quod numerus est et fruges consumere natum, ἐτόσιον ἄχθος ἀρούρης, credimus νόθον, et id omnino esse in ecclesiae corpore quod strumae et gibbi sunt in humano.

Prophetia legum et iustitiae defensor.

Telluris inutile pondus.

Undecimo. Scio magistratum rite inauguratum locum Dei tenere, non minus quam prophetiam. Ut enim propheta coelestis sapientiae ac bonitatis minister est, ut qui ex fide doceat et errores in lucem protrahat: sic magistratus bonitatis ac iusticiae minister est. Bonitatis, ut cum fide et modestia instar Dei suorum negocia tum audiat tum consulat; iusticiae, ut iniquorum audaciam frangat et innocentes tueatur. Has dotes si princeps habeat, credo conscientiae illius nihil esse metuendum. Eis si careat, attamen sese metuendum praestet ac terrificum, credo nulla ratione conscientiam eius ideo absolvi, quod rite inauguratus sit. At simul credo Christianum hominem huiusmodi tyranno parere debere, usque ad eam occasionem de qua loquitur Paulus, Si potes liber fieri, magis utere: quam tamen credo a solo Deo ostendi non ab homine, id autem nihil obscure, sed tam aperte s), quam Saul est abiectus, et successorem acce-

De Magistratu r)

r) Ed. pr. om. *De Mag.* s) Ed. pr. *adperte.*

Digitized by Google

pit David. Et omnino de reddendo tributo et vectigalibus propter protectionem cum Paulo sentio, Rom. XIII.

Duodecimo. Credo purgatorii ignis figmentum tam contumeliosam rem esse in gratuitam redemptionem per Christum donatam, quam lucrosa fuit autoribus suis. Nam si suppliciis et cruciatibus scelerum nostrorum commerita eluere est necesse, iam frustra erit Christus mortuus, iam evacuatur gratia. Quo quid sceleratius in re Christiana cogitari potuit? Aut qualem habent Christum, qui se Christianos adpellari volunt, et ignem hunc, non iam ignem, sed fumum, formident? Inferos autem ubi cum Ixione ac Tantalo perfidi, contumaces ac perduelles imperpetuum puniuntur, non tantum esse credo, sed scio. Veritas enim cum de universali iudicio loquitur, perhibet post illud iudicium quosdam ituros esse in ignem sempiternum. Ergo post universale iudicium erit sempiternus ignis. Quo minus possint Catabaptistae suum istud עולם hoc est perpetuum errori suo praetexere, quo docent, imperpetuum durare non ultra generale iudicium. Hic enim de perpetuo igne loquitur Christus post iudicium arsuro, et cacodaemonem cum angelis suis, cum impiis, qui Deum contemnunt, cum immanibus, qui veritatem mendacio opprimunt, et ex visceribus ac fide proximi necessitatibus non opitulantur, cruciaturo.

De purgatorio. t)

Ignis post universale iudicium aeternus.

Haec ut praemissa sunt firmiter credo, docco, atque defendo, non meis, sed divini verbi oraculis. Promittoque id facturum pro Dei voluntate, dum spiritus hos regit artus. Nisi quis scripturae vere sacrae decretis recte intellectis diversum tam aperte u) ac simpliciter exponat ac firmet, quam nos ista. Sacris enim literis et ecclesiae secundum ipsas ex spiritu iudicanti, nostra submittere, nobis non minus iucundum et gratum est, quam aequum et iustum. Potuissemus omnia locupletius ac profusius exponere, sed cum non daret occasio, istis contenti fuimus, quae talia putamus, ut vellicare quidem, quod hodie tam vulgare est, facile quis possit, at convellere nemo. Veruntamen si quis tentet, non auferet inultum. Iam tum forte quod reliquum armorum superest proferemus. Nunc pro praesenti tempore satis testatum sit.

Proinde optime Caesar caeterique principes, dynastae, proceres, Rerumque publicarum legati et capita, vos per Iesum Christum dominum et fratrem nostrum, per illius bonitatem et iusticiam, per iudicium eius quo universis pro dignitate redditurus est, quem nullum latet consilium, qui principum impie deliberantium et imperantium proposita disturbat, qui humiles evehit et deiicit elatos, precor et rogo, ut principio monentis parvitatem ne negligatis. Saepe enim

Obtestatio ad Imper. et principes. v)

t) Ed. pr. om. *De purg.* u) Ed. pr. *adperte.* v) Ed. pr. om. *Obtest.* etc.



Digitized by Google

stulti quoque opportune locuti sunt, et veritas ipsa imbecilles ac infimae sortis homines ad sui divulgationem elegit. Deinde ut memineritis vos quoque homines esse, qui et ipsi et ab aliis falli possint, Omnis enim homo mendax est. Et nisi numinis adflatu aliud doceatur quam ipse vel sciat vel cupiat, nihil de eo sperandum est quam quod suis artibus et consiliis seipsum praecipitet. Nimis enim vere dixit Ieremias propheta: Ecce verbum Domini abiecerunt, quae ergo eis sapientia reliqua esse poterit? Quapropter cum ipsi iusticiae sitis antistites, nullos aeque oportet numinis voluntatem perspectam habere. Quae unde peti quam ex illius oraculis potest? Ne igitur abhorreatis ab illorum sententiis, qui verbo Dei nituntur. Nam id fere usuvenire videmus, ut, quanto magis repugnent adversarii, tanto magis et illud splendescat, et falsitas eliminetur. Quod si, quod me non fugit, sunt qui strenue apud vos nostram inscitiam, et si diis placet, maliciam quoque traducant, hoc quoque vobiscum reputate, primum an qui istam Evangelii eucharistiaeque rationem sequimur, vitam nostram unquam sic instituerimus, ut, num bonorum virorum loco habendi simus, quisquam bonus unquam dubitaverit? Deinde num ab incunabilis ipsis ita fuerimus ab ingenio et a literis alieni, ut eruditionis spes omnis de nobis abiicienda fuerit? Certe de neutro istorum gloriamur, cum et Paulus ipse Dei munere esset, quod erat. Attamen vita, si omnino hilarior contigit, ea tamen neque ad luxum et impudentiam unquam descivit, neque rursus in crudelitatem, fastum aut contumaciam degeneravit, ita ut testimonio vitae adversariorum consilia saepenumero attonita receptui cecinerint. Eruditio, quamvis maior sit quam hostes aut ferre possint aut sine conscientia contemnere, tamen longe est inferior quam tenere nos prosequentes opinentur. Veruntamen, ut eo perveniamus quo tendimus, ita iam annis haud paucis cum in divinis tum in humanis literis stipendia fecimus, ut temere quod docemus non sit. Liceat autem nobis gratiam et munificentiam Dei, ecclesiis nostris liberaliter impartitam, laudare. Profecto sic receperunt verbum Domini Ecclesiae, quae Dominum Deum per nos audiunt, ut mendacium et perfidia contrahantur, frangantur autem fastus et luxus, et contumelia ac vitilitigatio ἐκ ποδῶν facessant. Qui certe veri fructus divini adflatus si non sunt, quinam erunt? Considerate vero, tu o Caesar optime, et vos principes ac proceres universi, quid porro nobis bonae frugis humanae doctrinae persona protulerit. Redemptae Missae cum principum tum plebis libidinem atque procaciam ut auxerunt, ita pontificum luxum et missatorum crapulam et invexerunt et ampliarunt. Imo quod nefas non incenderunt? opes enim quae per missam coacervatae sunt quis dissipabit, nisi in venis obturentur et stran-

Fructus verbi Dei sive Evangelii praedicati.

Posteritas et foetura humanae doctrinae.

Digitized by Google

gulentur? Faxit igitur Deus longe melior quam vos omnes, quos optimos libenter et vocamus et credimus, ut huius et omnium errorum in Ecclesia radices incidere, et Rhomam cum suis ruderibus, quae Christiano orbi et praecipue Germaniae vestrae obstrusit, linqui ac deseri curetis. Et quicquid hactenus virium adversus Evangelii puritatem exeruistis, invehatis contra scelcratos impiorum papistarum conatus, ut nobis iusticia, quae per vestram oscitantiam exulat, et innocentia, quae fictis et praestigiosis pigmentis obscurata est, reducantur. Satis est saevitum, nisi praeter rem mandare, damnare, immo trucidare, interficere, latrocinari, proscribere, saevum aut crudele non est. Hac ergo via cum non successerit, alia certe adgrediundum erit. Si consilium ex Domino est, nolite θεομαχεῖν: si aliunde, sua temeritate corruet. Idcirco sinite verbum Dei libere et spargi et germinare, o filii hominum, quicunque estis, qui ne gramen quidem vetare ne adolescat potestis. Abunde videtis hanc frugem imbre coelesti rigari, nec ullo hominum calore compesci posse ut arescat. Consyderate non quid vos maxime cupiatis, sed quid mundus in Evangelii negocio exigat. Boni consulite, quicquid hoc est, et filios Dei vos esse studiis vestris ostendite. Tiguri, tertio die Iulii. M. D. XXX.

Hoc est, Deo rebellare.

Tuae maiest. et omnium
fidelium deditissimus

***Huldrychus Zwinglius.***

---



Digitized by Google

# 4.

# CHRISTIANAE FIDEI
AB
# H. ZUINGLIO PRAEDICATAE
## BREVIS ET CLARA EXPOSITIO,
AB
IPSO ZUINGLIO PAULO ANTE MORTEM EIUS AD REGEM CHRISTIANUM SCRIPTA.[a])

## PIO LECTORI S.

Quanquam fidelissimus evangelii praeco et Christianae libertatis assertor constantissimus H. Zuinglius omnia sua clare circumspecte et dilucide dixerit, hoc tamen libello sese veluti superans de vera fide nescio quid cygneum vicina morte cantavit. Exponit perspicue et breviter quae sit vera fides, quaevé pia religio. Respondet item calumniatoribus fidem et praedicationem evangelicam infamantibus, adeoque apologeticum quendam absolutum pro fide et religione vera omnibus cum regibus tum principibus Christianis offert. Noluimus te tanto fraudare thesauro: tu quod dextra mente offertur, candido animo suscipe. Descripta sunt haec omnia ex ipsius authoris autographo. Id quod ideo monemus quod libellus quinto demum a morte authoris anno vulgatur. Bona fide descripta sunt omnia. Vale ex Tiguro Mense Februario. Anno M. D. XXXVI.

*H. Bullingerus.*

## AD FRANCISCUM FRANCORUM REGEM. FIDEI HULDRYCHI ZUINGLII RATIO ET CONFESSIO.

### CHRISTIANISSIMO ERANCORUM REGI FRANCISCO. [b])

1 Gratiam et pacem a domino patre et domino nostro Iesu Christo. [c])

Omnium, quae tumultuoso isthoc saeculo nascuntur, nihil

a) Hanc inscriptionem a Bullingero profectam om. MS. Turic.; exhibet vero genuinam, quam post Bullingeri praefationem posui. — b) Pro his genuinis Bullingerus edidit: *In expositionem fidei ad regem Christianum H. Zuinglii praefatio.* — c) Etiam haec desunt ap. Bulling.

Digitized by Google

foelicius provenit, quam infoelix mendacium, o Rex piissime. Sive quod mali autor Cacodaemon semper in herba conatur optimum semen strangulare, sive quod coelestis animorum agricola virtutem ac fidem vitiis ac perfidia velut acuit et provehit, non aliter quam cum Spartani oppidum quoddam multo sudore ac sanguine expugnatum funditus perdi vetabant, ne deesset [d]) ubi militem suum velut ad cotem et palum exercerent. Sic et dominus deus miris nos artibus peti [e]) ac exerceri patitur ut illi nos probemus. Fortis enim aut temperans quomodo quis fieri potest, nisi in periculorum turba et luxus affluentia? Eodem modo veritas, quae iam caput proferre coepit, mendaciis fit nitidior sublimiorque surgit. His enim undique petentibus, et [f]) in eam omne virus eiaculantibus, illa sese excutere, aspergines extergere, membraque tueri cogitur. Quo fit ut mendaciorum fraus, ipsius autem veritatis venustissima frons magis ac magis retegatur atque in lucem eveniat [g]). Sed desino praefari.

Metus me incessit, ne clementia tua perfidorum quorundam 2
suggestionibus plus quam vanis ac mendacibus tentetur, irritari enim scio non posse. Qui quo sunt perfidiosiores, eo apud plures veritatem non iam deferunt, sed proscindunt. Deferunt autem nos infinitis nominibus, ut religionem conculcemus et sanctam sive regum sive magistratuum functionem ac maiestatem contemnamus. Quae omnia quam vere faciant tua quaeso aequitas pronunciet, cum fidei nostrae fontes, ecclesiarum nostrarum leges ac mores, principum autem reverentiam, nobis pro virili exponentibus, audierit.

Est autem nihil aeque tam obvium homini quam fidem suam 3
exponere. Cum enim fides, iuxta Apostoli definicionem, ea vis animi sit, eaque firmitas ac certitudo, qua inconcusse fidit invisibili deo, quis nunc tam stupidus ac tardus esse potest, ut nesciat exponere, an aliqua re fidat vel non fidat? praesertim cum fides veritatis filia sit: ea enim re quisque fidit quam novit esse verissimam. Cumque solus deus verax sit, et [h]) quis hoc sese agnoscere experitur ac sentit, quomodo non posset eam fiduciam paucis exponere? Sic ergo de deo rebusque divinis sentimus.

## DE DEO ET CULTU EIUS. [i])

I. Universa quae sunt, aut creata sunt aut increata. Incre- 4
atus unus ac solus deus est: nam increatum nisi unum esse nequit. Si enim plura essent increata, iam plura essent aeterna: socia enim sunt increatum et aeternum, ita ut utrunque sit alterum quoque. Si enim [k]) plura essent aeterna, iam plura essent infinita, nam et illa sic paria sunt ac socia, ut quicquid sit aeternum etiam

---

d) *ne deesset*] MS. Turic. *non discessit.* — e) MS. Turic. *pati.* — f) MS. Turic. *patentibus ut.* — g) MS. Turic. *veniat.* — h) MS. Turic. *ut.* — i) *De Deo* etc. om. MS. Turic. — k) *enim* om. MS. Turic.

Digitized by Google

sit infinitum, et quicquid sit infinitum etiam sit aeternum. l) Cum autem infinitum unum modo queat esse (nam ut primum admittimus duas infinitas substancias, utraque finita est) iam constat increatum unum ac solum deum esse. Sequitur et primi articuli fidei nostrae origo fons et fundamentum, nempe quod cum dicimus, Credo in unum deum patrem omnipotentem creatorem coeli et terrae, Fatemur et adseveramus nos infallibilem habere fidem, ut quae in uno ac solo creatore firma consistat. Gentes et impii quique, qui creatura fidunt, fateri coguntur quod sua fide vel opinione falli possint, cum creatura fidunt. Qui autem creatore ac rerum omnium principio, quod nunquam coepit sed alia produxit, fidunt, hi convinci erroris nequeunt. Constat et istud, quod quicquid est creatura non possit huius inconcussae ac indubitatae virtutis, quae fides est, obiectum ac fundamentum esse. Quaecunque enim coeperunt esse, aliquando non fuerunt: cum ergo non essent, quomodo quis potuisset illis fidere quae nondum erant? Non ergo possunt naturale fidei obiectum aut fundamentum esse, quae esse coeperunt. Solum ergo aeternum infinitum increatumque bonum, verum est fidei fundamentum. Concidit hic omnis fiducia, qua vel creaturis sanctissimis vel sacramentis religiosissimis imprudenter nituntur quidam. Deum enim esse oportet quo infallibiliter fidendum est. Etsi creatura fidendum est, iam creaturam esse oportet m) creatorem. Si vero sacramentis, iam sacramenta deum esse oportet, ut non tantum Eucharistiae sacramentum, sed et baptismus manuumque impositio deus sit. Quae quam absurda sint doctis nedum piis auribus, non modo docti, sed et intelligentia praediti iudicare possunt. Ut ergo Theologi veritatem adsequi possint, hanc eis lucernam libenter exhibebimus. Cum dicunt, Creatura utendum esse, sed solo deo fruendum, nihil aliud dicunt quam et nos, si modo sua ipsorum verba non incogitanter transmitterent. Nam si solo deo fruendum est, eo quoque solo fidendum est: eo enim fidendum est, quo fruendum est, non quo utendum est.

II. Ex his, clementissime Rex, clare vides, nos neque divos neque sacramenta exautorare aut loco movere, ut quidam nobis imputant, sed suo in loco ac dignitate manu tenere et custodire ne quisquam eis non recte utatur. Deiparam virginem Mariam non adficimus contumelia, cum vetamus λατρείᾳ adorari; sed cum ei creatoris maiestatem atque potentiam tribuimus, illa ipsa nunquam ferret adoratorem. Unius enim eiusdemque ingenii est pietas apud omnes et in omnibus, quia ex uno eodemque spiritu nata est. Nequit ergo ne cogitari quidem quod ulla n)

l) *Aeternum proprie est, quod nunquam incoepit esse, attamen semper fuit et semper erit ut est solus benedictus deus. Perpetuum proprie est, quod esse coepit, sed nunquam desinet esse, quales sunt angeli et animi.* Haec ap. Balling. in marg. extant, desunt vero in MS. Turic., cuius auctoritate reliquas quoque omisi notas marginales. — m) MS. Turic. *oporteat.* — n) MS. Turic. *nulla.*

Digitized by Google

creatura possit simul et esse pia et ferre ut sibi numinis cultus exhibeatur. Sic et deipara virgo, quanto est supra omnes creaturas 13
sublimior, quantoque in deum filium suum religiosior, tanto minus feret numinis cultum. Impiorum enim hominum ac daemonum est 14
insania cum sibi divinos honores impendi patiuntur. Quod et o)
daemonum idola et Herodis fastus testantur, quorum isti cultum suum docendo mundum perniciose fefellerunt, hic vero cum numinis attributum honorem non repelleret, pediculari morbo, quo humanam imbecillitatem disceret agnoscere, plexus est. Sacramenta 15
vero sic veneramur et colimus ut signa et symbola rerum sacrarum, non quasi res ipsae sint quarum signa sunt: quis enim tam imperitus esse queat, ut signum dicat id esse quod significat? Sic enim ista vox, Simia, nunc hic scripta maiestati tuae veram simiam ante oculos statueret. Sed quod sacramenta sint rerum verarum significationes, quae res verae per essentiam et naturaliter aliquando gestae sunt: eas inquam res referunt p), commemorant, ac velut ante oculos ponunt. Sane quaeso me intelligas, o Rex. Christus morte sua expiavit scelera nostra: iam Eucharistia huius rei commemoratio est, quemadmodum ipse dixit, Hoc facite in meam commemorationem, qua commemoratione universa commemorantur dei beneficia, quae nobis per filium suum praestitit: deinde symbolis ipsis, pane scilicet ac vino, Christus ipse velut oculis praesentatur, ut sic non iam auditus tantum, sed et visus et gustus Christum videant ac sentiant, quem animus in sinu praesentem habet illoque gaudet. Legitimumque q) ergo cultum tam divorum 16
quam sacramentorum hunc tradimus ac docemus esse, quem Christus ipse tradidit ac docuit. Si filii Abrahae estis, inquit, opera Abrahae facite. Exemplum ergo est, quod in divis et sanctis omnibus debemus imitari. Ut si quis prophetarum aut sanctorum divina monita velut canna propinavit, iam quae divino spiritu donata nobis sunt et exposita, ea religione accipiamus, qua illi et acceperunt et tradiderunt. Si vitae sanctimonia religionem ornarunt, nos illorum vestigia imitemur, pii, sancti, ac innocentes simus quomodo isti fuerunt. De Baptismo sic inquit: Baptisate eos in nomen patris et 17
filii et spiritus sancti. De Eucharistia vero: Hoc facite in mei commemorationem. Et per os Pauli: Unus panis et unum corpus tota multitudo fidelium sumus. Hic neque in divorum cultu neque in r) sacramentorum instituto habetur, ut eam virtutem ac gratiam, quae solius dei est, possideant. Cum ergo numen ipsum hanc 18
potestatem creaturis nunquam tribuerit quam nos eis tribuimus, iam constat frivolum esse, quod vel divos vel sacramenta docemus peccata dimittere, bonaque largiri. Quis enim peccata remittit nisi solus deus? aut a quonam sunt optima quaeque dona, sicut divus Iacobus habet, quam a parente omnis lucis ac boni? Docemus ergo 19

o) Bulling. *et particulam* om. — p) Opp. *inferunt*. — q) Legitimum, omisso *que*, MS. Turic. r) *in* om. MS. Turic.

Digitized by Google

sacramenta coli debere, velut res sacras, ut quae res sanctissimas significent, tam eas quae gestae sunt, tam eas quas nos agere[s] et exprimere debemus. Ut Baptismus significet, et Christum nos sanguine suo abluisse, et quod nos illum, ut Paulus docet, debemus induere, hoc est ad eius formulam vivere; sic Eucharistia quoque significet, cum omnia quae nobis divina liberalitate per Christum donata sunt, tum quod grati debemus ea charitate fratres amplecti qua Christus nos suscepit, curavit, ac beatos reddidit. Sed[t] de Eucharistia, anne naturale Christi corpus in ea edatur, in
20 sequentibus fusius dicetur. Summa. Hic est religionis nostrae fons, ut deum agnoscamus esse qui increatus creator rerum omnium est: quod ille unus ac solus omnia habet, gratis donat; quodque primum hoc fidei fundamentum evertunt quicunque creaturae tribuunt, quod solius creatoris est. Fatemur enim in symbolo, Creatorem esse quo fidamus, non ergo creatura esse potest quo fidendum est.
21 III. Iterum de Deo sentimus. Posteaquam deum fontem rerum omnium et creatorem esse scimus, fieri nequit, ut quicquam aut ante illum aut cum illo esse intelligamus quod non ex illo sit. Nam si quicquam esse posset quod non esset ex illo, iam ille non esset infinitus, non enim extenderetur isthuc ubi illud aliud esset, cum esset extra illum. Quibus fit, ut cum patrem, filium et spiritum sanctum videamus in scripturis deum adpellari, ut non sint aut creaturae aut dii diversi. Sed quod hi tres unum sunt, una essentia, una οὐσία id est existentia, una virtus et potentia, una scientia et providentia, una bonitas et propensio, nomina
22 sive personae tres sed omnes ac singuli deus idem et unus. Hunc deum scimus natura bonum esse: quicquid enim est, natura est. Bonum autem est, quod mite et iustum est. Mansuetudinem enim iustitia exue, iam non erit mansuetudo, sed aut negligentia aut metus. Contra vero iustitiam si non bonitate sive aequitate tem-
23 peres[u], iam summa fiet iniuria et violentia. Deum ergo cum natura bonum esse agnoscimus, eadem opera suavem mitem et liberalem, atque sanctum iustum et inviolabilem fatemur. Iustus ergo cum sit, iam scelerum contubernium abhorreat necesse est. Ex quo colligitur, ut, cum miseri mortales non iam scelerati sed consceleratí simus, de illius convictu et amicitia[v] desperare cogamur. Rursus autem bonus cum sit, iam aeque necesse est, ut
24 aequo et bono consilium factumque omne temperet. Hic fons est, cur filium suum unigenitum carne amiciverit, ut haec duo toti orbi non modo ostenderet, sed etiam impenderet, redemptionem et renovationem. Cum enim eius bonitas, hoc est, iustitia et misericordia, sacrosancta, hoc est, firma sit et immutabilis, iam iustitia requirebat expiationem, misericordia veniam, venia novam

---

s) MS. Turic. *gerere* pro *agere*. — t) Adscripsit Bibliander in marg. MS. Turic.: *Deesse hic quiddam videtur*. — u) Opp. *temperas*. — v) Ms. Turic. *amicitia et convictu* hoc ord.

Digitized by Google

vitam. Carnis ergo indutus paludamento summi regis filius prodit, 25
ut hostia factus (nam pro divina mori natura non potest) inconcussam iustitiam placet ac reconciliet, his, qui suapte innocentia sub intuitum numinis propter scelerum conscientiam venire non audebant. Id autem ideo, quia suavis et misericors est. Quae virtus perinde non potuit ferre operis sui repudiationem, atque iustitia impunitatem. Mixtae sunt igitur iustitia et misericordia, ut 26
haec hostiam daret, illa vero acciperet pro universorum scelerum expiatione. Ea igitur de quo grege eligenda erat? De angelorum? At quid ad illos attinebat hominum praevaricatio? w) An vero de hominum armento? At illi omnes rei erant, ut, quicunque ex eis ad hoc fuisset destinatus, perlitare non potuisset propter vitium: agnum enim ἄμωμον, hoc est, undique salvum, candidum ac mundum esse oportebat eum, qui hanc hostiam τυπικῶς promittebat. De se ergo accepit divina bonitas quod nobis donaret; filium enim 27
suum nostra carnis imbecillitate x) circundedit, ut videamus, aeque liberalitatem sive misericordiam esse insuperabilem, atque sanctitatem sive iustitiam. Qui enim sese nobis dat, quid reliquum fecit quod non dederit? quomodo divinus Paulus disseruit: Angelum si fecisset victimam aut hominem, extra seipsum erat quod dedisset: fuisset ergo relictum, quod adhuc maius dare potuisset, nempe seipsum, quod tamen non dedisset. Summa itaque bonitas 28
summum beneficium largitura cum esset, pretiosissimum quod eversa arca dare potuit, nempe seipsum, dedit, quo humanae menti maiorum semper avidae, ne viam quidem cogitandi relinqueret: quomodo haec sive angelica sive humana hostia tanti ut pro omnibus sit satis? aut quomodo inconcusse possim creatura fidere? Filius ergo dei nobis ad confirmationem misericordiae, ad pignus 29
veniae, ad iustitiae pretium et ad vitae normam datus est, ut nos certos de gratia dei y) faceret et vivendi traderet legem. Quis hanc divinae bonitatis et munificentiae liberalitatem satis vehat? Abdicari commerueramus, et ille cooptationem adornat. Iter vitae corruperamus, et ille in locum restituit. Sic ergo redemit et renovavit nos divina bonitas, ut pro misericordia grati, pro hostia expiatrice iusti simus et innocentes.

## DE CHRISTO DOMINO.

IV. Hunc dei de deo filium credimus et docemus humanam 30
naturam sic adsumpsisse, ut divina non sit vel amissa vel z) in humanam transmutata. Sed utranque in eo esse, vere, proprie ac naturaliter, ita ut iuxta divinam naturam nihil sit imminutus quo minus vere, proprie ac naturaliter deus sit. Iuxta humanam vero non sic in divinam transierit, ut non vere, proprie et naturaliter homo sit, excepta propensione ad peccandum: ut omnino qua deus

---

w) *At quid ad* etc. praetermisit MS. Turic. — x) MS. Turic. *nostrae carnis imbecillitati.* — y) *dei* om. MS. Turic. — z) Bulling. *vel* partic. om.

Digitized by Google

est, ita deus sit cum patre et spiritu sancto, ut de divinitatis dotibus ei propter humanae imbecillitatis vendicationem nihil deciderit: qua vero homo est, ita sit homo, ut quicquid ad humanae naturae veritatem et proprietatem pertinet sic habeat, ut propter divinae naturae coniunctionem (praeter peccandi ingenium) non sit ei quic-
31 quam ademptum. Hinc est ut utriusque naturae propria et agnata sic in omnibus dictis et factis reluceant, ut nullo negotio religiosa mens videat quid utrique naturae sit accepto ferendum, quantumvis omnia unius Christi recte esse dicantur. Christus esurit, recte dicitur, quum deus sit et homo, attamen secundum divinam naturam non esurit. Christus sanat morbos et vitia, recte dicitur, attamen
32 divinae virtutis ista sunt si proprie expendas, non humanae. Nec tamen propter naturarum discrimen sequitur personae divisio, non magis quam cum de homine dicimus quod intelligat et dormiat. Ibi cum vis intelligendi solius animi sit, et dormiendi necessitas corporis, non tamen ob id duae personae est homo, sed una.
33 Confit enim personae unitas etiam ex diversis naturis. Et omnino fatemur deum et hominem unum esse Christum, sicut ex anima ratione praedita et inerti corpore unus homo conflatur, quemadmodum divus Athanasius disseruit. Adsumpsit autem humanam naturam in unitatem hypostaseos sive personae filii dei: non quasi homo adsumptus peculiaris persona et divinitas aeterna[a]) quoque persona peculiaris sit, sed quod persona aeterni filii dei in et ad virtutem suam hominem adsumpserit. Quemadmodum sancti dei homines vere et clare demonstrarunt.

34 V. Eam vero naturam credimus, spiritu sancto virginem foecundante, conceptam. Eiusdemque perpetuo servata virginitate in lucem effusam, ut mundo nasceretur liberator et curator animarum[b]) de foemina virgine, qui ab aeterno natus est dominus ac deus de patre coelibe, ut hostia sancta et immaculata fieret, cui omnes arae pecoribus onustae nequicquam fumabant, quo beluinorum sacrificiorum homines poeniteret et ad mentis oblationem converterentur, cum deum sibi viderent filii sui victimam paravisse et obtulisse.

35 VI. Passum credimus Christum, cruci suffixum sub praeside Pilato. Sed quod passionis acerbitatem homo sensit, non etiam deus, qui ut est ἀόρατος, hoc est invisibilis, sic est et ἀνάλγητος, hoc est nulli passioni aut adfectioni obnoxius. Doloris vox est, Cur me deus deseruisti: Illaesae divinitatis autem, Ignosce eis, nesciunt enim quid faciunt. Passus est autem pro expiandis sceleribus nostris contemptissimo supplicii genere, ut nihil faceret reliquum humiliationi quod non experiretur et impleret.

36 VII. Mortuus et sepultus nisi esset, quis verum hominem esse crederet? Hinc est ut patres apostolici[c]) in symbolo ad-

---

a) MS. Turic. *aeterna divinitas* hoc ord. — b) MS. Turic. *animorum*. — c) MS. Turic. *apostolici patres* hoc ord.

Digitized by Google

ieccrint, Descendit ad inferos. Qua locutione usi sunt vice periphraseos, qua et veram mortem significarent. Inferis enim connumerari, ex humanis abiisse est: et virtutem redemptionis eius ad inferos quoque pervenisse. Quod divus Petrus innuit, cum dicit, mortuis, hoc est eis inferis qui exemplo Noe a condito mundo crediderunt dei monitis, cum impii contemnerent, praedicatum esse evangelium.

VIII. Contra vero ni et redivivus resurrexisset, quis verum 37
deum crederet eum qui extinctus esset, ita ut vitae eius ac virtutis nihil superesset? Credimus ergo, verum dei filium pro humana natura vere mortuum esse, quo certi reddamur de criminum nostrorum expiatione. Credimus et vere a mortuis resurrexisse, ut certi simus de aeterna vita. Quicquid enim Christus est, noster 38
est: quicquid operatur, nostrum est. Sic enim deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum dederit ad vivificandum nos. Cum ergo resurrexit, nobis resurrexit, nostram resurrectionem orsus. Unde et Paulus illum dormientium hoc est mortuorum primitias vocat. Ille enim cum mortuus vivit, ostendit et nos cum morimur vivere, hoc enim Hebraeis resurgere significat, permanere, consistere ac perdurare. Hinc est ut Paulus ad utranque partem sic arguat, Si Christus resurrexit, hoc est cum mortuus crederetur vixit, et corpus redassumpsit, iam est mortuorum resurrectio. En 39
tibi humanissime Rex, argumenti robur in hoc consistere, quod Christus noster est, et quod omnis eius actio nostra est. Nam alias non magis sequeretur, Christus resurrexit, ergo et nos resurgimus, quam si quis sic colligeret, Rex habet potestatem a supplicio liberandi eum quem praetor damnavit, ergo quisque habet hanc potestatem. Negatur [d]) autem sic, Si Christus non resur- 40
rexit, ergo neque nos resurgimus. Nam alias Christus sua virtute vivere ac resurgere potest, id quod nostra nos non possumus. Si vero neque Christus resurrexisset, si nostra non esset resurrectio: iam constat quod virtutem suae resurrectionis nostram facit et publicam. Huc spectarunt sancti homines, cum dixerunt Chri- 41
sti corpus nos alere ad resurrectionem, quo nihil aliud voluerunt quam ostendere, quod cum Christus, qui totus noster est, resurrexerit, nos per hoc certos reddi, quod et nos, cum corpore sumus mortui, animis vivamus, quodque aliquando cum eodem corpore sumus revicturi.

IX. Porro quod idem ille noster Christus coelos subiit, et ad 42
patris dexteram consedit, quod incunctanter [e]) credimus, promittit, quod et nos, qui protinus ut morimur illhuc subvolamus, aliquando sumus [f]) etiam cum corpore isthic aeternis fruituri deliciis. Ut autem ille isthic sedet usque dum venturus est ad publicum orbis universi iudicium, sic et nostri beatorumque omnium

d) MS. Turic. *Negative.* — e) MS. Turic. *incumulanter.* — f) MS. Turic. *simus.*

Digitized by Google

animi apud illum sunt sine corpore usque ad praedictum iudicium, sub cuius exordium omnes redinduituri sumus positum corporis vestimentum, et cum eo sive ad perpetuas sponsi nostri nuptias sive ad perpetuas perduellis diaboli aerumnas profecturi. Hic duo tibi mitissime Rex ut sentio exponam.

## PURGATORIUM.

43 Unum quod cum Christus inferorum cruciatus non sensit, quomodo divus Petrus docet Acto. 2. sed morte perfunctus coelos conscendit, nos quoque posteaquam solvimur nexu corporis, eo citra cunctationem, moram aut novum cruciatum, si modo fidem synceram habuerimus, ituros esse. Quodque cupiditatem suam potius quam animas fidelium pascere ausi sunt, qui purgatorii ignis
44 miserias intentarunt, alias satis miseris hominibus. Primum enim Christum ipsum prorsus evacuant et explodunt. Si enim Christus pro peccatis nostris mortuus est, quomodo ipse et spiritu eius imbuti docuerunt Apostoli, quomodo et religionis ratio fateri cogit, qua constat gratia et bonitate dei beari homines, qui posset ferri ut nos ad satisfaciendum cogeremur? Si enim a Christo abhorrent qui operibus fidunt iuxta Pauli verbum, quanto magis abhorrent et annihilant Christum qui proprio cruciatu expiari crimina oportere docent? Nam si benefacta mereri beatitudinem nequeunt, et eam carnificina mercatur, iam numinis bonitas in dubium vocaretur, quasi adflictionibus et aerumnis gauderet, abhorreret autem
45 a mansuetudine et benignitate. Secundo, Si Christus non tollit muletam et poenam peccatis debitam, cuiusnam causa factus est homo? cuiusque causa passus est? Nam quod Theologorum quidam sic discriminant, a culpa nos redemptos esse, non etiam a poena, frivolum imo contumeliosum in deum commentum est. Nam ne humanus quidem iudex poenam infligit ubi culpa abest, pro-
46 tinus ergo ut a deo culpa remittitur poena condonata est. Tertio, Cum Christus ipse docuerit, quod qui credunt vitam aeternam habeant; et quod, qui fidunt eo qui Christum nobis misit, in iudicium non veniant, sed iam transierint a morte in vitam: fit manifestum quod haec mora cruciatus quam animis hinc migrantibus dant Papistae, commenticia est et ficta.

## PRAESENTIA CORPORIS CHRISTI IN COENA.

47 Alterum vero quod me hic expositurum recepi hoc est. Quod in coena domini naturale ac substantiale istud corpus Christi, quo et hic passus est et nunc in coelis ad dexteram patris sedet, non naturaliter atque per essentiam editur, sed spiritualiter tantum. Quodque non modo frivolum et stultum, sed etiam impium et contumeliosum est quod Papistae docuerunt, ea mensura, ea prorsus proprietate ac modo, quibus natus, passus vitaque functus est,
48 edi corpus Christi a nobis. Primum enim hoc constat, Christum,

Digitized by Google

verum hominem, qui ex corpore et animo constat, quales et nos sumus, excepta semper ad peccandum propensione, adsumpsisse. Ex quo colligitur quod omnes dotes ac modi qui ad corporis ingenium pertinent, eius corpori verissime adsunt. Nam quod propter nos adsumpsit, de nostro est, ut totus noster sit, ut antea diximus. Ex quo duo quaedam sequuntur irrefragabilia. Unum 49
quod hi modi, qui adsunt nostro corpori, Christi quoque corpori adsint. Alterum quod quicquid in Christi corpore est quod ad corporis modum pertinet, nostrorum etiam sit corporum. Nam si quicquam quod ad corporis modum et proprietatem attinet, in illius esset corpore quod nostro deesset, iam videretur istud non nostra causa adsumpsisse: cuius ergo? cum corporeorum nihil sit praeter hominem aeternae beatitudinis capax. Hinc est quod prius atti- 50
gimus, quod Paulus et nostram resurrectionem ex Christi, et Christi ex nostra demonstrat. Cum enim dicit, Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit, quomodo firma potest esse argumentatio? Cum enim Christus deus sit et homo, quis non protinus responsurus esset Paulo, παραλογίζεις o Theologe. Nam Christi corpus resurgere iure potest ac debet, est enim divinitati coniunctum, at nostris utpote divinitatis expertibus non eadem vis est. Sed Pauli argumentatio cum hic robur habeat, Quicquid Christi corpus habet, quod ad modum, dotes et proprietatem corporis attinet ), nobis habet tanquam noster archetypus, nostrumque est. Jam sequitur, Christi corpus resurrexit, ergo et nostra resurgent. Nos resurgimus ergo et Christus resurrexit. Ex his 51
fontibus hausit Theologorum columen Augustinus ut dixerit, Christi corpus in aliquo coeli loco esse oportere propter veri corporis modum. Et iterum, Christi corpus quod a mortuis resurrexit in uno loco esse oportet. Non est igitur Christi corpus magis in pluribus locis quam nostra corpora. Quae sententia non nostra est, sed Apostoli, sed Augustini, sed ipsius omnino religionis, quae, etsi testibus destitueremur, suadet tamen Christum per omnia nobis similem esse factum, nostra enim causa hanc imbecillitatem adsumpsit: et habitu, hoc est, dotibus, modis ac proprietatibus, ut hominem inventum. Quibus, o Regum decus, tibi expositum 52
obiter puto quam iniquis modis nos proscindant velut haereticos, propter Eucharistiae sacramentum, cum ne verbum quidem unquam docuerimus quod non ex divinis aut literis aut Theologis hauserimus. Sed ad propositum redeo. Cum ex ista argumentatione quae 53
scriptura divina nititur constet, Christi corpus naturaliter, proprie et vere in uno loco esse oportere, nisi et nostra multis in locis esse stulte audeamus ac impie adseverare: iam extortum est adversariis, quod Christi corpus sedet secundum essentiam, seipso, naturaliter ac vere ad dexteram patris, et hoc modo sic non est in coena, ut, qui contrarium docent, Christum coelo solioque avito

g) MS. Turic. *pertinet.*

Digitized by Google

54 detrahant. Nam docti omnes pro explosa et impia damnarunt hanc sententiam, qua quidam ausi fuerunt adseverare Christi corpus perinde esse ubique atque divinitatem. Ubique enim esse nequit nisi quod natura infinitum est: quod infinitum est, simul est aeternum. Christi humanitas non est aeterna, ergo neque infinita: si non est infinita, ergo nequit non esse finita: si finita est, iam non est ubique. Sed missis istis, quae tamen in hoc adduximus ut philosophicae ratiocinationi non deessemus, si quando in eam incideres, o Rex, ad impenetrabilia scripturae testimonia accedamus.

55 Satis manifestum fecimus antea, quod, quaecunque in libris sacris de Christo habentur, sic sunt de integro ac solido Christo dicta, ut, etiamsi facile deprehendatur ad quam naturam referendum sit quod dicitur, non tamen scindatur Christus in duas personas quantumvis utrique naturae sua referantur. Duas enim naturas habere non secat personae unitatem, ut patet in homine. Et rursus, etiamsi ea, quae divinitatis sunt, humanitati tribuantur, ac contra quae humanitatis divinitati, non tamen confundi naturas, quasi divinitas degeneraverit ac infirmata sit in humanitatem, aut humanitas in divinitatem mutata sit. Id quod testimoniis dilucidius fiet.

56 Peperit filium suum primogenitum et reclinavit eum in praesepium. Quod Christus qui deus et homo est de virgine sit natus, nemo negat propter personae unitatem. Unde et deiparam *θεοτόκον* adpellari iusto vocabulo [h]) et iudicamus et probamus. Attamen divinam eius naturam nemo quam pater genuit, sicut in homine quoque corpus parit mater, animam solus deus, at nihilominus dicitur homo a parentibus generari. Porro quod in praesepium depositus est qui coelos ac inferos implet ac tenet, eodem modo ad humanitatem pertinet. Veruntamen cum ista toti Christo tribuuntur, nasci ac poni, nihil incommodi oritur. Id autem propter duarum naturarum in unam personam coniunctionem et unionem.

57 Ascendit ad coelos. Aeque ad humanitatem principaliter refertur, cum tamen sine divinitate non sit lata humanitas; sed illa ferebat, haec ferebatur. Haec, ut iam dictum est [i]), perpetuo circumscripta manet, nam alias desineret esse vera humanitas: illa [k]) vero perpetuo infinita et incircumscripta est, unde non transit a loco in locum, sed eadem indidem perpetuo manet.

58 Ecce ego vobiscum sum usque ad finem saeculi. Principaliter ad divinitatem refertur, humanitas enim coelo illata est.

59 Iterum relinquo mundum et vado ad patrem. Principaliter, imo [l]) naturaliter, de humanitate accipere cogit ipsa veritas. Deus enim est qui sic loquitur, verum igitur esse oportet quod

---

h) *vocabulo* om. MS. Turic. — i) *Haec--est*] MS. Turic. *Illa ut iam est dictum.* — k) MS. Turic. *haec* pro *illa.* — l) MS. Turic. *enim* pro *imo.*

Digitized by Google

dicit. Relinquit ergo mundum quae in eo natura? Non divina, ea enim loco non movetur quae loco non continetur. Ergo humana relinquit. Quae cum mundum reliquerit, intellige o Rex, naturali, essentiali localique praesentia, non est ergo hic. Non editur itaque a nobis naturaliter aut per essentiam corpus Christi, quanto magis non mensuraliter, sed solum sacramentaliter et spiritualiter.

Ego posthac non ero in mundo, tantopere enim valet, *καὶ* 60
*οὐκ ἔτι εἰμὶ ἐν τῷ κόσμῳ*, omnem prorsus nebulam discutit, quod secundum humanitatem naturaliter[m]) ac per essentialem corporeamque praesentiam in mundo expectandus non est, sed solum spiritualiter et sacramentaliter.

O viri Galilaei, quid statis sursum in coelum spectantes? Hic 61
Iesus, qui adsumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum ire in coelum. Hoc loco aperte habemus eum a discipulis adsumptum in coelum, abiit ergo et non est hic. At quomodo abiit? corporaliter, naturaliter, et quomodo per humanitatis essentiam vere est. Cum ergo dicit, Sic veniet, nimirum corporaliter, naturaliter ac per essentiam. Verum quando sic veniet? non cum ecclesia coenam celebrat, sed cum per illum sub mundi finem iudicanda est. Irreligiosa est igitur ea sententia, quae corporaliter, naturaliter, essentialiter ac etiam mensuraliter adserit Christi corpus in coena edi, quia est a vero aliena: quicquid autem est a vero alienum, impium est ac irreligiosum. Haec 62
pauca et brevia satis tuae prudentiae, quae omnia ex uno pro sua promptitudine potest expendere, arbitror fore, ad videndum quod os domini huc nos cogit ut consideremus quomodo Christi corpus sit in coena. Pluribus alias de eadem re librisque ad diversos plurimis egimus, imo diuturna bella gessimus Oecolampadius et ego, quae omnia repetere fastidium sit. Sed veritas victoriam aufert ac perrumpit quotidie magis ac magis. Nunc quid sit spiritualiter et[n]) sacramentaliter edere cum exposuerimus hinc digrediemur.

Spiritualiter edere corpus Christi, nihil est aliud quam spiritu 63
ac mente niti misericordia et bonitate dei per Christum. Hoc est, inconcussa fide certum esse quod deus nobis peccatorum veniam et aeternae beatitudinis gaudium donaturus sit propter filium suum, qui noster totus factus et pro nobis oblatus divinam iustitiam nobis reconciliavit. Quid enim negare poterit qui unigenitum filium suum dedit?

Sacramentaliter autem edere corpus Christi, cum proprie vo- 64
lumus loqui, est, adiuncto sacramento, mente ac spiritu corpus Christi edere. Volo autem tuae celsitudini omnia sub oculos ponere, o Rex. Spiritualiter edis corpus Christi, non tamen sacramentaliter, quoties mentem tuam sic anxiam, Quomodo salvus fies?

---

m) MS. Turic. *naturalem.* — n) MS. Turic. *ac.*

Digitized by Google

quottidie peccas, cum tamen quottidie ad mortem properes. Post hanc vitam alia est; nam quomodo hic animus quo hic praediti sumus, qui de futuris sollicitus est, extingueretur? quomodo tanta lux et scientia in tenebras et oblivionem converteretur? Aeterna igitur cum sit animae vita, qualisnam meae animulae usuventura est? foelix an misera? Explorabo et inquiram vitam meam utrius digna sit, foelicis an miserae. Hic te, cum tantum exercitum eorum videbis quae ex adfectibus et cupiditate homines facere solemus, horror invadet, ut, quod ad tuam iustitiam ac innocentiam pertinet, tuo te iudicio aeternae foelicitatis indignum pronuncies, et prorsus de illa desperes. Cum inquam sic anxiam mentem tuam sic solaberis, Deus bonus est, qui bonus est iustum
65 et misericordem aut aequum esse oportet. Nam iustitia sine aequitate vel misericordia summa iniuria est. Misericordia sine iustitia, negligentia, lascivia et omnis disciplinae solutio est. Cum ergo iustus sit deus, necesse est ut eius iustitiae pro meis sceleribus satisfiat. Cum sit misericors, necesse est ut de venia non desperem. Istorum utriusque pignus habeo infallibile, unigenitum eius filium dominum nostrum Iesum Christum, quem ex misericordia nobis donavit ut noster esset. Ille vero sese patri pro nobis obtulit quo aeternam eius iustitiam placaret. Ut sic certi simus de misericordia, et de criminum expiatione illius iustitiae facta, non per alium quam filium eius proprium, quem ex amore nobis donavit. Cum hic metu desperationis aestuantem animum hac fiducia erigis, Cur moeres anime mi? Deus qui solus beatitudine ditat, tuus est et tu illius es. Nam cum eius esses opus et factura, attamen scelere periisses, filium suum ad te misit tuique similem, extra peccatum, fecit, quo tanti fratris ac socii iure ac privilegio fretus, postulare etiam aeternam salutem audeas tuo iam velut iure. Quis me daemon terreat ut cum metuam, quum is mihi opitulator adsit? quis mihi adimet quod deus ipse donavit, et pignus fideiussoremque filium suum dedit? Sic inquam cum Christo te solaris, iam spiritualiter corpus eius edis, hoc est, hominis propter te adsumpti fiducia imperterritus in deo stas contra omnia desperationis tela.

66 Verum cum ad coenam domini cum hac spirituali manducatione venis et domino gratias agis pro tanto beneficio, pro animi tui liberatione, qua liberatus es a desperationis pernicie, et pro pignore, quo certus es de aeterna beatitudine, ac simul cum fratribus panem et vinum, quae iam symbolicum Christi corpus sunt, participas, iam proprie sacramentaliter edis, cum scilicet intus idem agis quod foris operaris, cum mens reficitur hac fide quam symbolis testaris.

67 At sacramentaliter improprie dicuntur edere, qui visibile sacramentum sive symbolum publice quidem comedunt, sed domi fidem non habent. Hi ergo iudicium, hoc est, vindictam dei comedendo in se provocant, eo quod corpus Christi, hoc est, totum incarnationis passionisque mysterium, atque adeo ecclesiam ipsam

Digitized by Google

Christi non habent in tanto pretio quo a piis iure habetur. Cum enim probare se homo priusquam conviva fiat debeat, hoc est seipsum explorare et interrogare, cum, an Christum pro dei filio suoque liberatore ac servatore sic et agnoscat et receperit ut eo nitatur tanquam infallibili autore ac datore salutis, tum, an gaudeat se illius ecclesiae esse o) membrum cuius caput Christus est: et iam perfidus sese tanquam huiusmodi fidem habeat, ecclesiae in coena coniungit, an non ille reus est corporis et sanguinis domini? Non quae naturaliter aut corporaliter ederit, sed quae spiritualiter se edere falso testatus sit ecclesiae, cum spiritualiter nunquam gustaverit. Isti ergo sacramentaliter tantum edere dicuntur, qui symbolis gratia- 68
rum actionis utuntur quidem in coena, sed fidem non habent. Hoc gravius damnati quam reliqui perfidorum, quod hi coenam Christi non agnoscunt, isti vero agnoscere simulant. Bis enim peccat qui perfidus coenam celebrat, perfidia et audacia, cum perfidi sola perfidia velut stulti pereant.

Porro quid sacramenta sive symbola in coena faciant aut 69
possint, acriter certatum est aliquandiu inter nos: istis contendentibus quod sacramenta fidem dare, corpus Christi naturale adferre, et ut praesens edatur efficere soleant: nobis diversum quid non sine autore sentientibus. Primum quod fidem, quae in deum fidu- 70
cia est, nemo nisi spiritus sanctus dat, nulla res externa. Quamvis faciant fidem p) sacramenta, sed historicam. Omnes enim panegyres, trophea, imo monimenta et statuae fidem historicam faciunt, hoc est, monent olim aut quiddam esse factum cuius memoria refricetur, sicut est panegyris paschatis apud Hebraeos et σεισάχθεια apud Athenienses, aut victoriam isthic loci partam esse, sicut est lapis adiutorii. Hoc ergo modo coena dominica fidem facit, hoc est, certo significat Christum esse natum et passum. Sed quibus hoc significat? Fidelibus ac perfidis ex aequo. Universis enim significat quod ad sacramenti virtutem pertinet, Christum esse passum, sive recipiant sive minus: at pro nobis esse passum, id vero piis ac fidelibus tantum significat. Nemo enim pro nobis esse passum scit aut credit, nisi quem spiritus intus docuerit agnoscere mysterium divinae bonitatis. Is enim solus Christum recipit. Fiduciam ergo in deum nihil nisi spiritus dat. Nemo enim pervenit ad Christum nisi pater eum traxerit. Deinde Paulus quoque omne hoc dissidium uno verbo tollit cum dicit, Probet autem seipsum homo, ac demum de pane isto edat et calice bibat. Cum ergo antequam accedat fidem suam explorare debeat homo, iam nequit fieri ut in coena fides detur, adesse enim oportet priusquam adeas. Secundo restitimus adversariorum errori, 71
cum dixerunt, symbolis istis pane et vino adferri naturale corpus Christi, quoniam verba haec, Hoc est corpus meum, istud possint

o) MS. Turic. *esse ecclesiae* hoc ord. — p) MS. Turic. *fidem faciant* hoc ord.



Digitized by Google

et efficiant. Nam obstat, cum quod supra diximus de verbis Christi quae corpus eius negant posthac in mundo fore, tum quod, si verba q) istud possent, iam adferrent passibile corpus Christi; cum enim haec verba diceret mortale adhuc habebat corpus, unde et mortale comedissent r) Apostoli, non enim duo habebat corpora, quorum unum esset immortale et insensibile, alterum vero mortale. Si ergo mortale edissent Apostoli, nos quale nunc ederemus? nimirum et ipsi mortale. At nunc est immortale et incorruptibile quod prius mortale fuerat. Si ergo nos nunc mortale ederemus, iam iterum haberet mortale simul ac immortale corpus: quod cum fieri nequeat, non enim potest esse mortale et immortale simul, sequeretur quod duo haberet corpora, unum mortale quod ederemus cum apostolis, alterum autem immortale quod ad dexteram sedet non transiturum inde. Nisi vellemus dicere Apostolos quidem mortale corpus edisse, nos autem immor-
72 tale; quod quam absurdum sit, nemo non videt. Postremo restitimus adversariis cum praesens Christi naturale substantialeque corpus edi adseruerunt, quod istud religio quoque vetat. Petrus cum virtutem divinam in venatione piscium inusitata Christo adesse sentiret, dicebat, Exi a me domine, ego enim homo peccator sum; stupor enim invaserat eum. Et nos adpetitum haberemus edendi ipsum naturaliter, velut Anthropophagi? Quasi vero liberos suos quisquam sic amet ut devorare aut mandere cupiat? Aut quasi non sint inter omnes homines immanissimi iudicati qui humana carne vescuntur? Centurio, Non sum dignus, inquit, ut intres in aedes meas etc. At de illo Christus ipse testatus est quod similem fidem non comperisset in universo Israele. Quanto ergo fides est maior ac sanctior, tanto magis contenta est spirituali manducatione: et quanto ista melius saturat, tanto magis abhorret religiosa mens a corporali manducatione. Officiosae mulieres colere lavando et ungendo Christi corpus solebant, non edendo. Nobilis senator Ioseph et pius simulator Nicodemus condimentis, linteis, sepulchroque muniebant, non edebant naturaliter.

## QUAE s) SACRAMENTORUM VIRTUS.

73 Haec ergo incommoda, o Rex, plane docent, neque Eucharistiae neque Baptismo, specie pietatis, attribui debere, quibus religio et veritas periclitantur. Quid autem? anne sacramenta nullam habent virtutem? Multam omnino habent. t)

74 Virtus prima. Res sanctae et venerandae sunt, utpote a summo sacerdote Christo institutae et susceptae. Ipse enim Baptismum non tantum instituit, sed et u) ipse quoque recepit. Ipse non tantum Eucharistiam celebrare iussit, sed primus celebravit.

---

q) MS. Turic. in marg. add.: *hoc est enim corpus meum.* — r) MS. Turic. *edissent.* — s) MS. Turic. hanc inscriptionem in marg. exhibet, et post *Quae* add. *ergo.* — t) Verba: *mult. omn. hab.* addidi ex MS. Tur. — u) *et* om. MS. Turic.

Digitized by Google

Virtus secunda. Testimonium rei gestae praebent. Universae 75
enim leges, mores ac instituta, autores suos initiaque praedicant. Baptismus ergo cum Christi mortem ac resurrectionem significando praedicat, eas vere gestas esse oportet.

Tertia virtus. Vice rerum sunt quas significant, unde et 76
nomina earum sortiuntur. Transitus aut praeteritio, qua deus filiis Israel pepercit, ante oculos poni non potest, sed agnus eius rei symbolum vice illius proponitur. Sic et corpus Christi omniaque in illo gesta cum oculis subiici nequeant, panis et vinum eius loco edenda proponuntur.

Quarta. Res arduas significant. Ascendit autem cuiusque 77
signi pretium cum aestimatione rei cuius est signum. Ut, si res sit magna, pretiosa et amplifica, iam signum eius rei eo maius reputetur v). Annulus Leonorae Augustae w), uxoris tuae, quo eam despondit tua maiestas, illi non auri pretio aestimatur, sed pretium omne superat, quantumvis, si substantiam reputes, aurum sit. Quia symbolum est mariti regis. Unde et omnium annulorum ei rex etiam est, ut, si quando mundum suum nominatim vocet ac censeat, indubie dicat, Hic est rex meus. Hoc est, hic est annulus mariti mei regis quo me sibi despondit. Hoc est symbolum indisiunctae societatis ac fidei. Sic panis et vinum amicitiae illius x), quo deus humano generi per filium suum reconciliatus est, symbola sunt, quae non aestimamus pro materiae pretio, sed iuxta significatae rei magnitudinem, ut iam non sit vulgaris panis, sed sacer: non panis tantum nomen habeat, sed corporis Christi quoque, imo sit corpus Christi, sed appellatione y) et significatione, quod recentiores vocant sacramentaliter.

Quinta virtus est. Analogia symbolorum et rei significatae. 78
Habet autem Eucharistia duplicem analogiam. Unam quae ad Christum pertinet. Ut enim panis humanam vitam sustinet ac fulcit, ut vinum hominem exhilarat: sic destitutam omni spe mentem solus Christus restituit, sustinet et laetificat. Quis enim ultra desperatione contabescat qui dei filium videt suum esse factum? cum animo illum tenet veluti thesaurum qui eripi non potest, quo vero z) impetrare omnia apud patrem potest. Alteram habet analogiam quae ad nos pertinet. Ut enim panis ex granis multis fit, vinum vero ex multis acinis confluit: sic ecclesiae corpus ex infinitis membris in unum corpus una in Christum fiducia, quae ex uno spiritu provenit, coagmentatur et erigitur, ut sit verum templum et corpus inhabitantis spiritus sancti.

Sexta. Auxilium opemque adferunt fidei. Et hoc a) prae 79
omnibus facit Eucharistia. Scis, o Rex, fidem nostram semper exerceri ac tentari. Cribrat enim cum Apostolis nos satanas sicut

---

v) MS. Turic. *reputatur.* — w) *Leon. Aug.*] Bulling. *reginae.* — x) MS. Turic. *illius amicitiae* hoc ord. — y) MS. Turic. *appellative.* — z) MS. Turic. *vere.* — a) MS. Turic. *hec* (haec).



Digitized by Google

triticum. At qua nos arte petit? Domestica proditione, per corpus enim velut per veterem ac ruinosam muri partem, admotis ad sensus nostros cupiditatum scalis, obruere satagit. Cum ergo sensus alio vocantur quam ut aurem illi praebeant, iam minus procedit eius consilium. Nunc autem in sacramentis non modo negantur[b]) sensus satanae suadelis, sed etiam fidei mancipantur, ut iam velut ancillae nihil aliud agant quam quod agit iubetque
80 hera fides, adiuvant ergo fidem. Sed palam loquar. In Eucharistia quattuor potentissimi immo universi sensus a carnis cupiditatibus velut vindicantur ac redimuntur et in obsequium fidei trahuntur. Auditus cum iam non symphonias chordarum diversarumque vocum harmoniam, sed coelestem vocem audit, Sic dominus[c]) deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum pro vita illius dederit. Adsumus ergo fratres ut pro ea in nos liberalitate gratias agamus. Ipsius enim filii iussu merito istud facimus. Qui iamiam moriturus hanc gratiarum actionem instituit, ut perpetuum amoris erga nos sui mnemosynum ac pignus relinqueret[d]). Accepit autem panem, gratias egit, fregit, deditque discipulis haec sacra simul effatus de sacratissimo ore verba, Hoc est corpus meum. Aeque et calicem accepit etc. Cum ista inquam auditus accipit, an non totus consternatur et admirabundus in hoc unum quod praedicatur intentus est? Cum deum audit, cum amorem illius, cum filium pro nobis neci traditum? At cum huc intentus est, an non idem facit quod fides? Fides enim est quae deo per Christum nititur. Auditus ergo cum ad idem spectat, iam fidei ancillatur, iam fidem non molestat suis frivolis istis cogitationibus ac studiis. Visus cum panem videt ac calicem, quae vice Christi ut illius bonitatem ingeniumque significent, an non et ille fidei obsequitur? Christum enim velut ante oculos conspicit, quem mens eius inflammata pulchritudine deperit. Tactus panem in manus sumit, qui iam non panis, sed Christus est significatione. Gustus Olfactusque et ipsi huc advocantur, ut odorent quam suavis sit dominus, quamque beatus sit qui in[e]) illo fidit. Ut enim illi cibo gaudent et expergefiunt, sic mens hunc coelestis spei suavem nacta gustum gestit et exultat.
81 Adiuvant ergo fidei contemplationem sacramenta, concordant cum mentis studiis, quod alias citra sacramentorum usum non tantopere tantoque fit consensu. In Baptismo, visus, auditus, tactusque advocantur ad fidei opus. Fides enim sive ecclesiae sive eius, qui baptisatur, agnoscit Christum pro ecclesia sua mortem tulisse, resurrexisse ac triumphasse: idem auditur in baptismo, videtur ac tangitur. Sunt ergo sacramenta velut frena quibus sensus, ad cupita sua excursuri, revocantur ac retrahuntur ut menti fideique obsecundent.
82 Septima sacramentorum vis est. Quod vice iurisiurandi sunt.

---

b) MS. Turic. in marg.: *Vide an recgantur legendum sit.* — c) *dom.* addidi ex MS. Tur. — d) MS. Turic. *relinquat.* — e) *in* om. MS. Turic.

Digitized by Google

Nam et sacramentum Latinis pro iureiurando usurpatur. Qui enim unis eisdemque sacramentis utuntur, una eademque gens ac sancta quaedam coniuratio fiunt, in unum corpus inque populum unum coeunt. Quem qui prodit periurus est. Populus ergo Christi cum, eius corpus sacramentaliter edendo, in unum corpus coniungitur, iam qui perfidus est, attamen sese huic societati audet insinuare, corpus Christi prodit, tam in capite quam in membris. Quia non diiudicat, hoc est, non tanti aestimat corpus domini, cum quod pro nobis ille tradidit, tum quod illius morte liberatum est. Unum enim corpus cum ipso sumus.

Cogimur ergo velimus nolimus agnoscere quod haec verba, 83
Hoc est corpus meum etc. non naturaliter ac pro verborum proprio sensu esse intelligenda, sed symbolice, sacramentaliter, denominative [f]), aut μετωνυμικῶς, hoc modo, Hoc est corpus meum, id est, hoc est sacramentum corporis mei, sive hoc est corpus meum sacramentale sive mysticum, id est, eius quod vere adsumpsi mortique [g]) obieci, symbolum, sacramentale et vicarium. Sed iam tempus est, ne brevitatis oblitus maiestatem tuam offendam, ad alia transire. Quae vero iam diximus adeo firma sunt, o fortissime Rex, ut nemo hactenus, quantumvis multi refellere tentaverint, ne movere quidem potuerit. Quapropter ne movearis, si, qui lingua promptiores sunt quam solida scriptura, sententiam istam irreligiosam esse clamitent [h]). Verbis hoc audacibus quidem sed inanibus gloriantur, ad rem ubi ventum erit leberide sunt nudiores [i]).

## ECCLESIA [k]).

X. Credimus et unam sanctam esse catholicam hoc est uni- 84
versalem ecclesiam. Eam autem esse aut visibilem aut invisibilem. Invisibilis est, iuxta Pauli verbum, quae coelo descendit, hoc est, quae spiritu sancto illustrante deum cognoscit et amplectitur. De ista ecclesia sunt qnotquot per universum orbem credunt. Vocatur autem invisibilis, non quasi qui credunt sint invisibiles, sed quod humanis oculis non patet quinam credant: sunt enim
fideles soli deo et sibi perspecti. Visibilis autem ecclesia est non 85
pontifex Romanus cum reliquis cidarim gestantibus, sed quotquot per universum orbem Christo nomen dederunt. Ex his sunt qui adpellantur Christiani etiamsi falso, cum [l]) intus fidem non habeant. Sunt ergo in ecclesia visibili, qui electae illius ac invisibilis membra non sunt. Quidam enim iudicium sibi manducant et bibunt in coena qui tamen fratres omnes latent. Ea igitur 86
ecclesia quae visibilis est, cum habeat contumaces ac perduelles

---

f) MS. Turic. *denominatione.* — g) MS. Turic. *morti,* omisso *que.* — h) MS. Turic. *clamitant.* — i) H. l. MS. Turic. interserit „Appendicem de Eucharistia et Missa," quae infra sequitur §§ 130—183. — k) *Ecclesia* om. MS. Turic. — l) *his sunt... cum*] MS. Turic. praetermisit, ita ut legatur *Ex intus* etc.!

Digitized by Google

multos, qui ut fidem non habent, ita nullius faciunt si centies extra ecclesiam eiiciantur, opus habet magistratu, sive is sit princeps, aut optimates, qui impudenter peccantes coerceat. Nec enim frustra gladium gestat. Cum ergo in ecclesia sint pastores, qui, ut est apud Ieremiam m) videre, pro principibus quoque capiuntur, constat ecclesiam sine magistratu mancam esse ac mutilam. Tantum abest Christianissime n) Rex, ut magistratum declinemus aut tollendum esse censeamus, sicut quidam nobis imputant, ut etiam doceamus necessarium esse ad perfectionem ecclesiastici corporis. Verum ut de illo doceamus brevibus accipe.

## MAGISTRATUS o).

87 Agnoscunt Graeci homines haec tria magistratus genera, cum tribus degeneribus vitiis, Monarchiam, quam Latini Regnum vocant, ubi unus ac solus praeest rerum summae, duce pietate et aequitate. Huic contrarium ac degener genus est Tyrannis, quam Latini improprio vocabulo vim aut violentiam vocant, immo cum proprium ipsi non habeant fere, Tyrannide, a Graecis mutuo accepta voce, utuntur. Ea vero est cum contempta pietate, aequitate vero conculcata, vi geruntur omnia, et qui praeest licere
88 sibi permittit quicquid libet. Aristocratiam deinde agnoscunt, quam Latini optimatum potentiam vocant. Ubi optimi quique aequitatis et pietatis observantes in populo rebus praesunt. Quae tamen ubi degenerat in Oligarchiam transit, quam Latini recte paucorum potentiam vocant. Ubi inter optimos surgunt et crescunt pauci non publicae sed privatae rei amantes, qui rempublicam oppri-
89 munt ac suam faciunt. Agnoscunt postremo Democratiam, quam Latini Rempublicam vertunt quidem sed latiore vocabulo, quam sit democratia. Ubi scilicet res, hoc est, imperium, penes populum publicum sive universum est. Ut cum omnes magistratus, honores ac functiones in totius populi sunt potestate. Ea cum degenerat, vocant Graeci *σύστρεμμα ἢ σύστασιν* hoc est seditionem, conspirationem ac tumultum. Ubi se nemo patitur in ordinem cogi, sed pro publica potestate, quam sibi quisque de integro vendicat, eo quod totius populi pars sit ac membrum, audaciam cupiditatemque suam quisque sequitur. Unde liberae conspirationes et factiones p), ex quibus caedes, direptiones, iniuriae, cae-
90 teraque perduellionis ac seditionum mala. Ista Graecorum de magistratu discrimina sic et agnoscimus et corrigimus. Rex si imperat aut princeps, observandum esse colendumque docemus, iuxta Christi verbum, Date Caesari sua, et sua deo. Per Caesarem enim intelligimus quemque magistratum cui imperium est vel haereditario vel electionis iure consuetudineque vel permissum

---

m) MS. Turic. *Hieremiam.* Sic ubique. — n) *Christianissime*] Bull. *pliissime.* — o) *Magistratus* om. MS. Turic., sed in marg. habet *De Magistratu.* — p) MS. Turic. *seditiones* pro *factiones.*

Digitized by Google

vel traditum. Quod si rex aut princeps tyrannus fit, iam audaciam corrigimus et obiurgamus, opportune et importune. Sic enim ait dominus ad Ieremiam, Ecce ego constitui te super gentes et regna etc. Si monitorem audit, lucrifecimus toti regno patriaeque patrem: sin contumacius vim facit, docemus eousque impio quoque parendum esse donec illum dominus aut magistratu imperioque amoveat, aut consilium suppeditet quo ipsum functione exuere et in ordinem compellere possint quibus ea provincia incumbit. Eodem modo intenti sumus et vigilamus, si aut Aristocratia in Oligarchiam aut Democratia in σύστρεμμα degenerare incipiat. Habemus autem exempla scripturae quibus discimus quae sic doce- 91
mus et urgemus. Saulum tulit Samuel, donec regno cum vita exueret dominus. David ad correptionem Nathan resipuit et in regno multa cum tentatione mansit. Ahab cum uxore vita privatus est quod ab impietate recedere nollet Helia castigante. Ioannes intrepide obiurgavit Herodem cum incestus eum nihil puderet. Sed longum esset omnia scripturae exempla producere. Docti et pii cognoscunt quid quibus ex fontibus dicamus. Summa. In ec- 92
clesia Christi aeque necessarius est Magistratus atque Prophetia q), utcunque illa sit prior. Nam sicut homo non potest constare nisi ex anima et corpore, quantumvis corpus sit humilior pars atque abiectior: sic et ecclesia sine magistratu constare non potest, utcunque magistratus res crassiores et a spiritu alieniores curet ac disponat. Pro magistratu ergo orare ad dominum cum duo praecipua religionis nostrae lumina Ieremias et Paulus iubeant, ut vitam deo dignam liceat ducere, quanto magis debent omnes qui in quocunque regno aut populo sunt omnia et ferre et facere ut Christiana tranquillitas custodiatur? Hinc tributa docemus, vectigales, redditus, decimas, deposita, credita promissaque omnia cuiuscunque generis solvi debere, et in hisce rebus omnino legibus publicis parendum esse.

## REMISSIO PECCATORUM.

XI. Peccatorum remissionem sic credimus, quod ea per 93
fidem homini certe contingat quoties ad deum per Christum interpellat. Nam cum Christus Petro dixerit septuagies septies, hoc est, infinities ignoscendum esse, iam fieri nequit quin et ipse semper condonet admissa. Per fidem autem diximus remitti peccata, quo nihil aliud volumus quam dicere, solam fidem certum reddere hominem de remissis sceleribus. Ut enim sexcenties Pontifex etiam Romanus dicat, Condonata sunt tibi delicta, nunquam tamen quieta fit mens ac certa de reconciliatione numinis, nisi cum ipsa apud se videt ac credit citra omnem dubitationem, imo sentit se absolutam ac redemptam esse. Sicut enim fidem

q) Ms. Turic. et Bull. in marg.: *Prophetia est officium praedicationis ac denunciationis voluntatis divinae.*

Digitized by Google

nemo potest nisi spiritus sanctus dare, sic neque remissionem peccatorum.

94 Confirmatio, satisfactio, et expiatio criminum per solum Christum pro nobis passum impetrata est apud deum. Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, et non pro nostris tantum sed pro totius mundi, ut inquit cognatus illi apostolus et evangelista. Cum ergo ille pro peccato satisfecerit, quinam fiunt quaeso participes illius satisfactionis et redemptionis? Ipsum audiamus: Qui in me credit, hoc est, qui in me fidit, qui me nititur, habet vitam aeternam. At vitam aeternam nemo indipiscitur nisi
95 cui peccata adempta sunt. Qui ergo Christo fidit, ei remittuntur peccata. Ut igitur nemo novit de quoquam an credat: sic nemo novit an alicui sint remissa peccata, nisi solus iste qui per fidei lucem et firmitatem certus est de venia, eo quod scit deum sibi ignovisse per Christum, et de ista remissione iam certus est, ut ne ambigat quidem de peccatorum gratia, quia scit quod deus nequit fallere aut mentiri. Cum ergo de sublimi dixerit, Hic est filius meus dilectus in quo placor, vel per quem in gratiam redeo, iam nequit fieri, quin, quotquot deo fidant per Christum eius filium, nostrum autem dominum ac fratrem, sciant sibi gra-
96 tiam scelerum esse factam. Frivola igitur haec omnia videntur, Ego te absolvo: et, Ego te certum facio quod peccata tibi dimissa sunt. Nam utcunque praedicant Apostoli peccatorum remissionem, adhuc remissio nullis contingit nisi credentibus atque electis. Cum ergo et electio et fides aliorum hominum nos lateat, quantumvis de nostra fide et electione spiritus domini certos reddat, iam et hoc latet, an alii sint remissa peccata. Quomodo igitur potest homo hominem certum facere quod ei remissa sint peccata? Artes sunt et nugae merae quicquid in hac re Romani invenerunt Pontifices.

## FIDES ET OPERA.

97 Sed cum in materiam fidei incidimus, volumus tuae maiestati brevem rationem reddere, quomodo nos de fide et operibus doceamus. Sunt enim qui nos iniquius traducunt quasi vetemus bona opera. Cum tamen hac in re perinde ac[r]) in omnibus aliis nihil aliud doceamus quam quod divina monent oracula quodque intellectus omnis suadet. Quis enim rerum tam imperitus est ut non dicat, Opus ex consilio proficisci debere? Aut, Opus sine consilio non esse opus, sed casum? Sic Fides in mente humana est perinde atque consilium in rebus gerendis. Consilium nisi praecedat factum, temerarium est ac frivolum quicquid exit. Fides nisi arcem tenuerit ac omni operi imperaverit, iam quicquid moliamur et irreligiosum et irritum est. Nam et nos homines in quovis opere fidem magis spectamus quam opus. Fides si desit,

r) MS. Turic. *atque.*

Digitized by Google

operis pretium labitur. Si maiestati tuae, o Rex, quispiam opus 98
magnum faciat, at non ex fide, an non protinus dicis te gratiam
illi qui fecit non debere quod ex animo non fecerit? Quin po-
tius quicquid tibi faciat aliquis absque fide, protinus sentis ali-
quam perfidiam latere, ut is, qui opus facit absque fide, semper
deprehendatur in aliqua esse perfidia, ut sui non tui commodi
causa fecisse videas. Sic et in operibus nostris hic est ordo et 99
regula. Fidem oportet esse fontem operis. Si fides adsit, iam
opus ipsum gratum est deo: si desit, perfidiosum est quicquid fit,
et subinde non tantum ingratum, sed etiam abominabile deo.
Hinc est ut divus Paulus dixerit, Rom. 14. Quicquid non est
ex fide, peccatum est. Et ex nostris quidam παραδόξως adserue-
rint, omne opus nostrum esse abominationem. Qua sententia ni-
hil aliud voluerunt quam quod iam diximus. Si opus nostrum sit
et non fidei, iam sit perfidia, quam deus abominatur. Fides au-
tem, ut supra monuimus, a solo dei spiritu est. Qui ergo fidem
habent, in omni opere ad dei voluntatem velut ad archetypum
spectant. Ex operibus ergo reiiciuntur non tantum quae contra 100
legem dei fiunt, sed etiam ista quae sine lege dei fiunt. Lex
enim est perpetua voluntas dei. Quae igitur sine lege, hoc est,
sine verbo et voluntate dei fiunt, non sunt ex fide. Quae non
sunt ex fide, peccatum sunt: si sunt peccatum, iam aversatur illa
deus. Unde adparet, quod, etsi opus, quod deus praecepit, pu-
ta[s]) eleemosynam, quis faciat absque fide, opus illud deo non
sit gratum. Cum enim inquirimus quisnam fons sit huius eleemo-
synae quae non ex fide orta est, invenimus[t]) ex vana gloria vel
cupiditate plus recipiendi vel aliquo alio adfectu malo scaturi-
visse. Et eiusmodi opus quis non credat displicere deo?

Patet igitur, quod ea opera, quae sine voluntate dei facta 101
sunt, etiam sine fide sint facta: et cum absque fide facta sunt,
peccatum sint iuxta Pauli verbum. Et peccatum cum sint, ab-
ominatur ea deus. Quicquid ergo a Romanensibus istis citra
verbi divini autoritatem ac testimoninm conflatum est quasi pium,
sanctum ac deo gratum sit, qualia sunt fictae indulgentiae, pur-
gatorii restinctio, coacta castitas, varietas ordinum ac superstitio-
num, quas taedium esset narrare, peccatum est et abominatio
apud deum.

Porro de iis operibus quae secundum legem dei fiunt, puta 102
cum famelicum saturamus, nudum vestimus, captivum solamur,
ardua quaestio est an illa mereantur. Quod mereantur, scriptu-
ram adducunt adversarii. Si quis cui calicem aquae frigidae in
nomine meo dederit non frustrabitur mercede sua: at quod non
mereantur verbum domini perinde testatur, Cum haec omnia fe-
ceritis, dicite, Servi inutiles sumus. Nam si mererentur opera
nostra beatitudinem, iam non fuisset Christi morte opus ad pla-

s) *puta* om. MS. Turic. — t) MS. Turic. *invenienus.*

Digitized by Google

candum divinam iustitiam, iam non esset gratia, cum condonantur admissa, mereri enim quisque posset. De qua re Paulus irrefragabiliter in Rom. et Gal. disserit. Oportet enim verum esse quod ad patrem nemo venit nisi per Christum. Ergo sola gratia et liberalitate dei, quam in nos per Christum abunde effudit, con-
103 tingit aeterna foelicitas. Quid ergo dicemus ad superiorem scripturae locum de mercede promissa pro haustu aquae frigidae et ad similes? hoc scilicet, Electionem dei liberalem esse ac gratuitam: elegit enim nos ante mundi constitutionem antequam nasceremur. Ergo non eligit nos deus propter opera, sed elegit ante mundi creationem.[u]) Non merentur igitur opera. Cum autem operibus mercedem promittit, humano more loquitur; Quid enim remuneras bone deus, inquit Augustinus, nisi tuum opus? Cum enim tu efficis in nobis et velle et perficere, quid relinqui-
104 tur quod nobis vendicemus? Sed cum homines partim incitentur promissis ad opus bonum, partim tam benigni ac[v]) liberales sint ut eis quos beneficio adfecerunt dicant, Ego istud tibi debui, tu bene meritus es, aut aliquid huiusmodi, ne se abiiciat in mendicantium numerum, qui beneficium accepit, vult enim qui alium amat cavere ne is deiecto sit animo. Iam deus quoque quos amat multo magis erigit sua liberalitate, non ad contemptum suum sed ad cultum ac observantiam, et quae ipse per nos facit, nobis tribuit ac velut nostra remunerat, cum illius sit non tantum quic-
105 quid operemur, sed etiam quicquid sumus ac vivimus. Deinde solet deus cum hominibus loqui hominum verbis atque more. Cum ergo homines iis dent qui bene sunt meriti, et quae dantur merita adpellentur, iam deus sua quoque dona mercedem aut praemium adpellat. Constat ergo meriti aut praemii nomen quidem haberi in divinis literis, sed loco liberalis doni. Quid enim mereatur qui per gratiam est, qui per gratiam accipit quicquid habet?
106 Sed simul hoc adnotandum est. A piis hominibus opera idcirco non intermitti, quod proprie loquendo non mereamur operibus. Sed quanto maior est fides, tanto plura maioraque facimus opera, sicut Christus ipse testatur Ioan. 14. Amen amen dico vobis, quod, qui in me credit, opera quae ego facio ille quoque faciet, immo maiora faciet. Et, Si fidem habeatis[w]) instar grani sinapis, iam si monti isti dicetis migra hinc et in mari se-
107 dem pone, iam parebit. Unde parum aequi nobis sunt, qui, dum fidem anxie praedicamus, dicunt nos docere, nihil boni operandum esse. Et veritatem ludibrio exponentes sic calumniantur, Haec pro nobis doctrina est amici, sola fide beamur, non ieiunabimus, non orabimus, non opem feremus egeno. Qua calumnia nihil nisi incredulitatem suam produnt. Nam si scirent fides quale donum dei est, quam efficax virtus, quamque

---

u) *antequam nasceremur. Ergo ..... creationem*] om. MS. Turic. — v) MS. Turic. *et*. — w) MS. Turic. *habueritis*.

Digitized by Google

indefessa actio, non contemnerent quod non habent. Fiducia 108
enim in deum, qua homo cunctis animi viribus numini nititur, nihil nisi divinum cogitat et molitur, immo deo placita non moliri nequit. Fides enim cum spiritus divini sit adflatus, quomodo potest quiescere aut otio desidere, cum spiritus ille iugis sit actio et operatio[x])? Ubicunque ergo vera fides est, ibi et opus est, non minus quam ubi ignis isthic et calor est. Ubi vero fides non est, iam opus non est opus, sed inanis simulatio operis. Ex 109
quibus colligitur, quod, qui operibus nostris mercedem adeo importune postulant, quique ab operando opus dei idcirco cessaturos se dicunt, quod opus nulla merces maneat, servili animo praediti sunt[y]), servi enim pro pretio tantum operantur, segnes etiam. Qui vero fidem habent, assidui sunt in opere dei, perinde ac filiusfamilias. Hic non meritus est operibus ut sit haeres patrimonii, neque in hoc operatur et laborat ut haeres fiat, sed cum nasceretur haeres erat patris bonorum nativitate non merito. Et cum assiduus est operi[z]), non postulat mercedem, scit enim omnia sua esse. Sic filii dei, qui scilicet fidem habent, sciunt se divina hoc est spiritus nativitate et gratuita electione filios dei esse, non servos. Cum ergo filii familiae sint non quaerunt quae sc merces maneat, omnia enim nostra sunt, haeredes enim dei sumus et cohaeredes Christi. Libere igitur, hilariter ac citra omne taedium operantur. Immo nullum tam ingens opus est quod non credant perfici, sed eius quo fidimus, non nostra virtute. Cum vero in ecclesia sint morbi isti, incredulitas et fidei imbecillitas[a]), sunt enim quidam qui prorsus 110
non credunt, ii scilicet qui in coena iudicium sibi manducant et bibunt, quales Iudas et Simon Magus fuerunt. Sunt et qui languidam fidem habent, ii scilicet qui temere fluctuant quovis metu imminente, quorum fides spinis, hoc est curis ac studio rerum mundanarum, oppressa iacet, neque fructum sive opus sanctum germinat. Iam istos urgemus perinde ac Christus, Paulus et Iacobus, ut, si fideles sint, opere sese nobis probent esse fideles, fidem sine operibus mortuam esse, arborem bonam bonos quoque fructus praebere, filios Abrahae opera Abrahae facere, in Christo nihil valere nisi fidem quae per charitatem operatur, ut sic legem non minus praedicemus quam gratiam. In lege enim, electi ac fideles, voluntatem dei discunt, impii terrentur, ut aut metu aliquid faciant in usum proximi, aut desperationem perfidiamque suam prodant. Sed simul nihili pendant admonemus, ea opera quae nos humana arte effinximus ut eis deo serviamus, quae certum est illi non magis placere quam si quis tibi, o Rex, cupiat servire aliqua ratione quam tu non ames. Tibi ergo si serviendum est

x) MS. Tur. et Bull. in marg.: *ἐντελέχεια.* — y) MS. Turic. *sint.* — z) *operi*] MS. Turic. *in opere.* — a) MS. Tur. et Bull. in marg.: *ἀπιστία καὶ ὀλιγοπιστία.*

Digitized by Google

pro tua voluntate, quanto magis in conspectum dei non adferemus opera quae ille non praecepit nec amat? Fontem ergo effodimus ex quo bona opera profluant cum fidem docemus. Contra cum opera urgemus, velut debitum exigimus quod sine coactore non redderetur.

## VITA AETERNA.

111 XII. Postremo credimus post hanc vitam, quae captivitas et mors potius est quam vita, foelicem ac iucundam sanctis sive credentibus, miseram autem ac tristem impiis sive perfidis usuventu-
112 ram, et utramque perpetuam. Qua in re et istud adversus Catabaptistas, qui animas cum corporibus dormire usque ad universale iudicium contendunt, adserimus, Animum sive angeli sive hominis non posse quidem dormire aut otiari, tam abest ut isti quicquam rationi consonum dicant. Animus enim substantia est adeo vivax ut non modo ipse vivat, sed ubicunque habitet iam domicilium quoque suum vivificet. Angelus cum corpus adsumit sive aereum sive recens creatum, mox istud sic vita donat ut moveatur, operetur, agatur et agat. Animus humanus ut primum corpus incessit protinus vivit, crescit, movetur, ac caetera vitae munera exercet. Qui ergo fieret ut animus corpore solutus torperet aut dormiret? Adpellant animum Philosophi actum sive actionem a vivaci vigilantique hoc est perpetua operatione ac virtute. Quam vim Graeci significantiore vocabulo exprimunt, cum eam ἐντελέχειαν vocant, hoc est iugem virtutem, operationem, actua-
113 tionem ac ductum. Constituta sunt visibilia in mundo a divina providentia eo ordine ut ab illis ad invisibilium cognitionem ascendere humana mens possit. Habent ignis et aer inter elementa eum locum quem animi inter corpora. Ut aer per universum mundi corpus nusquam deest: sic pervadit omne humanum corpus anima. Ut ignis nusquam est sine praesenti operatione: sic animus nusquam non operatur. Id quod in somno quoque deprehenditur: somniamus enim, et meminimus somniorum. Somnus igitur corporis munus est, non animi. Nam anima interim vegetat corpus, reficit, et quod detritum erat restituit, ut nunqum cesset operari, agere et movere quamdiu est in corpore. Ut ergo ignis sine luce non est, sic animus nunquam consenescit ut torpeat, tenebrescat, occidat aut dormiat: semper enim vivit, vigilat ac viget.

114 Sed hactenus philosophatum sit de animo. Nunc ad scripturae testimonia veniendum est, quibus probetur[b]), animum nunquam interdormire. Qui credit non venit in iudicium, sed transit[c]) a morte in vitam. Qui ergo in hac vita credit, iam sentit quam suavis est dominus, et coelestis vitae initium ac gustum quendam capit. Si ergo is animus, qui hic in deo vivit, mox ut corpore excessit, dormit, iam praestantior est vita Christiani hominis in

b) MS. Turic. *probatur*. — c) MS. Turic. *transiit*.

Digitized by Google

hoc mundo quam cum e[d]) mundo migrat, isthic enim dormit dum hic vigilans ac sentiens deo fruitur.

Qui credit in me habet vitam aeternam. At vita non est[e]) 115
perpetua (hic enim aeternum pro perpetuo accipitur) si ea anima vita qua hic utitur postmodum somno intercipitur.

Volo pater, ut, ubi ego sum, isthic sit et minister meus. Si 116
ergo cum deo sunt Diva virgo Maria, Abraham et Paulus, quae vitae ratio est in coelis aut quod ingenium numinis, si isthic dormitur? Anne et numen dormit? si dormit non est numen, quicquid enim dormit vicarium est, et ideo dormit ut fessum respiret: si numen fatigatur, iam non est numen, illud enim insuperabile est omni operi ac labori: si numen non dormit, iam animos quoque sic est necessarium non dormire, sicut necessarium est aerem esse perspicuum ac dilucidum cum sol supra terram est. Stultum igitur ac frivolum est Catabaptistarum commentum, quibus non est satis homines dementavisse, nisi et viventis dei certa et infallibilia oracula foedaverint. Haberemus adhuc multa testimonia, Haec est vita aeterna ut cognoscant te etc. Et, Accipiam vos ad meipsum, ut ubi ego sum et vos sitis: aliaque huiusce sententiae, sed brevitatem servabimus.

Credimus ergo animos fidelium protinus ut ex corporibus 117
evaserint subvolare coelo, numini coniungi aeternoque gaudere. Hic tibi sperandum est, o piissime Rex, si modo instar Davidis, Ezechiae et Iosiae rerum summam a deo tibi creditam moderatus fueris, visurum esse, primum, Numen ipsum in sua substantia, in sua specie, cumque universis dotibus opibusque illius: fruiturumque his omnibus, non parce sed ad satietatem, non ad fastidium quod ferme comitatur saturitatem, sed ad iucundam impletionem, quae perinde non adficitur taedio, atque flumina dum perpetuo in mare defluunt et per terrae abyssum refluunt, nullum adferunt rebus humanis taedium, sed commodum potius ac gaudium semper rigando, laetificando ac nova germina fovendo. Bonum quo fruemur infinitum est, infinitum hauriri nequit, ergo fastidium eius neminem potest capere, semper enim et novum et idem est. Deinde sperandum est tibi visurum esse sanctorum, prudentium, 118
fidelium, constantium, fortium, virtuosorum omnium, quicunque a condito mundo fuerunt, sodalitatem, coetum et contubernium. Hic duos Adam, redemptum ac redemptorem: hic Abelum, Enochum, Noam, Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Iudam, Mosen, Iosuam f), Gedeonem, Samuelem, Pinhen, Heliam, Heliseum, Isaiam ac deiparam virginem de qua ille praecinuit, Davidem, Ezekiam g), Iosiam, Baptistam, Petrum, Paulum: hic Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones: hic Ludovichum pium antecessoresque tuos

d) MS. Turic. *a* pro *c*. — e) *est* om. MS. Turic. — f) MS. Turic. *Iosiam* pro *Iosuam*. — g) MS. Turic. *Ezechiam*. —

Digitized by Google

Ludovicos, Philippos, Pipinnos, et quotquot h) in fide hinc mi-
119 grarunt maiores tuos videbis. Et summatim, Non fuit vir bonus, non erit mens sancta, non est fidelis anima, ab ipso mundi exordio usque ad eius consummationem, quem non sis isthic cum deo visurus. Quo spectaculo i) quid laetius, quid amoenius, quid denique honorificentius vel cogitari poterit? Aut quo iustius omnes animi vires intendimus quam ad huiuscemodi vitae lucrum? Cum interim somniantes Catabaptistae merito somnum dormiant apud inferos a quo nunquam expergefiant. Venit autem hinc eorum error, quod nesciunt apud Hebraeos dormiendi verbum poni pro verbo moriendi, quomodo saepius apud Paulum, quam huc sit opus ponere, habetur.

## DE CATABAPTISTIS.

120 Quoniam vero in Catabaptistarum mentionem incidimus, volumus tibi, o Rex, paucis eius sectae rationem perstringere. Genus est fere hominum perditorum et prae angustia rerum extorrium, quorum quaestus est, anus magnifico de rebus divinis sermone demereri, quo aut alimentum aut non minimam stipem depromant. Et omnino eandem sanctimoniam, quam Irenaeus tuus (fuit enim Lugduni tuae Episcopus) k) de Valentinianis et Nazan-
121 zenus de Eunomianis scribunt, simulant. Qua deinde freti docent, Christianum non posse magistratum esse: Non licere Christiano, etiam lege etiam sontem, occidere: Non bellandum esse, etiam si tyranni, impii, violenti, immo latrones, quotidie diriperent, occiderent et excinderent: Non praestandum esse iusiurandum: Non debere Christianum tributa aut vectigales exigere: Communia debere esse omnia: Dormire animas cum corporibus: Uxores plures virum habere in spiritu, cum quibus tamen rem carnaliter habeat, posse: Decimas ac redditus pendi non debere. Et sexcenta alia, imo quotidie novos aliquos errores velut lolium interserunt
122 iusto dei semini. Qui tametsi a nobis abierint quia ex nostris non erant, sunt tamen qui nobis omnes illorum errores imputent, cum acrius contra eos pugnemus quam quisquam, diversumque, quam
123 ipsi, in omnibus ante dictis doceamus. Quapropter, optime Rex, si alicunde tuae maiestati deferremur, quasi magistratum tollamus, iusiurandum non esse praestandum perhibeamus, et caetera, quae catabaptistica lues mundo ogganit, doceamus, iam per veritatem, cuius te amantissimum praedicant, oro ac rogo, ne huius quicquam de nobis, hoc est, de iis qui in Christianae civitatis urbibus evangelium adnunciamus, credas. Non enim tumultuamur, non infirmamus magistratum vel autoritatem vel leges, non sumus in hoc ut quisquam fidem debitumque non praestet, quantumvis istorum

h) MS. Turic. *spectando* pro *spectaculo*. — i) Bull.: hic antecessores tuos et quotquot sqq. Nomina propria addidi ex MS. Tur. — k) *Irenaeus ... Episcopus*] Bull. *Irenaeus Lugdunensis episcopus.*

Digitized by Google

nos quidam insimulent non iam occultis delationibus sed publicis scriptis, quos hac potissimum causa non confutamus, quod iam furiosorum librorum mundus plenus est, quodque res ipsa quotidie manifestum facit quam mendaciter scribant qui haec de nobis in vulgum spargunt, non Christi gloriae sed suae ac ventri consulentes. Obrepit autem illa Catabaptistarum lues isthic potis- 124
simum ubi sincera Christi doctrina oriri coeperit, quo facilius videas, o Rex, a malo daemone immitti, ut in herba salutare semen extinguat. Vidimus urbes ac oppida quae recipere evangelium pulchre coeperant, hac lue infecta et veluti remora impedita stetisse, ut prae confusione nec divina nec humana curare potuerint. Quocirca et Maiestatem tuam moneo, verbo absit in- 125
vidia, scio enim quam stipatus sis optimis consiliis, sed non praevenitur quod non praevidetur consilio. Si istud malum tuis veniret in animum, scio quod facile prospicerent, sed cum periculum istud nimirum ignorent, iam credo monitorem non aegre feres. Moneo igitur, quoniam fieri nequit quin et in regno tuo scintillae quaedam renascentis evangelii micent, ut a Papistis, quorum potentia plus aequo crevit, non patiaris bonum semen strangulari, nam pro illo Catabaptistarum lolium tibi, nihil tale suspicanti, cresceret, quo tanta confusio rerum omnium per omne regnum tuum fieret, ut medelam invenire labor esset.

Haec est summa fidei praedicationisque nostrae, qua utimur 126
per dei gratiam, parati cuivis rationem reddere, non enim vel iotam unam docemus quam non ex divinis oraculis didicerimus. Neque adserimus sententiam ullam cuius non primarios ecclesiae doctores, prophetas, apostolos, episcopos, evangelistas, interpretes, sed priscos illos, qui purius ex fonte hauserunt, autores habeamus. Id fatebuntur qui scripta nostra viderunt et expenderunt.

Proinde, sanctissime Rex, (quid enim vetat sanctissimum 127
vocari qui Christianissimus est?[l])) accinge te ut renascentem ac reducem Christum honorifice accipias. Video enim numinis providentia factum, ut Francici reges Christianissimi sint adpellati, quoniam renovatio evangelii filii dei te rege futura erat. Quem amici simul ac inimici omnes praedicant natura benignum ac suavem, iudicio aequum et gnarum, mente vero sagacissimum atque fortissimum. Eis inquam dotibus praedivitem te numen fecit, ut hoc saeculo splenderes quo ipse cognitionis suae lumen redaccenderet.[m]) Macte igitur virtutibus istis heroicis prodi, Princeps Christiane[n]), clypeum et hastam corripe, atque in perfidiam ipsam incursionem impressionemque

---

l) Verba parenthesi inclusa addidi ex MS. Tur. — m) *Video enim numinis — redaccenderet*] Bull.: *Oportet enim Principem Christianum esse natura benignum ac suavem, iudicio aequum et gnarum, mente vero sagacissimum atque fortissimum, eis inquam dotibus praedivitem esse ut hoc saeculo splendeat quo deus cognitionis suae lumen redaccendat.* — n) Bull.: *Princeps Christane* MS. Tur. om.

Digitized by Google

facito, animoso isto ac intrepido animo tuo corporeque omni elegantia conspicuo o). Ut cum reliqui reges te primum videant Christianissimum Christi gloriam vindicare, te sequuntur, et antichristum eliminent. Da ut salutaris doctrina pure in regno tuo praedicetur. Polles prudentibus ac doctis viris, opibus, populoque ad religionem propenso, non feres igitur animos et dei
128 et tui observantissimos superstitione seduci p). Nihil hic timendum quod calumniatores, ad obsistendum veritati, falso vociferantur. Bella sancta et iusta non modo tui sed exterae quoque gentes sociae bellabunt. Iusiurandum praestabunt citra cunctationem, non iam vulgus sed prophetae quoque ipsi, cum hactenus Papistae illud detrectaverint. Tributa pendent et prophetae atque vectigales, tam abest ut docturi sint non esse pendenda. Sua cuique iura relinquent integra. At si quid delinquitur arguent quidem sed propter nulla temporalia tumultuabuntur, ut, qui hisce in rebus iudicem ordinarium agnoscant, quantumvis et illum corripiant ac taxent cum peccat. Crede crede, magnanime Heros, nihil
129 istorum malorum usuveniet, quae Papistae minantur. Dominus enim ecclesiam suam protegit. Utinam liceat ut oculis tuis videas Principum quorundam qui in Germania evangelium receperunt statum, Urbium autem innocentiam, iucunditatem ac constantiam. Iam ex ipso fructu q) dices, Non dubito ex deo esse quod natum est. Tu pro tua fide ac prudentia cuncta expende. Et ignosce ausui nostro quo tuam Maiestatem rustice interturbamus. Res enim sic postulavit. Tiguri Mense Iulio, Anno 1531. r)

Christianissimae s) Maiestatis tuae

*Deditissimus Huldrychus Zuinglius.*

## APPENDIX DE EUCHARISTIA ET MISSA.

130 Sunt quaedam quae superiori expositione delibavimus parcius, ea nunc expositione copiosiori persequemur. Praecipue vero demonstrabimus quod Papistae t) a veritate decidunt, cum se pro peccatis offerre Christum in Missa promittunt, qui ut semel sese in cruce et iterum patri in coelo obtulit, sic peccatorum remissionem et aeternae foelicitatis gaudium meruit et impetravit, ut qui se illum patri offerre iactet non alia re magis possit Christum antiquare aut negare. Quod hac via dilucidum facere conabor.

131 Primum ab adversariis quaero, Quisnam hominum Christum

o) MS. Turic. *conspicito*, sed in marg.: *Vide an conspicuo sit scriptum.* — p) Omnia inde a verbis: *corporeque omni elegantia..* usque ad verba: *superstitione seduci* addidi ex MS. Tur. — q) MS. Turic. *ex fructu ipso*, hoc ord. — r) Mensem et annum postea addidit Bibliander in MS. Turic. — s) *Christ.* vocab. addidi ex MS. Tur. — t) *Appendix — — quod Papistae*] MS. Turic. *Alterum vero quod me expositurum recepi hoc est. Quod Papistae.* — Scilicet in MS. haec Appendix iam ante articulum de Ecclesia legitur, vid. supra §. 84. Sed postea mutavit Bibliander, uti Bullingerus edidit.

Digitized by Google

obtulerit cum in crucem est actus? Respondere aliter nequeunt, quam, neminem illum obtulisse sed a seipso esse oblatum. Id quod prophetae, ipse, ipsiusque apostoli sunt testati. Oblatus est quia ipse voluit. Nemo tollit a me animam meam. Et, Potestatem habeo ponendi animam meam atque iterum sumendi eam. Ego animam meam do pro ovibus meis. Et, Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego depensurus sûm pro mundi vita. Qui per spiritum sempiternum seipsum obtulit immaculatum deo. Si ergo 132
Christus tunc a nemine quam a seipso est oblatus, quaero secundo, An ista vera sui ipsius in mortem oblatio habeat aliquid discriminis cum ista qua eum Papistae offerunt? Si dicant nullum esse discrimen, iam sequetur[u]) Christum hodie quoque pati ac doloribus adfici, immo mori oportere cum offertur, sic enim scriptum est Heb. 2. Ut per mortem exautoraret eum qui habebat mortis imperium, hoc est, diabolum. Roman. 5. Reconciliati sumus deo per mortem filii eius. Ubi testamentum est, isthic necesse est ut mors testatoris intercedat. Hoc est, Si cui testamento legatum cedere debeat, necesse est ut testator moriatur. Testamentum autem sive legatum nostrum est, gratuita remissio peccatorum, ut habetur Jere. 31. et Heb. 8. Hanc cum nobis legavit divina bonitas, iam necesse fuit ut is moreretur per quem gratia peccatorum nobis legata erat. Sequitur ergo, quod, si Papistae nunc offe- 133
rant, Christus etiamnum moriatur. Nam si offerunt, oblatione tolluntur peccata: si peccata tolluntur, iam mortem necesse est intervenire: sine sanguinis enim effusione non fit remissio. Heb. 9. et Rom. 6. Quod autem mortuus est, propter peccatum est mortuus. Constat igitur omnino ut si Papistae in remissionem peccatorum offerant perinde[v]) ac Christus sese obtulit, etiam occidant, nam sine morte non abolentur peccata.

Si vero inter suam oblationem et eam qua se Christus ipse 134
obtulit aliquod est discrimen, quaero quodnam istud sit. Respondebunt nimirum pro veteri more, hoc esse[w]) discrimen, quod ille se realiter obtulerit, ipsi autem spiritualiter nunc offerant, idcirco tunc necessarium fuisse, ut moreretur, nunc autem quia spiritualis sit illorum oblatio mortem non exigi. Quibus sic oc- 135
currimus. In re tam ardua nullum sermonem ambiguum aut obscurum esse praetereundum, ne scilicet non intellecta virtute sermonis a vero abducamur. Quaero igitur, cum dicunt spiritualiter sese offerre, quidnam intelligant per hanc vocem, spiritualiter. Anne spiritum suum intelligant, ut sit sensus[x]), Christum spiritualiter offerimus, hoc est, in mente recolimus, recordamur, et gratias agimus quod Christus pro nobis oblatus est. Si isto modo intelligunt spiritualiter offerre, cum scilicet in animo offerunt[y])

---

u) MS. Tur. *sequatur.* — v) MS. Turic. *proinde.* — w) MS. Turic. *est* pro *esse.* — x) MS. Turic. *ut sensus sit*, hoc ord. — y) MS. Turic. *adferunt.*



Digitized by Google

Christum, iam a nobis nihil quidem z) dissentiunt, sed a seipsis plusquam τρὶς διὰ πασῶν. Tam enim abest ut Christum hoc modo offerant ut seipsos fide illi dudum oblatos visibiliter quoque in
136 coena offerant. Si per, spiritualiter, spiritum Christi intelligunt, hoc sensu, Spiritualiter Christum offerimus, id est, spiritum Christi offerimus, iam obstat, quod supra quoque adduximus, Christi verbum, Nemo tollit animam meam etc. Nemo enim potestatem in illum habet. Nam et ipse seipsum per spiritum sempiternum obtulit, hoc est, animam et corpus suum in mortem tradidit, voluntate et iussu aeterni spiritus sive consilii. Hoc modo igitur
137 Christum nemo nisi se ipse potest offere. Si vero per spiritualiter intelligunt hoc modo, Nos offerimus verum Christi corpus spiritualiter, hoc est quodam inedicibili modo, ut sit verum corpus non tamen reale aut naturale, sed suo modo spirituale, qui modus nobis ignotus est (sic enim fere loquuntur), iam ostendemus eos nihil quam verba concinnare quae sibi constare non possunt. Cum enim constet Christi corpus verum esse corpus ita ut unum idemque corpus antequam moreretur et postquam surrexit, re et numero maneat, tametsi ex mortali factum sit immortale, ex animali spirituale, hoc est, divinum, purum, impassibile, et spiritui in omnibus obtemperans, nunquam tamen sic mutatur aut transit in spiritum, ut non sit verum naturale realeque corpus, ante mortem quidem corruptibile et a) fragile, post resurrectionem vero incorruptum, firmum ac sempiternum. At
138 unum idemque semper corpus. De vero igitur corpore intelligo, et quaero, An dicant verum corpus offerri, sed modo inedicibili. Respondent, Etiam, nimirum. Quaero ultra, Cur audeant dicere modum esse inedicibilem, cum haec sit prima divisio rerum substantiarumque omnium, quod aut corpus sunt aut spiritus. Quae divisio tam late vagatur ut etiam deum comprehendat, angelos,
139 ac spiritus omnes. Deus enim est spiritus Joan. 4. Cum ergo nobis quaestio sit de quid est, non de quomodo est, ut ipsi cum philosophis loquuntur, hoc est, nos primo quaerimus quid offeratur, deinde quaerimus tandem quomodo offeratur, non quasi velimus operum dei rationem exigere, sed cum de re sive substantia non recte respondent, iam de, quomodo sit, ostendamus minus recte respondere. Sed ne quid Maiestatem tuam offendant sophisticae nebulae, quod dixi propter contentiosos, planissime ac apertissime b) exponam.

140 A Papistis quaero de re primum, Quid offertis pro peccatis in Missa? Respondent, Corpus Christi. Dico ego, Anne verum et reale? Respondent, Etiam. Dico, Si verum et reale
141 offertis, iam duo absurdissima sequuntur. Unum, quod vobis opus quod solius filii dei est sumitis. Ipse enim seipsum obtulit, ut

z) MS. Turic. *quidem nihil*, hoc ord. — a) MS. Turic. *ac*. — b) MS. Turic. *aptissime*.

Digitized by Google

antea dictum est. Nam nemo potest quicquam offerre maius seipso. Sacerdotes veteris testamenti offerebant pecuinas hostias: sed istae tanto erant humiliores ipsis sacerdotibus, quanto belua est homine inferior. Summam autem hostiam offerebat quisque cum seipsum domino dedicaret ac manciparet, hoc est, cum totam mentem c) deo devoveret, totamque vitam cum actionibus universis illius obsequio dederet. Unde et Apostoli nusquam nos docent alia quam nosipsos offerre. Christus ergo per seipsum solum offertur. Nam idcirco solus summus sacerdos in sancta sanctorum et semel tantum in anno ingrediebatur, ut figuraretur quod solus Christus pro peccatis perlitaret. Alterum absurdum est, quod, si Christum 142
pro peccatis offertis, iam Christum occiditis, non enim abolentur peccata nisi morte. Nam granum frumenti nisi mortuum fuerit fructum nullum profert. Si ergo non occiditis, nullum fructum facitis: si occiditis, iam recrucifigitis Christum, qui semel tantum est mortuus et mori ultra non potest, ut in Romanorum et Hebraeorum epistola Apostolus vere ac solide docet. Vide, pruden- 143
tissime Rex, in quas angustias, in quae incommoda velut in syrtes trahi se patiantur ab avaritia Papistae. Christus solus potest seipsum offerre. Oblatio solum tunc fit cum occiditur victima. Peccatum tunc solum aboletur cum perlitatur, hoc est, cum mactata hostia hilari a deo vultu recipitur. Sequitur ergo quod nemo hominum potest Christum offerre, quanto minus Papistae. Sequitur et hoc, ut, si offerrent, occiderent Christum. Cum autem Christus mori ultra non possit, sequitur quod, etiamsi Papistae libenter Christum occiderent, ut vel pro caede pecuniam acciperent, non tamen possint occidere. Mors enim illi dominari ultra non potest. Sed haec omnia magis tuae Maiestati fient perspicua, cum Apostoli testimonia adduxerimus.

Heb. 1. Qui cum sit et radius gloriae et character substantiae 144
eius, quique gerit omnia iussu virtutis suae, per seipsum tamen peccatorum nostrorum expiationem perfecit etc. En tibi, optime Rex, quemnam esse oportuerit qui peccata nostra expiavit. Radius est aeterni solis hoc est summi luminis. Character hoc est similitudo et antitypus aeterni numinis, hoc est, eius substantiae quae seipsa est quaeque omnibus tribuit esse. Omnipotens est, ut cuius iussui omnia pareant. Quae ergo impudentia est dum illum homines offerre contendimus pro peccatis cum ipse sua oblatione peccata lustraverit?

Ibidem ca. 5. Sic et Christus non huc gloriae aut honoris 145
sese ingessit ut pontifex fieret, sed is qui ad eum dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quae ergo impietas et in deum contumelia haec est, ut homo sese pontificem faciat, cum ne filius quidem dei sibi hunc honorem sumpserit, sed a patre acceperit?

c) MS. Turic. *virtutem* pro *mentem*.



Digitized by Google

146 Heb. 7. Talis nos decebat pontifex qui sanctus esset, alienus ab omni malitia, alienus ab omni contagione, alienus ab omni peccatorum scelere, quique coelis esset sublimior etc. Quae nunc creatura sibi sumere audebit ut pontificem se esse glorietur? Cum eum pontificem, qui peccatum aboliturus est, sanctum et sine omni labe esse oporteat?

147 Ibidem. Hic autem noster pontifex tam abest ut non duret in perpetuum, ut etiam sacerdotium illius sit perpetuum, quo fit ut semper salvare sive liberare possit eos qui per se ad deum veniunt supplicatum, perpetuo in hoc vivens ut pro eis interveniat. Quae stultitia est ei subrogare sacerdotes qui nec officio neque vita decessit? Christus sempiternus est sacerdos, sempiternus advocatus noster apud deum. Cur igitur nobis alios paramus advocatos? Num mortuus est Christus? Num causam nostram deseruit? En fortissime Rex, ut contumeliosi in deum sint, ut Christum negent, qui se sacerdotes faciunt.

148 Ibidem. Hic noster non habet necesse, quemadmodum pontifices, primo pro suis offerre peccatis, deinde pro populi, hoc enim (pro populi scilicet) semel fecit, seipsum offerendo. Semel videmus hic Christum oblatum. Quae ergo impuritas actum agere? Dum ille semel oblatus expiationem peccatorum perfecit, eaque per illum perpetuo durat, iam qui ipsum se offerre gloriatur, tantundem facit, ac si quis iactaret se mundum creare. Is enim ubi semel est creatus perpetuo durat, sic et redemptio semel per Christum impetrata aeque perpetuo durat. Non sunt enim opera dei ut opera hominum ut instaurationem aut refectionem ni sortiantur corruant.

149 Ibidem 8. ca. Summa praedictorum haec est. Nos talem habemus pontificem qui in coelo sedet ad dexteram throni magnificentissimi etc. Quae igitur praesumptio est, sese pontificem aut liturgum facere, cum solus is sit noster pontifex qui ad dexteram dei sedet?

150 Ibidem cap. 9. Cum autem Christus advenit, pontifex futurorum bonorum, per maius perfectiusque tabernaculum, ut quod manibus factum, hoc est, humano more conditum non erat. Neque cum sanguine hircino aut vitulino, sed cum proprio sanguine in sancta ingressus est semel, redemptionemque [d]) perpetuam impetravit. Quae ergo contumacia est, filii dei provinciam sibi sumere? cum ille proprium sanguinem obtulerit et solus obtulerit, ut peccatis obnoxius homo iactet se eundem offerre sanguinem quem ille semel tantum obtulit, sed adeo ampliter ac [e]) abunde, ut comparata redemptio in perpetuum duret. Deus enim sempiternus est qui redemit, idem et creavit. Adducam ex hac epistola unum adhuc testimonium, in quo quicquid diximus velut in tabella perspicitur.

151 Heb. 9. Non enim ingressus est Christus in manu facta sancta, quae verorum sanctorum typus tantum essent: sed in ipsum

d) MS. Turic. *redemptionem*, omisso *que*. — e) MS. Turic. *et*.

Digitized by Google

coelum, ut nunc compareat vultui dei pro nobis. Neque ingressus est ut saepe seipsum offerat, quemadmodum Leviticus Pontifex quotannis cum alieno sanguine ingreditur, alioqui f) oportuisset cum crebro pati a condito mundo, sed semel nunc in ultimo saeculo g) cum sui ipsius victima comparuit ad peccatorum expiationem. En ut offerri requirat pati. Quae igitur oscitantia ista, non videre, quod ubi offertur Christus isthic et moritur? Cum autem h) semel tantum potuerit mori, potuit tantum semel offerri. Sed semel oblatus in perpetuum purificat sanctificatos, hoc est ad aeternam vitam destinatos. Coelo sedere oportet qui patrem nobis conciliat. Unde et vera Christi ecclesia ea adpellatur quae omnia per Christum et possidet et impetrat.

Sed quid maiestatem tuam pluribus turbarem? cum sole sit 152
clarius, Christum neminem posse offerre quam ipse seipsum. Secundo semel tantum posse offerri eundem. Nam si eius oblatio interaretur, hinc esset quod sua non esset sufficiens. Tertio, quod, si offerretur, denuo pateretur. Constat igitur quod Papistae Christum et negant et evacuant. Verum cum veteres Theo- 153
logi qui religionem Christianam purius ac mundius et hauserunt et tractaverunt, Eucharistiam (nam Missae nomen usque post Augustini tempora non est auditum) creberrime oblationem vocent i), obiicere quis posset, Cur ergo isti oblationem appellaverunt, si non est vere oblatio? praesertim cum omnium iudicio doctius ac k) tersius locuti sint quam recentiores? Respondeo: Quanto quisque 154
est doctior et religiosior, tanto minus aberrat a veritate, utcunque verba formentur. Eruditio enim velut lucerna quicquid ditum est illustrat oculisque exponit. Religio vero vetat, ne quicquam propter verborum speciem recipiatur a veritate alienum, sed sese admonet, iuxta divi Augustini regulam, ac dicit, Utcunque tu verba non capias, aut proprietatem divini sermonis ignores, certum tamen est dei sermonem undique sibi constare, ut, quantumvis diversis locis videatur sibi diversam habere sententiam, contrarius tamen sibi non sit l). Cum autem nobis videtur prima fronte esse contrarius, hinc fit ut aut sermonis ignoratione aut religionis tenuitate hallucinemur. Cum ergo vocant oblationem quae esse 155
vera et naturalis oblatio nequit, iam religio primum est consulenda. Religio vetat, ut satis puto m) dictum est, alium esse posse sacerdotem quam Christum. Nequit ergo ne Papa quidem quantumvis magnus, si illum suo aestimemus iudicio, Christum offerre. Istud cum n) ex religione firmum est, iam ancillatur eruditio. Ea apage dicit iustitiae, Novum non est, res ab inventore, ab 156
autore, aut a significatione, nomen mutuari. Quam vocum com-

---

f) MS. Turic. *alioquin.* — g) Bull. et MS. Tur. in marg.: עתה *νῦν.* — h) MS. Turic. *ergo* pro *autem.* — i) MS. Turic. *vocant.* — k) MS. Turic. *et.* — l) MS. Turic *est* pro *sit.* — m) MS. Turic. *primo* pro *puto.* — n) MS. Turic. *enim* pro *cum.*

Digitized by Google

moditatem Metonymiam, hoc est denominationem, docti vocant. Ut cum Paulus dicit, Velamen est super oculos eorum cum Moses legitur. Hic Moses legem Thorah, hoc est totum vetus testamentum significat, sed non alia ratione quam quia Moses Deo volente iubenteque legem tulit. Et cum Agnus qui in coena edebatur adpellatur Transitus, qui transitum tantummodo significabat.

157 Sic et Eucharistia veteribus erudite ac o) sancte nominata fuit oblatio, non quod esset, sed quod significaret oblationem istam qua Christus sese offerendo, una ista oblatione perfectos reddidit atque expiatos in perpetuum eos qui sanctificati, hoc est, a deo electi sunt p). Sed commentum sit quod dicimus nisi Augustinus eodem modo sentiat in Epistola ad Bonifacium quae est numero vicesimatertia.

## AUGUSTINUS.

158 Saepe ita loquimur, ut pascha propinquante dicamus, crastinam vel perendinam domini passionem, cum ille ante tam multos annos passus sit, nec omnino nisi semel illa passio facta est. Ipso die dominico dicimus, Hodie dominus resurrexit, cum ex quo resurrexit tot anni transierunt. Cur nemo tam ineptus est, ut nos ita loquentes arguat esse mentitos? nisi quia istos dies secundum morum, quibus haec gesta sunt, similitudinem nuncupamus, ut dicatur, ipse dies, qui non est ipse, sed revolutione temporis similis eius, et dicatur illo die fieri propter sacramenti celebrationem, quod non illo die sed iam olim factum est? Nonne semel immolatus est Christus in seipso, et tamen in sacramento, non solum per omnes paschae solennitates, sed omni die populis immolatur, nec utique mentitur qui interrogatus eum responderit immolari? Si enim sacramenta quandam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem *similitudine* plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt: sicut ergo secundum quendam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita sacramentum fidei fides est etc.

159 Ex his Augustini verbis nullo negotio deprehendit celsitudo tua, Immolationem sive oblationem perinde vocari Eucharistiam, atque resurrectionem aut passionem domini, qui dies cum rem veram quae semel gesta est significent ac repetant, earum rerum nomina indipiscuntur q). Constat igitur toto errare coelo Papistas cum Missam sive Eucharistiam oblationem veram faciunt, cum solum sit similitudo et rememoratio oblationis. Constat et hoc, ineptos esse ac imperitos, qui putant sacramenta et panegyres non iure vocari eis nominibus rerum quas significant, quantumvis non sint eae res. Papistae igitur cum ex signis rem

o) MS. Turic. *et.* — p) *sunt*] MS. Tur. add. *Hebr.* 10. — q) MS. Turic. *indipiscantur.*

Digitized by Google

facere contendunt, tantum proficiunt ut omnibus sese indoctos ac imperitos esse prodant.

Taceo reliquos errores, quos in Missa admittunt, aut potius 160
arte fallaci excogitant et fingunt. Quod ea nundinantur et foenerantur, quod non modo contra sanctimoniam nostrae religionis sed contra omnem honestatem pugnat. Qui enim gentilium tam sordide unquam lucro studuerunt ut religionem aperte vitiarent? Quod redemptionem animarum ex purgatorio ea pollicentur, cum neque purgatorius ignis, quomodo isti sentiunt, sit, neque ulla sit quae ad deum penetret hostia quam ea qua se Christus in ara crucis mactavit et obtulit. Quod Christi corpus confici dicunt perinde a perfido atque a fideli. Quod Missam perinde valere dicunt a scelerato peractam atque a pio et sancto. Quod adeo imperite de corpore Christi loquuntur ut dicant in coena edi, ea magnitudine qua in cruce pependit, qua in praesepio iacuit: et sexcenta alia quae tam stulte quam impudenter adserunt. Et interim nos haereticos esse dicunt, si non omni eorum vesaniae adstipulemur, miraque mendacia concinnant, quibus doctrinam nostram suspectam apud eos, ad quos eius fama pervenit, reddant. Quasi negemus Christum esse in coena, negemus eius omnipotentiam, negemus eius verba, et alia eiuscemodi. Sed tu, o benignissime Rex, brevibus accipe sententiam nostram de Christi corpore quomodo sit in coena.

Christum credimus vere esse in coena, immo non credimus 161
esse r) domini coenam nisi Christus adsit. Confirmatur. Ubi duo vel tres fuerint in nomine meo congregati, isthic sum in medio illorum: quanto magis adest ubi tota ecclesia ei est congregata? Sed quod corpus eius ea dimensione edatur qua isti dicunt, id vero est a veritate et fidei ingenio alienissimum. A veritate, quia ipse dixit, Ego posthac non ero in mundo, et, Caro non prodest quicquam, ad edendum scilicet, isto modo quo Iudaei tunc et nunc Papistae putant edendum esse. A fidei autem ingenio abhorret, quia fides (loquor autem de augusta et vera fide) complectitur in se Charitatem et Religionem sive reverentiam et verecundiam. Quae religio abhorret ab ista carnali et crassa manducatione, non minus quam quisque abhorret edere amantissimum filium. Confirmatur. Centurio, cuius fidem Christus supra Israe- 162
litarum fidem praedicat, per fidei verecundiam ad illum dicit, Domine non sum dignus ut venias in aedes meas. Petrus autem, cum illum in captu piscium a se iubet exire, per timorem, qui eum incesserat, ex eadem verecundia, abhorret ab eius corporali visibilique praesentia. Constat igitur et mentem et fidem, hoc est veritatem, quae unica mentis lux est, et religionem, qua deum amplectimur, veneramur ac deosculamur, abhorrere a tam crassa manducatione, qua Capernaitae et Papistae sese perhibent edere corpus Christi. Nam iuxta Augustini sen- 163

r) *esse* om. MS. Turic.

Digitized by Google

tentiam Capernaitae cum dicerent, Quomodo potest hic nobis carnem dare ad manducandum? et nonne hic est filius Ioseph? putabant sibi offerri corpus ad edendum quomodo carnes a[s]) macello eduntur, quomodo scilicet sensibile ante eos stabat, in sua specie ac proceritate. Papistae vero quid aliud adfirmant cum dicunt ea magnitudine qua in cruce ac sepulchro pependit et iacuit manducari? Quia veritas et mens ab huiusmodi manducatione abhorrent, Religio vero et fides sanctius observant et amplectuntur Christum quam ut hac ratione cupiant mandere.

164 Adserimus[t]) igitur non sic carnaliter et crasse manducari corpus Christi in coena ut isti perhibent, sed verum Christi corpus credimus in coena sacramentaliter et spiritualiter edi, a religiosa, fideli et sancta mente, quomodo et divus Chrysostomus sentit. Et haec est brevis summa nostrae, immo non nostrae, sed ipsius veritatis, sententiae de hac controversia.

165 Volo autem hic adiungere actionis formulam qua nos in celebranda coena utimur, quo tua Maiestas videat, Christi nos verba non immutare, non vitiare, non perversa sententia depravare. Sed ea prorsus servare in coena quae et in Missa servari debuerant, haec sunt preces, laudes, confessio fidei, communicatio ecclesiae sive fidelium, et spiritualis sacramentalisque manducatio corporis Christi. Contra vero universa omittere quae ex Christi instituto non sunt: puta, Offerimus efficaciter pro vivis et mortuis: offerimus pro peccatorum remissione, et caetera quae Papistae non minus impie quam indocte adseverant.

SEQUITUR ACTIO QUA TIGURI ET BERNAE BASILEAE RELIQUISQUE CHRISTIANAE CIVITATIS URBIBUS, QUANTUM AD SUBSTANTIAM PERTINET, UTIMUR.

166 Primo praedicatur satis longo sermone beneficium dei quod nobis per filium suum impendit, et trahitur populus ad eius rei cognitionem et gratiarum actionem. Eo finito, ponitur mensa ante chorum, ut vocant, pro gradibus, ea sternitur mantili,
167 imponitur panis azymus et vinum in crateras funditur. Deinde prodit Pastor cum duobus ministris, qui omnes convertuntur ad populum, ita ut Pastor sive episcopus in medio illorum stet non alia veste, quam quae vulgo usitata est honestis viris et
168 ministris ecclesiae. Tunc sic orditur Pastor alta voce, lingua vero non Latina sed vulgari, quo omnes intelligant quod agitur

*In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.*

Respondent ministri nomine et loco totius ecclesiae, *Amen.* Pastor, *Oremus.*

Nunc genua flectit ecclesia.

*Omnipotens aeterne deus, quem iure universae creaturae colunt adorant et collaudant suum videlicet artificem creatorem ac patrem,*

s) MS. Tur. *e* pro *a.* — t) MS. Turic. ante *Adserimus* in contextis habet, quae Bull. in marg. addit haecce: *Haec est summa sententiae nostrae in Eucharistia.*

Digitized by Google

*da nobis miseris peccatoribus, ut eam laudem et gratiarum actionem quam unigenitus filius tuus dominus noster Iesus Christus nobis ad faciendum instituit, syncera fide peragamus. Per eundem dominum nostrum Iesum Christum filium tuum qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti, deus, per omnia saecula saeculorum, Amen* u).

Hic legit minister qui ad sinistram stat. Quod iam legitur 169
scriptum est in priore epistola Pauli ad Corinthios 11. cap. *Convenientibus vobis in unum, non* v) *est ut dominicam coenam edatis*, et caetera usque ad hunc finem, *Non diiudicans corpus domini.*

Tunc respondent ministri cum ecclesia, *Laus Deo.* Pastor, 170
*Gloria in excelsis deo.* Diaconus, *Et in terra pax.* Hypodiaconus w), *Hominibus sana et tranquilla mens.* Diaconus, *Laudamus te, Benedicimus te.* Et caetera usque ad finem huius hymni complentur alternis agentibus ministris, versum pro versu, ecclesia omnia intelligente, et prius admonita ut quisque secum quae dicuntur in pectore loquatur ac reputet, in conspectu dei et ecclesiae. Diaconus dicit, *Dominus vobiscum.* Respondent ministri, *Et cum spiritu tuo.* Diaconus, Quae iam leguntur in Ioannis Evangelio, scripta sunt capite sexto. Respondetur, *Gloria tibi domine.* Diaconus, *Sic locutus est Iesus: Amen amen dico vobis, qui credit in me habet vitam aeternam. Ego sum panis vitae. Patres vestri comederunt manna,* et caetera usque ad hunc finem, *verba quae vobis loquor spiritus et vita sunt.* Post quae verba minister librum osculatur et x) dicit Pastor, *Deo gloria, qui iuxta verbum suum dignetur nobis remittere universa peccata nostra.* Respondent ministri, *Amen.* Pastor, *Credo in unum deum.* Diaconus, *Patrem omnipotentem creatorem coeli et terrae.* Hypodiaconus, *Et in Iesum Christum filium eius unigenitum dominum nostrum,* etc. usque ad finem symboli quod apostolicum vocant, quod perinde alternis y) recensent ministri alta voce atque prius hymnum Gloria in excelsis z).

Pastoris invitatio ad coenam dinge celebrandam. *Iam volumus,* 171
*charissimi fratres, iuxta ritum et institutionem domini nostri Iesu Christi, hunc panem edere, et hunc potum bibere, quae sic praecepit fieri, in commemorationem, in laudem, et gratiarum actionem huius quod mortem pro nobis passus est, quodque sanguinem suum, ad abluendum peccata nostra, effudit. Quocirca probet et interroget quisque seipsum iuxta verbum Pauli, qualem fiduciam ac certitudinem in dominum nostrum Iesum Christum habeat, ne se quisquam pro fideli gerat qui tamen fidem non habeat, et sic reus fiat mortis domini. Neque totam ecclesiam Christi (quae illius corpus*

---

u) *Amen* om. MS. Turic. — v) MS. Turic. *inde* pro *non.* — w) MS. Turic. om. h. l. *Hypodiaconus*, et paullo post idem pro *Diaconus* habet. — x) Verba: *minister librum osculatur et* addidi ex MS. Tur. — y) *alternis*] MS. Turic. inter lineas add. *vicibus.* — z) *Gloria in excelsis*] MS. Turic.: *scilicet Gloria in excelsis deo etc.*

Digitized by Google

*est) contemnat et subinde in eam peccet. Proinde in genua vos dimittite et orate, Pater noster qui es in coelis* et caetera usque ad finem. Et cum ministri responderint *Amen*, iterum oret[a]) Pastor.

172 Oratio. *Domine deus omnipotens, qui nos per spiritum tuum, in unitate fidei, in unum corpus tuum coagmentavisti, cui corpori tuo praecepisti, ut laudes et gratias tibi agant pro ea liberalitate ac beneficio, quod unigenitum filium tuum dominum nostrum Iesum Christum pro peccatis nostris in mortem tradidisti, Da ut hoc tuum praeceptum ea fide impleamus, ne te infallibilem veritatem ulla mendaci simulatione offendamus aut irritemus. Da quoque ut tam sancte vivamus, atque tuum corpus, tuos filios familiamque tuam decet. Quo increduli quoque nomen et gloriam tuam agnoscere discant. Custodi nos, domine, ne nomen et gloria tua propter vitae nostrae pravitatem in contumeliam rapiatur. Semper oramus, Domine auge nobis fidem, hoc est indubitatam fiduciam in te. Tu qui vivis ac regnas, deus in saecula.* Respondent, *Amen.*

173 Deinde sic agit et verba sacra simul effatur Pastor:

*Dominus Iesus, ea nocte qua tradebatur ad mortem, accepit panem*, hic accipit Pastor panem azymum in manus, *cumque gratias egit, fregit ac dixit, Accipite, comedite: Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur. Hoc facite ad commemorationem meam.* Hic simul praebet Pastor panem ministris qui circum mensam stant, qui protinus cum reverentia illum accipiunt et inter se dividunt ac comedunt. Dum interim Pastor pergit: *Similiter, postquam facta fuit coena, accepit*[b]) *et poculum.* Hic simul accipit Pastor poculum in manus, *gratias egit ac dixit, Bibite ex isto omnes, hic calix novum testamentum in meo sanguine est. Quotiescunque istud facturi estis, facite ad meam commemorationem. Quotiescunque enim*[c]) *panem hunc comedetis, et de poculo isto bibetis, mortem domini praedicabitis, laudabitis, et gratias agetis, usque dum veniat.*

174 Post haec circumferunt ministri azymum panem, et accipit quisque sua manu particulam de exhibito pane, et postea reliquam partem praebet proximo suo. Et si quis non vult panem sua manu contrectare, iam circumferens minister porrigit ei. Deinde sequuntur ministri cum crateribus et praebet alius alii poculum dominicum. Ne abhorreat tua Maiestas ab isto accipiendi praebendique more, nam deprehensum est saepenumero, quod quidam qui temere[d]) consederant, qui tamen simultates ac odia prius inter se exercuissent, ex hac participatione sive panis sive potus, animi impotentiam deposuerunt.

175 Iterum[e]) legit de suggesto alius minister ex evangelio Ioannis aliquousque, dum editur ac bibitur sacramentum corporis et sanguinis domini, incipit autem a tredecimo capite. Cumque cra-

---

a) MS. Turic. *orat.* — b) MS. Turic. om. *accepit.* — c) MS. Tur. *Quotics enim cunque.* — d) *temere* om. MS. Turic. — e) MS. Turic. *Interim.*

Digitized by Google

teres omnes sunt reportati, tunc sic infit Pastor, *Procumbite in genua.* Nam sedentes et tacite auscultantes verbo domini edimus et bibimus coenae sacramentum. Cumque omnes procumbunt infit inquam Pastor,

*Laudate pueri dominum, Laudate nomen domini.* Diaconus, *Sit nomen domini benedictum ex hoc nunc et usque in saeculum.* Hypodiaconus, *A solis ortu usque ad occasum, etc.* Et sic iterum alternis finiunt ministri hunc psalmum. Quem Hebraei perhibent a maioribus suis dici solitum a mensa. Post ista adhortatur Pastor ecclesiam his verbis;

*Memores sitis fratres charissimi, quidnam iuxta Christi iussum iam simul gesserimus. Testati sumus enim ista gratiarum actione quam ex fide peregimus, nos miseros quidem esse peccatores, sed mundatos corpore et sanguine Christi quae pro nobis tradidit et effudit, sed et redemptos a morte sempiterna. Testati sumus nos fratres esse: id ergo praestemus charitate, fide, et*[f]) *officio mutuo. Oremus ergo dominum ut amaram eius mortem sic alto pectore teneamus, ut quotidie peccatis quidem moriamur, omnibus autem virtutibus sic fulciamur ac crescamus, gratia et munere spiritus eius, ut nomen domini in nobis sanctificetur, proximus autem ametur et iuvetur. Dominus misereatur nostri et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos et misereatur nostri, Amen.*

Oratio. Pastor iterum orat: *Gratias agimus tibi domine* 176
*pro universis donis et beneficiis tuis, qui vivis ac regnas Deus per omnia saecula saeculorum, Amen.* Pastor: *Ite in pace. Amen.*
Deinde digreditur ecclesia.

Hic vides, cordatissime Rex, quantum ad substantiam per- 177
tinet nihil deesse, quod ad Eucharistiae iustum apostolicumque usum requiritur. Abesse autem quaecunque suspecta sunt quod ab avaritia sint importata. Quod si quis queratur non licere nobis, nova formula uti, etiamsi erratum sit nonnihil in Missa. Cum enim hoc audeamus, haud secus esse quam si quis in regno aut urbe, neglectis legibus publicis, privatas sibi leges sanciat quibus vivere dum pergit reliquos in tumultum ac perduellionem coniicit, unde nos iure haereticos vocari. Posse enim errores aliquandiu, etiam Apostolorum exemplo tolerari, donec publicus ecclesiae senatus aliud statuat. Is quaeso consideret longe distare hanc regnorum aut urbium legumque similitudinem a divinis legibus, a veritatis et fidei libertate, et ab ecclesiae iure. Quicquid 178
enim humanae leges iubent ad rerum externarum compositionem ac ordinem facit, sed quod divina lex praecipit, sic stringit conscientiam ut protinus atque divinam voluntatem intellexit, se

f) particulam *et* addidi ex MS. Tur.

Digitized by Google

ipsam suo iudicio damnet, ni adsentiatur et obtemperet. Per legem enim cognitio peccati. Et quanto magis deprehenditur in spiritum sanctum peccari, tanto minus potest conscientia adquiescere
179 ac tolerare creatoris contumeliam. Cum ergo spiritu sancto magistro didicerimus, unicam esse et a solo dei filio factum oblationem, et illud primis ecclesiae nominibus subindicaverimus, quo quicquid erretur g) corrigatur, et illi magis ac magis contra veritatem non iam pugnent sed etiam saeviant, non debuit vi occupata pontificis potentia obstare quo minus quisque veritatem tueretur atque filii dei ignominiam eliminaret. Nam quae ista esset, malum, ratio, talem morari pontificem ecclesiae, qui, quo fit et constat ecclesia, non revereretur? Constat autem ecclesia fide in deum iuxta illius verbum. Cum ergo ille verbo dei non credat,
180 quomodo potest ecclesiam moderari? Deinde anne potest fides ad hominum rationem incrementum aut moram capere? Anne cum dominus dixit, Quaecunque vultis ut vobis faciant homines, facite eis eadem, cunctari licet quo minus recipias legem istam, donec primates recipiendam censeant? Et haec certe lex ad humana tantum pertinet, cum filium dei offerre, in deum ipsum contu-
181 melia sit. Postremo, ius ecclesiae est pro spiritus divini instinctu credere et vivere, iuxta Pauli verbum, Spiritum nolite extinguere. Quis enim non ex templo indulgentiarum nugas explosit ut ementitum h) commentum esse intellexit? Non expectat fides alterius iudicium, sed suo consistit. Ea ergo cum videt graves istas in dei filium blasphemias, sentit eas non esse tolerandas, sed ita aut abolendas esse aut fugiendas ut quam primum id fieri possit
182 arripiat. Sic ergo apud nos est abolita papistica Missa, desertione et i) defectione. Cum enim populus ab ea, cognito errore, profugeret, sacrificuli pars abhorrerent, pars vererentur impetum vulgi, sic deserta est Missa primum ut necesse habuerimus prospicere de simplici Christianaque formula: ea cum perfecta esset, indixit senatus urbis nostrae collationem et nobis et Episcopis Romanensibus. Eorum docti cum venissent, negabant licere sibi conferre de re tam ardua extra concilium (cum tamen post triennium collationem Thermopoli ipsi summa cum corruptione indixerint); senatus ergo noster auditis quae ultro citroque adferebantur ex divinis scripturis atque scriptoribus censuit neminem esse cogendum, neque ad agendum neque ad audiendum Missam. Cum deinde pecuniae corruptela res tentaretur a Romanensibus, coeptum est violentius contendi, qua re coactus Illustrissimus senatus decrevit: Missam in perpetuum in urbe nostra, Papistico more nullus celebrato, nisi scripturis sacris illam adseruerit dignam esse quae
183 servetur. Sic inquam abolita est papistica Missa, et instituta coena dominica. Secuti sunt exemplum nostrum multi per Germaniam

g) MS. Turic. *erratur.* — h) MS. Turic. *mentitum.* — i) MS. Turic. *ac.*



Digitized by Google

principes, nobiles, populi, urbes, et per orbem privati innumeri sacerdotes, Monachi, Magistratus et privati homines. Nihil ergo praeter rationem apud nos factum est, nihil praeter oraculorum divinorum autoritatem, quibus freti intrepide stamus adversus omnes insultus, certi quod qui a nobis stat fortior est contraria virtute quacunque. Sed Missam missam facimus, tuamque Maiestatem plurimum in deo valere optamus [k]).

---

k) *tuamque... optamus*] MS. Turic. *ne tuam maiestatem pertaedeat, et ad alia pergimus.* Scilicet MS. Turic. appendicem de Eucharistia et Missa alio loco habet, vid supra §. 130. Sed Bibliander postea varian-tem scripturam Bullingeri in marg. adnotavit.

Finis.

Digitized by Google

## 5.

# Bekanthnus

## vnsers heyligen Christenlichen gloubens, wie es die kylch zu Basel haldt.

corde creditur ad iusticiam, ore autem fit confessio ad salutem. Rom. 10.

---

Wir Adelberg Meyger Burgermeister, vnd Rath der Statt Basel wünschend allen vnd yeden, vnsern Burgern, hindersässen vnnd verwandthen, Geistlichen vnd Weltlichen, Edlen vnnd Vnedlen, in vnser Statt vnnd Landschafft Basel wonhafft, frid, gnad vnd Barmherzigkeit, von GOTT vnserem himelschlichen [1]) vatter, vnd reine erkanthnus JESU CHRISTI, vnsers einigen Heylands, Vnd thund üch darby zeuernemmen, Demnach wir, im vergangnen Fünffzehenhundert, neün vnnd zwentzigsten jare, allerley mißprüch, jrtung vnnd verwändthe [2]) GOTTES dienst, die sich on grund göttlicher warheit, in der kilchen CHRISTI, zu straaff vnserer sünden, ingerissen, vß sonderen gnaden des almechtigen, nach anleytung synes heyligen worts, eintweders gar abgethan, oder gebessert. Vnd sidhar die gesunden leer CHRISTI, üch vnsern vnderthanen, pur, rein vnd klar, trüwlich vnd emsigklich verkünden vnd fürtragen lassen, Befinden wir (Gott hab lob) das vnser pflantzen vnd wesseren nit vergebens gewesen, sonder vß den genaden des allmechtigen, die erkanthnus GOTTES, rychlich by üch zugenommen, wöllichs vns am höchsten erfröwen thut, Vnd so dann vns, üwern Christenlichen Obern, damit in erkanther göttlicher warheyt, fürgefaren, ernstlich ynzesehen gebüren will, Habend wir vß rechter Christenlicher liebe, vns vnd allen gleubigen zu eyner sterckung, vnd den schwachen vnerbuwenen zum trost, für not vnd gut bedacht, Das by disen schwären, widerwertigen vnd gefarlichen zyten, in denen, wo müglich, ouch die vsserwölten, von der warheit GOTTES abgewendt vnd verfürt werden möchten, Wir vns mit üch, vnnd jr mit vns, vnsers heiligen Christenlichen gloubens, wie wir den, vß dem reinen Gottes wort erlernet, vnd in vnser kylchen täglich leeren lond vnd haltend, offentlich bekennen, Damit wir vor GOTT

---

1) C et D: himmelischen. — 2) Ochs perperam: verwandte. (Verwandt i. e. verwendet, verdreht, verkehrt.)

Digitized by Google

vnserem himelschlichen vatter durch CHRISTUM vnsern behalter, den wir vß sinen gnaden hie veryehend [3]), ouch bekanth werdend, Vnd vnsere widerwertigen, wann sy mit GOTTES forcht vrtheylend, doch einmal sähen mögend, das wir nit (wie man vns [4]) zicht) von GOTTES warheyt, vnd der kylchen CHRISTI ab getreten, sonder der stimm CHRISTI vnsers Hirten gehorsamend, vns mit verlassung der jngerißnen jrsalen, erst recht mit der kylchen CHRISTI vereinbaret, Vnd mit allem dem, so der gesunden leer CHRISTI zugegen stadt, nit gemeinschafft habend, Ob sy villicht, hinfür jres lästerens abzestan, vnd den Son Gottes wie vns der Vatter beuolhen, zehören, gnad erlangen möchtend. Harumb habend wir die substantz, vnsers heyligen gloubens, in diß volgend bekantnuß, So wir hiemit vor GOTT vnd der welt, offentlich veriehend [5]) begriffen, vnd vmb bessern verstands willen, die mitthellenden ort Biblischer schrifft, eins theyls darneben verzeichnen lassen. Der allmechtig Gott, wölle vns allen, sin heiligen gloubens meeren, vnd das, so er in vns angefangen, durch sin gütte, zu heyligung sines namens, vnd heil vnserer Seelen, gnedigklich vßfüren. Vnd volget in dem namen Gottes, die bekanthnus vnsers Christenlichen gloubens.

---

## Von Gott.

WJr gloubend in Gott den Vatter in Gott den Son, in Gott den heiligen Geist, ein heilige göttliche Drifaltigkeit, Dry personen, vnd ein einigen ewigen allmechtigen GOTT, nach dem wesen vnd substantz, Vnd nit dry Götter, Wir gloubend ouch dz GOTT alle ding erschaffen hab durch sin ewigs wort, das ist, durch sin eingebornen Son, vnd alle ding vffenthalte vnd bekrefftige durch synen geist, das ist, durch sin krafft, darum dann GOTT alle ding fürsicht vnd regiert, wie er sy erschaffen hat.

Symbolum commune. Der gemein gloub. Diss wirt bewisen vss der gantzen gschrifft alts vnd nüws Testaments von vilen orten.

Gen. 1. Joan. 1. 1 Chroni. 29. Act. 2.

Dannenhar bekennend wir das GOTT vor vnd ee, er die welt erschaffen, alle die erwölt habe, die er, mit dem erb, ewiger seligkeit begaben will.

Rom. 8. 9. 11. Ephe. 1.

## Von dem menschen.

Bekennend wir, das der mensch im anfang, nach der bildnuß, GOTTES GERECHTIKEIT vnnd HEILIGKEIT, von Gott

---

3) i. e. bejahen, bekennen. — 4) MS. „wie man uns fälschlich zicht," sed fälschlich postea deletum est. — 5) i. e. bejahen, bekennen.

Digitized by Google

recht gemacht, Er ist aber, mutwillglich gefallen in die sünd, durch welchen faal dz gantz menschlich geschlecht, verderbt, der verdamnuß vnderworffen worden, ouch vnser natur geschwecht, vnd in ein solche neygung zu sünden kommen, das, wo die, durch den geist GOTTES, nit widerbracht, wirdet, der mensch von jm selbs, nüt guts thut noch wil.

Gen. 1. Ephe. 4. Gen. 3. Gen. 5. Rom. 5. 1 Cor. 15. Ephe. 2. Gen. 6. et 8. Joan. 3. Rom. 3. Psal. 142. Ephe. 2.

## Sorg Gottes über vns.

Vnd wiewol der mensch durch solchen faal, der verdamnus vnderworffen, GOTTES vyand worden ist, yedoch hat Gott, die sorg über das menschlich gschlecht, nie von jm gethan, des sind gezügen die Patriarchen, die verheissungen vor vnd nach dem Sündfluß. Item das gesatz von Gott, durch Mosen gegeben, vnd die heiligen Propheten.

Rom. 5 [6]). Gen. 12. 14. 15. etc. Gen. 3. 21. 26. 28.

## Von Christo Warem Gott.
### vnd warem menschen.

Gloubend wir vnd bekennend vestenlich, das vns Christus der zyt, so hie zu verordnet, nach der verheyssung Gottes, vom Vatter gegeben, vnd also das ewig göttlich wort, fleysch worden sye, dz ist, dz der Son GOTTES, der menschlichen natur, in ein person vereinbart, vnser bruder worden ist, vff das wir durch jnn teylhafftig wurden, des erbs GOTTES.

Matt. 1. Luc. 2. Joan. 1. Philip. 2. wir hand einen vatter Gott namlich mit Christo, Matt. 6. Rom. 8. Heb. 2.

Disen JESVM CHRISTVM, gloubend wir empfangen sin, von dem HEILIGEN GEIST, Goboren von der reinen [7]) vnbefleckten junckfrowen MARIEN, Gelitten vnder Pontio Pilato, gecrütziget vnd gestorben für vnsere sünd, vnd also mit einer sin selbs vffopfferung, GOTT vnserem himelschen vatter, für vnsere vnd aller glöubigen sünd, gnug gethan, vnd vns mit jm versünt, Vnd also mit sinem tod, triumphiert vnd überwunden haben, die welt, den tod, vnd die hellen. Darzu nach dem fleisch begraben, Abgestigen zu den hellen, am dritten tag vfferstanden von den todten, Vnd als er sollichs gnugsam bewert, mit lyb und seel, vffgefaren sin gen himmel, Da sitzt er, zu der gerechten, das ist, in der herligkeit, GOTT sines himelschlichen Vatters, Von dannen er künfftig ist zu richten die läbendigen vnd die todten, Er hat ouch sinen jungern (wie er verheissen)

6) In exemplo Turicensi ed. princ. adscriptum est: Gen. 2.

7) In MS. etiam ewigen legebatur sicut in Reformationis ordine, est tamen deletum.

Digitized by Google

sinen heiligen Geist, in den wir, wie in den Vatter vnd in den Son gloubend, gesendet.

Matt. 1. Luc. 2.

Bezügend alle Euangelisten,

Matt. 20. 6. Ro. 5. 1 Cor. 15. 1 Pet. 2. Heb. 9. 10. Ro. 9. 1 Pet. 3. Jo. 16. Philip. 2. Coloss. 2. 1 Cor. 15. Mar. et Luc. ultimo. Act. 1. Mat. 26. Ephe. 1. Col. 3. Heb. 1. 10. 12. Act. 2.

## Von der kylchen.

Wir gloubend ein heilige Christenliche kylch, das ist, gemeinschafft der heyligen, die versamlung der glöubigen im geist, welche heylig vnd ein brut CHRISTI ist, in deren allediе burger sind, die da warlich veriehend, dz IHESVS sye CHRISTVS das lämlin GOTTES, so da hinnimpt die sünd der welt, vnd ouch durch die werck der liebe sölchen glouben bewerend.

Matt. 16. Ephe. 1. 5. Joan. 3. 2 Cor. 11. Ephe. 5. Heb. 12. Joan. 1. Gal. 5.

In diser kylchen brucht man einerley Sacrament, Nemlich der Touff, jn jngang der kylchen, Vnd des Herren Nachtmal zu siner zyt, jn nachgendem läben, zu bezügung des gloubens vnd bruderlicher liebe, wie dann im Touff verheissen ist.

Matt. 3. 28. Act. 2. 16. Col. 2. Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. 1 Cor. 11.

Dise Christenliche kylch beflyßt sich, die band des fridens vnd der liebe, mit eynigkeit zehalten, darumben sy, mit den Seckten vnd ordens Reglen, so vff vnderscheidung der tag, spyß, kleyder, vnnd kylchen gepreng gesetzt, khein gemeinschat hat.

Rom. 12. Ioan. 15. 1 Ioan. 3. 4.

## Von dem nachtmal.

### vnsers Herren.

Bekennend wir, das der Herr IESVS, sin heyligs Nachtmal yngesetzt hat, sin heyligs lyden, mit danckſagung zubetrachten vnd sinen tod zeuerkünden, ouch Christenliche liebe vnd einikeyt, mit warem glouben ze bezügen.

Luc. 22. 1 Cor. 11. 1 Cor. 10.

Vnd glych wie in dem Touff, darinn vns die abweschung von den sünden, die doch allein der Vatter, Son, vnd heilig geist, vßrichten müßend, durch den diener der kilchen, angebotten, blybt war wasser. Also ouch, in des Herren Nachtmal, in dem vns, mit des Herren brot vnd tranck, sampt den worten des Nachtmals, der war lyb, vnd das war blut CHRISTI, durch den diener der kylchen fürbildet, vnd angebotten würdet, blybt brot vnd win.

Ein starck glichs wider den fyand der warheit.

Joan. 6.

Dann es ye ein geistliche spiss ist darumb sy von der gloubigen Sel muss genossen werden.

wir gloubend aber vestigklich, das CHRISTVS selbs syge die spyß der glöubigen Seelen zum ewigen läben, vnd das vnsere Seelen,



Digitized by Google

durch den waren glouben, in den crützigten CHRISTVM, mit dem fleysch vnd blut CHRISTI gespyset, vnd getrenckt werden. §. also das wir sines lybs, als vnsers einigen houbts, glider, in jm, vnd er in vns läbe, damit wir am jüngsten tag, durch jn, vnd in jm, in die ewigen frówd vnd seligkeit vfferstan werdend. Darumb so bekennend wir, das CHRISTVS in sinem heyligen Nachtmal, allen denen, die da warhafftigklichen gloubend, gegenwurtig sye. §.

.§. Dz ist, die selen werden ersettiget, starck vnd mechtig, zufriden vnd rüwen gesezt, frölich vnd wacker zu allen dingen, wie von der lyplichen spiss der lyb, vnd wirt der mensch ein geistlich glid des geistlichen lybs Christi [8]).

Joan. 11. Ephe. 1. 4. 5. Col. 1.

.§. Sacramentlich, vnd durch betrachtung des gloubens welcher den menschen in sinen gedancken hinnuff gen himel lupfft, nit aber Christum nach der menscheit von der gerechten Gottes herab zücht.

Vnd schliessend aber den natürlichen, waren, wäsenlichen lyb CHRISTI, der von Marien der reinen [9]) junckfrowen geboren, für vns gelytten vnd vff gefaren ist zu den himlen. §. nit in des herren brot noch tranck. Darumb wir ouch CHRISTVM, nit in disen zeichen brot vnd wins, die wir gemeinlich Sacramenta des lybs vnd bluts CHRISTI, nemmend, Sonder in den himlen, by der gerechten GOTT des vaters anbettend, daher er künfftig ist zu richten die lebendigen vnnd die todten.

Act. 1. 7. Col. 3. Hebr. 1. 10. Act. 3. 1 Timo. 4.

## Von Bruch des Bannes.

Vnd diewyl sich aber, das vnkrut der kylchen Christi vermüschet, so hat Christus siner kylchen gewalt geben, söllich vnkrut, wann sich das durch vnlidenliche laster vnd sünd, wider des herren gebott, herfür thun wurde, zebannen, damit die kilch jr gestalt, souil möglich, on masen [10]) behalte, Der vrsachen wir den Bann, in vnser kylchen bruchend.

Mat. 18. 1 Cor. 5. (2) Thess. 3. (2 numerus deest in ed. pr.) 1 Tim. 1.

Es bannet aber die Christenliche kylch, nit dann umb besserung willen, Darumben sy die gebannten nach, dem die jr ergerlichs läben abgestelt, vnd gebessert, mit frówden wider vffnimpt.

2 Cor. 2. 1 Tim. 1.

## Von der Oberkeit.

Es hat ouch GOTT [11]), der Oberkeit, siner dienerin, das schwert vnd höchsten vsserlichen gewalt, zuschirm der gutten, raach vnd straaff der bösen beuolhen, Darum ein yede Christenliche Oberkeyt, in deren

8) Haec et quae sequitur glossa margin. desunt in C. — 9) Etiam hic prima recensio MS. exhibet „ewigen." — 10) Flecken, Macula (ap. Helvet. Mosen). — 11) Quod in MS. a prima manu positum fuit *Christi* nomen deinde deletum est.

Digitized by Google

zal, wir zesin begeren, all jr vermögen dahin richten sol, das by jren vnderthanen, der nam GOTTES geheyliget, sin Rych erwiteret, vnd sinem willen, mit ernstlicher vßrütung der lastern, gelebt werde.

Rom. 13. 1 Pet. 2.

Diss ampt ist der Heidnischen oberkeyt ye vnd ye beuolhen gsin, wieuil me sol es der Christlichen Oberkeit beuolhen sin, einer waren statthalterin Gottes?

## Von glouben vnd werken.

wir bekennend nachlassung der sünden, durch den glouben in JESVM CHRISTVM den Crützgeten, Vnd wiewol diser gloub, sich one vnderlaß durch die werck der liebe übt, harfür thut, vnd also bewert würdet, yedoch gebend wir die gerechtigkeyt vnd gnugthugung für vnsere sünd, nit den werken, so des gloubens frücht, Sonder allein dem waren vertruwen vnd glouben, in das vergossen blut, das lämblin Gottes, Dann wir fry bekennend, dz vns in CHRISTO, der da ist vnser GERECHTIGKEIT, HEILIGKEIT, ERLOSVNG, VVEG, VVARHEIT, VVISHEIT, vnd LAEBEN, alle ding geschenckt syend. Darumb die werck der glöubigen, nit zu gnugthüung jrer sünden, sonder allein darumb geschehend, das sy damit Gott dem herren vmb die grosse gutthath, vns in CHRISTO bewisen, sich etlicher maß danckbar erzeigend.

Mat. 2. Mar. 10. Luc. 7. Joan. 3. 5. 6. etc. Rom. 3. 4. 10. Galath. 2. ubique. Rom. 3. 10. Gal. 2. Ephe. 2. 1 Cor. 1. Ro. 3. Eph. 2. Jo. 14.

Danckbarkeit stat in wider gelten der empfangnen güttathen, nun kan man Got nüt widergelten, dan er nüt tzit manglet, so sicht man vff sin anfordern. Dises ist glouben vnd werke der liebe. Den glouben fordert er im selbs, die liebe den ebenmenschen.

## Vom jüngsten tag.

Gloubend wir, das ein jüngst gericht, an welichem vffersteung des fleischs sin werde, Da ouch ein yeder von Christo dem richter, empfahen würdet, nach dem er hie im läben sich gehalten, Namlich das ewig leben, wann er vß warem glouben, mit vngefärbter liebe, die frucht des gloubens, das sind die werck der gerechtigkeit, gewürckt, Vnd das ewig feür, wann er on glouben, oder mit gedüchtem glouben on liebe, guts oder böses begangen hat.

Matth. 24. 25. 2 Tim. 4. Rom. 2. 2 Cor. 5. Joan. 5.

Guts verstand nach dem vrteil der menschen.

## Von gebott vnd nit gebot.

Bekennend wir, das glicher wyß, wie niemand gebieten mag, die ding, die CHRISTVS nit gebotten hat, Also mag ouch niemands verbieten, das er nit verbotten hat, Der vrsachen wir die oren bicht, die viertzig tägige Fasten, Der heiligen Fyrtag, vnd was der glychen von den menschen vffgebracht ist, ongebotten, Vnd hingegen die Priester Ee, vnuerbotten halten.



Digitized by Google

Es stat, Hörend in Mat. 17. Luc. 9. Deut. 18. Acto. 7.

Vnd noch vil weniger mag yemands erlouben, das Gott verbotten hat, Darumb wir die vereerung vnd [12]) anruffung der abgestorbnen .§. heylgen, die vereerung oder vffrichtung der bylдern, vnd was der glichen ist, verwerffend. Vnd hinwiderumb mag niemands verbieten, was Gott erloubt hat, Der vrsachen wir die spyß, mit danckſagung zenieſſen, vnuerbotten haltend.

Er spricht, Ich bin der Herr üwer Gott. Leuit. 18. Deut. am 10. redt er durch Mosen Der Herr üwer Gott ist ein Gott aller Götter, vnd herr über alle herren, ein grosser Gott, mechtig vnd schrecklich, etc. Darum was er verbotten hatt, wer wolten das vnder sinem geschöpfſe han zuerlouben?

1 Tim. 4.

.§. Die wir aber sunst bekennend by Gott sin, mit Christo regieren in ewickeit, dorum das sy Christum bekent hand mit wort vnd werken, als iren heiland, erlösung, vnd gerechtikeit on alles zu thun menschlichs verdiensts. Vss dem wir ouch sy brisend vnd hoch lobent als die begnadeten von Gott, vnnd ietz erben des ewigen richs, doch als zu der err Gottes und Christi [13]).

## Wider den jrthumb der Widerteüffer.

Wellend wir vns heytter entschloſſen han, das wir die frömbden jrrigen leeren, da diſe Rottengeiſter vnder andern verdampten opinionen vnd böſen meynungen ouch sagend Das man die kinder (die wir nach bruch der Apoſtlen, der erſten kilchen, vnd vß dem, dz der Touff an ſtat der Beſchnidung iſt, töuffen land) nit teuffen. Item vnd das man in kheinem faal Eyd schweren möge, ob es glich die eer GOTTES, vnd liebe des nechſten erforderend. Vnd das die Oberkeyt nit möge Chriſten ſin, Zuſampt allen anderen leeren, die der geſunden reynen leer JESV CHRISTI zugegen ſtand, nit allein nit annemend, ſonder als ein grüwel vnd leſterung verwerffend.

Eyd sol man schweren zu siner zyt, dann Gott hats geheissen im alten Testament, im neüwen ists von Christo nit verbotten. Christus, ouch die Apostel haben selbs geschworen.

Oberkeyt ist dann erst recht obrrkeyt, wann sy recht Christenlich ist.

Zu letſt wellend wir diß vnſer bekanthnus, dem vrtheyl göttlicher Bibliſcher ſchrifft vnderworffen, vnd vns darby erbotten haben, ob wir vß angeregten heyligen ſchrifften, etwas beſſern berichtet, dz wir yeder zyt, GOTT vnd ſinem heiligen wort, mit groſſer danckſagung gehorſamen wellend. Actum in vnſerem geſeſſnen Rath, vff Mitwochen den ein vnd zwentzigſten tag Januarij, im jar nach der geburt CHRISTI vnſers einigen heylands, gezelt Tuſendt, Fünfhundert, vier vnd dryſſige.

Heinrich Ryhiner, Rathſchriberder Statt Baſel [14]).

---

12) „Vereerung vnd" deest in C et D; sed C habet „die Anrufung des Fürbitts." — 13) Deest jam in MS. et in omnibus posterioribus editionibus. — 14) MS. Henrichus Ryhiner, Senatus Basiliensis a Secretis.

Digitized by Google

# ARTICULI
# CONFESSIONIS BASILEENSIS.

---

De quorum ὀρθοδοξίᾳ et veritate, S. S. Scripturae consentanea, Deo Gratiose Favente, in schola theologica Academiae Basileensis: praesidibus, alternatim, S. S. theologiae, Doctoribus et Professoribus ordinariis tribus, *Theodoro Zvingero*, V. T. Profess. Facult. Theol. p. t. Decano. *Sebastiano Beckio*, N. T. Profess. eiusdemque Facultat. Seniore. *Iohanne Buxtorfio*, Locor. Commun. et Controversiar. Theolog. iuxtaque Linguae Sanct. Profess. Placida συζητήσει conferetur, Disputationibus Hebdomadariis, quae in posterum diebus quibusque Iovis, horis pomeridianis, a prima usque ad tertiam in gratiam Studiosorum, cum indigenarum, tum peregrinorum et restaurabuntur et continuabuntur. Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Rom. c. 10. v. 10. Anno 1647.

GREGOR. NAZIANZENUS.

Sacra Theologia et Religio res est simplex et nuda; sine magno artificio Divinis constans testimoniis: quam tamen prave quidam convertunt in Artem difficillimam.

---

## LECTORI SALUTEM.

Beatus Apostolus Paulus *iubet nos ἐξαγοράζεσθαι τὸν καιρόν*, redimere occasionem. *Hanc quaerit, non negligit, solers industria. Eandem nunc temporis suppeditat seges, nonnihil accrescens, Studiosorum S. S. Theologiae, quorum cum vota, atque sperata studia, nos solicitent ad frequentiores exercitationes, et συζητήσεις Theologicas; haud difficulter eis gratificandum duximus. Ac quia* Confessio *nostra* Basileensis, *ὑποτύπωσιν exhibet τῶν ὑγιαινόντων S. S. Scripturae λόγων; hanc potiùs, quam aliam, materiam nunc temporis deligere, operae pretium duximus. Haec κατ' ἐπιτομήν*

Digitized by Google

*pangit praecipua Religionis Christianae et reformatae capita. Haec testimonium est συμφωνίας nostrae cum S. Scriptura, Confessione Helvetica, aliisque Confessionibus Ecclesiarum, γνησίως reformatarum. Hanc umbonis instar, opponimus Diotrephis, τοῖς ἐξ ἐριθείας, quibus volupe est, Ecclesiis nostris adspergere varias errorum, haereseon ac blasphemiarum maculas; quas ruspantur passim in scriptis particularibus, torquendo ea ἀμαθέστερον pro lubitu, insuper habitis Ecclesiarum nostrarum publicis Confessionibus. Haec denique κειμήλιον est* spirituale ac pretiosum, *(quo elogio eam beatiss. memoriae Antecessor noster* D. Doct. Ioh. Iacobus Grynaeus, *olim in frontispicio cohonestavit) non grandine, sed pondere et virtute aestimandum. Confessio haec primum διὰ μέλανος, Ann. MDXXX. in Comitiis Augustanis exhibita: ut coaeva sit decantatae Confessioni Augustanae. Subinde, quinquennio nimirum post Reformationem Ecclesiae nostrae, Ann. MDXXXIV. praelum primum subiit, cusa semel, iterumque recusa: diligenter tamen ex Originali archetypo adspersis marginalibus notis et glossis. Postea, nescio qua versura, requiescentibus in Domino,* B. Oecolampadio, *fulgentissima Ecclesiae nostrae lampade, eiusque uti in ποροστασίᾳ Ecclesiae, ita in Doctrina orthodoxa, fideli et constanti Successore,* Osvvaldo Myconio: *reiterata Germanica editio, inductis atque expunctis marginalibus notis, nudos, ac veluti exarmatos, et ab ingeniis ἐριχοῖς, in variam partem, praesertim de S. Coena, tortiles exhibuit articulos. Quos nunc placuit, decenti sua, uti veritate, ita antiquitate, vestitos, omnium oculis, ex veteribus ἀξιοπίστοις, manuscripto partim, partim impressis exemplaribus, optima fide subiicere, et Studiosam Iuventutem ad Thesauri huius, tanquam medullae totius Verbi Dei, diligentem ἐξέτασιν invitare. Hinc distinximus quoque, peculiaribus διαστολαῖς, Disputationum numerum ac seriem. Speramus, quod optamus, bonos et cordatos quosque, suo nutu et adplausu, optimo nostro instituto favituros. Deum vero pacis et veritatis oramus, ut caelitus affundat suam benedictionem, et praeclarum hoc Confessionis, quam de novo iterum expromimus, depositum, in Ecclesia et Academia Basileensi in temeratum proporro conservet. Coniugimus vota nostra pro Ecclesiarum Reformatarum, in Helvetia, Germania, Belgia, Gallia, M. Britannia, Polonia, Ungaria, Transylvania, alibique locorum, sub vexillo Crucis Evangelicae, contra Satanam, Antichristum, eiusque Satellites militantium, pace et tranquillitate. Det nobis omnibus benignus Deus, ut, τὸ ἓν φρονοῦντες, caveamus deinceps ab omni καινοδοξίας et ἑτεροδοξίας fermento, quo passim locorum, Satanae quidem eiusque ministrorum astu, ast Dei iusto iudicio, turbantur et lacerantur Ecclesiae. Custodiamus τὴν καλὴν παραχαταθήκην per Spiritum S. qui idem nos quoque per fidem, quam, Maiorum ac Heroum nostrorum Symbolo praesente, contesseramus atque ad posteritatem nostram gratulabundi transmittimus; sua potentia custodiat, ad salutem expectatissimam, et triumphum*

Digitized by Google

*ex omnibus hostibus nostris, in adventu glorioso, et revelatione Filii Dei, Domini nostri IESU CHRISTI. Amen. Perscript. Basileae d. 17. Sept. Ann. Salutis reparat. MDCXLVII.*

---

# CONFESSIONIS BASILEENSIS

## *Articulus I.*

## DE DEO.

### *Disputatio I.*

### DE DEI NATURA.

*Symbolum commune.*

Credimus in DEUM PATREM, in DEUM FILIUM in DEUM SPIRITUM SANCTUM, Sanctam Divinam Trinitatem: tres Personas, et unum aeternum omnipotentem Deum, secundum essentiam et substantiam; et non tres Deos *).

*) *Probatur hoc ex multis locis totius Scripturae Veteris et Novi Testamenti.*

### *Disputatio II.*

### DE CREATIONE ET PROVIDENTIA.

Credimus etiam, DEUM omnia creasse [a]) per Verbum suum aeternum [b]); id est, per suum unigenitum Filium: et omnia sustentare ac vegetare [c]) per Spiritum suum, id est, Virtute propria, ideoque Deum omnia [d]), sicuti creavit, providere et gubernare.

*a*) *Gen.* 1. *v.* 1. *et seqq.* In principio creavit Deus coelum et terram etc.

*b*) *Joh.* 1. *v.* 3. Omnia per hunc *Sermonem* facta sunt, et absque eo factum est nihil, quod factum est.

*c*) 1 *Chron.* 29. *v.* 11. 12. Tua est, o Jehova, magnitudo et potentia, et gloria, et aeternitas, imo omnia in coelo et in terra: tuum est, Jehova, regnum, ut qui extollis te supra omnia in caput. Nam divitiae et gloria a facie tua sunt, et tu dominium habes in omnia: in manu tua vis et potentia, in manu, inquam, tua est, magnificare et corroborare rem quamlibet.

*d*) *Actor.* 2. *v.* 23. Christum, definito illo consilio et praecognitione deditum, quum accepissetis, manibus sceleratis *cruci* affixum interemistis.

### *Disputatio III.*

### DE PRAEDESTINATIONE.

Hinc confitemur, DEUM, ante quam Mundum creasset, eos omnes elegisse, quos haereditate aeternae salutis donare vult [e]).

*e*) *Rom.* 8. *v.* 29. 30. Quos praescivit, etiam praedestinavit: quos praedestinavit, eos etiam vocavit: quos vocavit, eos etiam iustificavit: quos

Digitized by Google

autem iustificavit, eos etiam glorificavit. *Et cap.* 9. *v.* 11. 12. 13. Nondum natis pueris, quum nihil fecissent boni vel mali, ut praestitutum illud Dei, quod est secundum ipsius electionem, id est, non ex operibus, sed ex vocante, firmum maneret; dictum est ei: Maior serviet minori, sicut scriptum est: Iacobum dilexi, Esavum autem odio habui. *Et cap.* 11. *v.* 5. Ita igitur et hoc tempore reservatio secundum electionem gratuitam facta est. *Et v.* 7. Quod requirit Israël, hoc non est adeptus: sed electi adepti sunt, reliqui autem occalluerunt.

*Ephes.* 1. *v.* 4. 5. 6. Sicut elegit nos in ipso ante iactum Mundi fundamentum, ut simus sancti et inculpati in conspectu eius, cum charitate. Qui praedestinavit nos, quos adoptaret in filios, per Iesum Christum, in sese, pro benevola voluntate sua; ad laudem gloriosae suae gratiae, qua nos gratis sibi acceptos fecit in illo dilecto.

## *Articulus II.*

## DE HOMINE.

### *Disputatio IV.*

### DE STATU TUM INNOCENTIAE, TUM MISERIAE HOMINIS.

Confitemur, Hominem ab initio secundum Dei imaginem [a]), iustitiam et sanctitatem [b]) integre factum. Est autem sua sponte lapsus in peccatum [c]), per quem lapsum totum Humanum genus corruptum, damnationi obnoxium factum est [d]).

*a*) *Gen.* 1. *v.* 17. Creavit Deus Hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum, masculum et foeminam creavit illos.

*b*) *Ephes.* 4. *v.* 24. Induite novum illum Hominem, qui secundum Deum conditus est, ad iustitiam et sanctitatem veram.

*c*) *Genes.* 3. *v.* 6. Vidit Mulier, quod bona esset arbor ad vescendum, quodque desiderabilis esset oculis et concupiscibilis arbor ad intelligendum: et tulit de fructu ipsius, ac comedit, deditque etiam Viro suo secum, et comedit.

*d*) *Gen.* 5. *v.* 3. Vixit Adam 130. Ann. genuitque ad similitudinem suam, ad imaginem suam, *Filium*, et vocavit nomen eius Seth. *Rom.* 5. *v.* 12. Sicut per unum Hominem peccatum in Mundum introiit, ac per peccatum Mors: et ita in omnes homines Mors pervasit, in quo omnes peccaverunt. *Et postea*, *v.* 15. Unius illius offensa multi mortui sunt. *Et v.* 16. *Κρίμα ἐξ ἑνὸς ἁμαρτήσαντος εἰς κατάκριμα. Id est*, reatus *est*, ex unius, qui peccavit, offensa, ad condemnationem. *Et v.* 17. Per unam illam offensam mors regnavit per illum unum. *Et v.* 18. *δι' ἑνὸς παραπτώματος, εἰς πάντας ἀνθρώπους, εἰς κατάκριμα*: per unam offensam *reatus venit* in omnes homines ad condemnationem. *Et v.* 19. Per illam inobedientiam unius illius Hominis, peccatores constituti sunt multi. 1 *Cor.* 15. *v.* 21. 22. Quia per Hominem Mors, per Hominem quoque Resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adamo omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. *Ephes.* 2. *v.* 3. Eramus natura filii irae, ut etiam reliqui.

### *Disputatio V.*

### DE PECCATO ORIGINALI, ET SERVO HOMINIS ARBITRIO.

Etiamque natura nostra vitiata est, atque in tantam propensionem ad peccandum devenit [e]): ut nisi eadem per Spiritum Sanctum redintegretur [f]), Homo per se nihil boni faciat, nec velit [g]).

*e*) *Gen* 6. *v.* 5. Vidit Iehova, quod multa esset malitia Hominum in

Digitized by Google

terra, et quod omne figmentum et cogitationes Cordis eius, tantummodo malum esset omni die. *Et cap.* 8. *v.* 21. Omnis cogitatio cordis Hominis mala est a pueritia ipsius.

*f*) *Joan.* 3. *v.* 5. 6. Respondit Jesus: Amen, amen, dico tibi, nisi quis fuerit genitus ex aqua et Spiritu, non potest introire in Regnum Dei. Quod genitum est ex Carne, Caro est: et quod genitum est ex Spiritu, Spiritus est.

*g*) *Rom.* 3. *v.* 10. 11. 12. Scriptum est: Non est iustus, ne unus quidem; non est, qui intelligat, qui exquirat Deum: omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat, quod bonum est; non est usque ad unum. *Et postea v.* 23. Omnes peccaverunt, ac deficiuntur gloria Dei. *Psalm.* 143. *v.* 2. Ne congrediaris iudicio cum servo tuo: nam non esset iustus coram te ullus vivens. *Et v.* 10. Doce me facere voluntatem tuam, quia tu es Deus meus: Spiritus tuus bonus deducat me in terra recta. *Ephes.* 2. *v.* 1. Eratis mortui in offensis et peccatis. *v.* 2. In quibus olim ambulastis, ut est vita Mundi huius, secundum Principem, cui potestas est aëris, Spiritu ipsius nunc agente in hominibus contumacibus. *v.* 3. Inter quos et nos omnes conversati sumus olim, in cupiditatibus carnis nostrae, facientes, quae Carni et cogitationibus libebant: eramusque natura filii irae, ut et reliqui. *Et v.* 5. Quum in offensis mortui essemus, una vivificavit nos cum Christo, *cuius* gratia servati estis.

## *Articulus III.*

## DE CURA DEI PRO NOBIS.

### *Disputatio VI.*

### DE φιλανθρωπία DEI ERGA LAPSUM GENUS HUMANUM.

Ac tametsi Homo per eundem lapsum damnationi obnoxius, et Dei inimicus factus sit [a]): Deus tamen curam generis Humani nunquam deposuit. Testantur hoc Patriarchae [b]): Promissiones ante et post diluvium [c]): Lex item a Deo per Mosen lata, et Sancti Prophetae.

*a*) *Roman.* 5. *v.* 16. Reatus est ex una offensa ad condemnationem. *Et v.* 17. Per unam illam offensam Mors regnavit per illum unum. *Et v.* 18. Per unam offensam *reatus* venit in omnes homines ad condemnationem, etc.

*b*) *Genes.* 12. *v.* 1. *et seqq. et cap.* 14. *v.* 19. 20. *et* 15. *v.* 1. *etc. et alibi commemoratur Dei paterna cura, ac varia beneficia, erga Abrahamum eiusque familiam.*

*c*) *Genes.* 3. *vers.* 15. Inimicitiam pono inter te et Mulierem hanc, et inter semen tuum, et Semen eius: ipsum conteret tibi caput, tu autem conteres ei calcaneum. *Et capit.* 21. *vers.* 15. In Isaac vocabitur tibi semen. *Et cap.* 26. *v.* 3. 4. Tecum ero, et benedicam tibi: quia tibi et semini tuo dabo omnes regiones istas, et praestabo iuramentum illud, quod inravi Abrahamo Patri tuo. Multiplicabo quoque semen tuum, sicut stellas coeli, daboque semini tuo omnes regiones istas: et benedicentur in Semine tuo omnes gentes terrae. *Et v.* 24. Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum, propter Abrahamum servum meum. *Et cap.* 28. *v.* 13. 14. 15. Terram, in qua tu dormis, tibi dabo et semini tuo: eritque semen tuum, sicut pulvis terrae. Multiplicaberis enim ad Occidentem, et ad Orientem, et ad Aquilonem, et ad Meridiem: et benedicentur in te omnes familiae terrae, et in semine tuo. Et ecce ego tecum, et servabo te, quocunque perrexeris, et reducam te ad terram istam; quia non deseram te, donec fecero, quod loquutus sum tibi.

Digitized by Google

## *Articulus IV.*

## DE CHRISTO VERO DEO, ET VERO HOMINE,

### *Disputatio VII.*

### DE CHRISTI PERSONA, MISSIONE IN HUNC MUNDUM, ET INCARNATIONE.

Credimus ac confitemur constanter, CHRISTUM nobis tempore ad hoc ordinato, secundum promissionem Dei, a Patre datum [a]): ac ita aeternum Dei Verbum Carnem factum esse [b]): id est, hunc Filium Dei, Humanae Naturae in una Persona unitum, * nostrum Fratrem factum [c]); quo nos per eum participes fieremus haereditatis Dei [d]).

*a*) *Matth.* 1. *v.* 20. 21. Angelus Domini in somno apparuit *Ioscpho*, dicens: Iosephe, fili Davidis, ne metue, accipere Mariam uxorem tuam. Nam quod in ea genitum est, ex Spiritu Sancto est. Pariet autem Filium, et vocabis nomen eius Iesum: Ipse enim liberabit populum suum ex peccatis ipsius. *Luc. cap.* 2. *v.* 10. etc. Angelus dixit *Pastoribus:* Ne metuite. Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit toti populo: natum esse vobis hodie Servatorem (qui est Christus Dominus) in urbe Davidis, etc.

*b*) *Joan.* 1. *v.* 14. Et sermo ille factus est Caro, et commoratus est inter nos.

*c*) *Philipp.* 2. *v.* 6. 7. *Christus*, quum esset in forma Dei non duxit *esse* rapinam, parem esse cum Deo: sed ipse sese inanivit, forma servi accepta, similis hominibus factus, et habitu inventus ut Homo, etc.

*d*) *Matth.* 6. *v.* 8. Novit Pater ille vester, quibus sic vobis opus. *Item v.* 9. Sic orate: Pater noster, qui es in coelis. *Rom.* 8. *v.* 15. 16. 17. Accepistis Spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba, *i. e.* Pater. Et ille ipse Spiritus testatur una cum spiritu nostro, nos esse filios Dei, quod si filii, etiam haeredes: haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi. *Hebr. cap.* 2. *v.* 10. 11. Decebat, ut ipse, propter quem *sunt* haec omnia, multos filios in gloriam adducendo, Principem salutis ipsorum per perpessiones consummaret. Nam et sanctificans et sanctificati ex uno sunt omnes: quam ob causam non erubescit eos vocare fratres, etc.

*Marginal* * Habemus unum Patrem, nempe Deum in Christo.

### *Disputatio IIX et IX.*

### DE REDEMPTIONE PER CHRISTUM PERACTA, IN STATU HUMILIATIONIS, USQUE AD EIUSDEM A MORTUIS RESUSCITATIONEM.

Hunc IESUM CHRISTUM credimus conceptum a Spiritu Sancto, natum ex pura et intemerata Virgine Maria [e]); passum sub Pontio Pilato, crucifixum et mortuum [f]) pro peccatis nostris: atque ita unica sui ipsius oblatione, Deo, Patri nostro coelesti, pro nostris et omnium fidelium peccatis satisfecisse, ac nos cum eo reconciliasse [g]): sicque morte sua triumphum egisse et vicisse Mundum, Mortem et Inferos [h]), adhaec secundum carnem sepul-

Digitized by Google

tum, descendisse ad inferos, et tertia die resurrexisse a mortuis [i]).

c) *Matth.* 1. *v.* 18. Iesu Christi nativitas ita fuit. Quum Mater eius Maria desponsa esset Iosepho priusquam ipsi convenissent, inventa est gravida esse e Spiritu Sancto. *Et postea v.* 20. Quod in ea genitum est e Spiritu Sancto est. *Et v.* 23. Ecce, Virgo erit gravida, et pariet Filium, et vocabis nomen eius Emmanuel. *Luc.* 1. *v.* 35. Angelus dixit *Mariae:* Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi inumbrabit te: propterea *id* etiam, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. *Et cap.* 2. *v.* 7. Peperit igitur Filium suum primogenitum, etc.

f) *Testantur omnes Evangelistae.*

g) *Matth.* 20. *v.* 28. Filius Hominis non venit, ut sibi ministretur, sed ut ministret, detque animam suam *in* redemptionis pretium pro multis. *Et cap.* 26. *v.* 28 Hoc (*poculum*) est sanguis meus Novi pacti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. *Roman.* 5. *v.* 6. 7. 8. etc. Christus, quum nullis adhuc viribus essemus, prestituto tempore pro impiis mortuus est, etc. Commendat autem suam erga nos charitatem Deus, eo quod quum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit. 1 *Cor.* 15. *v.* 3. 4. Tradidi vobis in primis, quod et accepi; Christum videlicet mortuum esse pro peccatis nostris, secundum Scripturas: et sepultum fuisse, et suscitatum tertia die, secundum Scripturas. 1 *Petr.* 2. *v.* 24. Qui peccata nostra ipsemet sursum tulit in corpore suo supra lignum illud, ut peccatis mortui, iustitiae viveremus: cuius vibicibus sanati estis. *Hebr.* 9. *v.* 14. 15. Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum aeternum seipsum obtulit inculpabilem Deo, emundabit conscientiam vestram ab operibus mortuis ad colendum Deum vivum? Itaque ob id Novi pacti Mediator est, ut morte ad redemptionem earum transgressionum intercedente, quae fuerant sub priore pacto, qui vocati erant, promissam aeternam haereditatem acciperent. *Et postea v.* 26. *Christus* semel in consummatione seculorum, ad peccatum per immolationem sui ipsius e medio tollendum, factus est conspicuus. *Et v.* 28. Ita et Christus semel oblatus, ut *in seipso* attoleret multorum peccata, secundo absque peccato conspicietur iis, qui ipsum exspectant ad salutem. *Et cap.* 10. *v.* 10. qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel *factam*. *Et v.* 12. Hic (*Christus*) una pro peccatis oblata in perpetuum victima, consedit ad dextram Dei. *Et v.* 14. Unica oblatione consummavit in perpetuum eos, qui sanctificantur. *Roman.* 6. *v.* 10. Quod mortuus est *Christus*, peccato mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. 1 *Petr.* 3. *v.* 18. Christus semel pro peccatis passus fuit, iustus pro iniustis: ut nos adduceret ad Deum, morte quidem affectus Carne, vivificatus autem Spiritu.

h) *Johan.* 16. *v.* 11. *Spiritus Sanctus arguet Mundum* de iudicio, eo quod Princeps huius Mundi condemnatus sit. *Et v.* 33. Confidite, ego vici Mundum. *Philip.* 2. *v.* 9. 10. 11. Deus *Christum* in summam extulit sublimitatem, ac largitus est ei nomen supra omne nomen: ut ad nomen Iesu omne genu *se* flectat, coelestium ac terrestrium et subterraneorum: omnisque lingua profiteatur, Iesum Christum esse Dominum, ad gloriam Patris. *Col.* 2. *v.* 14. 15. *Christus,* deleto, quod adversum nos *erat,* rituum chirographo, quod, *inquam*, erat nobis subcontrarium, *ipse* vero cruci affixum sustulit e medio: et exspoliata imperia ac potestates traduxit palam, triumphatis illis per eam.

i) 1 *Corinth.* 15. *vers.* 4. etc. *Christus* sepultus est et suscitatus tertia die secundum Scripturas. *Et vers.* 14. Si Christus non est suscitatus, vanum *est* praeconium nostrum, vana autem *est* etiam fides vestra.

Digitized by Google

### *Disputatio X.*

## DE ASCENSIONE CHRISTI IN COELUM, SESSIONE AD DEXTERAM DEI, REDITU AD IUDICIUM, ET EMISSIONE SPIRITUS SANCTI.

His sufficienter comprobatis, (*credimus*,) ipsum corpore et anima in Coelum ascendisse [k]), ibique sedere ad dextram, id est, in gloria, Dei, Patris ipsius coelestis. Inde venturum esse ad iudicandum vivos et mortuos [l]). Praeterea Discipulis suis, ut promisit, suum Sanctum Spiritum (in quem, sicut et in Patrem, et in Filium, credimus) misisse [m]).

*k*) *Marc.* 16. *v.* 19. Dominus postquam loquutus esset eis, sursum receptus est in coelum, et sedit ad dexteram Dei. *Luc.* 24. *v.* 51. Et factum est, ut dum ipse benediceret eis, disiunctus ab eis, sursum ferretur in coelum. *Actor.* 1. *v.* 9. 10. 11. Et quum haec dixisset, aspicientibus ipsis, elevatus est, et nubes susceptum eum abstulit ob oculis eorum. Et quum essent intentis in coelum oculis, eo proficiscente, ecce Viri duo astiterunt illis albo vestitu; qui et dixerunt: Viri Galilaei, quid statis intuentes in coelum: Hic Iesus, qui sursum receptus est a vobis in coelum, ita veniet, quemadmodum conspexistis eum proficiscentem in coelum.

*l*) *Matth.* 26. *v.* 64. Ab hoc tempore videbitis Filium Hominis sedentem ad dexteram potentiae *Dei*, et venientem in nubibus coeli. *Ephes.* 1. *v.* 20. 21. 22. Quam *potentiam Deus* exeruit in Christo, suscitato eo ex mortuis, et *quem* collocavit ad dexteram suam in coelis: longe supra omne imperium et autoritatem, et dominatum, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, verum etiam in futuro, et omnia subiecit eius pedibus, eumque constituit Caput super omnia ipsi Ecclesiae, etc. *Coloss.* 3. *v.* 1. Si resurrexistis cum Christo, superna quaerite, ubi Christus est, sedens ad dexteram Dei. *Hebr.* 1. *v.* 13. Ad quem Angelorum dixit unquam: Sede ad dexteram meam, usque dum posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum? *Et cap.* 10. *v.* 12. *Christus* una pro peccatis oblata in perpetuum victima, consedit ad dexteram Dei. *Et cap.* 12. *v.* 2. Intuentes in fidei ducem ac consummatorem Iesum, qui pro sibi proposito gaudio toleravit crucem, ignominia contempta, et ad dexteram throni Dei consedit.

*m*) *Actor.* 2. *v.* 1. *et seqq.* *περιστατικῶς et fuse describitur effusio Spiritus Sancti, primum in Apostolos; dehinc, mediante ipsorum praeconio, in alios.*

# *Articulus V.*

# DE ECCLESIA.

### *Disputatio XI.*

## DE ECCLESIAE NATURA, MEMBRIS AC NOTIS.

Credimus sanctam Christianam Ecclesiam, id est, Communionem Sanctorum, congregationem fidelium in Spiritu [a]); quae Sancta et Sponsa Christi est [b]): in qua omnes illi Cives sunt, qui confitentur, Iesum esse Christum [c]), Agnum Dei, tollentem peccatum Mundi [d]); atque eandem per opera charitatis demonstrant [e]).

Digitized by Google

*a*) *Matth.* 16. *v.* 18. Ego dico tibi: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo meam Ecclesiam: et portae inferorum non superabunt eam. *Ephes.* 1. *v.* 22. 23. *Deus Christum* constituit Caput super omnia ipsi Ecclesiae: quae est Corpus ipsius, et complementum eius, qui omnia implet in omnibus. *Et cap.* 5. *v.* 25. 26. 27. Christus dilexit Ecclesiam, et semetipsum exposuit pro ea: ut eam sanctificaret, ab eo purificatam lavacro aquae per verbum: ut sisteret eam sibi gloriosam, *id est,* Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut quicquam eiusmodi, sed ut sit sancta et inculpata.

*b*) *Johan.* 3. *v.* 29. Qui habet Sponsam, Sponsus est: amicus autem Sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet, propter vocem Sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. *verba sunt Joan. Baptistae.* 2 *Cor.* 11. *v.* 2. Affecto vos Dei ardore. Aptavi enim vos, *quos* uni Viro (*ut* Virginem puram) sistam, *nempe* Christo.

*c*) *Ephes.* 2. *v.* 19. 20. Nempe igitur non amplius estis hospites et inquilini, sed concives Sanctorum, et domestici Dei: superstructi super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum, existente imo angulari lapide ipso Iesu Christo. *Hebr.* 12. *v.* 22. 23. Accessistis ad montem Sion, et Civitatem Dei vivi, Hierosolymam coelestem, myriadas Angelorum, conventum universalem et concionem primogenitorum, qui conscripti sunt in coelis, et Iudicem universorum Deum, et Spiritus iustorum consummatorum, etc.

*d*) *Johan.* 1. *v.* 29. Ecce, Agnus Dei, qui tollit peccatum Mundi.

*e*) *Gal.* 5. *v.* 6. In Christo Iesu valet fides, per charitatem operans.

## *Disputatio XII.*

## DE SACRAMENTIS ECCLESIAE.

In hac Ecclesia usurpanter eadem Sacramenta, videlicet Baptismus, in introitu ad Ecclesiam f); et Coena Dominica, suo tempore insequentis vitae, ad testificandum fidem, et fraternam charitatem; sicut in Baptismo promissum est g).

*f*) *Matth.* 3. *v.* 11. Ego quidem baptizo vos aqua ad resipiscentiam: is vero, qui pone me venit, validior me est: cuius non sum dignus, qui soleas portem. Ipse vos baptizabit Spiritu Sancto et igne. *Et cap.* 28. *v.* 19. Profecti discipulas facite omnes gentes, baptizantes eos, in nomen Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Actor.* 2. *v* 41. 42. Qui ergo libenter receperunt sermonem eius (*Petri*), baptizati sunt: et additae sunt *Ecclesiae* die illo animae quasi ter mille. *Et cap.* 16. *v.* 15. Quum Baptizata esset, (*Lydia purpurissa*) et domus eius, etc. *Et v.* 33. *Ipse* vero (δεσμοφύλαξ, *Commentariensis*) illis (*Paulo et Sila*) assumptis, ea ipsa hora noctis, lavit *eorum* plagas: et baptizatus est ipse, et omnes *domestici* illius ilico. *Coloss.* 2. *v.* 12 Consepulti *estis Christo* per Baptismum; per quem etiam cum eo suscitati estis per fidem efficacis illius virtutis Dei, qui suscitavit eum ex mortuis.

*g*) *Matth.* 26. *v.* 26. Edentibus autem iis, Iesus, quum accepisset panem, et benedixisset, fregit eum, deditque Discipulis, et ait; Accipite, comedite: hoc est corpus meum. *v.* 27. Et accepto poculo, ac gratiis actis, dedit eis, dicens; Bibite ex eo omnes. *v.* 28. Hoc enim est sanguis meus Novi pacti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. *v.* 29. Dico autem vobis; non bibam ab hoc tempore ex hoc fructu vitis, usque ad diem illum, quum ipsum bibam vobiscum novum in regno Patris mei.

*Marc.* 14. *v.* 22. Et edentibus ipsis, quum accepisset Iesus panem, et benedixisset, fregit, deditque eis, et ait; Accipite, edite: hoc est corpus meum. *v.* 23. Et accepto poculo, quum gratias egisset, dedit eis:

Digitized by Google

et biberunt ex eo omnes. *v.* 24. Et dixit eis; Hoc est sanguis meus Novi illius pacti, qui pro multis effunditur. *v.* 25. Amen dico vobis, non bibam amplius ex fructu vitis, usque ad diem illum, quum ipsum bibam novum in regno Dei.

*Luc.* 22. *v.* 19. Et acceptum panem, quum gratias egisset, fregit, et dedit eis, dicens; Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in mei commemorationem. *v.* 20. Itidem etiam *dedit eis* poculum, postquam coenasset, dicens; Hoc poculum *est* Novum illud pactum per sanguinem meum, qui pro vobis effunditur.

1 *Cor.* 11. *v.* 23. Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis: Dominum Iesum, ea nocte, qua proditus est, accepisse panem: *v.* 24. et gratiis actis fregisse, ac dixisse; Accipite, edite: hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur: hoc facite ad mei commemorationem. *v.* 25. Itidem et poculum, postquam coenasset, dicendo; Hoc poculum est Novum illud pactum per meum sanguinem: hoc facite, quotiescunque biberitis, ad mei commemorationem. *v.* 26. Quotiescunque enim ederititis panem hunc, et poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiatis, usque quo venerit.

### *Disputatio XIII.*

## DE PACE EGCLESIAE, ET CONSERVANDA UNITATE CONTRA SECTAS.

Christi Ecclesia omnem operam impendit, ut vincula pacis et dilectionis in unitate tueatur [h]), ideoque cum Sectis et Ordinum regulis, ad discrimen dierum, ciborum, vestium et caeremoniarum, compositis, nullo modo communicat.

*h*) *Roman.* 12. *v.* 9. Charitas *esto* minime simulata. *Estote* abhorrentes a malo, agglutinati bono. *v.* 10. Fraterna charitate alii ad alios amandos propensi: honore alii aliis praeeuntes. *Johan.* 15. *v.* 12. Hoc est praeceptum illud meum, ut diligatis alii alios, prout dilexi vos. *Et v.* 17. Haec praecipio vobis, ut diligatis alii alios. 1 *Johan.* 3. *v.* 11. Haec est denuntiatio, quam audivistis a principio, ut diligamus alii alios. *Et v.* 14. Nos scimus, nos translatos esse ex morte ad vitam, quia diligimus fratres: qui non diligit fratrem, manet in morte, etc. *Et v.* 16. Per hoc novimus charitatem Dei, quod ille animam suam pro nobis posuit: nos igitur debemus pro fratribus animas ponere. *Et v.* 23. Hoc est eius (*Dei*) praeceptum, ut credamus nomini Filii eius Iesu Christi, et diligamus alii alios, sicut praecepit nobis. *Et cap.* 4. *v.* 7. Dilecti, diligamus alii alios. Nam charitas ex Deo est: quisquis diligit, ex Deo natus est, et novit Deum. *v.* 8. Qui non diligit, non novit Deum. Nam Deus est charitas. *Et v.* 20. Si quis dixerit, diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem vidit, Deum, quem non vidit, quomodo potest diligere? *v.* 21. Et hoc praeceptum habemus ab eo, ut, qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.

# *Articulus VI.*

## DE COENA DOMINI.

### *Disputatio XIV.*

## DE SACRAE COENAE INSTITUTIONE.

Confitemur, Dominum Iesum Sanctam suam Coenam instituisse, ad memorandam sanctam suam passionem, cum gratiarum

Digitized by Google

actione [a]); atque ad testificandam Christianam charitatem et unitatem cum vera fide [b]).

*a*) *Luc.* 22. *v.* 19. Et acceptum panem, quum gratias egisset, fregit et dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in mei commemorationem. 1 *Corinth.* 11. *v.* 23. *et seqq. Videantur testimonia haec superius recitata, Disputatio XII. lit. g una cum reliquorum Evangelistarum narratione de Institutione S. Coenae.*

*b*) 1 *Corinth.* 10. *vers.* 16. Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communio Sanguinis Christi est? Panis, quem frangimus, nonne communio corporis Christi est? *v.* 17. Quoniam unus est Panis, unum Corpus nos illi multi sumus; nam omnes ex uno illo Pane participamus.

## *Disputatio XV.*

## DE SACRAE COENAE DISPENSATIONE PER COLLATIONEM CUM BAPTISMO.

* Et sicut in Baptismo (in quo nobis ablutio a peccatis, quae tamen a solo Patre, Filio e Spiritu Sancto perficitur, per Ministrum offertur) vera Aqua manet: ita etiam in Coena Domini (in qua nobis, cum Pane et Vino Coenae, conjunctis Verbis Coenae, verum Corpus et verus Sanguis Christi, per Ministrum Ecclesiae praefiguratur et offertur) Panis et Vinum manet.

*Marginal* * Firmum simile contra Adversarios veritatis.

## *Disputatio XVI.*

## DE SACRAE COENAE COMMUNIONE.

Credimus autem firmiter, ipsummet Christum cibum esse [c]) credentium, * animarum ad vitam aeternam; et nostras animas, per veram fidem in crucifixum Christum, Carne et Sanguine Christi cibari et potari **: ita ut nos, Corporis ipsius, tanquam unici nostri Capitis, membra, in eo; et ipse in nobis vivat [d]): qui in novissimo die, per eum et in eo, in aeternum gaudium et beatitudinem resurgemus [e]).

*c*) *Joan.* 6. *v.* 35. Ego sum Panis ille vitae, qui venit ad me, nequaquam esuriet: et qui credit in me, non sitiet unquam. *Et v.* 47. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam aeternam. *v.* 48. Ego sum Panis ille vitae. *Et v.* 50. Hic est Panis ille, qui e coelo descendit, ut qui edit ex eo, non moriatur. *v.* 51. Ego sum Panis ille vivus, qui e coelo descendi: si quis ederit ex hoc Pane, vivet in aeternum. Panis autem, quem ego dabo, Caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. *Et v.* 53. Dixit eis Iesus: Amen, amen dico vobis, nisi ederitis Carnem Filii Hominis, et biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *vers.* 54. Qui edit Carnem meam, et bibit meum Sanguinem, habet vitam aeternam: et ego suscitabo ipsum in ultimo illo die. *v.* 55. Caro enim mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus. *v.* 56. Qui edit meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in eo. *v.* 57. Sicut misit me vivens ille Pater, et ego vivo per Patrem: ita etiam, qui ederit me, vivet ipse quoque per me. *v.* 58. Hic est Panis ille, qui de coelo descendit: non prout comederunt Patres vestri manna, et mortui sunt: qui ederit hunc Panem, vivet in aeternum.

Digitized by Google

*d*) *Ephes.* 1. *v.* 22. *Deus* omnia subiecit eius (*Christi*) pedibus, eumque constituit Caput super omnia ipsi Ecclesiae: *v.* 23. quae est Corpus ipsius, et complementum eius, qui omnia implet in omnibus. *Et cap.* 4. *v.* 15. Sincere nos gerentes cum charitate, prorsus adolescamus in eum, qui est Caput, *nempe* Christus. *Et cap.* 5. *v.* 23. Vir est caput Uxoris, ut et Christus est Caput Ecclesiae: et is est, qui salutem dat Corpori. *Coloss.* 1. *v.* 18. *Christus* est Caput corporis, *id est*, Ecclesiae: estque *etiam* principium et primogenitus ex mortuis, ut inter omnes primas teneat. *v.* 19. Quoniam libuit *Patri*, ut omnis plenitudo in eo habitaret.

*e*) *Joan.* 11. *v.* 25. Dicit ei (*Marthae*) Iesus. Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me etiamsi mortuus fuerit, vivet: *v.* 26. Et quisquis vivit, et credit in me, non morietur in aeternum.

*Marginalia* *Spiritualis namque cibus est; ideoque fideli anima percipi necesse habet.

**Id est, animae saturae, fortes, potentes, pace et tranquillitate fruentes, hilares et ad omnia alacres, redduntur; sicut a corporali cibo corpus: itaque Homo spirituale membrum, spiritualis Corporis Christi, efficitur.

## *Disputatio XVII.*

## DE PRAESENTIA CHRISTI IN S. COENA.

Ideo confitemur, CHRISTUM in sua SACRA COENA, omnibus vere credentibus praesentem esse. *

*Marginal* * Sacramentaliter nimirum, et per memorationem fidei: quae Hominis mentem in coelum attollit; nec Christum, secundum Humanitatem, a Dextra Dei detrahit.

## *Disputatio XVIII.*

## DE ERRORIBUS CIRCA S. COENAM: AC NOMINATIM, DE *Ἐναρτώσει*, SEU IMPANATIONE CORPORIS CHRISTI.

Non includimus autem naturale, verum et substantiale corpus CHRISTI, ex pura Virgine natum, pro nobis passum, et quod in Coelum ascendit *f*), in DOMINI Panem et Vinum.

*f*) *Act.* 1. *vers.* 9. Et quum haec dixisset (*Iesus,*) aspicientibus ipsis, (*Apostolis*) elevatus est: et nubes susceptum eum abstulit ab oculis eorum, *vers.* 10. Et ipsi, eo proficiscente, intentis erant in coelum oculis. *Et c.* 3. *v.* 21. Quem oportet coeli capiant usque ad tempora restitutionis omnium. *Et c.* 7. *v.* 55. Quum autem esset (*Stephanus*) plenus Spiritu Sancto, intentis in coelum oculis, vidit gloriam Dei, et Iesum adstantem ad dextram Dei. *vers.* 56. Et ait: Ecce conspicio coelos apertos, et Filium illum Hominis adstantem ad dextram Dei. *Coloss.* 3. *vers.* 1. 2. Si resurrexistis cum Christo, superna quaerite, ubi Christus est, ad dextram Dei sedens. *v.* 2. Superna satagite, non terrestria. *Hebr.* 1. *v.* 3. *Christus* purificatione peccatorum nostrorum, per seipsum facta, sedit ad dextram Maiestatis illius *ἐν ὑψηλοῖς*, in *locis* excelsissimis. *Et cap.* 10. *v.* 19. Habemus, Fratres, libertatem ingrediendi Sacrarium, *id est*, *coelum*, per sanguinem Iesu: *v.* 20. ea via, quam dedicavit nobis recentem et vivam, per velum, hoc est, per Carnem suam.

## *Disputatio XIX.*

## DE ADORATIONE CHRISTI IN SIGNIS S. COENAE.

Itaque nec adoramus CHRISTUM in Signis Panis et Vini; quae

Digitized by Google

communiter Sacramenta Corporis et Sanguinis CHRISTI vocamus: sed in coelis ad Dextram DEI PATRIS, unde venturus est ad iudicandum vivos et mortuos g).

*g*) 2 *Timoth.* 4. *v.* 1. Obtestor *te* ego in conspectu Dei et Domini Iesu Christi, qui iudicaturus est vivos et mortuos in illustri illo suo adventu, et regno suo.

## *Articulus VII.*

## DE USU EXCOMMUNICATIONIS.

### *Disputatio XX.*

### DE P TESTATE, FINE, USU ET EXERCITIO EXCOMMUNICATIONIS.

Enimvero, quoniam zizania sese Ecclesiae CHRISTI immiscent: etiam CHRISTUS suae Ecclesiae potestatem dedit, zizania huiusmodi, si quando illa se, per intolerabilia scelera et peccata, contra Domini praecepta, exerant, averruncandi a): quo Ecclesia speciem suam, quantum fieri potest, sine macula retineat. Qua de causa nos EXCOMMUNICATIONIS usum in Ecclesia nostra retinemus.

*a*) *Matth.* 18. *v.* 15. Si vero peccaverit in te Frater tuus, ito et argue eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus es Fratrem tuum, *v.* 16. Si vero te non audierit, assume tecum adhuc unum aut duos: ut ex ore duorum aut trium stabile sit omne verbum. *v.* 17. Quod si neglexerit eos audire, dic Ecclesiae: quod si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi, velut qui *est* ethnicus et publicanus. *v.* 18. Amen dico vobis, quaecunque ligaveritis in terra, erunt ligata in coelo: et quaecunque solveritis in terra, erunt soluta in coelo. 1 *Cor.* 5. *v.* 3. Enimvero ego, ut absens corpore, praesens autem Spiritu, iam ut praesens iudicavi, ut is, qui hoc ita perpetravit, (*incestuosus nempe, cuius fit mentio, v.* 1.) *v.* 4. vobis et meo Spiritu, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis, cum potestate Domini nostri Iesu Christi: *v.* 5. eiusmodi, *inquam*, *Homo* tradatur Satanae, ad interitum Carnis, ut Spiritus salvus sit die illo Domini Iesu. 2 *Thess.* 3. *v.* 6. Denunciamus vobis, Fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut subducatis vos ab omni Fratre, qui inordinate ambulat, et non ex tradita doctrina, quam accepit a nobis. *Et v.* 14. Quod si quis non auscultat nostro per epistolam sermoni, hunc notate: et ne commercium habete cum eo, ut erubescat. 1 *Tim.* 1. *v.* 19. Retine fidem et bonam conscientiam, qua expulsa, nonnulli naufragium fecerunt. *v.* 20. ex quibus est Hymenaeus et Alexander, quos tradidi Satanae, ut castigati discant non blasphemare.

Non autem excommunicat Ecclesia Christiana, nisi emendationis gratia. Quapropter etiam excommunicatos, posteaquam a scandalosa vita sua destiterint, seseque emendarint, cum gaudio in gratiam recipit b).

*b*) 2 *Corinth.* 2. *v.* 6. Sufficit istiusmodi *Homini* (*qualis fuit incestuosus*, 1 *Cor.* 5. *v.* 1.) ista increpatio, a pluribus *profecta. v.* 7. Ut e contrario potius aliquid *ei* condonetis, eumque consolemini, ne quo modo redundanti tristitia absorbeatur *Vir* huiusmodi. *v.* 8. Quapropter precor vos, ut ratam faciatis in illum charitatem. *v.* 9. Nam in hunc finem



Digitized by Google

etiam scripsi, ut cognoscerem probationem vestri, *id est*, an ad omnia obedientes sitis. *v.* 10. Cui vero quidpiam condonatis, et ego *condono*. Nam et ego, si quid condonavi, cui condonavi, propter vos *id feci*, in conspectu Christi, ut ne superemur a Satana. *v.* 11. Non enim illius machinationes ignoramus. 1 *Timoth.* 1. *v.* 20. Hymenaeum et Alexandrum tradidi Satanae, ut castigati discant non blasphemare.

## *Articulus VIII.*

## DE MAGISTRATU.

### *Disputatio XXI.*

### DE MAGISTRATUS POTESTATE, A DEO ORDINATA, ET OFFICIO, AD DEI GLORIAM, ET HOMINUM SALUTEM, ADMINISTRANDO.

Praeterea Deus Magistratui, Ministro suo, gladium, et summam externam potestatem, Bonis ad defensionem; Malis ad vindictam et poenam delegavit [a]). Quidlibet igitur Christianus Magistratus, (in quorum numero et nos esse cupimus) omnes vires eo dirigere debet: ut apud fidei suae commissos, Nomen Dei sanctificetur, Regnum ipsius propagetur, ipsiusque voluntati, cum seria exstirpatione scelerum vivatur. *

*a*) *Rom.* 13. *v.* 1. Omnis anima potestatibus supereminentibus subiecta esto. Non enim est potestas, nisi a Deo, et quae sunt potestates, sunt a Deo ordinatae. *v.* 2. Itaque quisquis *se* opponit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi condemnationem auferent. *v.* 3. Nam Magistratus non sunt terrori bonis operibus, sed malis. Vis autem non terreri potestate, quod bonum est, facito, et laudem ab ipsa obtinebis. *v.* 4. Dei enim Minister est, tuo bono. Quod si feceris, quod malum est, metue: non enim frustra gladium gerit. Nam Dei Minister est, ultor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit. 1 *Petr.* 2. *v.* 13. Subiecti estote cuivis humanae ordinationi, propter Dominum: sive Regi, ut supereminenti: *v.* 14. sive Praesidibus, ut qui per eum mittantur: tum ad ultionem facinorosorum, tum ad laudem bene agentium. *v.* 15. Quoniam ita est voluntas Dei, ut bene agendo, os obstruatis insipientium Hominum ignorantiae. *v.* 16. ut liberi, ac non veluti malitiae velamen habentes libertatem, sed ut servi Dei. *Et v.* 17. Deum timete, Regem honorate.

*Marginal.* * Hoc officium Magistratui quoque Gentili semper iniunctum fuit: quanto magis Christiano Magistratui commendatum esse debet, ut vero Dei vicario?

## *Articulus IX.*

## DE FIDE ET OPERIBUS.

### *Disputatio XXII.*

### DE IUSTIFICATIONE NOSTRA CORAM DEO, AC NOMINATIM REMISSIONE PECCATORUM, PER FIDEM: OPPOSITE, AD IUSTIFICATIONEM EX OPERIBUS.

Confitemur Remissionem peccatorum per Fidem in Iesum Christum crucifixum [a]). Et quamvis haec Fides per Opera cha-

Digitized by Google

ritatis, se sine intermissione exercet, exerit, atque ita probatur: attamen iustitiam et satisfactionem pro peccatis nostris, non tribuimus Operibus, quae Fidei fructus sunt; sed tantum verae fiduciae et fidei, in effusum sanguinem AGNI DEI [b]).

*a*) *Matth.* 20. *v.* 28. Filius Hominis non venit, ut sibi ministretur, sed ut ministret, detque animam suam *in* redemptionis pretium pro multis. *Repetuntur eadem verba, Marc.* 10. *v.* 45. *Postea v.* 52. Iesus dixit ei (*coeco:*) Abi: fides tua te servavit. *Luc.* 7. *v.* 48. Dixit *Iesus Mulieri:* Remissa sunt tibi peccata. *Et v.* 50. Dixit ad mulierem illam: Fides tua te servavit: vade cum pace. *Iohan.* 3. *v.* 15. Quisquis credit in eum (*Christum, filium Hominis, v.* 14.) non perit, sed habet vitam aeternam. *v.* 16. Ita enim Deus dilexit Mundum, ut Filium suum, unigenitum illum, dederit, ut, quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam, *Et v.* 36. Qui credit in Filium habet vitam aeternam, etc. *Et cap.* 5. *vers.* 24. Amen, amen, dico vobis, qui sermonem meum audit, et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam, et in condemnationem non veniet, sed transivit a morte in vitam. *Et cap.* 6. *vers.* 28. Dixerunt *Iudaei* ad *Christum:* Quid faciemus, ut operemur operibus Dei? *vers.* 29. Respondit Iesus et dixit eis: Hoc est illud opus Dei, ut credatis in *eum*, quem ille misit. *Et vers.* 35. Qui credit in me, *panem illum vitae,* non sitiet unquam. *Et vers.* 40. Haec est voluntas eius, qui misit me, ut quisquis conspicit Filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam, et suscitem ipsum ego ultimo illo die. *Et v.* 47. Amen, amen, dico vobis, qui credit in me, habet vitam aeternam. *Roman.* 3. *v.* 21. 22. Iustitia Dei patefacta est absque Lege, (*scil. in Evangelio*) iustitia, inquam, Dei per fidem Iesu Christi, in omnes et super omnes, qui credunt. *Et v.* 24. Iustificamur gratis, *id est,* eius gratia, per redemptionem factam in Iesu Christo. *v.* 25. Quem proposuit Deus placamentum per fidem, in sanguine ipsius, ad demonstrationem iustitiae suae, praetereundo peccata, quae antecesserunt, in *illa* Dei tolerantia: *v.* 26. ad demonstrationem iustitiae suae, praesenti tempore: ut sit ipse iustus et iustificans eum qui *est* ex fide Iesu, *v.* 27. Ubi igitur gloriatio? exclusa est. Per quam legem? Operum? Non: sed per legem *Fidei. v.* 28. Colligimus igitur, fide iustificari Hominem, absque operibus Legis. *Eadem doctrina exemplo Abrahami, Patris credentium, urgetur toto sequente Capite* 4. *Et cap.* 10. *v.* 4. Finis Legis est Christus, ad iustitiam cuivis credenti, *v.* 5. Moses enim describit iustitiam, quae est ex Lege, *dicens:* qui praestiterit ea, vivet per illa. *v.* 6. At quae ex Fide est iustitia, ita dicit: Ne dixeris in corde tuo; quis ascendet in coelum? hoc est, Christum ex alto deducere. *v.* 7. aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum ex mortuis reducere. *v.* 8. Sed quid dicit? Prope te verbum est in ore tuo, et in corde tuo. Hoc est verbum illud fidei, quod praedicamus. *v.* 9. *Nempe*, si professus fueris ore tuo Dominum Iesum, et credideris in corde tuo, quod Deus eum suscitavit ex mortuis, servaberis. *v.* 10. Nam corde creditur ad iustitiam, fit autem ore confessio ad salutem, *v.* 11. Dicit enim Scriptura: Quisquis credit in eum, non pudefiet. *Gal.* 2. *v.* 16. Scientes, non iustificari Hominem ex operibus Legis, sed per fidem Iesu Christi. Etiam nos in Christum Iesum credidimus, ut iustificaremur ex fide Christi, et non ex operibus Legis: propterea, quod non iustificabitur ex operibus Legis ulla caro. *Sic ubique.*

*b*) *Roman.* 3. *v.* 27. 28. *Vide in paragrapho praecedente lit. a. Gal.* 2. *v.* 16. *Vide ibid. Et v.* 21. Si per Legem est iustitia, igitur Christus sine causa mortuus est. *Ephes.* 2. *v.* 8. Gratia sola estis servati per fidem: (et hoc non ex vobis, Dei donum est.) *v.* 9. non ex operibus, ut ne quis glorietur. *Et v.* 13. Qui procul eratis, propinqui facti estis, per



Digitized by Google

sanguinem Christi. *v.* 14. Ipse enim est pax nostra, qui septum, *id est*, inimicitias solvit in carne sua, *v.* 16. nosque reconciliavit Deo per crucem, peremptis inimicitiis per eam.

### *Disputatio XXIII.*

### DE IUSTITIA VERA AC SOLA, QUA IUSTIFICAMUR, QUAE EST NON NISI IN CHRISTO.

Ingenue enim profitemur, nobis in Christo, qui est nostra iustitia, sanctitas, redemptio, via, veritas, sapientia et vita, omnia dono data esse [c]).

*c*) 1 *Corinth.* 1. *v.* 30. Christus Iesus factus est nobis sapientia a Deo, iustitiaque et sanctificatio et redemptio, *v.* 31. Ut *fiat* sicut scriptum est: Qui gloriatur, in Domino gloriator. *Iohan.* 14. *v.* 6. Dicit ei (*Thomae*) Iesus: Ego sum via illa, veritas et vita illa. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. *Rom.* 8. *v.* 32. Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum; quomodo non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur?

### *Disputatio XXIV.*

### DE OPERUM BONORUM FINE ET USU.

Fiunt itaque Opera fidelium, non ut satisfaciant pro peccatis suis: sed solummodo, ut his Deo Domino nostro, pro maximis beneficiis, nobis in Christo exhibitis, se aliquo modo gratos esse declarent [d]). *

*d*) *Eph.* 2. *v.* 9. 10. Non ex operibus *servati estis*, ut ne quis glorietur. Nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quae praeparavit Deus, ut in iis ambulemus.

*Marginal.* * Gratitudo consistit in remuneratione acceptorum beneficiorum. Deo autem nihil rependi potest: quia nullius indiget. Respicimus ergo in ea, quae a nobis requirit. Haec sunt Fides et opera Charitatis: Fidem postulat sibi ipsi; Charitatem proximo.

## *Articulus X.*

## DE NOVISSIMO DIE.

### *Disputatio XXV.*

### DE NOVISSIMAE DIEI IUDICIO, CONNEXA RESURRECTIONE MORTUORUM, EORUMDEMQUE AETERNA PARTIM FELICITATE, PARTIM CONDEMNATIONE.

Credimus Ultimum Iudicium fore: in quo Caro nostra resurget, et quilibet, prout in hac vita egit, a Christo Iudice recipiet [a]): videlicet, Vitam aeternam, si ex vera fide, sincera dilectione, fructus fidei, qui sunt opera iusticiae, edidit: et aeternum Ignem; si absque fide, sine charitate, bonum * vel malum patravit [b]).

*a*) *Matth.* 24. *v.* 30. Tunc apparebit signum Filii hominis in coelo, et tunc omnes tribus terrae plangent, et videbunt Filium Hominis venientem in nubibus coeli, cum potentia et gloria multa etc. *Et c.* 25.

Digitized by Google

*v.* 31. Quum autem venerit Filius hominis cum gloria sua, et omnes sancti Angeli cum eo, tunc sedebit in throno gloriae suae. *v.* 32. Et congregabuntur coram eo omnes Gentes, et separabit eos, alios ab aliis; ut Pastor separat oves ab haedis. *v.* 33. Et statuet oves quidem, ad dextram suam; haedos autem ad sinistram. *v.* 34. Tunc dicet Rex iis, qui ad dextram ipsius *erunt*: Adeste benedicti Patris mei, possidete Regnum, paratum vobis a iacto Mundi fundamento. *v.* 35. Esurivi enim, et dedistis mihi, quod ederim: sitivi, et dedistis mihi potum: peregrinus eram, et collegistis me: *v.* 36. nudus, et amicivistis me: aegrotus, et invisistis me: in carcere eram, et venistis ad me. *vers.* 37. Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, et aluimus? aut sitientem, et dedimus tibi potum? *v.* 38. Quando autem te vidimus peregrinum, et collegimus te? aut nudum, et amicivimus? *v.* 39. aut, quando te vidimus aegrotum, aut in carcere; et venimus ad te? *v.* 40. Et respondens Rex dicet eis: Amen, dico vobis, quatenus id fecistis uni ex istis fratribus meis minimis, mihi fecistis. *v.* 41. Tunc dicet etiam iis, qui ad sinistram *erunt*: Execrandi, abite a me, in ignem illum aeternum, paratum Diabolo et Angelis eius. *vers.* 42. Esurivi enim, et non dedistis mihi, *quod* ederem: sitivi, et non dedistis mihi potum: *vers.* 43. peregrinus eram, et non collegistis me: nudus, et non amicivistis me: aegrotus et in carcere *eram*, et non invisistis me. *vers.* 44. Tunc ipsi quoque respondebunt ei, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut peregrinum, aut nudum, aut aegrotum, aut in carcere: et non ministravimus tibi? *v.* 45. Tunc respondebit eis, dicens: Amen, dico vobis, quatenus *id* non fecistis uni ex istis minimis, nec mihi fecistis. *v.* 46. et abibunt isti in supplicium aeternum: Iusti vero ad vitam aeternam. 2 *Tim.* 4. *v.* 1. Obtestor te, in conspectu Dei, et Domini Iesu Christi, qui iudicaturus est vivos et mortuos, in illustri suo adventu, et regno suo. *Et v.* 8. Quod reliquum est, reposita mihi est iustitiae corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, iustus Iudex, non solum autem mihi, sed et omnibus, qui expetiverint illustrem illum ipsius adventum.

*b*) *Romian.* 2. *v.* 5. Sed pro duritia tua et corde, quod resipiscere nescit, thesaurizas tibi ipsi iram, in diem irae et patefactionis iusti iudicii Dei: *v.* 6. Qui reddet unicuique secundum opera ipsius: *v.* 7. iis quidem, qui, secundum patientem exspectationem, quaerunt boni operis gloriam et honorem, et immortalitatem, vitam aeternam. *v.* 8. Litigiosis vero, et veritati quidem non obedientibus, obedientibus autem iniustitiae, *erit* excandescentia et ira. *v.* 9. afflictio, *inquam*, *erit* et angustia adversum omnem animam Hominis, perpetrantis malum, tum Iudaei inprimis, tum etiam Graeci. *v.* 10. gloria vero, et honor, et pax *erit* cuivis operanti bonum, tum Iudaeo inprimis, tum et Graeco, etc. 2 *Cor.* 5. *v.* 10. Omnes nos comparere oportet coram tribunali Christi, ut unusquisque reportet, quae in corpore *fecerit* congruenter ad id, quod fecerit, sive bonum sive malum.

*Marginal.* *Bonum, intellige, secundum iudicium et opinionem hominum.

## *Articulus XI.*

## DE PRAECEPTIS ET NON PRAECEPTIS.

### *Disputatio XXVI.*

### DE *Αὐτονομία*, SIVE IMPERIO, IN CONSCIENTIAS, SOLI CHRISTO IN ECCLESIA RELINQUENDO.

Confitemur, quod, quemadmodum nemo mandare potest ea,

Digitized by Google

quae CHRISTUS non mandavit: ita etiam nemo prohibere possit, quae ipse non prohibuit [a]).

*a) Scriptum est enim:* Ipsum audite. *Matth.* 17. *v.* 5. *Luc.* 9. *v.* 35. Vox extitit e nube, dicens: Hic est Filius ille meus dilectus, ipsum audite. *Deut.* 18. *v.* 18. Prophetam suscitabo illis de medio fratrum suorum, sicut tu, et ponam verba mea in ore eius, et loquetur eis omnia, quae praecepero illi. *v.* 19. Erit autem, quicunque non audierit verba mea, quae loquetur in nomine meo, ego requiram ab eo. *Act.* 7. *v.* 37. Hic est Moses ille, qui dixit filiis Israël, Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester e fratribus vestris, sicut me: ipsum audietis.

## *Disputatio XXVII.*

## DE INANITATE PRAECEPTORUM PONTIFICIORUM, AC, NOMINATIM, DE CONFESSIONE AURICULARI, IEIUNIO QUADRAGESIMALI, ET FESTIS PONTIFICIIS.

Ob hanc causam nos Auricularem confessionem, Ieiunium quadragesimale, Sanctorum ferias, et quae eius generis ab hominibus exorta sunt, pro non praeceptis habemus.

## *Disputatio XXVIII.*

## DE INANITATE INTERDICTORUM PONTIFICIORUM AC NOMINATIM, DE COELIBATU SACERDOTUM.

Sicut contra, Ministrorum matrimonium non prohibitum, scimus.

## *Disputatio XXIX et XXX.*

## DE ILLICITIS PERMISSIONIBUS PAPANIS, ATQUE IN SPECIE, DE CULTU RELIGIOSO SANCTORUM, ET DE FABRICA ET CULTU IMAGINUM.

Et adhuc multo minus permittere quisquam potest, quod Deus prohibuit. * Itaque cultum et invocationem demortuorum Sanctorum **, venerationem et exstructionem Imaginum, et id genus, improbamus.

*Marginal.* * Deus dixit: *Ego Iehova Deus vester. Lev.* 18. *v.* 2. *et Deut.* 10. *v.* 17. *Iehova, Deus vester, et Deus Deorum, et Dominus Dominorum, Deus magnus, fortis et terribilis, etc.* Quis igitur inter ipsius creaturas concedere posset, quae ipse prohibuit?

** Sanctos alioqui fatemur coram Deo esse, et cum Christo regnare in aeternum; propterea, quod Christum agnoverunt, et tum operibus, tum verbis, confessi sunt, esse suum Salvatorem, redemptionem et iustitiam, sine ullo humani meriti additamento. Hinc laudamus et commendamus ipsos, tanquam eos, qui gratiam a Deo consecuti et iam haeredes Regni aeterni facti sunt: hoc tamen omne ad gloriam Dei et Christi referentes.

Digitized by Google

### *Disputatio XXXI.*

### DE ILLICITIS INTERDICTIS PAPANIS, ATQUE, IN SPECIE, DE CARNIUM ESU.

Et rursus interdicere nemo potest, quae Deus concessit. Cibis itaque cum gratiarum actione uti, nullo modo interdictum existimamus [b]).

*b*) 1 *Timoth.* 4. *v.* 1. Spiritus autem diserte dicit, fore, ut posterioribus temporibus desciscant quidam a fide, attenti Spiritibus deceptoribus ac doctrinis Daemoniorum, *v.* 2. per hypocrisin falsiloquorum, quorum conscientia cauterio resecta est: *v.* 3. prohibentium contrahere matrimonium, *iubentium* abstinere a cibis, quos Deus condidit, ad participandum cum gratiarum actione, fidelibus, et iis, qui norunt veritatem. *v.* 4. Nam quicquid condidit Deus, *bonum est*, nec quicquam reiiciendum est, si cum gratiarum actione sumatur. *v.* 5. Sanctificatur enim per verbum Dei et preces.

## *Articulus XII.*

## CONTRA ERRORES ANABAPTISTARUM.

### *Disputatio XXXII.*

### DE PAEDOBAPTISMO IN SPECIE.

Clare protestamur, nos peregrinas et erroneas doctrinas, quas turbarum Spiritus inter alias damnatas et pravas opiniones proferunt, reiicere et damnare, ut quum dicunt: Infantes (quos nos, iuxta Apostolorum et primitivae Ecclesiae consuetudinem [a]), et ex eo, quod Baptismus loco Circumcisionis est [b]), baptizari facimus) minime baptizandos esse.

*a*) *Actor.* 2 *v.* 38. Petrus ait: Resipiscite, et baptizetur unusquisque vestrûm in nomen Iesu Christi, in remissionem peccatorum: et accipietis donum Spiritus Sancti. *v.* 39. Vobis enim *facta est* promissio, et liberis vestris, et omnibus longe post futuris, quoscunque videlicet advocaverit Dominus Deus noster. *Et cap.* 16. *v.* 33. *Ipse* vero (*Commentariensis in urbe Philipp.*) illis assumptis ea ipsa hora noctis, lavit *eorum* plagas: et baptizatus est ipse, et omnes *domestici* illius ilico. 1 *Cor.* 1. *v.* 16. Baptizavi (*ait Paulus*) etiam Stephani familiam.

*b*) *Col.* 2. *v.* 11. In quo (*Christo*) circumcisi estis circumcisione, quae fit sine manibus, exuendo corpus peccatorum carnis per circumcisionem Christi: *v.* 12. et consepulti per Baptismum, per quem etiam cum eo suscitati estis, per fidem efficacis illius virtutis Dei, qui suscitavit eum ex mortuis, etc.

OBSERV. *Allegata et exscripta haec testimonia, in Germanicis exemplaribus, vel m. s. vel impressis non extant. Quia tamen olim Latinae editioni adscripta fuere in margine, et Paedobaptismo confirmando inserviunt, eradere noluimus.*

### *Disputatio XXXIII.*

### DE IUREIURANDO CHRISTIANORUM.

In nullo item casu iurandum esse; etsi gloria Dei, et charitas Proximi, id requirant. *

Digitized by Google

*Marginal.* * Suo tempore Iuramento uti licet. Deus enim ius hoc in Veteri Testamento; et in Novo Christus non prohibuit; imo Christus et Apostoli ipsi iurarunt.

## *Disputatio XXXIV.*

## DE MAGISTRATU CHRISTIANO.

Et MAGISTRATUS CHRISTIANOS esse non posse. *

*Marginal.* * Magistratus tum bonum Magistratum agit, quando vere Christianus est.

## *Disputatio XXXV.*

## DE RELIQUIS ANABAPTISTARUM FANATICIS ERRORIBUS, IN GENERE.

Cum omnibus aliis doctrinis, quae sanae et purae doctrinae IESU CHRISTI adversantur e diametro, non solum non recipere; sed, ut abominationes et blasphemias, reiicere et damnare.

## *Disputatio XXXVI.*

## DE COLOPHONE CONFESSIONIS BASILEENSIS, QUAM NON NISI SCRIPTURAE SACRAE, TANQUAM UNICAE ET PERFECTAE FIDEI REGULAE, IUDICIO SUBMITTIMUS: CUM POLLICITATIONE EMENDATIONIS, SI, QUOCUNQUE IN ARTICULO EAM *ἀντίγραφον* ESSE, DEMONSTRATUM FUERIT.

Postremo, hanc nostram CONFESSIONEM Iudicio SACRAE BIBLICAE SCRIPTURAE subiicimus: eoque pollicemur, si ex praedictis Scripturis in melioribus instituamur; nos omni tempore DEO et SACROSANCTO IPSIUS VERBO, maxima cum gratiarum actione, obsecuturos esse.

*Οὐκ ἐν τῷ μέγα τὸ εἶ, ἀλλ' ἐν τῷ εἶ τὸ μέγα.*

## REGI SECULORUM INCORRUPTIBILI, IMMORTALI, INVISIBILI, SOLI SAPIENTI DEO PATRI, FILIO ET SPIRITUI SANCTO SIT HONOR ET GLORIA IN SECULA SECULORUM. AMEN.

Digitized by Google

## 6.

# Ein gemeine bekantnus

des

helgen waren vnd vralten Christlichen gloubens vnd vnsern mittburgern vnd Christlichn̄ gloubgnossen ꝛc. Zurich. Bern. Basell. Straßburg. Costenz. Santgalln. Schaffhusn. Millhusen. Biel. ꝛc. zbasell vffgericht geordnet vnd gmacht vff wytern bscheid ꝛc.

Im 1536. 1. 2. 3. et 4. Februariy.

Ein kurtze vnd gemeine bkantnuß des gloubens der kelchen so in einer Eidtgnoschafft das Evangelium Christi angenomen habend, allen glöbigen vnd frōmen zu erwegen, zu beschatzn̄ vnd zu vrteilen dar gestelt.

1 Pet. 3. 1 Joh. 4.

### 1. Von der helgen gschrifft.

Die heilge, götliche biblische gschrifft, die da ist das wort gottes, von dem helgen geist inggeben vnd durch die propheten vnd apostell der welt fürgetragen, ist die aller älteste, volkomneste vnd höchste leer, begrifft allein alles das, das zu warer erkantnüß liebe vnd eer gottes, zu rechter warer fromkeit, vnd anrichtung eines frōmen eerbaren vnd gottsäligen lebens dienet.

Zacha. 7. Math. 22. 2 Pet. 1. 1 Tessa. 4. 2 Timoth. 3.

### 2. Von Vßlegung der gschrifft.

Dise heilige götliche gschrifft, sol niener mitt dan̄ mit Jr selbs vßgleit [1]) vnd erklärt werden durch die richtschnur des gloubens vnd der liebe.

1 Ioh. 5. Ro. 12. 1 Cor. 13. Sic Christus facit Math. 4.

### 3. Von den alten leereren.

Wo nū die heiligen Vätter vnd alten leerer̄ die die gschrifft erklärt vnd vßgelegt, über dise richtschnur nit gehowen habend, wöllend wir sy nit allein für vßleger der gschrifft, sünder für vßerwölte werckzüg, durch die Gott geredt vnd gewurckt hatt, erkennen vnd halten. [2])

Ioh. 17. Luc. 10. Math. 10. 1 Thessa. 2, 4.

---

1) MS. Tur.: soll nienar mitt, dann mit no selbs vßgeleyt. 2) MS. Tur.: erkennen vnd annemmen vnd halten.

Digitized by Google

## 4. Von menschen leeren.

Was sunst menschlicher leeren vnd satzungen sind,[3]) sy sygend wie schön hübsch vnd ansichtig vnd langgebrucht sy Jemer wöllend, die vns von gott vnd warem glouben abfürend, haltend wir ytell[4]) vnd krafftloß, wie es der her Math. am 15.[5]) selbs bezügt, vnd da er spricht, Si eerend mich vergebens, so sy leerend die leern der menschen.

**Esa. 29. Marc. 7. 1 Timoth. 4. Titu. 1.**

## 5. Was der Zweck der heilgen gschrifft sye vnd worvff sy endtlich wyse.

Die gantz bibliſche geſchrifft ſicht allein darvff das menſchlich geſchlecht verſtande, das Jm gott günſtig ſye, vnd wol wölle, vnd dz er diſe ſine gutwillikeit, durch Chriſtū ſinen ſun dem gantzen menſchlichen geſchlecht offenlich dargſtelt vnd bewyſen habe, die aber allein durch den glöben zu vns kome, allein durch den glöben entpfangen, vnd durch die liebe gegen dem nächſten, erzögt vnd bewyſen werd.[6])

**Gen. 3. Ioh. 4. Rom. 8. Ephe. 2. 1 Ioh. 4.**

## 6. Von Gott.

Von Gott haltn̄ wir alſo, das ein einiger, warer, lebendiger vnd allmächtiger gott ſye. Einig im weſen, dryfaltig in der perſon,[7]) der alle ding durch ſin wort,[8]) dz ist durch ſinen ſun, vß nütt geſchaffen habe, vnd alle ding durch ſin fürſichtikeit gerecht warlich vnd wyßlich regier verwalte vnd erhalte.

**Deut. 6. Math. 28. Gen. 1. Ps. 33. Act. 17.**

## 7. Von dem menſchen.

Der menſch, die volkomneſt bildnus gottes vff erden, under allen ſichtbaren creaturen, die edleſte vnd fürnemſte, der iſt vß lib vnd ſeel zuſamen geſetzt. Der lib iſt tödtlich, die ſeel ontödtlich,[9]) diſer menſch als er von Gott recht vnd wol geſchaffen war, iſt er durch ſin eigne ſchuld in die ſünd gefallen, vnd hatt das gantz menſchlich geſchlecht mit Jm in ſölichn̄ fal gezogen, vnd ſölicher arbeitſälikeit vnderwürflich gemacht.

**Gen. 1. 2. Rom. 5.**

## 8. Von der eerbſünd.

Diſe eerbſucht aber vnd vrſpringenliche ſünd iſt das gantz menſch-

---

3) MS. Tur. addit hic verba: die vns von gott vnd waarem glouben abfürend .. quae in nostro textu paullo post sequuntur. 4) MS. Tur.: fuer viel, ſchädlich .. 5) In MS. Tur. numeri loco signum extat, mihi ne notum quidem. 6) MS. Tur.: dem nächſten vſſgetruckt, erzeigt, vnd bewiſen würde. 7) MS. Tur.: drifaltig in perſonen.. 8) MS. Tur.: durch ſyn ewig wort, .. 9) In MS. Tur. hisce cum verbis paragraphus finita est. Reliqua sequuntur praemissa hac inscriptione: Vom fal des mönſchen.

Digitized by Google

lich geſchlecht dermaſen durchgangen, vnd hetts dermaſen verwüſt vnd vergifft,[10]) dz dem menſchen, der ein kindt des zorns vnd fyend gottes worden war, niemā denn gott durch Chriſtū helffen oder widerbringen mocht, vnd was in Jm guts überbliben iſt, dz wirt durch täglich mängell vnd präſten, für vnd für geſchwacht, das es zū eergeren geratet, dann die krafft der ſünd vnd des preſtens[11]) in vns trifft für, das weder die vernunfft dem, dz ſy erkendt nachkomen, noch der hochverſtand das göttlich fünckli pflantzen vnd fürbringen mag.

Eph. 2. Ps. 51. Ro. 8.

## 9. Von dem fryen willkur, ſo man nempt den fryen willen.

Des halb wir dem menſchen ein frye willkur[12]) alſo gebend, das wir in vns ſelbs befindend, das wir mit wiſſen vnd willen guts vnd böß tund; das böß vermögend[13]) wir von vns ſelbs thun, das gut aber mögend wir weder annemen, noch volſtrecken, wir ſyend dann durch die gnad Chrī erlüchtet, erweckt vnd getriben. dann gott iſt der, der in vns das wöllen vnd vollbringen würckt, nach ſinem guten willen, vß gott iſt vnſer heil, vß vns aber iſt nüdt dann ſünd vnd verderbnüß.

Ioh. 15. Philip. 2. Act. 17. Oseae 13. 1 Reg. 43.

## 10. Wie Gott den menſchen durch ſinen ewigen radtſchlag widerbracht habe.

Wie wol nun der menſch durch ſöliche ſin ſchuld vnd übertrettung ewiger verdampnüs zubekendt vnd in den gerechten zorn gottes gefallen iſt, ſo hatt doch gott der gnädig vatter nie vffgehört ſorg für Jnn zetragen, wölches wir vß der erſten verheiſſung,[14]) vnd vs dem gantzen gſatzt (durch wölches die ſünd erweckt, nit erlöſcht wirt.[15])) vnd vß dem heren Chriſto, der darzu verordnet vnd geleiſtet iſt, klar vnd gnügſam offenbar vermercken vnd verſten mögend.[16])

Ephe. 1. Gen. 3. Ro. 7.

## 11. Vom dem heren Chriſto vnd was wir durch Jnn habend.

Diſer her Chriſts ein warer ſun gottes, warer gott vnd menſch, hatt in der zitt, die gott von ewikeit har, dar zu beſtimpt ware menſchliche natur, mit lib vnd ſeel angenomen, hatt zwo vnderſcheidne vnvermengte naturē in einer einigen vnzertrenten perſon, wölche annemūg menſchlicher natur darvmb geſchechen iſt, das er vns, die tod warend, wider lebendig vnd miteerben gottes machte, deß halb er ouch

10) MS. Tur.: verwüſtet, verderbt vnd vergifftet.. 11) MS. Tur.: präſtens. 12) MS. Tur.: ein fryen willen. 13) MS. Tur.: mögend. 14) MS. Tur. exhibet hic numerum pluralem. 15) MS. Tur.: erweckt vnd angezündt, nit erlöſcht würt. 16) In MS. Tur. offenbar vocabulum omissum est.

Digitized by Google

vnſer bruder worden iſt. Diſer her Chriſtus der ſun des waren lebendigen gottes, hatt das fleiſch, das durch die vereinbarung der gottheit heilig iſt, vnſerem fleiſch in allen dingen glich, vßgenomen die ſünd, dann es ein rein vnbefleckt opffer ſin ſolt, vß der vnbefleckten iunckfrowen [17]) Maria, durch mitwürkung gottes des heilgen geiſts angenomen, für vns in tod geben, zu einer bezalung, begnädigung vnd abweſchung aller ſünden.[18]) Vnd dar mit wir ein volkomne hoffnūg vnd vertruwen, vnſers vnſterblichen lebens haben möchtend, hatt er ſin fleiſch, das er vom tod zū leben wider vfferweckt zu der gerechten ſines almechtigen vatters geſetzt. Diſer her Chriſts, der den tod, die ſünd vnd allen helliſchen gwalt überwunden vnd überſiget hatt, iſt vnſer vorgenger, fürer vnd hopt, der iſt der recht hoohe prieſter der da ſitzt zu der grechten gottes, vnd vnſer ſach alweg ſchirmpt vnd füret, bis er vns zu der bildnus zu deren wir geſchaffen ſind reformiere vnd widerbringe, vnd in die gmeinſame ſines götlichen weſens infüre. Vff diſen hēren Jeſū Chriſtum wartend wir, dz er künftig ſye am end der welt, als ein warer rechter richter, der das war[19]) vrteil über alles fleiſch, das von Jm zū vrtell vfferweckt, fellen wirt, die frommen vnd glöbigen wirdt er inn himel füren, vnd die vnglöbigen wirt er mit lib vnd ſeel in ewige verdampnüs ſtoſſen vnd verdänen. Diſer her Jeſus, wie er allein unſer mitler, fürſprech, opffer, hocher prieſter, her vnd küng iſt, alſo erkennend wir Jnn allein, vnd gloubend von gantzem hertzen, dz er allein vnſer verſünung, vnſer erlöſung, heiligmachung, bezalung, wyßheit, ſchirm vnd rettung allein ſye. Hie verwerffend wir alles das, dz ſich ein mittell, opffer, vnd verſönung vnſers lebens vnd heils darſtelt, vnd erkennend keins, denn allein den heren Chriſtū.[20])

Ioh. 1. Gal. 4. Ioh. 16. Heb. 2, 4. Math. 1. Luc. 1. 1 Ioh. 2. 1 Cor. 15. Act. 1. Ephe. 1. Ro. 6. Ephe. 4. Daniel 7. Ioh. 5. Math. 25. 1 Timoth. 2. Heb. 7. Ro. 3. 1 Cor. 1.

## 12. Was der Zweck ſye euangliſcher leer.

Deß halben ſol in aller euangeliſchen leer das das höchſt vnd fürnemiſt hoptſtuck ſin, das Jn allen predigen, hefftig getriben, vnd in die hertzen der menſchen ingetruckt ſol werden, namlich das wir allein durch die einig barmhertzikeit gottes, vnd durch den verdienſt Chriſti behalten vnd ſälig werdend. Damit aber die menſchen verſtandind, wie nottwendig Jnen Chriſts zū heil vnd ſälikeit ſye, Sol man Jnen die gröſſe vnd ſchwere der ſünd durch das gſatzt vnd tod Chriſti zū helleſten vnd kläreſten anzögen, Jnbilds [21]) vnd für ougen ſtellen.

1 Timoth. 1. Ro. 3.

---

17) MS. Tur.: vnbeflekten reynen jungkfrouwen. 18) MS. Tur.: aller ſunden der gantzen wält. 19) In MS. Tur. war vocabulum omissum est. 20) MS. Tur.: den eynigen herren chriſtum. 21) MS. Tur.: anzeygen, Jnbilden ꝛc.

Digitized by Google

## 13. Wie vns die gnad Christi vnd sin verdienst mittgeteilt werdend vnd was frucht dar vß volge.

Söliche hohen vnd grossen guthätten götlicher gnaden vnd die ware heiligmachung des geists gottes entpfahend wir nit vß vnseren verdiensten vnd krefften, sonder durch den glouben, der ein lutere gab vnd schencke gottes ist.[22]) Der selbig gloub ist ein gwisser, vester, ja vngezwiffleter grund vnd begrüffung aller dingen die man von gott verhoffet, wölcher vs Im die liebe, vnd dem nach allerley tugenden, vnd guter wercken frücht wachsen macht. Vnd wie wol die frömen vnd glöbigen sich in sölichen früchten des gloubens one vnderlaß übend, so schribend wir doch die frommachung vnd dz erlangt heil, nit sölichen wercken, sunder der lutren gnad gottes zu.[23]) Diser gloub, der sich nit vff sin werk, wie wol er vnzalbare gute werck würckt,[24]) sonder vff die barmhertzikeit gottes tröstet, ist der recht[25]) war dienst, mit dem man gott gefalt.[26])

Ro. 3. Gal. 2. Ephe. 2. Gal. 5. Ro. 3. Michee 6.

## 14. Von der kilchen.

Vß den lebendigen steinen, die vff disen lebendigen[27]) felsen gebuwen sind, haltend wir, das ein heilige allgemeine kilchen, die gmeinsame vnd samlung aller heilgen, die ein gsponß vnd gemahell Christi ist, wölche er durch sin blut reinige, vnd entlich dem vatter one masen gantz vnbefleckt vnd vnuermaßget dar stelle, gebuwen vnd zemen gsamlet werde. Vnd wie wol dise kilchen vnd samlung Christi allein den ougen gottes offen vnd bekandt ist, so wirt sy doch durch vssere zeichen, bruch vnd ordnūg, die von Christo selbs ingesetzt vnd geordnet, vnd durch das wort gottes, als durch ein gmeine offne vnd ordenliche zucht, nit allein gesechen vnd erkandt, sonder ouch der maß gesamlet vnd gebuwen, das in dise kilchen niemans (ordelich ze reden vnd one besondere fryheit von gott geoffnet.) one diese ding gezelt wirt.

1 Pet. 2. Math. 16. 1 Ioh. 1. 1 Pet. 1. Ephe. 5. Ioh. 6. 2 Timoth. 2. Act. 13. Math. 28. Act. 10.

## 15. Von den zudieneren[28]) des worts Gottes vnd dienst der kilchen.

Deß halb wir ouch bekennend, das die diener der kilchen mittarbeiter gottes sind, als sy der heilig Pauls nempt, durch die er sinen glöbigen erkantnüß sin selbs, vnd ablaß der sünden zudienet vnd für-

22) In MS. Tur. cum his verbis paragraphus finita est. Reliqua sequuntur praemissa hac inscriptione: Was der gloub sye. 23) Hoc loco in MS. Tur. inscriptio inserta est huiuscemodi: Was rächter waarer gotsdienst sye. 24) MS. Tur. haec habet, et quidem uncis inclusa: (wie wol er vnzalbar gute wärch one vfhören würkt). 25) MS. Tur. addit „vnd" particulam. 26) MS. Tur.: mit dem die gläubigen gott gefallend. 27) MS. Tur.: läbenden. 28) MS. Tur.: dieneren.

Digitized by Google

treit, die menschen zu Im bekert, vffrichtet, tröst, ja ouch erschreckt vnd vrteilt, doch mit disem anhang vnd verstand, das wir in den allen, alle wirckung vnd krafft dem heren Gott allein, dem diener aber das zudienen zuschriben, dañ gewiß ists, das dise krafft vnd wirckung keiner creatur niemar me angebunden sol noch mag werden, sonder Gott der teilt sy uß, nach sinem fryen willen denen, denen er wil.

1 Cor. 3. 4. 2 Cor. 6. Ioh. 20. Luc. 1. 1 Cor. 3.

## 16. Von gwalt der kilchen.

Der gwalt das Gotswort zepredigen, vnd die schäffly des heren zeweiden (wölchs eigentlich ze reden der schlüßlen gewalt ist.) schribt allen menschen für ein form zeleben, Sy syend hoch oder nider stands, sölcher gwalt vnd ansehen sol als ein befelch,[29]) hoch, thür, vnueracht[30]) vnd vnuerletzt sin, sol ouch nieman zuzedienen entpfolhen werden, er sye dañ zu vor durch die götliche Stim vnd wal, durch die Jenen, die von der kilchen, durch wolbetrachte rattschlág, vnd vßschuß darzu bestimpt vnd erwelt sind, tougelich vnd geschickt darzu erfunden vnd erkändt.

Math. 16. Ioh. 20. 1 Tessa. 4. Act. 13.

## 17. Von erwellung der dieneren der kilchen.

Dann sölich ampt vnd dienst sol nieman befolhen noch vertúwt werden, er sye dañ zu vor in heilger gschrifft vnd erkantnüß des willen gottes wolbericht, in fromkeit vnd vnschuld des lebens vnsträfflich, vnd in flyß vnd ernst, die eer vnd den namen Christi zefürderen hitzig vnd inbrinstig erfunden vnd erkent worden, namlich durch die diener vnd fürstender der kilchen, ouch die, die vß der christelichen oberkeit, als von der kilchen wegen, zu sölichem ampt erwölt sind, vnd dewil das selb ein rechte ware wal gottes ist, sol sy durch das urteil der kilchen vnd vfflegung der henden der eelteren als billich vnd recht erkendt vnd angenomen werden.

1 Timoth. 3. 4. Luc. 12. Act. 1. Titu. 1. Nu. 27. Deut. 34. Act. 6. 8. 9. 13. 1 Timoth. 1. Hebr. 6.

## 18. Wer der hirt vnd das hopt der kilchen sye.

Dann Christs selbst allein das waar vnd recht hoptt vnd hirt siner kilchen ist, der selbig gibt siner kilchen, hirten vnd leerer, die vß sinem befelch das wort vnd den gwalt der schlüßeln ordelich vnd rechtmässig, wie oben gemelt, fürend. Deßhalb wir die jenen, die allein mit dem namen bischoff sind, vnd das hopt zu Rom weder bekennend noch annemend.

Ioh. 10. Ephe. 1. 4. 5. Collo. 1. 2. Ioh. 20. Zach. 11.

---

29) MS. Tur.: befálh vnd handel gottes. 30) In MS. Tur.: vnueracht vocabulum omissum est.

Digitized by Google

## 19. Was das ampt sye der dieneren vnd der kilchen.

Das aller höchst vnd fürnemst in diesem ampt ist, das die diener der kilchen, rüw vnd leid der sünden enderung des lebens, vnd verzyhung der sünden predigend, vnd das alles durch Christū. Item das sy onvffhörlich für das volck bittind, der heilgen gschrifft vnd wort Gottes, in lesen, vnd heilger trachtung ernstlich vnd flyssig obligind, mit dem wort Gottes, als mit einem schwert des geistes, in alle weg, den tüffel, mit dem tödtlichē haß verfolgind, vnd sin krafft niderleginb, vnd schwechind, das sy die gsunden burger Christi schirmind, die bösen aber warnind, hinterschthaltind, vnd abtribind, vnd so sy in Irem fräuel[31]) vnd vnverschampten lasteren die kilchen Christi wöltend für vnd für eergeren vnd verwüsten, söllend sy durch die jenigen, so von den dieneren des worts vnd christelicher oberkeit darzu verordnet sind, vßgestoßen,[32]) oder in andere füglige vnd komliche, fromkliche weg[33]) gestrafft vnd verbeßret werden, bis sy Jr Irsal bekennend sich enderend vnd gsund werdend, den aber sol der burger Christi, der also presthafft vnd kranck gewesen vnd vßgeschlossen ist, wider in die kilchen vffgenomen werden, so er sich bekert vnd mit grosem ernst sin sünd vnd Irsal bekent vnd vergicht (.dann da hin sol dise straff dienen.) vnd artzny sinem presten gewilliklich sucht, sich in ein geistlich disciplin vnd zucht begibt, vnd sich mit einem nüwen flyß vnd ernst zur fromkeit alle frömen erfröwt.

Luc. 24. 1 Cor. 11. Act. 6. 1 Timoth. 4. Ephe. 6. 2 Timoth. 4. Ezech. 14. 1 Cor. 5. 2 Tessa. 3. 2 Cor. 2.

## 20. Von dem vermogen, krafft vnd würckung der sacramenten.

Deren zeichen, die man sacrament nempt, sind zwey, namlich der touff, vnd dz nachtmal des heren. Dise sacrament sind bedütliche heilige zeichen, vnd hoher heimlichen dingen,[34]) die aber nit blosse vnd lere zeichen sind, sunder sy bestond in zeichen vnd weselichen dingen. Dann im touff ist das wasser das zeichen,[35]) das weselich aber vnd geistlich[36]) ist die widergeburt vnd die vffnemung in das volck gottes. Jm nachtmal oder danckſagung sind brott vnd win zeichen, das weselich aber vnd geistlich, ist die gemeinschafft des libs vnd bluts Christi, das heil das am crütz erobret ist, vnd ablaß der sünden, wöliche weseliche vnsichtbare vnd geistliche ding im globen,[37]) glych wie die zeichen liblich entpfangen werdend, vnd in disen geistlichen weselichen dingen, statt die gantze krafft, würckung vnd frucht der sacramenten. Deßhalb

31) MS. Tur.: fräfel. 32) MS. Tur. perperam: vnd christenlicher oberkeyt usgeschlossen sind, vsgeschlossen.. 33) MS. Tur.: oder in andern fugliche vnd formliche wäg. 34) zeichen, heiliger, hoher vnd göttlicher Dingen. 35) MS. Tur.: ein bedutlich zeichen.. 36) In MS. Tur. verba „vnd geistlich" omissa sunt. 37) MS. Tur. addit: innwändig.

Digitized by Google

wir bekennend, das die sacrament nit allein vssere zeichen sind Christelicher gesellschafft, sonder wir bekennends für zeichen götlicher gnaden, durch[38]) die diener der kilchen, dem heren, zu den fürnemen vnd end, das er vns selbs verheißt, anbütet vnd kreftiklich verschafft, mitwürkend, doch wie oben[39]) von dieneren des worts geseit ist. Namlich das alle heilmachende[40]) vnd seligmachende krafft dem heren Gott allein zugeschriben werdend.

## 21. Von dem Touff.

Der touff ist vß der insatzung des heren, ein widergeberliche abweschung, wöliche der her sinen vßerwölten mit einem sichtbaren zeichen, durch den dienst der kilchen wie obengeredt vnd erlütret ist, anbütet vnd darstelt, in wölicher helgen abweschūg wir vnsere künder darvmb touffend, das es vnbillich were, das wir die jenen, die vß vns, die ein volck Gottes, geboren sind, der gemeinsame des volcks Gottes söltend entrouben, die doch mit götlicher stim darzu bestimpt, vnd die sind, von denen man sich sol vermuten, sy syend von Gott erwölt.

Math. 28. Marc. 16. Titu. 3. Gen. 17. Luc. 18. 1 Cor. 7.

## 22. Vom Nachtmal des heren, oder von der danckſagung.

Vom helgen nachtmal haltend wir also, das der her im heilgen aubendmal,[41]) sin lib vnd blut, das ist, sich selbs den sinen warlich anbütet, vnd zu sölicher frucht zu niessen gibt, das er ie me vnd me in Jnen, vnd sy in Jm lebend, Nit das der lib vnd dz blut des heren, mit brott vnd win natürlich vereinbaret, oder rumlich dar inn verschlossen werdend, oder das ein libliche fleischliche gegenwirtikeit hie gesetzt werde, sonder das brot vnd win vß der Jnsatzung des heren, hochbedütende heilige ware zeichen syend, durch die vom dem heren selbs, durch den dienst der kilchen, die war gemeinschafft des libs vnd bluts Christi, den glöbigen fürtragen vnd angebotten werde, nit zu einer hinfelligen spyß des buchs, sonder zu einer spyß vnd narung des geistlichen vnd ewigen lebens. Sölicher hocher vnd heilgen spyß gebruchend wir vns offtermals, das wir dardurch ermandt, in den tod vnd blut des gecrützgeten Christi, mit den ougen des gloubēs sächind, vnd vnser heil mit einem vorgust des himelschen wesens, vnd mit einer rechten befindtnüß des ewigen lebens betrachtend. Mit diser geistlichen lebendmachenden vnd inneren spyß, werdend wir mit vnußsprechlicher süssikeit erfristet[42]) vnd erkückt, vnd mit hoher fröd, das wir in dem tod Christi vnser leben findend, erfült. Deßhalb wir gantz vnd gar in fröden in vnserem hertzen vffspringend, vnd mit allen vnseren krefften iemer vmb so ein thüre vnd hohe guthät, die er vns bewysen hatt inn danckſagung vns selbs gantz vßgießend.

38) MS. Tur. durch wöliche die diener. 39) MS. Tur.: doch der gestalt, wie oben.. 40) MS. Tur. heyligmachende. 41) MS. Tur.: aabentmaal. 42) MS. Tur.: erfasset.

Digitized by Google

Deß halben man vns faſt vnbillich zulegt, das wir den hohen warzeichen wenig zugebind, dañ diſe heilge zeichen vnd ſacrament, ſinr heilge vnd eerwirdige ding, als die, die von Chriſto dem hohen prieſter ingeſetzt vnd gebrucht ſind. So tragend ſie der maß, wie oben dad von geredt[43]) iſt, die geiſtlichen ding, die ſy bedütend für, vnd bietend ſy an. Si gebend von den geſchechnen dingen zügnüß. Si bildend vns an vnd äfrend vns ſo hohe heilge ding, vnd mit einer beſondren änliche der dingen die ſy bedütend, tragend ſy ein groß vnd herlich liecht in die heilge götliche händell. Zu dem gebend ſy etwas behilff vnd fürſchub dem glöben, ſind als vil als ein eidspflicht, mit denen ſich die glöbigen irem hopt vnd der kilchen inpflichtend vnd verbindend. So hoch vnd thür haltend wir von den heilgen hochbedütenden warzeichen, je doch gebend wir die lebendmachende vnd heilmachende krafft alweg allein dem zu, der allein das leben iſt, dem ſye lob[44]) in ewikeit. Amen.

Osee 13. Act. 4.

## 23. Von der heiligen verſamlung[45]) vnd zemenkomung der glöbigen.

Wir haltend das die heiligen ſamlungen vnd zemenkomen der glöbigen der maß ſöllen begangen werden, das man vor allen dingen dem volck das wort gottes an einem gemeinen vnd dar zu beſtimpten ort fürtragen, das die heimlichen verſtänd der gſchrifft, durch geſchickte diener täglich vßgeleit vnd erklärt werdind. Das man das nachtmal des heren vnd heilge danckſagung halte, da mit der glöbigen gloub für vnd für geübt werde, das man mit ernſtlichem gebett für alles anligen aller menſchen ernſtlich anhalte, andere Ceremonien deren vil[46]) onzalbar ſind, als kelch, meßgwand, koreck,[47]) kutten, Blatten, faſ, kertzen vnd altär, gold vnd ſilber, ſo fer ſy ware religion vnd rechten gotsdienſt niderlegen vnd vmbzekeren dienend, vnd beſunder die götzen vnd bilder die zu vereerung vnd ergernüß gebrucht werdend, vnd was ſölicher vngötlicher dingen ſind, die wöllend wir vß vnſer helgen gemeind wyt hingetriben haben.[48])

Act. 2. 1 Timoth. 2. 1 Cor. 14. Act. 8. 1 Timoth. 2. Exo. 20. Esa. 40. 1. Cor. 10. 1 Pet. 4. 1 Ioh. 5.

## 24. Von denen dingen, die da weder gebotten noch verpotten, ſunder mittel vnd fry ſind.

Alle ding die man mittell nempt, wie ſy dan (eigelich ze reden.) ſind, deren mag ſich ein fromer glöbiger Chriſt, zu allen zyten, an allen orten, fry gebruchen, doch das er dz thüge nach dem rechten*) wiſſen[49]) vnd mit lieb, dañ der glöbig ſol alle ding alſo bruchen, das die eer Gottes

43) MS. Tur.: geſeyt. 44) In MS. Tur. addita sunt verba: vnd eerd 45) MS. Tur.: Von den heyligen verſamlungen. 46) MS. Tur. addit vnc particulam. 47) MS. Tur.: chorrok. 48) In MS. Tur. paragr. 25 ho. loco inserta est. 49) MS. Tur.: das er ſölliches thügge naach dem rächten wuſſen.



Digitized by Google

gefürdret, vnd die kilchen vnd nechsten[50]) nit vereergret werde. (Ro. 15. 1 Cor. 8. 2 Cor. 20. 13.)

Ro. 14. 1 Cor. 8.

* Quod quicquid non est ex fide, peccatum est. Ro. 14.

1 Cor. 10. Collo. 4.

## 25. Von denen die durch falsche leeren die kilchen Christi[51]) trennend, oder sich von Iren absindrend vnd rottend.

Alle die Jenen, die sich von der heiligen gemeinsame vnd gesellschafft der kilchen abtrennend vnd sündrend, frömde vngöttliche leeren in die kilchen infürend, oder sölicher leer anhangend, wölichen presten zu vnseren zyten die widertöuffer aller meist übend. So sy der warnūg der kilchen vnd Christelichen bericht nit lesend vnd gehorsam sind, Sonder hartpennig[52]) vff Irem kūb[53]) vnd Irsal mit verletzung vnd verfürung der kilchen besten vnd verharren wöllend. Söllend die selbigen durch den obren gwalt gestrafft vnd hinderhalten werden, da mitt sy die herd Gottes mit Irer falschen leer nit vergifftind vnd verletzind oder befleckind.[54])

Esa. 5. Act. 3. Ro. 12.

## 26. Von der weltlichen oberkeit.

De wil aller gwalt vnd oberkeit von Gott, ist sin höchst vnd fürnämst ampt, wo er nit ein Tyrann sin wil, das er die ware Gottes eer, vnd den rechten Gotsdienst, mit straff vnd vßrütung aller gotslestrung, schirme vnd fürdre, vnd müglichen flyß anköre, das er das Jene, das der diener der kilchen vnd verkunder des Euāgelij, vß dem wort Gottes leert vnd fürtret, fürdre vnd volstrecke. Das aber sölche religion warer gotsdienst vnd eerbarkeit[55]) vffgange vnd wachse, wirt der obergwalt fürnemlich allen flyß da hin wenden, das dz heiter wort Gottes der gmeind trülich fürtragen, vnd nieman dar an verhindret werde, das die schulen wol angericht, die gmein burgerschafft[56]) wol geleert, flyßig berichtet vnd gezüchtiget werde, das man flyssige sorg trage für die diener der kilchen, vnd armen in der kilchen das die selbigen nach der billikeit vnd zimlicher notturfft versehen werdend, dann da hin söllend der kilchen güter dienen.

Gen. 17. 2 paralip. 19. Ro. 13. Exo. 22. Ps. 82. Ioh. 10. Levit. 24. 4 Reg. 18. 22. Da. 3. 6. 1 Cor. 9. 1 Timoth. 5. Act. 4. 6. Ro. 12. 15. 1 Cor. 16.

Wyter sol der obergwalt das volck mit billichen göttlichen satzungen regieren, gricht vnd recht halten vnd handthaben, gemeinen friden vnd wolstand erhalten, gemeinen nutz schützn̄ vnd schirmen, vnd die

---

50) MS. Tur. addit: gebesseret. 51) MS. Tur.: Gottes. 52) MS. Tur. vel „hartpänig" exhibet, vel hartspänig. 53) MS. Tur.: kyb. 54) MS. Tur.: nit vergiftind, noch beflekind. 55) MS. Tur. per errorem calami ut videtur pro „eerbarkit" exhibet „oberkeyt". 56) MS. Tur.: die gmeyn jugend vnd gantze burgerschafft.

Digitized by Google

übertretter nach gelegenheit Irer mißtat, an gut, lib vnd leben wie billich straffen. Vnd so er das thut, dienet er Gott sinem hēren wie er schuldig vnd pflichtig ist.[57]) Sölchen obren gwalt söllend wir alle, ob wir wol in Christo fry sind, mit lib, hab vnd allem vnsern gut gehorsam vnd wärtig sin, vnd mit liebe von hertzen vnd vß glouben Ime vnderthänig bewysen, trüw vnd eid thun vnd leisten, all die wil sin gheyß vnd gebott wider den nit offelich ist, von des wegen wir Im eer anthund vnd gehorsam sind.

Exo. 18. Esa. 10. Ro. 13. Math. 17. 22. Act. 4.

## 27. Von der heiligen Ee.

Wir haltend das der eelich stand allen menschen die dar zu tougelich vnd geschickt, vnd von Gott sunst vsserthalb der ee, künsch ze leben, nit berüfft sind, von Gott vffgesetzt vnd verordnet sye. das kein orden noch stand so heilig vnd eerber, dem der eelich stand zewider sye, vnd verbotten sölle werden, vnd wie nun söliche ee, vor der kilchn̄ mit einer herlichen offenbarūg vnd glübt[58]) bestätet wirt, also sol ouch der obergwalt acht haben vnd dar an sin, das die ee billich vnd ordelich bezogn, vnd recht vnd eerberlich[59]) gehalten werde, ouch nit lychtlich, on wychtige vnd rechtmässige vrsachen getrent vnd gescheiden werde. Deßhalben könnē wir die klöster, vnd andere aller vermeinter geistlicher, vnsubere vnd vnordeliche küscheit, vnd dz selbig ful vnd vnnutz leben (das etlich lütt vß vnbegrüntem[60]) yfer vffgesetzt vnd angerichtet, haltend.[61])) nit loben, sonder verwerffends als ein schützlich vnd grülich ding, vom menschn̄ wider Gots ordnūg erdichtet vnd erfunden.

Math. 19. 25. Heb. 13. 1 Cor. 7. 1 Timoth. 3. Math. 5. 19. 1 Timoth. 4. 2 Thessa. 3.

Ist durch obgemelter Stetten botten bestätet vnd einhälleklich angenomen Basileae 1536. 26 Martij.

---

# ECCLESIARUM PER HELVETIAM CONFESSIO FIDEI SUMMARIA ET GENERALIS, IN HOC AEDITA, QUOD DE EA EXISTIMARE PIIS OMNIBUS LICEAT.

## 1. DE SCRIPTURA SACRA.

Scriptura canonica verbum dei, Spiritu S. tradita, et per prophetas apostolosque mundo proposita, omnium perfectissima et an-

57) In MS. Tur. schuldig et pflichtig vocabula transposita sunt. 58) MS. Tur.: herrlichen offenbaren vermanung vnd gebätt. 59) MS. Tur. pro eerberlich exhibet ordenlich. 60) MS. Tur.: vnbegrundtem. 61) MS. Tur. pro haltend exhibet halen, commate sequente et omissis signis parentheseos. — Denique monendum est in MS. Tur. locos V. et N. T. non esse citatos.



Digitized by Google

tiquissima Philosophia, pietatem omnem, omnem vitae rationem sola perfecte continet.
2 Pet. 1. 2 Timoth. 3.

## 2. DE INTERPRETATIONE SCRIPTURAE.

Huius interpretatio ex ipsa sola petenda est, ut ipsa interpres sit sui, charitatis fideique regula moderante.
Io. 5. Rom. 12. 1 Cor. 13.

## 3. DE ANTIQUIS PATRIBUS.

A quo interpretationis genere, quatenus sancti patres non discessere, eos non solum ut interpretes scripturae recipimus, sed ut organa dei electa veneramur.

## 4. DE TRADITIONIBUS HOMINUM.

Per caetera de traditionibus hominum quantumvis speciosis et receptis, quaecumque nos abducunt, sic illud domini respondemus, *Frustra me colunt docentes doctrinas hominum.*
Esa. 29. Tit. 1. Matth. 15. 1 Timoth. 4.

## 5. SCOPUS SCRIPTURAE.

Status huius scripturae canonicae totius, is est, bene deum hominum generi velle, et eam benevolentiam per christum filium suum declarasse. Quae fide sola ad nos perveniat recipiaturque, charitate vero erga proximos exprimatur.
Gen. 3. Ioës. (Joann.) 3. Eph. 2.

## 6. DEUS.

De deo sic sentimus, *unum* substantia: *trinum* personis, omnipotentem esse. Qui ut condiderit per verbum, id est, filium suum omnia ex nihilo, sic providentia sua iuste vereque et sapientissime gubernet: servet: foveat omnia.
Deut. 6. Matth. 28. Gen. 1. Act. 17.

## 7. HOMO ET VIRES EIUS.

Homo perfectissima dei in terris imago, primasque creaturarum visibilium habens, ex anima et corpore constans, quorum hoc mortale, illud immortale est, quum esset sancte a deo conditus, sua culpa in vitium prolapsus, in eandem secum ruinam genus humanum totum traxit, ac eidem calamitati obnoxium reddidit.
Gen. 3. Rom. 5.

## 8. ORIGINALE PECCATUM.

Atque haec lues, quam *originalem* vocant, genus totum humanum sic pervasit, ut nulla ope irae filius, inimicusque dei nisi divina per christum curari potuerit. Nam si quid frugis hic

Digitized by Google

bonae superstes est, vitiis nostris assidue debilitatum, in peius vergit. Superat enim mali vis, et nec rationem persequi, nec mentis divinitatem excolere sinit.

eps. (Ephes.) 2. Ps. 50. Rom. 8.

## 9. LIBERUM ARBITRIUM.

Unde sic homini liberum arbitrium tribuimus, ut qui scientes et volentes agere nos bona et mala experimur, mala quidem agere sponte nostra queamus, bona vero amplecti et persequi, nisi gratia christi illustrati, spiritu eius impulsi, non queamus. Deus enim is est, qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona sua voluntate. Et ex deo salus, e nobis perditio est.

Philip. 2. Osee 13.

## 10. CONSILIUM DEI AETERNUM DE REPARATIONE HOMINIS.

Huius igitur hominis hac culpa damnationi addicti, et in indignationem iustam incurrentis, nunquam tamen curam gerere deus pater desiit. Id quod ex primis promissionibus, legeque tota (quae peccatum excitat, non extinguit) et a christo in hoc destinato praestitoque perspicuum est.

eps. (Ephes.) 1. Rom. 7.

## 11. IESUS CHRISTUS ET QUAE PER CHRISTUM.

Hic christus verus dei filius, verusque deus, et homo verus, quum iuxta praefinitum tempus hominem totum, id est, anima et corpore constantem assumpsisset, in una individuaque persona duas, sed impermixtas naturas obtinens, ut vitae mortuos nos restitueret, et dei cohaeredes faceret, frater noster factus est.

Luc. 1. Gal. 4. Ioēs (Joann.) 16. Hib. 2.

Is sacrosanctam divinitatis unione carnem, nostrae (peccato solum excepto, quoniam illibatam esse hostiam oportebat) per omnia similem, ex intacta virgine Maria, spiritu sancto cooperante sumens, in mortem ad universi peccati expiationem tradidit.

Heb. 5. Luc. 2. 1 Ioēs (Ioann.) 2.

Idem ut esset plena nobis perfectaque immortalitatis nostrae spes et fiducia, suam ipse carnem, de morte suscitatam, in coelum ad omnipotentis patris dexteram collocavit.

1 Cor. 15. Act. 1.

Hic morte: peccato: inferisque omnibus triumphatis, victor duxque, et caput nostrum, ac pontifex vere summus, sedens, causam nostram perpetuo tuetur agitque, dum ad imaginem ad quam conditi eramus reformet.

eps. (Ephes.) 1. Rom. 8. Eph. 4.

Hunc venturum ad saeculorum omnium finem, verum rectum-

Digitized by Google

que iudicem, ac sententiam, in omnem carnem, ad id iudicium prius suscitatam, laturum, ac pios supra ethera evecturum, impios corpore et anima ad aeternum exitium damnaturum, expectamus.

Dan. 7. Ioēs. (Joann.) 5.

Qui ut solus est mediator: intercessor: hostia: idemque et pontifex, dominusque, et rex noster, ita hunc solum agnoscimus ac toto corde credimus conciliationem, redemptionem: sanctificationem: expiationem: sapientiam: protectionem assertionem nostram solum. Omne hîc simpliciter vitae salutisque nostrae medium, praeter hunc solum christum, reiicientes.

1 Timoth. 2. Hib. (?) 17. Rom. 3. 1 Cor. 1.

## 12. SCOPUS EVANGELICAE DOCTRINAE.

Itaque in omni doctrina evangelica primum ac praecipuum hoc ingeri debet, sola nos dei misericordia et christi merito servari. Quo ut intelligant homines quam opus habeant, peccata eis per legem et mortem christi luculentissime semper sunt indicanda.

1 Timoth. 1. Rom. 5.

## 13. CHRISTIANUS ET OFFICIA EIUS.

Ista vero tam divina beneficia, ac veram spiritus dei sanctificationem, fide mero dei dono, haud ullis aut viribus aut meritis nostris consequimur.

eps. (Ephes.) 2.

## 14. DE FIDE.

Quae fides certa et indubita omnium sperandarum de dei benevolentia rerum substantia est et apprehensio. Ex sese charitatem ac mox praeclaros virtutum omnium fructus pullulat. Non quidquam tamen his officiis, licet piorum, sed ipsi simpliciter iustificationem et partam salutem gratiae dei tribuimus.

Atque sic quidem solus verus dei cultus est, fides inquam nulla operum fiducia, operum foecundissima.

Mich. 6.

## 15. ECCLESIA.

Et ex talibus lapidibus super vivam hanc petram, hoc pacto, inedificatis, ecclesiam construi, sanctamque sanctorum omnium collectionem et immaculatam christi sponsam esse tenemus. quam christus sanguine suo lavet et purificet, et tandem patri suo eam sine macula et ruga statuat et tradat. Quae quidem quum solius sit dei oculis nota, externis tamen quibusdam ritibus, ab ipso christo institutis, et verbi dei velut publica legittimaque disciplina, non solum cernitur cognosciturque, sed ita constituitur, ut in hanc sine his nemo (nisi singulari dei privilegio) censeatur.

1 Petr. 2. Matth. 16. eph. 5. Mar. 16. Matth. 28. Act. 10. 8. 9.

Digitized by Google

## 16. DE MINISTERIO VERBI.

Atque hanc ob causam ministros ecclesiae cooperarios esse dei (quod et paulus agnoscit) fatemur per quos ille et cognitionem sui, et peccatorum remissionem administret, homines ad se convertat, erigat, consoletur, terreat etiam et iudicet. Ita tamen, ut virtutem et efficaciam in his omnem domino, ministerium ministris tamen adscribamus. Nam hanc virtutem efficaciamque nulli omnino creaturae alligari, sed libera dei dignatione dispensari iis quibus ipse velit, certum est.

1 Cor. 3. Ioēs (Joann.) 20. Luce. 1. 1 Cor. 14.

## 17. POTESTAS ECCLESIASTICA.

Ipsa autem verbi, et pascendi gregis dominici authoritas, quae proprie *clavium potestas* est, cunctis, summis aeque et imis praescribens, sacrosancta inviolabilisque esse, et vel divino dei, vel certo et consulto ecclesiae suffragio, electis tantum ad ministrandum committi debet.

Matth. 16. Ioēs (Joann.) 20. Herc. (Hier.) 1. 1 Thess. 4. Act. 13.

## 18. ELECTIO MINISTRORUM.

Est enim functio haec nulli, quem non et legis divinae peritia, et vitae innocentia, et christi nominis studio singulari esse compererint et iudicarint ministri ecclesiae, et hi, quibus id negocii per christianum magistratum ecclesiae nomine commissum est, concedenda.

Quae quum vera dei electio sit, ecclesiae tamen suffragio et manuum presbyterorum sacerdotis impositione recte comprobatur.

1 Tim. 3. Luc. 12. Act. 1. Tit. 1.

## 19. PASTOR QUIS.

Christus ipse verum suae ecclesiae caput ac pastor solus est, is ecclesiae suae pastores dat et doctores, qui in ecclesia externa hac clavium potestate legittime sic concredita recte et legittime utantur. Unde illos titulotenus tantum pastores, caputque romanum minime agnoscimus.

Ioēs (Joann.) 10. Eps. (Ephes.) 1. 5. 4. Ioan. 21.

## 20. MINISTRORUM OFFICIA.

Summum functionis huius munus est, poenitentiam et peccatorum per christum remissionem praedicare: pro populo incessanter orare, sanctis studiis verboque dei indefesse invigilare, atque verbo dei velut gladio spiritus, et arte omnigena satanam internecino semper odio persequi ac debilitare, christi eives sanos quidem tueri, viciosos autem monere: reprehendere, cohercere,

Digitized by Google

et grassantes longius, ecclesiae, id est, christi confoederatorum conspiratione consensuque pio, tota ditione aut eiicere ac proscribere, aut alia ratione commoda emendare tantisper, dum resipiscant et salvi fiant. Is enim ad ecclesiam civi christi morbido regressus est, si conversis animis studiisque, (quo omnis haec disciplina spectat) errorem agnoscens confiteatur suum, et disciplinam sanam ultro iam requirat, ac studio pietatis novo pios omnes exhilaret.

Luc. 24. Hier. 11. Act. 6. 1 Timoth. 4. Eps. (Ephes.) 6. 2 Tim. 4. Ezech. 34. 1 Cor. 5. 2 Thes. 3.

## 21. DE VI ET EFFICATIA SACRAMENTORUM.

Signa, quae et *sacramenta* vocantur, duo sunt, baptismus, et eucharistia. Haec rerum arcanarum symbola non nudis signis, sed signis simul et rebus constant. In baptismo enim aqua signum est, at res ipsa regeneratio adoptioque in populum dei, in eucharistia panis et vinum signa sunt, res autem communicatio corporis domini: parta salus: et peccatorum remissio. Quae quidem ut ore corporis signa, sic fide spiritus percipiuntur. Nam in rebus ipsis totus fructus sacramentorum est.

Unde asserimus sacramenta non solum tesseras quasdam societatis christianae, sed et gratiae divinae symbola esse, quibus ministri, domino, ad eum finem quem ipse promittit offert et efficit, cooperentur, sic tamen, qualiter de verbi ministerio dictum est, ut omnis virtus salvifica uni domino transscribatur.

## 22. BAPTISMA.

Baptisma quidem ex institutione domini lavacrum regenerationis quam dominus electis suis, visibili signo per ecclesiae ministerium, (qualiter supra expositum est,) exhibeat.

Quo quidem sancto lavacro infantes nostros idcirco tingimus, quoniam e nobis, (qui populus domini sumus) genitos populi dei consortio reiicere nefas est, tantum non divina voce huc designatos, praesertim quum de eorum electione pie est praesumendum.

Tit. 3. Act. 10. Gen. 17. 1 Cor. 7. Luc. 18.

## 23. EUCHARISTIA.

Coenam vero mysticam, in qua dominus corpus et sanguinem suum, id est, seipsum suis vere ad hoc offerat, ut magis magisque in illis vivat, et illi in ipso. Non quod pani et vino corpus et sanguis domini vel naturaliter uniantur: vel hic localiter includantur, vel ulla huc carnali praesentia statuantur. Sed quod panis et vinum ex institutione domini symbola sint, quibus ab ipso domino per ecclesiae ministerium vera corporis et sanguinis

Digitized by Google

eius communicatio, non in periturum ventris cibum, sed in aeternae vitae alimoniam exhibeatur.

Mar. (Matth.) 26. Ioēs (Joann.) 6. 14. 1 Cor. 10.

Hoc sacro cibo idcirco utimur saepe, quoniam huius monitu in crucifixi mortem sanguinemque, fidei oculis intuentes, ac salutem nostram, non sine coelestis vitae gustu, et vero vitae aeternae sensu, meditantes, hoc spirituali, vivifico intimoque pabulo, ineffabili cum suavitate reficimur, ac inenarrabili verbis laetitia, propter inventam vitam, exultamus, totique ac viribus omnino omnibus nostris, in gratiarum actionem pro tam mirando christi erga nos beneficio, effundimur.

Itaque immerito fit nostro maximo, quod quidam parum nos tribuere sacris symbolis putant. Sunt enim haec res sanctae venerandaeque, utpote, a summo sacerdote christo institutae et susceptae, suo quo diximus modo res significatas exhibentes, testimonium rei gestae praebentes, res tam arduas repraesentantes, et mirabili quadam rerum significatarum analogia clarissimam mysteriis istis lucem afferentes. Ad haec auxilium opemque ipsi suppeditant fidei, ac iurisiurandi denique vice initiatum capiti christi et ecclesiae adstringunt. Tam sancte de sacris symbolis sentimus. At vero vivificantis: sanctificantis vim et virtutem tribuimus ei perpetuo, qui vita est, cui sit laus in saecula saeculorum. Amen.

## 24. COETUS SACRI.

Coetus autem sacros sic peragendos esse censemus, ut ante omnia verbum dei in publicum plebi quottidie propronatur, scripturae abdita per idoneos ministros quottidie eruantur edisseranturque: sacra Eucharistia celebranda piorum subinde fides exerceatur, precationi pro omnibus omnium necessitatibus assidue instetur. Ceteras vero cerimoniarum ambages inutiles et innumerabiles, vasa: vela: vestes, faces, aras, aurum, argentum, quatenus pervertendae religioni serviunt, idola praesertim et imagines, quae ad cultum et scandalum prostant et id genus omnia prophana, a sacro nostro coetu procul arcemus.

1 Timoth. 2. 1 Cor. 14. Ex. 10. 1. Ioēs (Joann.) 5. Ess. 40.

## 25. DE HAERETICIS ET SCHISMATICIS.

Arcemus item quotquot ab ecclesiae sancta societate discedentes, aliena dogmata vel ingerunt vel sectantur. Quo malo *Catabaptistae* hodie cum primis laborant. Quos si obstinate monitioni ecclesiae et christianae eruditioni non obsecundant, per magistratum cohercendos, ne contagione gregem dei inficiant, iudicamus.

## 26. DE MEDIIS.

Quae media vocantur, et sunt proprie, iis uti vir pius

Digitized by Google

quamquam libere ubique et omni tempore potest, tamen scienter, et ex charitate, nempe ad edificationem omnibus utetur solum.
Rom. 14. 1 Cor. 3.

## 27. DE MAGISTRATU.

Magistratus omnis a deo quum sit, officium eius, (nisi tyrannidem exercere mavult) praecipuum est, religionem omni blasphemia reprimenda defendere et procurare, ac qualiter ex verbo domini propheta docet, pro virili exequi. Qua quidem in parte praecipue illi advigilandum, ut purum verbum dei pure et synceriter ac vere populo predicetur, nec ulli hominum veritas evangelica praecludatur. Mox curabit ut iuventus et pubes tota civium recta et sedula institutione ac disciplina formetur, ut iusta sit ministrorum ecclesiae provisio, pauperumque solicita cura. Huc enim ecclesiasticae facultates spectant. Deinde secundum leges aequas iudicare populum: tueri pacem publicam: rempublicam fovere, sontes pro delicti ratione mulctare, opibus: corpore: vita. Quae quum facit debitum deo cultum praestat.

Huic nos (etiam si in christo liberi sumus,) et corpore et facultatibus omnibus nostris, et animi studio, [vera][1]) cum fide, sancte subiiciendos esse, (quantisper huius imperia cum eo, propter quem hunc veneramur, palam non pugnant,) scimus.

## 28. DE SANCTO CONIUGIO.

Coniugium hominibus omnibus aptis et alio non vocatis divinitus institutum, nullius ordinis sanctimoniae repugnare censemus. Quod ut ecclesia hortatione solenni precationeque inaugurat et sancit, ita magistratus interest, ut digne et ineatur et colatur, nec nisi iustis ex causis solvatur.

Proinde coelibatum istum monasticum et eorum (quos spirituales vocant) impuram castitatem, et totum hoc ignavum vitae genus, superstitiosorum hominum abhominabile commentum, procul reiicimus, aeque et ecclesiae et reipublicae repugnans.

---

1) In MS. Tur. stella textui inserta est, sed in margine videtur scriptum esse „vera“ vocabulum.

Digitized by Google

# CATECHISMUS
# ECCLESIAE GENEVENSIS,
## HOC EST,
## FORMULA ERUDIENDI PUEROS IN DOCTRINA CHRISTI.

---

## PRAEFATIO.

*Joannes Calvinus*, fidelibus Christi ministris, qui per Frisiam Orientalem puram Evangelii doctrinam annunciant.

Quum huc modis omnibus eniti nos conveniat, ut inter nos reluceat illa, quae tantopere a Paulo commendatur, fidei unitas: ad hunc certe finem potissimum solennis fidei professio, quae Baptismo communi annexa est, debebat referri. Proinde hic non perpetuum modo inter omnes consensum in pietatis doctrina constare: sed unam quoque Ecclesiis omnibus esse Catechismi formam optandum esset. Verum, quia multas ob causas vix unquam id poterit obtineri, quin suam quaeque Ecclesia propriam habeat, non est vehementius pugnandum: modo tamen ea sit in docendi modo varietas, qua ad unum Christum dirigamur omnes, cuius veritate inter nos copulati, sic in unum corpus coalescamus unumque spiritum, ut eodem simul ore, quaecunque ad fidei summam spectant, praedicemus. Ad hunc scopum qui non intendunt Catechistae, praeterquam quod dissidii materiam in religione serendo, capitaliter nocent Ecclesiae, impiam quoque Baptismi profanationem inducunt. Quae enim amplius Baptismi utilitas, nisi maneat hoc fundamentum, ut consentiamus omnes in unam fidem? Quo diligentius cavere debent, qui Catechismos edunt in publicum, ne quid temere proferendo non in praesens modo sed etiam ad posteros, tum gravem pietati noxam, tum exitiale Ecclesiae vulnus infligant. Hoc ideo praefari volui, ut id me quoque, sicuti par erat, non postremo loco spectasse, testatum esset lectoribus, ne quid in isto meo Catechismo traderem, nisi receptae inter omnes pios doctrinae consentaneum. Atque id ipsum, quod profiteor, non vanum esse comperient, qui candorem in legendo sanumque iudicium adhibuerint. Certe me consequutum esse confido, ut labor meus bonis omnibus, si non satisfaciat, gratus tamen sit, ut qui utilis ab ipsis censeatur. Quod autem *Latinum* feci, in eo si forte quibusdam non probabitur meum consilium, eius tamen mul-

Digitized by Google

tae rationes mihi constant, quas nunc referre omnes, nihil attinet: tantum eligam, quae ad vitandam reprehensionem sufficere videantur. Primum in hoc tam confuso dissipatoque Christiani nominis statu, utile esse iudico, extare publica testimonia, quibus Ecclesiae, quae, longis alioqui locorum spatiis dissitae, consentientem habent in Christo doctrinam, se mutuo agnoscant. Praeterquam enim quod ad mutuam confirmationem non parum istud valet: quid magis expetendum, quam ut, sibi ultro citroque gratulantes, piis votis aliae alias Domino commendent? Solebant olim in hunc finem Episcopi, quum adhuc staret inter omnes vigeretque fidei consensus, *synodales epistolas* trans mare mittere: quibus, tanquam tesseris, sacram inter Ecclesias communionem sancirent. Quanto nunc, in hac tam horrenda Christiani orbis vastitate, magis necesse est, paucas Ecclesias, quae Deum rite invocant, et eas quidem dispersas, et undique circumseptas profanis Antichristi synagogis, hoc sanctae coniunctionis symbolum dare vicissim et accipere, unde ad illum, quem dixi, complexum incitentur? Quod si hoc adeo est hodie necessarium: quid de posteritate sentiemus? De qua ego sic sum anxius, ut tamen vix cogitare audeam. Nisi enim mirabiliter Deus e caelo succurrerit, videre mihi videor extremam barbariem impendere orbi. Atque utinam non paulo post sentiant filii nostri, fuisse hoc verum potius vaticinium, quam coniecturam. Quo magis elaborandum nobis est, ut qualescunque Ecclesiae reliquias, quae post mortem nostram restabunt, vel etiam emergent, scriptis nostris colligamus. Et alia quidem scriptorum genera, quis noster omnium fuerit in religione sensus, ostendent: sed illustriore documento, quam inter se habuerint Ecclesiae nostrae doctrinae concordiam, perspici non poterit, quam ex Catechismis. Illic enim non modo quid semel docuerit unus homo, aut alter, apparebit: sed quibus a pueritia rudimentis imbuti perpetuo fuerint apud nos docti simul atque indocti: ut haberent hoc omnes fideles, quasi solenne Christianae communionis symbolum. Atque haec sane praecipua mihi fuit edendi huius Catechismi ratio. Valuit tamen non parum quoque altera, quod eum a plurimis desiderari audiebam, quia lectu non indignum fore sperarent. Iudicione id an errore, pronunciare non est meum, sed eorum tamen voto morem gerere aequum fuit. Quin etiam iniecta mihi propemodum necessitas erat, ne liceret impune detrectare. Nam quum ante annos septem edita a me esset brevis religionis summa sub Catechismi nomine: verebar, nisi hoc in medium prolato anteverterem, ne illa, quod nolebam, rursum excluderetur. Bono igitur publico si vellem consultum, curare me oportuit, ut hic, quem ego praeferebam, locum occuparet. Praeterea ad exemplum pertinere arbitror, reipsa testatum fieri mundo, nos, qui Ecclesiae restitutionem molimur, ubique in hanc partem fideliter incumbere, ut saltem Catechismi usus, qui aliquot antehac seculis sub Papatu abolitus fuit,

Digitized by Google

nunc quasi postliminio redeat. Nam neque satis pro sua utilitate commendari potest sanctum hoc institutum, nec Papistis satis exprobrari tam flagitiosa corruptela, quod illud in pueriles vertendo ineptias, non modo sustulerunt e medio, sed eo quoque ad impurae et impiae superstitionis praetextum turpiter sunt abusi. Adulterinam enim illam Confirmationem, quam in eius locum subrogarunt, instar meretricis magno ceremoniarum splendore multisque pomparum fucis sine modo ornant: quin etiam dum ornare volunt, execrandis blasphemiis adornant, dum sacramentum esse iactant Baptismo dignius: vocantque Semichristianos, quicunque foetido suo oleo non fuerint infecti: interim vero tota eorum actio nihil quam histrionicas gesticulationes continet: vel potius lascivos simiarum lusus, absque ulla aemulationis arte.

Vos autem fratres mihi in Domino charissimi, quibus ipsum nuncuparem, ideo elegi, quia, praeterquam quod me amari a vobis et plerosque etiam vestrum scriptis meis delectari nonnulli ex vestro coetu mihi indicaverant, id quoque nominatim postularent a me per literas, ut hunc laborem sua gratia susciperem. Alioqui una illa satis iusta futura erat ratio, quod pridem ex piorum et gravium virorum relatu ea de vobis intellexi, quae animum vobis meum penitus obstringerent. Nunc vero, quod vos sponte facturos confido, peto tamen a vobis, ut hoc benevolentiae erga vos meae testimonium boni velitis consulere. Valete. Dominus vos sapientiae, prudentiae, zeli et fortitudinis spiritu in dies magis ac magis augeat in Ecclesie suae aedificationem. Genevae, IV. Calendas Decembris. M. D. XLV.

## Lectori S.

*Observatum semper fuit in Ecclesia et diligenter etiam procuratum, ut pueri in doctrina Christiana rite instituerentur. Quod ut fieret commodius, non modo apertae fuerunt olim Scholae, ac singulis praecipiebatur, ut familiam suam probe docerent, sed etiam publico more et instituto receptum erat, ut in templis rogarentur pueri de singulis capitibus, quae communia Christianis omnibus et nota esse debent. Ut autem id ordine fieret, describebatur formula, quae vocabatur Catechismus sive institutio. Ab eo tempore diabolus Ecclesiam Dei misere lacerans et horrendum eius exitium invehens (cuius notae in maiori parte mundi nimium adhuc extant) sanctam hanc politiam evertit: neque aliud quicquam reliquum fecit praeter quasdam nugas, quae superstitiones tantum pariant absque ullo aedificationis fructu: cuiusmodi est Confirmatio illa, quam vocant, referta quidem gesticulationibus plusquam ridiculis, et quae prorsus simiis conveniant, nec ullo fundamento nitantur. Quod ergo nunc in medium proferimus, nihil aliud est quam usus eorum, quae iam olim a Christianis et veris Dei cultoribus observata sunt, neque unquam omissa, nisi dum Ecclesia omnino corrupta fuit.*

Digitized by Google

CATECHISMUS

# ECCLESIAE GENEVENSIS.

## [I.] DE FIDE.

M. Quis humanae vitae praecipuus est finis?

P. Ut Deum, a quo conditi sunt homines, ipsi noverint.

M. Quid causae habes, cur hoc dicas?

P. Quoniam nos ideo creavit, et collocavit in hoc mundo, quo glorificetur in nobis. Et sane vitam nostram, cuius ipse est initium, aequum est in eius gloriam referri.

M. Quod vero est summum bonum hominis?

P. Illud ipsum.

M. Quamobrem id tibi summum bonum habetur?

P. Quia, eo sublato, infelicior est nostra conditio, quam quorumvis brutorum.

M. Ergo vel inde satis perspicimus, nihil posse homini infelicius contingere, quam Deo non vivere?

P. Sic res habet.

M. Porro, quaenam vera est ac recta Dei cognitio?

P. Ubi ita cognoscitur, ut suus illi ac debitus exhibeatur honor.

M. Quaenam vero eius rite honorandi est ratio?

P. Si in eo sita sit tota nostra fiducia: si illum tota vita colere, voluntati eius obsequendo, studeamus: si eum, quoties aliqua nos urget necessitas, invocemus; salutem in eo quaerentes, et quicquid expeti potest bonorum: si postremo, tum corde, tum ore illum bonorum omnium solum auctorem agnoscamus.

M. Verum ut haec discutiantur ordine et fusius explicentur: Quod in hac tua partitione primum est caput?

P. Ut totam in Deo fiduciam nostram collocemus.

M. Qualiter autem id fiet?

P. Ubi omnipotentem noverimus et perfecte bonum.

M. Satisne hoc est?

P. Nequaquam.

M. Quamobrem?

P. Quia indigni sumus, quibus adiuvandis potentiam exerat, et in quorum salutem, quam bonus sit, ostendat.

M. Quid ergo praeterea opus est?

P. Nempe ut cum animo suo quisque nostrum statuat, ab ipso se diligi, eumque sibi et Patrem esse velle, et salutis auctorem.

M. Unde autem nobis id constabit?

P. Ex verbo ipsius scilicet, ubi suam nobis misericordiam in Christo exponit, et de amore erga nos suo testatur.

Digitized by Google

M. Fiduciae ergo in Deo collocandae fundamentum ac principium est, eum in Christo novisse.

P. Omnino.

M. Nunc, quaenam sit huius cognitionis summa, paucis audire abs te velim.

P. In fidei confessione vel potius in formula confessionis, quam inter se communem habent Christiani omnes, continetur. Eam vulgo *Symbolum Apostolorum* vocant, quod ab initio Ecclesiae recepta semper fuerit inter omnes pios: et quod vel ab ore Apostolorum excepta fuerit vel ex eorum scriptis fideliter collecta.

M. Recita.

P. *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem caeli et terrae: et in Iesum Christum Filium eius unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est e Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus, descendit ad inferos, tertia die resurrexit ex mortuis, ascendit in caelum, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus ad iudicandum vivos et mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.*

M. Ut penitius intelligantur singula: in quot partes hanc confessionem dividemus?

P. In quatuor praecipuas.

M. Eas mihi recense.

P. Prima ad Deum Patrem spectabit. Secunda erit de Filio eius Iesu Christo, quae etiam totam redemptionis humanae summam complectitur. Tertia erit de Spiritu sancto. Quarta de Ecclesia et divinis in ipsam beneficiis.

M. Quum non nisi unus sit Deus: cur hic mihi tres commemoras, Patrem, Filium et Spiritum sanctum?

P. Quoniam in una Dei essentia Patrem intueri nos convenit, tanquam principium et originem, primamve rerum omnium causam: deinde Filium, qui sit aeterna eius Sapientia: postremo Spiritum sanctum, tanquam eius virtutem per omnia quidem diffusam, quae tamen perpetuo in ipso resideat.

M. Inde significas, nihil esse absurdi, si in una divinitate distinctas constituamus has tres personas, Deumque propterea non dividi.

P. Ita est.

M. Recita iam primam partem.

P. *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem caeli et terrae.*

M. Cur *Patrem* nominas?

P. Christi primum quidem intuitu: qui et Sapientia eius est, ab ipso genita ante omne tempus, et missus in hunc mun-

Digitized by Google

dum, declaratus fuit eius Filius. Hinc tamen colligimus, quum Deus Iesu Christi sit Pater, nobis quoque esse Patrem.

M. Quo sensu nomen illi *Omnipotentis* tribuis?

P. Non hoc modo potentiam ipsum habere, quam non exerceat: sed omnia ipsum habere sub potestate et manu: providentia sua gubernare mundum, arbitrio suo omnia constituere, omnibus creaturis, prout visum est, imperare.

M. Itaque non otiosam Dei potentiam fingis: sed talem esse reputas, quae manum operi semper admotam habeat: sic ut nihil, nisi per ipsum eiusque decreto, fiat.

P. Sic est.

M. Quorsum addis *Creatorem caeli et terrae?*

P. Quoniam per opera se nobis patefecit: (Rom. 1, 20.) in illis quoque nobis quaerendus est. Neque enim essentiae eius capax est mens nostra. Est igitur mundus ipse veluti speculum quoddam, in quo eum possimus inspicere: quatenus eum cognoscere nostra refert.

M. Per caelum et terram an non, quicquid praeterea creaturarum extat, intelligis?

P. Imo vero: sed his duobus nominibus continentur omnes, quod aut caelestes sint, aut terrenae.

M, Cur autem Deum *Creatorem* duntaxat nuncupas: quum tueri conservareque in suo statu creaturas multo sit praestantius, quam semel condidisse?

P. Neque vero hac particula indicatur tantum, sic opera sua Deum semel creasse, ut illorum postea curam abiecerit. Quin potius sic habendum est, mundum, ut semel ab eo fuit conditus, ita nunc ab eo conservari: nec aliter et terram et alia omnia stare, nisi quatenus eius virtute et quasi manu sustinentur. Praeterea, quum sic omnia sub manu habeat, inde etiam conficitur, summum esse moderatorem omnium ac dominum. Itaque, ex quo Creator est caeli ac terrae, intelligere convenit, eum esse unum, qui sapientia, bonitate, potentia, totum naturae cursum atque ordinem regat: qui pluviae simul ac siccitatis, grandinum, aliarumque tempestatum, ac serenitatis sit auctor, qui benignitate sua terram foecundet, eamque rursus, manum suam reducendo, sterilem reddat: a quo sanitas simul ac morbi proveniant: cuius denique imperio subiaceant omnia, et nutui obsequantur.

M. De impiis autem et diabolis quid sentiemus, an eos quoque dicemus illi subesse?

P. Quamquam Spiritu eos suo non gubernat, sua tamen potestate tanquam freno eos coercet, ut ne movere quidem se queant, nisi quoad illis permittit. Quin etiam voluntatis suae facit ministros, ut inviti ac praeter suum consilium exequi, quod illi visum fuerit, cogantur.

M. Quid ad te ex eius rei cognitione utilitatis redit?

P. Plurimum. Male enim ageretur nobiscum, si diabolis et

Digitized by Google

impiis hominibus praeter Dei voluntatem quicquam liceret, adeoque tranquillis animis nunquam essemus, nos eorum libidini expositos esse cogitantes. Verum, tunc demum tuto conquiescimus, ubi frenari eos Dei arbitrio et tanquam in arcto contineri scimus, ne quid, nisi eius permissu, possint: quum praesertim Deus ipse nobis se tutorem fore salutisque praesidem receperit.

M. Nunc ad secundam partem veniamus.

P. Ea est: *Credere nos in Iesum Christum Filium eius unicum, Dominum nostrum.*

M. Quid praecipue complectitur?

P. Filium Dei nobis esse servatorem: simulque modum explicat, quo nos a morte redemerit, vitamque acquisierit.

M. Quid sibi vult nomen *Iesu*, quo eum appellas?

P. Quod Graecis significat nomen Σωτῆρος. Latini prorsum nomen non habent, quo bene vis eius exprimatur. Itaque *Salvatoris* vocabulum vulgo receptum fuit. Porro Filio Dei hanc appellationem indidit Angelus, ipsius Dei iussu. (Matth. 1, 21.)

M. Estne hoc pluris, quam si homines illi indidissent?

P. Omnino. Nam quum sic nuncupari velit Deus, talem quoque esse prorsus necesse est.

M. Quid deinde valet nomen *Christi?*

P. Hoc epitheto melius etiamnum exprimitur eius officium. Significat enim *unctum* esse a Patre in Regem, Sacerdotem ac Prophetam.

M. Qui scis istud?

P. Quoniam ad hos tres usus Scriptura unctionem accommodat. Deinde, haec tria, quae diximus, saepe Christo tribuit.

M. Sed quo olei genere unctus fuit?

P. Non visibili: quale in consecrandis antiquis Regibus, Sacerdotibus et Prophetis fuit adhibitum, sed praestantiori: hoc est, Spiritus sancti gratia, quae veritas est externae illius unctionis.

M. Quale vero hoc eius regnum est, quod commemoras?

P. Spirituale, quod verbo et Spiritu Dei continetur: quae iustitiam et vitam secum ferunt.

M. Sacerdotium vero?

P. Officium est ac praerogativa sistendi se in Dei conspectum ad obtinendam gratiam, et sacrificii, quod illi acceptum sit, oblatione iram eius placandi.

M. Iam quo sensu Prophetam Christum nominas?

P. Quia, quum in mundum descendit, Patris se legatum apud homines et interpretem professus est, idque in eum finem, ut, Patris voluntate ad plenum exposita, finem poneret revelationibus omnibus et prophetiis.

M. Sed percipisne inde fructum aliquem?

P. Imo non alio spectant omnia haec, nisi in bonum no-



Digitized by Google

strum. Nam iis donatus est Christus a Patre, ut nobiscum ea communicet, quo ex eius plenitudine hauriamus omnes.

M. Edissere hoc mihi paulo fusius.

P. Spiritu sancto repletus perfectaque omnium eius donorum opulentia cumulatus fuit, quo nobis ea impertiat, cuique scilicet pro mensura, quam nobis convenire novit Pater. Ita ex eo tanquam unico fonte haurimus quicquid habemus bonorum spiritualium.

M. Quid nobis confert eius Regnum?

P. Nempe, quod eius beneficio ad pie sancteque vivendum vindicati in libertatem conscientiarum, spiritualibusque eius divitiis instructi, potentia quoque armamur, quae ad perpetuos animarum nostrarum hostes, peccatum, carnem, Satanam, et mundum, vincendos sufficiat.

M. Ad quid autem Sacerdotium conducit?

P. Primum, quod hac ratione *Mediator* est noster, qui nos Patri reconciliet: deinde, quod per eum accessus nobis patefactus est ad Patrem, ut in eius conspectum cum fiducia prodeamus, ipsi quoque, nosque et nostra omnia illi in sacrificium offeramus. Atque ita collegas nos quodammodo suos facit in sacerdotio.

M. Restat Prophetia.

P. Quum Filio Dei magisterii collatum sit munus in suos: finis est, ut vera eos Patris cognitione illuminet, erudiat eos in veritate, et domesticos Dei discipulos efficiat.

M. Huc ergo redeunt quae dixisti omnia, Christi nomen tria officia comprehendere, quae in Filium contulit Pater, ut vim eorum ac fructum in suos transfundat?

P. Sic est.

M. Cur Filium Dei *unicum* nuncupas: quum hac quoque appellatione nos omnes dignetur Deus?

P. Quod filii Dei sumus, non id habemus a natura, sed adoptione et gratia duntaxat: quod scilicet nos eo loco habeat Deus. At Dominus Iesus, qui ex substantia Patris est genitus, uniusque cum Patre essentiae est, optimo iure Filius Dei unicus vocatur: quum solus sit natura. (Ioan. 1, 1. Eph. 1, 3. Hebr 1, 1.)

M. Intelligis ergo, hunc honorem, eius esse proprium, qui naturae iure illi debeatur: nobiscum autem gratuito beneficio communicari, quatenus sumus eius membra?

P. Omnino. Itaque eius communicationis intuitu alibi nominatur *Primogenitus inter multos fratres*. (Rom. 8, 29. Col. 1, 15. 18.)

M. Qualiter *Dominum* esse nostrum intelligis?

P. Sicut a Patre constitutus est, ut sub imperio suo nos habeat, ut Dei regnum administret in caelo et in terra, sitque hominum caput et Angelorum.

M. Quid sibi vult quod postea sequitur?

P. Modum ostendit, quo Filius unctus est a Patre, ut no-

Digitized by Google

bis esset Salvator. Nempe, quod, assumpta carne nostra, iis perfunctus est omnibus, quae ad salutem nostram erant necessaria: sicut hic recensentur.

M. Quid his duabus sententiis significas: *Conceptum esse ex Spiritu sancto, Natum ex Maria virgine?*

P. Formatum in utero Virginis fuisse, ex eius substantia, ut esset verum *semen Davidis*, qualiter vaticiniis Prophetarum praedictum fuerat: id tamen mirifica arcanaque Spiritus virtute fuisse effectum, absque virili coitu. (Psal. 132, 11. Matth. 1, 1. Luc. 1, 32.)

M. Eratne igitur operae pretium, ut carnem nostram indueret?

P. Maxime. Quia inobedientiam, ab homine admissam in Deum, necesse erat in humana quoque natura expiari. Nec vero aliter Mediator esse noster poterat, ad conciliationem Dei et hominum peragendam. (Rom. 3, 25. 1 Tim. 2, 5. Hebr. 4, 15. et 5, 7.)

M. Christum ergo oportuisse hominem fieri dicis, ut tanquam in persona nostra salutis nostrae partes impleret?

P. Ita sentio. Nam ab ipso mutuemur oportet, quicquid nobis apud nos deest: quod fieri aliter nequit.

M. Verum, cur id a Spiritu sancto effectum est, ac non potius communi, usitataque generationis forma?

P. Quoniam penitus corruptum est humanum semen, in generatione Filii Dei intercedere Spiritus sancti opus decuit: ne hac contagione attingeretur, sed esset puritate perfectissima praeditus.

M. Hinc ergo discimus, eum, qui alios sanctificat, immunem ab omni macula esse: puritateque, ut ita loquar, originali fuisse ab utero praeditum, ut totus Deo sacer esset, nulla humani generis labe inquinatus.

P. Sic intelligo.

M. Quomodo est *Dominus* noster?

P. A Patre constitutus est, ut nos regat, imperiumque et Dei dominationem, tum in caelis, tum in terra adeptus, caput Angelorum et piorum agnoscatur. (Eph. 1, 21. Col. 1, 18.)

M. Cur a natalibus protinus ad mortem, omissa totius vitae historia, transilis?

P. Quia hic non tractantur, nisi quae redemptionis nostrae ita sunt propria, ut eius substantiam quodammodo in se contineant.

M. Cur non simpliciter uno verbo mortuum fuisse dicis, sed Praesidis quoque nomen adiicis, sub quo sit passus?

P. Id non ad historiae fidem modo spectat, sed ut sciamus mortem eius coniunctam cum damnatione fuisse.

M. Expone hoc clarius.

P. Mortuus est, ut poena nobis debita defungeretur atque hoc modo ab ea nos eximeret. Quum autem omnes nos, sicuti



Digitized by Google

peccatores sumus, obnoxii essemus Dei iudicio, quo vicem nostram subiret, sisti in conspectum terreni iudicis voluit, damnarique eius ore, ut coram caelesti Dei tribunali absolveremur.

M. Atqui insontem Pilatus eum pronunciat: (Matth. 27, 24.) itaque non damnat pro malefico.

P. Utrumque animadvertere convenit. Ideo enim eius innocentiae testimonium reddit iudex, ut testatum fiat, non ob propria ipsum maleficia plecti, sed nostra: solenni tamen ritu interea damnatur eiusdem sententia, ut palam fiat, iudicium, quod merebamur, tanquam vadem nostrum subire, quo nos a reatu liberet.

M. Bene dictum. Nam si peccator esset, non idoneus vas esset, ad solvendam alieni peccati poenam. Ut tamen eius damnatio nobis in absolutionem cederet, censeri eum inter maleficos oportuit.

P. Sic intelligo.

M. Quod *crucifixus* fuit, an plus habet momenti, quam si alio quolibet mortis genere affectus foret?

P. Omnino: quemadmodum etiam admonet Paulus, (Gal. 3, 13.) dum *in ligno suspensum* scribit, ut nostram in se maledictionem susciperet, quo ab ea solveremur. Genus enim illud mortis, execratione damnatum erat. (Deut. 21, 23.)

M. Quid? an non irrogatur Filio Dei contumelia, quum dicitur maledictioni fuisse subiectus, etiam coram Deo?

P. Minime. Siquidem eam recipiendo abolevit: nec vero desiit interea esse benedictus, quo nos sua benedictione perfunderet.

M. Prosequere.

P. Quandoquidem mors supplicium erat homini impositum, peccati causa, eam Filius Dei pertulit, et perferendo vicit. Atque ut melius patefieret vera morte ipsum defungi, collocari in sepulchro, instar aliorum hominum voluit.

M. Verum, non videtur quicquam ad nos utilitatis ex hac victoria redire, quum nihilominus moriamur.

P. Nihil id obstat. Neque enim aliud nunc est mors fidelibus, quam transitus in vitam meliorem.

M. Hinc sequitur, non amplius exhorrendam esse mortem, acsi res esset formidabilis: sed intrepido animo sequendum esse ducem nostrum, Christum: qui sicut non periit in morte, ita perire nos non patietur.

P. Sic agendum est.

M. Quod de eius *ad inferos descensu* mox adiectum est, quem sensum habet?

P. Eum non communem tantum mortem fuisse perpessum, quae est animae a corpore separatio, sed etiam *dolores mortis*, sicut Petrus (Actor. 2, 24.) vocat. Hoc autem nomine horribiles angustias intelligo, quibus eius anima constricta fuit.

M. Cedo mihi huius rei causam ac modum.

Digitized by Google

P. Quia, ut pro peccatoribus satisfaceret, coram Dei tribunali se sistebat, torqueri hac anxietate eius conscientiam oportebat, acsi derelictus a Deo esset: imo acsi Deum haberet infestum. In his angustiis erat, quum exclamaret ad Patrem: (Matth. 27, 46.) *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

M. Eratne igitur illi offensus Pater?

P. Nequaquam. Sed hanc in eum severitatem exercuit, ut impleretur quod praedictum fuerat per Iesaiam: (Iesa. 53, 4. 5.) *Ipsum percussum fuisse manu Dei propter peccata nostra, vulneratum propter iniquitates nostras.*

M. Verum Deus quum sit, qui potuit eiusmodi pavore corripi, acsi derelictus a Deo esset?

P. Sic habendum est, secundum humanae naturae affectum, eo redactum fuisse necessitatis. Quod ut fieret, paulisper interea delitescebat eius divinitas, hoc est, vim suam non exerebat.

M. Qui tamen fieri rursum potest, ut Christus, qui salus est mundi, huic damnationi subiectus fuerit?

P. Non ita illam subiit, ut sub ea maneret. Sic enim istis, quos dixi, pavoribus correptus fuit, ut non fuerit oppressus; sed potius luctatus cum potestate inferorum, eam subegit ac fregit.

M. Hinc colligimus, quid differat conscientiae tormentum, quod sustinuit, ab eo, quo cruciantur peccatores, quos Dei irati manus persequitur. Nam quod in illo temporarium fuit, in iis est perpetuum; et quod illi vice duntaxat aculei fuit ad eum pungendum, in iis est lethalis gladius, ad cor, ut ita dicam, sauciandum.

P. Sic est. Neque enim eiusmodi angustiis obsessus Filius Dei sperare in Patrem desiit. At peccatores, Dei iudicio damnati, in desperationem ruunt, fremunt adversus ipsum, et usque ad apertas blasphemias prosiliunt.

M. Hinene possumus elicere, quem ex Christi morte fructum percipiant fideles?

P. Omnino. Ac principio quidem, videmus esse sacrificium, quo peccata nostra expiavit coram Deo, atque ita placata ira Dei, nos cum eo in gratiam reduxit. Deinde, sanguinem eius lavacrum esse, quo animae nostrae maculis omnibus purgentur. Postremo, deletam esse peccatorum nostrorum memoriam, ne unqnam in Dei conspectum veniant, atque ita inductum abolitumque fuisse chirographum, quo rei tenebamur.

M. Nihilne praeterea utilitatis nobis affert?

P. Imo vero. Nam et eius beneficio, siquidem vera simus membra Christi, vetus homo noster crucifigitur: aboletur corpus peccati, ne amplius regnent pravae carnis concupiscentiae in nobis.

M. Perge in reliquis.

P. Sequitur: *Tertio ipsum die resurrexisse ex mortuis:* quo victorem se peccati et mortis demonstravit. Sua enim resur-

Digitized by Google

rectione mortem deglutivit abrupit diaboli vincula, et totam eius potentiam redegit in nihilum.

M. Quotuplex ex hac resurrectione fructus nobis provenit?

P. Triplex. Nam et iustitia nobis per eam acquisita, et certum nobis est pignus futurae nostrae immortalitatis, et iam nunc eius virtute suscitamur in vitae novitatem, ut pure sancteque vivendo Dei voluntati obsequamur. (Rom. 4, 25. 1 Cor. 15, 22. Rom. 6, 4.)

M. Persequamur reliqua.

P. *Ascendit in caelum.*

M. Sed an ascendit, ut non sit amplius in terra?

P. Sic. Postquam enim omnibus perfunctus fuerat, quae illi a Patre iniuncta fuerant, quaeque in salutem nostram erant, nihil opus erat diutius eum in terris versari.

M. Quid ex hac ascensione boni consequimur?

P. Duplex est fructus. Nam quatenus caelum ingressus est Christus nostro nomine, sicut in terram nostra causa descenderat, aditum illius nobis quoque patefecit: ut iam aperta sit nobis ianua, quae propter peccatum ante clausa erat. Deinde in conspectu Dei comparet pro nobis intercessor et patronus.

M. Verum an Christus in caelum se recipiendo sic a nobis recessit, ut iam nobiscum esse desierit?

P. Minime. Contra enim recepit, se nobiscum fore usque ad finem seculi. (Matth. 28, 20.)

M. Quod autem nobiscum habitat, idne de corporis praesentia intelligendum?

P. Non. Alia enim ratio est corporis, quod in caelum receptum est; (Luc. 24, 51. Actor. 1, 11.) alia virtutis, quae ubique est diffusa.

M. Quo sensu eum dicis *sedere ad Patris dexteram*?

P. Haec verba significant, Patrem illi caeli et terrae imperium contulisse, ut omnia gubernet. (Matth. 28, 18.)

M. Quid autem tibi significat *Dextera*, et quid haec *Sessio?*

P. Similitudo est a Principibus sumpta, qui ad dexteram suam collocare solent, quibus vices suas commendant.

M. Non ergo aliud intelligis, quam quod tradit Paulus: (Eph. 1, 22. Philipp. 2, 9.) nempe, *constitutum esse Christum caput Ecclesiae, et, supra omnes principatus evectum, nomen adeptum esse, quod sit supra omne nomen.*

P. Ita ut dicis.

M. Transeamus ad alia.

P. *Inde venturus est ad iudicandum vivos et mortuos.* Quorum verborum sensus est, palam e caelo venturum ad iudicandum orbem: sicut ascendere visus est. (Actor. 1, 11.)

M. Quum iudicii dies futurus non sit ante finem seculi, quo-

Digitized by Google

modo tunc ex hominibus fore aliquos superstites dicis: quandoquidem omnibus constitutum est semel mori? (Hebr. 9, 27.)

P. Hanc quaestionem solvit Paulus, (1 Cor. 15, 51. 1 Thess. 4, 17.) quum eos, qui tunc supererunt, subita mutatione innovatum iri tradit, ut abolita carnis corruptione induant incorruptionem.

M. Tu ergo hanc mutationem mortis instar illis fore intelligis, quod primae naturae futura sit abolitio et alterius novae initium.

P. Sic sentio.

M. An aliquod inde gaudium recipiunt nostrae conscientiae, quod Christus semel futurus sit mundi iudex?

P. Recipiunt et quidem singulare. Certo enim non nisi in salutem nostram venturum scimus.

M. Non ergo reformidare nos convenit hoc iudicium, ut nobis horrorem incutiat?

P. Minime vero: quando non nisi ad eius iudicis tribunal stabimus, qui patronus quoque est, quique nos in fidem clientelamque suam suscepit.

M. Veniamus iam ad tertiam partem.

P. Ea est de *fide in Spiritum sanctum.*

M. Quid vero nobis confert?

P. Nempe huc spectat, ut noverimus, Deum, sicuti nos per Filium redemit et servavit, ita per Spiritum facere nos huius redemptionis ac salutis compotes.

M. Quomodo?

P. Quemadmodum purgationem habemus in Christi sanguine, sic eo aspergi conscientias nostras necesse est, ut abluantur. (1 Petr. 1, 2. 1 Ioan. 1, 7.)

M. Hoc clariori etiamnum expositione indiget.

P. Intelligo Spiritum Dei, dum in cordibus nostris habitat, efficere, ut Christi virtutem sentiamus. (Rom. 8, 11.) Nam ut Christi beneficia mente concipiamus, hoc fit Spiritus sancti illuminatione: eius persuasione fit, ut cordibus nostris obsignentur. (Eph. 1, 13.) Denique, solus ipse dat illis in nobis locum: regenerat nos, facitque ut simus novae creaturae. Proinde, quaecunque nobis offeruntur in Christo dona, ea Spiritus virtute recipimus.

M. Pergamus.

P. Sequitur quarta pars, in qua confitemur *nos credere unam sanctam Ecclesiam Catholicam.*

M. Quid est *Ecclesia?*

P. Corpus ac societas fidelium, quos Deus ad vitam aeternam praedestinavit.

M. Estne hoc etiam caput creditu necessarium?

P. Imo vero: nisi facere velimus otiosam Christi mortem, et pro nihilo ducere quicquid hactenus relatum est. Hic enim unus est omnium effectus, ut sit Ecclesia.

M. De causa ergo salutis fuisse hactenus tractatum eiusque

Digitized by Google

fundamentum ostensum intelligis, quum exponeres, Christi meritis et intercessione nos fuisse in amorem a Deo receptos, et hanc gratiam Spiritus virtute in nobis confirmari. Nunc vero explicari horum omnium effectum, quo certior ex re ipsa fides constet.

P. Ita res habet.

M. Porro *Ecclesiam* quo sensu nominas *sanctam?*

P. Quia scilicet, quoscunque elegit Deus, eos iustificat reformatque in sanctitatem ac vitae innocentiam, quo in illis reluceat sua gloria. (Rom. 8, 30.) Atque id est quod vult Paulus, quum admonet, Christum Ecclesiam, quam redemit, sanctificasse, ut sit gloriosa puraque ab omni macula. (Eph. 5, 25.)

M. Quid sibi vult epitheton *Catholicae* vel *Universalis?*

P. Eo docemur, sicut unum est fidelium omnium caput, ita omnes in unum corpus coalescere oportere, ut una sit Ecclesia per totum orbem diffusa, non plures. (Eph. 4, 15. 1 Cor. 12, 12.)

M. Quid autem valet illud, quod continuo de *Sanctorum communione* additur?

P. Ad exprimendam clarius, quae inter Ecclesiae membra est, unitatem, hoc positum est. Simul indicatur, quicquid beneficiorum largitur Deus Ecclesiae, in commune omnium bonum spectare, quum inter se omnes communionem habeant.

M. Verum, estne haec, quam Ecclesiae tribuis, sanctitas iam perfecta?

P. Nondum: quamdiu scilicet in hoc mundo militat. Laborat enim semper infirmitatibus: nec unquam vitiorum reliquiis penitus purgabitur, donec Christo, suo capiti, a quo sanctificatur, ad plenum adhaereat.

M. Potestne autem haec Ecclesia aliter cognosci, quam quum fide creditur?

P. Est quidem et *visibilis* Dei Ecclesia, quam nobis certis indiciis notisque descripsit; sed hic proprie de eorum congregatione agitur, quos arcana sua electione adoptavit in salutem. Ea autem nec cernitur perpetuo oculis, nec signis dignoscitur.

M. Quid deinde sequitur?

P. *Credo remissionem peccatorum.*

M. Quid tibi *remissionis* verbum significat?

P. Deum gratuita sua bonitate ignoscere ac condonare peccata fidelibus, ne in iudicium vocentur, aut exigatur de illis poena.

M. Hinc sequitur, nos satisfactionibus propriis nequaquam promereri, quam a Domino peccatorum veniam obtinemus.

P. Verum. Unus enim Christus poenam solvendo satisfactione defunctus est. Quantum ad nos, nihil nobis compensationis suppetit, quod Deo afferamus, sed ex mera eius liberalitate, gratuitum hoc beneficium recipimus.

M. Cur peccatorum remissionem subnectis Ecclesiae?

P. Quia eam nemo consequitur, quin et coadunatus fuerit ante populo Dei, et unitatem cum Christi corpore perseveranter

Digitized by Google

ad finem usque colat, eoque modo testatum faciat, verum se esse Ecclesiae membrum.

M. Hac ratione constituis, extra Ecclesiam non nisi damnationem et exitium esse.

P. Omnino. Qui enim discessionem faciunt a Christi corpore, factionibusque scindunt eius unitatem, iis spes omnis salutis praecisa est, quantisper maneant in eiusmodi dissidio.

M. Recita quod superest.

P. *Credo resurrectionem carnis et vitam aeternam.*

M. Quorsum hoc caput in fidei confessione ponitur?

P. Ut admoneamur, non esse sitam in terra nostram felicitatem. Cuius cognitionis duplex est utilitas ac usus. Inde primum docemur, ita hunc mundum nobis incolendum esse, tanquam inquilinis, ut de migratione assidue cogitemus, nec corda nostra sinamus implicari cogitationibus terrenis. Deinde, utcunque adhuc nos lateat, et ab oculis nostris absconditus sit fructus gratiae in Christo nobis collatae, ne propterea despondeamus animos, sed patienter sustineamus usque ad diem revelationis.

M. Quae porro huius resurrectionis erit series?

P. Qui ante mortui fuerint, recipient sua corpora, eadem scilicet, quae gestarunt; sed praedita nova qualitate, hoc est, non amplius obnoxia morti nec corruptioni. Qui autem tunc erunt superstites, eos subita mutatione Deus mirabiliter excitabit. (1 Cor. 15, 53.)

M. Sed eritne piorum simul et impiorum communis?

P. Una omnium erit resurrectio, sed conditio diversa. Alii enim in salutem ac beatitudinem resurgent, alii in mortem et extremam miseriam. (Matth. 25, 46. Ioan. 5, 29.)

M. Cur ergo sola hic *vita aeterna* commemoratur: *inferorum* nulla mentio?

P. Quoniam nihil hic, nisi quod ad consolationem piarum mentium faciat, habetur: ideo recensentur tantummodo praemia, quae servis suis Dominus praeparavit. Itaque non additur, quae sors impios maneat, quos scimus a regno Dei alienos esse.

M. Ex quo fundamentum tenemus, cui inniti fides debet, inde elicere *verae fidei* definitionem promptum erit.

P. Ita est. Sic autem definire licet, ut dicamus certam esse ac stabilem cognitionem paternae erga nos Dei benevolentiae, sicut per Evangelium Patrem se nobis, Christi beneficio, ac Servatorem fore testatur.

M. Eamne concipimus a nobis, an a Deo recipimus?

P. Doce tScriptura, singulare esse Dei donum; et experientia id confirmat.

M. Quam mihi experientiam dicis?

P. Nempe, rudior est mens nostra, quam ut capere spiritualem Dei sapientiam queat, quae nobis per fidem revelatur: et corda nostra propensiora sunt, vel ad diffidentiam, vel ad perversum

Digitized by Google

nostri et creaturarum confidentiam, quam ut in Deo suopte motu acquiescant. Verum Spiritus sanctus illuminatione sua capaces nos intellgendi facit ea, quae captum nostrum longe alioqui excederent: nosque ad certam persuasionem format, salutis promissiones cordibus nostris obsignando.

M. Quid nobis boni oritur ex hac fide, quum semel eam assequuti sumus?

P. Iustificat nos coram Deo: et hac iustitia haeredes nos vitae aeternae facit.

M. Quid? annon *bonis operibus* iustificantur homines, quum sancte et innocenter vivendo approbare se Deo student?

P. Si quisquam usque adeo perfectus inveniretur, merito censeri iustus posset: verum, quum omnes simus peccatores, multis modis rei coram Deo, aliunde quaerenda nobis est dignitas, quae nos illi conciliet.

M. Verum itane sordent, et adeo nullius pretii sunt omnia hominum opera, ut gratiam coram Deo promereri nequeant?

P. Principio, quaecunque a nobis manant ut nostra proprie dicantur, vitiosa sunt: ac proinde nihil possunt, quam Deo displicere et ab eo reiici.

M. Dicis ergo, antequam renati simus reformatique Dei Spiritu, nihil posse nos quam peccare: quemadmodum arbor mala non nisi malos fructus profert. (Matth. 7, 18.)

P. Prorsus ita est. Nam qualemcunque speciem habeant in oculis hominum, mala sunt nihilominus, quamdium cor pravum est, quod praecipue Deus intuetur.

M. Hinc constituis, non posse nos ullis meritis Deum praevenire, aut provocare eius beneficentiam; quin potius quicquid tentemus aut aggrediamur operum, irae ac damnationi eius subiacere?

P. Sic sentio. Itaque mera sua misericordia nulloque operum respectu (Tit. 3, 5.) nos gratis amplectitur in Christo acceptosque habet, illius iustitiam nobis acceptam ferendo, acsi nostra esset, peccata vero nostra nobis non imputando.

M. Qualiter ergo dicis iustificari nos fide?

P. Quoniam dum certa cordis fiducia amplectimur Evangelii promissiones, huius, quam dico, iustitiae possessionem quodammodo adipiscimur.

M. Hoc ergo vis: iustitiam, ut nobis per Evangelium offertur a Deo, ita fide a nobis recipi.

P. Sic est.

M. Verum ex quo nos semel amplexus est Deus, annon illi accepta sunt opera, quae Spiritu sancto nos dirigente facimus?

P. Placent illi, non propriae tamen dignitatis merito, sed quatenus suo favore liberaliter ea dignatur.

M. Atqui quum a Spiritu sancto prodeant, annon favorem promerentur?

Digitized by Google

P. At nonnihil semper inquinamenti ex infirmitate carnis admixtum est, quo vitiantur.

M. Unde igitur aut qua ratione fiet, ut Deo placeant?

P. Sola est fides, quae gratiam illis conciliet: quum huic fiduciae certo innitimur, non ventura esse ad calculum summi iuris, quod Deus ad severitatis suae regulam exigere ipsa nolit: sed obtectis eorum vitiis et sordibus, Christi puritate consepultis, eo loco habeat, acsi perfecta essent et absoluta.

M. Verum, an inde colligemus, operibus iustificari hominem Christianum postquam a Deo vocatus est, aut operum merito consequi, ut a Deo diligatur, cuius dilectio vita aeterna nobis est?

P. Nequaquam. Quin potius teneamus, quod scriptum est, (Psal. 143, 2.) neminem mortalium iustificari coram Deo posse, atque ideo deprecemur, ne in iudicium nobiscum intret.

M. Non tamen bona fidelium opera inutilia esse propterea iudicabimus.

P. Minime vero. Neque enim frustra mercedem illis Deus tum in hoc mundo tum in futura vita pollicetur. Verum ex gratuito Dei amore, tanquam ex fonte, emergit haec merces: quia nos scilicet primum amplectitur in filios; deinde, consepulta vitiorum nostrorum memoria, quae ex nobis prodeunt, favore prosequitur.

M. Sed anne sic a bonis operibus separari haec iustitia potest, ut, qui hanc habet, illis careat?

P. Fieri hoc nequit. Nam quum recipiamus fide Christum, qualem se nobis offert: ipse vero non liberationem tantum nobis a morte et reconciliationem cum Deo promittat, sed Spiritus sancti simul gratiam, qua in vitae novitatem regeneremur: haec coniungi necesse est, ne Christum a seipso distrahamus.

M. Hinc sequitur, fidem esse radicem, ex qua nascantur omnia bona opera: tantum abest, ut ab eorum studio nos revocet.

P. Omnino sic est: ac perinde tota Evangelii doctrina duobus his membris continetur: *fide et poenitentia.*

M. Quid est *poenitentia?*

P. Displicentia odiumque peccati, et amor iustitiae, ex Dei timore profecta, quae nos ad abnegationem usque nostri, carnisque mortificationem adducant, ut Spiritu Dei regendos nos tradamus, ac omnes vitae nostrae actiones ad divinae voluntatis obsequium comparemus.

M. Hoc vero secundum membrum fuit in divisione, quam initio posuimus, quum tu rationem ostenderes rite colendi Dei.

P. Verum: ac simul additum fuit, veram hanc ac legitimam esse regulam colendi Dei, ut eius voluntati obsequamur.

M. Qui sic?

Digitized by Google

P. Quoniam is demum illi probatur cultus, non quem confingere nobis libuerit, sed quem suo ipse arbitrio praescripserit.

M. Quam autem vivendi regulam nobis posuit?

## [II.] DE LEGE,

id est,

## *Decem praeceptis Dei.*

P. Legem suam.

M. Quid ea continet?

P. Duabus partibus constat: quarum prior quatuor habet praecepta, altera sex. Ita decem omnino praeceptis constat tota Lex.

M. Quis huius divisionis est auctor?

P. Deus ipse, qui in duas tabulas descriptam Mosi tradidit et saepe testatus est redigi in decem verba. (Exod. 24, 12. et 32, 15. et 34, 1. Deut. 4, 13. et 10, 4.)

M. Argumentum prioris tabulae quale est?

P. De pietatis erga Deum officiis.

M. Secundae vero?

P. Qualiter sit agendum cum hominibus, et quid illis debeamus.

M. Recita praeceptum vel caput primum.

P. *Audi Israel: Ego sum Iehova Deus tuus, qui te eduxi ex terra Aegypti, e domo servitutis; non habebis deos alienos coram me.* (Exod. 20, 2. Deut. 5, 6.)

M. Nunc sensum verborum expone.

P. Initio quadam veluti praefatione utitur in totam Legem. Nam quum Iehovam se nominat, ius sibi vindicat et auctoritatem iubendi. Deinde, quo Legi suae gratiam apud nos conciliet, addit se Deum esse nostrum. Perinde enim valent haec verba, acsi Servatorem nostrum se vocaret. Hoc autem beneficio quum nos dignetur, par est, ut nos illi vicissim exhibeamus in populum obsequentem.

M. Verum quod continuo de liberatione subiicit et fracto iugo servitutis Aegyptiacae, annon ad Israeliticum populum, et eum quidem solum, peculiariter spectat?

P. Fateor quoad opus; verum, est alterum liberationis genus, quod ad omnes peraeque homines pertinet. Nos enim omnes ex spirituali peccati servitute et diaboli tyrannide asseruit.

M. Cur eius rei meminit, quum in Legem suam praefari vellet?

P. Ut nos commonefaciat, summae ingratitudinis reos fore, nisi totos illi nos in obsequium addixerimus.

M. Quid autem hoc primo capite exigit?

Digitized by Google

P. Ut suum illi soli honorem in solidum asseramus, neque ullam eius partem transferamus alio.

M. Quis honor illius est proprius, quem alio transcribere sit nefas?

P. Eum adorare, collocare in ipso nostram fiduciam, invocare ipsum, illi denique omnia deferre, quae in eius maiestatem competunt.

M. Quorsum haec particula adiecta est: *coram facie mea?*

P. Quum nihil tam reconditum sit, quod eum lateat, sitque occultarum cogitationem cognitor ac iudex: significat, non externae modo confessionis honorem requirere, sed veram quoque pietatem cordis.

M. Transeamus ad secundum caput.

P. *Non sculpes tibi simulacrum, neque imaginem ullam effinges eorum, quae aut in caelo sunt sursum, aut deorsum in terra, aut in aquis sub terra. Non adorabis ea neque coles.*

M. Prohibetne in totum, ne aliquae pingantur aut sculpantur imagines?

P. Non, sed duo tantum hic vetat, ne quas faciamus imagines, vel Dei effingendi, vel adorandi causa.

M. Cur Deum non licet visibili figura exprimere? (Deut. 4, 15. Actor. 17, 29. Rom. 1, 23.)

P. Quia nihil inter eum, qui spiritus est aeternus ac incomprehensibilis, et corpoream, corruptibilem mortuamque figuram simile est.

M. Iniuriam ergo fieri censes eius maiestati, quum in hunc modum repraesentatur?

P. Sic sentio.

M. Quaenam hic adorationis species damnatur?

P. Quum ad statuam vel imaginem nos convertimus precaturi, coram ea nos prosternimus: genuum flexione, aut aliis signis exhibemus illi honorem, acsi Deus illic se nobis repraesentaret.

M. Non ergo quamlibet simpliciter picturam vel sculpturam his verbis damnari intelligendum est; sed tantum imagines prohibemur facere in hunc finem, ut in illis Deum vel quaeramus vel colamus: sive, quod idem est, eas colamus in Dei honorem, aut quoquo modo illis ad superstitionem et idololatriam abutamur.

P. Verum.

M. Nunc in quem finem caput hoc referemus?

P. Quemadmodum superiore unum se esse denunciavit, quem coli oporteat et adorari: ita nunc quae recta sit adorationis forma ostendit, quo nos ab omni superstitione aliisque vitiosis et carnalibus figmentis revocet.

M. Pergamus.

P. Sanctionem adiungit: *se Iehovam esse Deum nostrum*

Digitized by Google

*fortem, zelotypum, qui vindicet iniquitatem patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem eorum, qui se oderint.*

M. Cur mentionem *fortitudinis* suae facit?

P. Eo significat, se ad gloriam suam vindicandam satis habere potentiae.

M. Quid *zelotypiae* vocabulo indicat?

P. Aequalem aut socium ferre non posse. Nam ut se nobis, pro infinita sua bonitate, donavit, ita nos vult esse prorsus suos. Atque haec animarum nostrarum est castitas, illi dicatas esse et penitus adhaerere; sicut rursum adulterio pollui dicuntur, dum ab eo ad superstitionem deflectunt.

M. Quo sensu hoc dictum est: *Ulcisci patrum iniquitatem in filios?*

P. Quo plus nobis incutiat terroris, non tantum de iis, qui offenderint, poenas sumpturum se minatur: sed eorum quoque sobolem foro maledictam.

M. Atqui an hoc Dei aequitati consentaneum est, quemque punire propter alterius noxam?

P. Si qualis sit humani generis conditio reputamus, soluta est quaestio. Natura enim maledictioni obnoxii sumus omnes: nec est quod de Deo conqueramur, quum in hac sorte nos relinquit. Iam vero, sicut suam erga pios dilectionem, eorum posteritati benedicendo demonstrat, ita suam adversus impios vindictam, eorum filios hac benedictione privando, exequitur.

M. Perge.

P. Quo nos amabili etiam suavitate alliciat, *misericordia usurum se promittit erga omnes, qui se diligunt suaque mandata observant, in mille generationes.*

M. Intelligitne pii hominis innocentiam, posteris omnibus, quamvis impiis, saluti fore?

P. Nequaquam: sed hoc modo, suam benignitatem eo usque se effusurum erga fideles, ut, in eorum gratiam, eorum quoque se liberis benignum exhibeat: non tantum res eorum prosperando, quoad praesentem vitam, sed animas quoque ipsorum sanctificando, quo in grege suo censeantur.

M. Atqui hoc perpetuum non esse apparet.

P. Fateor. Quemadmodum enim liberum hoc sibi retinet, ut misericordem se, quum libuerit, impiorum liberis exhibeat: ita suam gratiam non adeo astrinxit fidelium liberis, quin pro suo arbitrio repudiet ex illis, quos visum fuerit: sic tamen id temperat, ut promissionem hanc non vanam esse nec fallacem constet. (Rom. 9.)

M. Cur *mille* hic *generationes*, in poenae vero damnatione *tres* duntaxat aut *quatuor* nominat?

P. Quo significet, se ad humanitatem magis et beneficentiam, quam ad severitatem propensum esse. Sicut etiam alibi

Digitized by Google

testatur, quum se ad ignoscendum facilem esse dicit, tardum vero ad iram. (Exod. 34, 6. Psal. 103, 8. et 145, 8.)

M. Iam ad tertium.

P. *Non usurpabis nomen Iehovae Dei tui frustra.*

M. Quis sensus?

P. Vetat, ne Dei nomine abutamur, non peierando tantum, sed praeter necessitatem iurando.

M. Estne aliquis nominis Dei usus legitimus in iureiurando?

P. Imo vero: quum adhibetur ex iusta causa. Primum, asserendae veritati: deinde: quum eius momenti est negotium, ut iurare par sit, ad mutuam inter homines tuendam charitatem et concordiam.

M. Verum annon longius spectat, quam ad cohibenda iuramenta, quibus profanatur Dei nomen aut imminuitur eius honos?

P. Proposita una specie, in universum nos admonet, ne unquam in medium a nobis proferatur Dei nomen, nisi cum timore ac reverentia, et in eum finem, ut gloriosum appareat. Nam quum sit sacrosanctum, cavere debemus omnibus modis, ne aut ipsum contemptui habere videamur, aut aliis occasionem contemnendi praebeamus.

M. Quomodo hoc fiet?

P. Si de Deo eiusque operibus non aliter cogitemus aut loquamur, quam in eius honorem.

M. Quid sequitur?

P. Sanctio, qua *non fore innocentem* denunciat, *qui nomen suum in vanum usurpaverit.*

M. Quum alibi pronunciet, se in Legis suae transgressores vindicaturum, quid hic amplius continetur?

P. Eo voluit indicare, quanti nominis sui gloriam faciat: quo eius studiosiores simus, dum videmus paratam fore ultionem, si quis eam profanaverit.

M. Veniamus ad quartum praeceptum.

P. *Recordare diem Sabbathi, ut eum sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omne opus tuum: septimus vero, Sabbathum est Domini Dei tui. Non facies in eo ullum opus, nec servus tuus, nec ancilla, neque bos, neque asinus, neque inquilinus, qui habitat intra portas tuas. Nam sex diebus perfecit Deus caelum et terram et mare, et quicquid in illis continetur: septimo quievit. Itaque benedixit diei Sabbathi, et eum sanctum sibi segregavit.*

M. Iubetne sex diebus laborare, ut septimo quiescamus?

P. Non simpliciter: verum sex dies hominum laboribus permittens, septimum excipit, ut quieti destinetur.

M. An quemvis laborem nobis interdicit?

P. Hoc praeceptum separatam et peculiarem habet rationem. Siquidem quietis observatio pars est veterum ceremoniarum: itaque Christi adventu abrogata fuit.

Digitized by Google

M. Dicisne praeceptum hoc ad Iudaeos proprie spectare, ideoque temporarium duntaxat fuisse?

P. Nempe: quatenus ceremoniale est.

M. Quid ergo? subestne aliquid praeter ceremoniam?

P. Tribus ex causis datum fuit.

M. Cedo mihi eas.

P. Ad spiritualem quietem figurandam, ad conservationem politiae Ecclesiasticae, ad servorum sublevationem.

M. Quid per spiritualem quietem intelligis?

P. Dum a propriis operibus feriamur, quo Deus in nobis sua opera peragat.

M. Quae porro feriandi ratio?

P. Si carnem nostram crucifigimus: hoc est, renunciamus nostro ingenio, ut Dei Spiritu gubernemur.

M. An id septimo quoque die fieri satis est?

P. Imo continenter. Nam ex quo semel coeperimus, pergendum est toto vitae cursu.

M. Cur ergo eius significationi destinatur certus dies?

P. Nihil necesse est per omnia congruere veritatem cum figura, modo conveniat, quantum satis est ad rationem figurandi.

M. Cur tamen septimus potius dies praescribitur, quam alius quilibet?

P. Numerus hic perfectionem in Scriptura designat. Itaque ad notandam perpetuitatem aptus est. Simul indicat, spiritualem hanc quietem inchoari duntaxat in hac vita, nec ante perfectam fore, donec e mundo migremus.

M. Verum, quid hoc sibi vult, quod suo nos exemplo ad quiescendum hortatur Dominus?

P. Quum mundi creationi finem intra sex dies imposuisset, septimum operum suorum considerationi dicavit. Ad id quo nos acrius stimulet, suum nobis exemplum proponit. Nihil enim magis expetendum, quam ut nos ad eius imaginem formemus.

M. Verum continuane esse debet operum Dei meditatio, an ex septenis quibusque diebus unum illi destinari sufficit?

P. Exerceri quidem nos quotidie in ea decet: verum imbecillitatis nostrae causa, dies unus peculiariter statuitur. Atque haec politia est, quam dixi.

M. Quis igitur eo die servandus est ordo?

P. Ut populus ad audiendam Christi doctrinam, ad frequentandas publicas preces, ad edendam fidei suae professionem conveniat.

M. Nunc expone quod dixisti, Dominum hoc praecepto servorum quoque sublevationi prospicere voluisse.

P. Ut eis, qui sub aliena potestate sunt, aliquid laxamenti detur. Quin etiam hoc ad retinendam communem politiam valet. Nam ubi dies unus quieti assignatur, ita se quisque ad laborandum in reliquum temporis assuefacit.

Digitized by Google

M. Videamus iam, quatenus ad nos spectet hoc mandatum.

P. Quod ad ceremoniam, quum in Christo extiterit eius veritas, abrogatam esse dico. (Col. 2, 17.)

M. Quomodo?

P. Nempe, quia mortis eius virtute vetus homo noster crucifigitur, nosque excitamur in vitae novitatem. (Rom. 6, 6.)

M. Quid ergo ex praecepto nobis restat?

P. Ne sancta instituta, quae ad spiritualem Ecclesiae politiam faciunt, negligamus: praesertim vero, ut sacros conventus ad audiendum Dei sermonem, ad mysteria celebranda, ad solennes preces, sicut erunt ordinati, frequentemus.

M. Atqui nihilne amplius figura nobis conducit?

P. Imo vero. Ad suam enim veritatem revocanda est. Ut scilicet insiti in Christi corpus, factique eius membra, desinamus a propriis operibus, atque ita Dei gubernationi nos resignemus.

M. Transeamus ad secundam Tabulam.

P. Eius initium est: *Honora patrem et matrem.*

M. Quid tibi significat hic vox *honoris?*

P. Ut cum modestia et humilitate morigeri sint et obsequentes filii parentibus, ut eos reverenter colant: ut iuvent in necessitate, suasque illis operas impendant. His enim tribus membris continetur, qui debetur parentibus, honor.

M. Perge modo.

P. Adiicitur mandato promissio: *Ut prorogentur dies tui super terram, quam daturus est tibi Dominus Deus tuus.*

M. Quis sensus?

P. Diu beneficio Dei victuros, qui debitum parentibus honorem praestiterint.

M. Quum tot aerumnis referta sit haec vita: cur beneficii loco longam eius durationem nobis pollicetur Deus?

P. Quantiscunque miseriis sit obnoxia, Dei tamen benedictio est erga fideles, vel hac una de causa, quod paterni eius favoris argumentum est, dum eos hic alit et conservat.

M. Sequiturne e converso eum, qui cito et ante iustam aetatem ex hoc mundo eripitur, a Deo maledictum esse?

P. Minime. Quin potius accidit interdum, ut, quo quisque magis diligitur a Deo, eo citius recipiatur ex hac vita.

M. Atque sic agendo, qualiter promissioni suae satisfacit?

P. Quicquid nobis terrestrium bonorum Deus promittit, sub hac conditione accipere convenit: quatenus in bonum animae nostrae salutemque expedit. Esset enim ordo valde praeposterus, nisi semper antecederet animae ratio.

M. Quid de iis, qui parentibus fuerint contumaces?

P. Non in extremo tantum iudicio punientur: sed hic quoque in eorum corpora Deus vindicabit, aut hinc omnes tollendo in medio aetatis flore, aut ignominioso mortis genere plectendo, aut aliis modis.



Digitized by Google

M. Verum annon de terra Chanaan nominatim promissio loquitur?

P. Sic est, quantum ad Israelitas spectat: at nobis hoc verbum latius patet ac extendi debet. Quamcunque enim regionem incolamus, quum Domini sit totus orbis, eam nobis assignat possidendam. (Psal. 24, 1. et 85, 5. et 115, 16.)

M. Nihilne amplius restat de praecepto?

P. Quanquam non nisi de patre et matre verba sonant, intelligendi sunt tamen omnes, qui nobis praesunt: quando eadem ipsorum est ratio.

M. Quaenam illa?

P. Nempe, quia Dominus eos in superiorem honoris gradum extulerit. Nulla enim est vel parentum vel principum vel praefectorum quorumlibet auctoritas, nullum imperium, nullus honor, nisi ex Dei decreto: quia mundum sic illi placet ordinare.

M. Recita sextum.

P. *Non occides.*

M. Nihilne aliud vetat, quam caedes perpetrare?

P. Imo vero. Nam quum hic loquatur Deus, non externis tantum operibus legem dicit, sed animi etiam affectibus, adeoque his potissimum.

M. Videris subindicare, genus esse quoddam arcanae caedis, a quo hic nos Deus revocat.

P. Sic est. Ira enim et odium, et quaevis nocendi cupiditas, caedes coram Deo censetur.

M. Satisne defuncti sumus, si neminem persequamur odio?

P. Nequaquam. Siquidem Dominus odium damnando et nos arcendo a quavis noxa, qua proximus noster laedatur, simul hoc se exigere ostendit, ut omnes mortales ex animo diligamus ac fideliter ipsis tuendis conservandisque studeamus.

M. Iam ad septimum.

P. *Non moechaberis.*

M. Expone quae sit summa.

P. Scortationem quamlibet maledictam esse coram Deo. Proinde, nisi iram Dei velimus in nos provocare, ab illa esse diligenter abstinendum.

M. Nihilne praeterea requirit?

P. Respicienda semper est natura Legislatoris, quem diximus non externo modo operi immorari, sed animi potius affectibus esse intentum.

M. Quid ergo plus comprehendit?

P. Ex quo tum corpora nostra tum animae templa sunt Spiritus sancti, ut castam utrisque puritatem praestemus: (1 Cor. 3, 16. et 6, 19. 2 Cor. 6, 16.) ac proinde non externi tantum flagitii abstinentia pudici simus: sed etiam corde, verbis, gestu denique corporis et actione. Denique corpus ab omni lascivia

Digitized by Google

purum sit, animus ab omni libidine, ut nulla pars nostri impudicitiae sordibus sit inquinata.

M. Veniamus ad octavum.

P. *Non furaberis.*

M. Eane tantum furta prohibet, quae humanis legibus puniuntur, an longius procedit?

P. Malas omne genus fraudandi circumveniendique artes, quibus aliena bona aucupamur, sub furti nomine complectitur. Hic ergo vetamur, tum violenter involare in bona proximorum, tum per vafritiem et dolum illis manum iniicere, tum aliis quibuscunque obliquis rationibus ad illa occupanda conari.

M. Satisne est manus abstinere a maleficio: an cupiditas etiam hic damnatur?

P. Huc semper est redeundum: quum spiritualis sit Legislator, non externa tantum furta coercere eum velle, sed omnia simul et consilia et studia, quae aliis omnino incommodent: atque ipsam in primis cupiditatem, ne ditescere cum iactura fratrum expetamus.

M. Quid ergo agendum est, ut praecepto pareamus?

P. Danda est opera, ut suum cuique salvum sit.

M. Nonum praeceptum quod est?

P. *Non eris adversus proximum tuum testis mendax.*

M. Prohibetne peierare in foro duntaxat, an in universum mentiri adversus proximos?

P. Sub specie una comprehenditur doctrina generalis, ne falso proximum calumniemur: neve maledicentia nostra et obtrectationibus laedamus eius famam, aut aliquam illi noxam afferamus in suis bonis.

M. Cur autem nominatim exprimit publica periuria?

P. Quo maiorem nobis huius vitii horrorem incutiat. Innuit enim, si quis maledicentiae et calumniis assueverit: inde ad periuria proclivem fore lapsum, si occasio data fuerit proximi infamandi.

M. Vultne a maledicendo tantum nos arcere, an etiam a malis suspicionibus sinistrisque et iniquis iudiciis?

P. Utrumque, secundum rationem ante adductam, hic damnat. Nam quod agere coram hominibus malum est, malum est coram Deo etiam velle.

M. Ergo quid in summa velit, expone.

P. Ne ad male sentiendum de proximis, neve ad eos infamandos propensi simus, vetat: quin potius, hac nos aequitate et humanitate praeditos esse iubet, ut de illis, quantum veritas patitur, bene sentiamus, suamque eis existimationem integram tueri studeamus.

M. Recita ultimum.

P. *Non concupisces domum proximi tui: non concupisces*



Digitized by Google

*uxorem proximi tui: non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec quicquam aliud quod ipsius sit.*

M. Quum spiritualis sit tota Lex, sicut etiam ante toties dixisti: nec tantum coercendis externis operibus, sed corrigendis etiam animi affectibus posita sint superiora praecepta, quid hic amplius additur?

P. Reliquis praeceptis voluntates atque affectus regere et moderari voluit Dominus: hic vero etiam cogitationibus, quae nonnullam cupiditatem secum trahunt, neque tamen perveniunt ad statam usque deliberationem, legem imponit.

M. Dicisne minimas quasque cupiditates, quae fidelibus obreptant, et ipsis veniant in mentem, peccata esse, etiamsi resistant potius, quam assentiantur?

P. Constat certe, pravas omnes cogitationes, etiamsi non accedat consensus, ex naturae nostrae vitio prodire. Verum hoc tantum dico, damnari hoc praecepto vitiosas cupiditates, quae ita cor hominis titillant, ac sollicitant, ut tamen non pertrahant ad firmam deliberatamque voluntatem.

M. Hactenus ergo malos quidem affectus, quibus acquiescunt homines et subigendos se permittunt, prohibitos fuisse intelligis; nunc vero tam exactam integritatem a nobis requiri, ut nullam perversam cupiditatem corda nostra admittant, qua ad peccatum stimulentur.

P. Sic est.

M. Licetne iam breve totius Legis compendium colligere?

P. Maxime: siquidem eam in duo capita redigamus. Prius est: *ut Deum amemus ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus.* Alterum: *ut proximos diligamus perinde ac nosmetipsos.*

M. Quid sub *Dei amore* continetur?

P. Amare ipsum, sicuti Deum amare decet: nempe, ut simul et Dominus et Pater et Servator agnoscatur. Itaque Dei amori adiuncta est eius reverentia, voluntas illi obsequendi, fiducia, quae in ipso collocanda est.

M. Quid per totum cor, totam animam et totas vires intelligis?

P. Eam zeli vehementiam, ut nullis prorsus cogitationibus, nullis desideriis, nullis studiis sit in nobis locus, quae huic amori adversentur.

M. Quis secundi capitis est sensus?

P. Quemadmodum natura adeo propensi ad nos amandos sumus, ut hic affectus alios omnes superet: ita proximorum charitatem sic regnare in nobis decet, ut nos omni ex parte gubernet, sitque omnium et consiliorum et operum regula.

M. Quid *proximi* tibi nomen significat?

P. Non cognatos modo, et amicos, aut qui aliqua nobiscum necessitudine sunt coniuncti: sed etiam eos, qui nobis incogniti sunt, adeoque inimicos.

Digitized by Google

M. Quid autem illi coniunctionis nobiscum habent?

P. Nimirum coniuncti sunt eo vinculo, quo universum hominum genus Deus simul colligavit. Est autem id sacrosanctum et inviolabile, quod nullius pravitate aboleri potest.

M. Dicis igitur, si nos quispiam oderit, esse hoc eius proprium: manere nihilominus ipsum nobis proximum eoque loco a nobis habendum esse: quia stet inviolabilis Dei ordo, quo haec inter nos coniunctio sancita est?

P. Sic est.

M. Quum formam Dei rite colendi Lex ostendat: nonne prorsus secundum eius praescriptum vivendum est?

P. Verum id quidem est. Atqui ea imbecillitate laborant omnes, ut nemo, quod debet, omni ex parte impleat.

M. Cur ergo eam a nobis perfectionem exigit Deus, quae sit facultate nostra superior?

P. Nihil exigit, cui praestando non simus obstricti. Caeterum modo ad eam, quae hic praescribitur, vivendi formam enitamur, etiamsi procul absimus a scopo, hoc est, a perfectione, Dominus, quod deest, nobis ignoscit.

M. De hominibusne universis in genere loqueris, an de fidelibus duntaxat?

P. Qui Dei Spiritu nondum est regenitus, ne ad minimum quidem Legis apicem inchoandum erit idoneus. Praeterea, si quem demus inveniri, qui aliqua ex parte Legi obtemperet, non tamen ideo coram Deo defunctum iudicavimus. Nam maledictos pronunciat omnes, qui non omnia impleverint, quae in ea continentur. (Deut. 27, 26. Gal. 3, 10.)

M. Hinc statuendum est, sicuti duo sunt hominum genera, ita duplex esse Legis officium.

P. Omnino. Nam apud incredulos nihil aliud efficit, nisi quod excusationem illis omnem praecludit coram Deo. Atque id est quod significat Paulus, quum eam vocat *ministerium mortis et damnationis*. (Rom. 1, 32. 2 Cor. 3, 6.) Erga fideles longe alium usum habet.

M. Quem?

P. Principio, dum iustitiam operibus consequi se non posse (Rom. 3, 20. Gal. 2, 16. et 3, 11. et 4, 5.) ex ea discunt, ad humilitatem hoc modo erudiuntur: quae vera est ad quaerendam in Christo salutem praeparatio. Deinde quatenus plus multo exigit ab ipsis, quam sint praestanda, eos ad petendam a Domino virtutem sollicitat, simulque perpetui reatus commonefacit, ne superbire audeant. Postremo, freni instar illis est, quo in Dei timore retineantur.

M. Tametsi ergo in hac terrena peregrinatione Legi nunquam satisfacimus, non tamen hoc supervacuum esse censebimus, quod tam exactam a nobis perfectionem flagitet. Scopum enim, ad quem nos collimare, et metam, ad quam nos eniti convenit,

Digitized by Google

demonstrat: ut quisque nostrum pro modo collatae sibi gratiae, ad summam rectitudinem vitam suam componere, et maiores subinde progressus facere, assiduo studio conetur.

P. Sic sentio.

M. An non perfectam in Lege omnis iustitiae regulam habemus?

P. Equidem adeo, ut nihil velit aliud Deus a nobis, nisi ut eam sequamur: rursum vero, irritum habeat ac repudiet, quicquid praeter eius praescriptum suscipimus. Neque enim aliud sacrificium acceptum habet, quam obedientiam. (1 Sam. 15, 22. Ierem. 7, 22. 23.)

M. Quorsum igitur tot admonitiones, praecepta, exhortationes, quibus passim utuntur tum Prophetae tum Apostoli?

P. Nihil quam merae Legis expositiones sunt, quae ad Legis obedientiam nos manu ducunt potius, quam ab ea abducant.

M. Atqui de privata cuiusque vocatione nihil praecipit?

P. Quum reddere cuique, quod suum est, iubet: inde colligere promptum est, quae sint privatim in ordine suo vitaeque genere cuiusque partes. Et exstant passim in Scriptura, quemadmodum dictum est, sparsae singulorum praeceptorum expositiones. Nam quod hic Dominus summatim complexus est paucis verbis, alibi fusius et plenius exequitur.

## [III.] DE ORATIONE.

M. Quum de secunda parte divini cultus, quae in obsequiis obedientiaque sita est, satis disputatum fuerit, iam de tertia parte disseramus.

P. Diximus invocationem esse, quum ad ipsum in quavis necessitate confugimus.

M. Eumne solum censes invocandum esse?

P. Omnino. Id enim exigit, tanquam proprium numinis sui cultum.

M. Si ita res habet, quonam licebit modo homines ad opem nobis ferendam implorare?

P. Magnum vero inter haec duo discrimen est. Deum enim quum invocamus, testamur nihil nos aliunde boni expectare, nec alibi nos collocare totum nostrum praesidium: interea tamen auxilia, quoad nobis permittit facultatemque illis nos adiuvandi contulit, quaerimus.

M. Quod ergo ad hominum opem fidemque confugimus, nihil obstare dicis, quominus unum invocemus Deum, quum fiducia in eos nostra minime recumbat: nec aliter imploremus ipsos, nisi quia benefaciendi facultate eos instruendo, beneficentiae suae ministros nobis quodammodo destinavit Deus, quorum per manus adiuvare nos, et quae apud illos deposuit subsidia, erogare nobis velit.

P. Sic sentio. Ac proinde quicquid ab illis beneficiorum

Digitized by Google

percipimus, Deo acceptum referre convenit: sicuti re vera unus ipse illa omnia nobis eorum ministerio largitur.

M. Verum, annon hominibus tamen, quoties aliquid in nos officii contulerunt, habenda est gratia? Id enim ipsa naturae acquitas et lex humanitatis dictat.

P. Habenda prorsus, vel ob unam hanc causam, quod hoc ipsos honore dignatur Deus, ut, quae ex liberalitatis suae fonte inexhausto fluunt bona, per eorum manus tanquam per rivos ad nos derivet. Hac enim ratione nos illis obstringit, atque id ipsum vult nos agnoscere. Itaque qui se hominibus gratum non praebet, suam in Deum quoque ingratitudinem hoc modo prodit.

M. Hinene licebit colligere, perperam invocari tum Angelos, tum sanctos Domini servos, qui ex hac vita demigrarunt?

P. Licebit. Neque enim Sanctis has partes attribuit Deus, ut nobis opitulentur. Quantum vero ad Angelos spectat: tametsi eorum utitur opera in salutem nostram, non tamen a nobis vult implorari.

M. Quicquid ergo ad ordinem a Deo institutum apte congruenterque non quadrat, id cum eius voluntate pugnare dicis?

P. Sic est. Certum enim infidelitatis signum est, iis, quae dat nobis Deus, non esse contentos. Deinde si in Sanctorum Angelorumve fidem nos conferamus, ubi nos ad se unum Deus vocat, partemque fiduciae, quae tota residere in solo Deo debuerat, transferamus in ipsos, in idololatriam prolabimur: quum scilicet partiamur inter eos, quod sibi Deus in solidum vendicabat.

M. Nunc de orandi ratione tractemus. Sufficitne ad orandum lingua: an mentem etiam et cor requirit oratio?

P. Lingua quidem non semper necessaria est: intelligentia vero et affectu nunquam carere potest vera oratio.

M. Quo mihi argumento hoc probabis?

P. Quandoquidem Deus spiritus est, quum alias semper cor ab hominibus exigit, tum vero in oratione praesertim, qua cum ipso communicant. Quamobrem non nisi iis, qui eum in veritate invocaverint, propinquum se fore pollicetur: (Psal. 145, 18.) ex adverso autem execratur omnes et maledicit, qui per fictionem et non ex animo precantur. (Iesa. 29, 13.)

M. Vanae ergo et nihili erunt preces quaecunque lingua tantum conceptae fuerint?

P. Non id modo: sed Deo etiam summopere displicebunt.

M. Qualem in oratione affectum exigit Deus?

P. Primum, ut inopiam miseriasque nostras sentiamus: utque is sensus moerorem in animis nostris et anxietatem generet: deinde ut vehementi serioque obtinendae a Deo gratiae desiderio aestuemus: quae precandi quoque ardorem in nobis accendant.

M. A nativone hominibus ingenio manat hic affectus, an a Dei gratia illis provenit?

P. Deum hic nobis subvenire necesse est. Nos enim ad

Digitized by Google

utrumque prorsus sumus stupidi. Spiritus Dei est, qui inenarrabiles gemitus excitat in nobis animosque nostros format in haec desideria, quae in oratione requiruntur, ut ait Paulus. (Rom. 8, 25. Gal. 4, 6.)

M. Eone spectat haec doctrina, ut resides et quodammodo oscitantes motum Spiritus expectemus, nec se quisque ad orandum sollicitet?

P. Minime vero. Quin hic potius est finis: ut, dum frigere se et ad orandum pigros vel minus bene comparatos sentiunt fideles, ad Deum protinus confugiant, seque inflammari postulent igneis Spiritus eius aculeis, quo ad orandum reddantur idonei.

M. Non tamen intelligis, nullum in precibus esse linguae usum?

P. Nequaquam. Est enim saepe adiumento ad sublevandam retinendamque mentem, ne tam facile a Deo abstrahatur. Praeterea quum ad illustrandam Dei gloriam creata sit prae aliis membris, totam eius facultatem in hunc usum explicari par est. Adhaec hominem interdum studii vehementia huc impellit, ut praeter consilium lingua in vocem prorumpat.

M. Si ita est, quid proficiunt, qui exotica lingua sibique non intellecta orant?

P. Id vero nihil est aliud, quam cum Deo ludere. Ergo a Christianis facessat haec hypocrisis. (1 Cor. 14, 15.)

M. Verum quum precamur, facimusne id fortuito de successu incerti, an vero constitutum id certo habere nos oportet, exauditum nos iri a Domino?

P. Hoc perpetuum sit orationis fundamentum, exauditum nos iri a Domino, et quicquid petierimus impetraturos, quatenus nobis conducet. Hac ratione docet Paulus, (Rom. 10, 14.) ex fide manare rectam invocationem Dei. Nam rite nemo unquam ipsum invocabit, nisi qui in certa bonitatis eius fiducia prius acquieverit.

M. Quid ergo his fiet, qui haesitantes orant, nec in animis suis statuunt, quid sint orando profecturi, imo incerti sunt, audiantur necne a Deo suae preces?

P. Vanae sunt ac irritae ipsorum preces, quum nulla promissione sint suffultae. Iubemur enim certa fide petere: et promissio additur, quicquid credentes petierimus, id nobis datum iri. (Matth. 21, 22. Marc. 11, 24. Iacob. 1, 6. Psal. 50, 15. et 91, 15. et 145, 18. Iesa. 30, 19. et 65, 1. Ierem. 29, 12. Ioël. 2, 32. Rom. 8, 25. et 10, 13. 1 Tim. 2, 5. 1 Ioan. 2, 1. Hebr. 4, 14. Ioan. 14, 14.)

M. Restat ut videamus, unde nobis tantum confidentiae, ut, quum tot modis indigni simus Dei conspectu, sistere nos tamen coram ipso audeamus.

P. Primum, habemus promissiones, quibus simpliciter, omissa dignitatis nostrae ratione, standum est. Deinde, si filii sumus, animat nos Spiritus eius, atque instigat, ut ad eum, tanquam ad

Digitized by Google

patrem, familiariter nos recipere nihil dubitemus. Ac ne ideo, quod instar vermium sumus et conscientia premimur nostrorum peccatorum, maiestatem eius gloriosam horreamus, mediatorem nobis proponit Christum, quo aditum patefaciente, de obtinenda gratia minime simus anxii.

M. Intelligis non nisi unius Christi nomine invocandum esse Deum?

P. Sio sentio. Nam et disertis verbis ita nobis praecipitur: et additur promissio, facturam sua intercessione, ut consequamur quae petimus.

M. Non ergo temeritatis aut arrogantiae accusandus est, qui, hoc advocato fretus, ad Deum familiariter accedit, et hunc Deo et sibi proponit solum, per quem exaudiatur?

P. Nullo modo. Nam qui sic orat, tanquam ex illius ore preces concipit, quum eius patrocinio adiuvari suam orationem commendarique sciat. (Rom. 8, 33. 15.)

M. Tractemus iam, quid continere fidelium preces debeant. Licetne quicquid in mentem nobis venit a Deo postulare, an certa hic tenenda est regula?

P. Haec vero nimis praepostera esset orandi ratio, indulgere propriis desideriis carnisque iudicio. Nam et rudiores sumus, quam ut possimus iudicare quid nobis expediat, et ea cupiditatum intemperie laboramus, quae freno cohiberi necesse habeat.

M. Quid proinde opus est facto?

P. Hoc restat unum, ut Deus ipse rectam orandi formam nobis praescribat: ut tantum manu ducentem sequamur et quasi verba praecuntem.

M. Quam nobis legem praescripsit?

P. Ampla quidem et copiosa passim in Scripturis huius rei doctrina traditur. Verum, quo certiorem praefigeret scopum, formulam composuit et quasi dictavit, qua, quicquid a Deo petere fas est ac nostra refert, breviter complexus est et in pauca capita digessit.

M. Recita.

P. Rogatus a discipulis Dominus noster Christus, quonam orandum esset modo, respondit: Quum volueritis orare, sic dicite: *Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua in terra, sicut in caelo. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et remitte nobis debita nostra, sicut nos quoque remittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos a malo. Quia tuum est regnum et potentia et gloria in secula. Amen.* (Matth. 6, 9—13. Luc. 11, 2—4.)

M. Quo melius intelligamus quid contineat, eam in capita partiamur.

P. Sex habet partes: quarum tres priores solam Dei glo-

Digitized by Google

riam, non habita nostri ratione, tanquam proprium suum finem; respiciunt; reliquae ad nos utilitatemque nostram spectant.

M. Ergone petendum est a Deo quicquam, unde nihil ad nos boni redeat?

P. Ipse quidem pro infinita sua bonitate sic componit omnia, ut nihil cedat in ipsius gloriam, quin nobis quoque sit salutare. Itaque quum sanctificatur eius nomen, ut nobis quoque in sanctificationem vertatur, efficit: non advenit eius regnum, quin simus quodammodo eius participes. Verum in optandis his omnibus solam eius gloriam, praeterita nostra utilitate, intueri convenit.

M. Nempe, secundum hanc doctrinam, tria haec postulata cum utilitate quidem nostra coniuncta sunt: non tamen in alium scopum collimare debent, quam ut glorificetur Dei nomen.

P. Sic est, atque adeo in reliquis etiam tribus eadem Dei gloria curae nobis esse debet: utcunque iis, quae in rem ac salutem nostram sunt, optandis proprie sint destinata.

M. Nunc ad verborum explicationem pergamus: ac principio, Cur *patris* nomen hic potius, quam aliud quodvis, Deo tribuitur?

P. Quum ad rectam orandi rationem in primis requiratur secura conscientiae fiducia, nomen hoc sibi assumit Deus, quod nihil nisi meram suavitatem sonat: ut, ita excussa ex animis nostris omni anxietate, ad se familiariter implorandum nos invitet.

M. Ergone Deum audebimus sine difficultate recta adire, ut filii parentes solent?

P. Omnino: quin etiam multo certiore obtinendi quod petimus fiducia. Nam, ut admonet Magister, (Matth. 7, 11.) si nos, quum mali simus, non possumus tamen filiis nostris bona negare, nec eos dimittere inanes sustinemus, nec venenum porrigimus illis pro pane: quanto plus beneficentiae a caelesti Patre expectandum est, qui non tantum summe bonus est, sed ipsa etiam bonitas?

M. An non ex hoc quoque nomine argumentum ducere licebit, quo id, quod initio dictum est, preces scilicet universas Christi patrocinio fundatas esse oportere, (Joan. 15, 7. Rom. 8, 15.) comprobetur?

P. Et quidem firmissimum. Neque enim filiorum loco nos habet Deus, nisi quatenus Christi sumus membra.

M. Cur *nostrum* potius in commune patrem nominas Deum, quam *tuum* peculiariter?

P. Potest quidem fidelium unusquisque *suum* vocare; sed communi epitheto ideo usus est Dominus, quo nos ad exercendam in precibus charitatem assuefaceret: ne, aliis neglectis, tantum se quisque curet.

M. Quid sibi vult quae additur particula, Deum esse *in caelis?*

Digitized by Google

P. Perinde est, acsi excelsum, potentem, incomprehensibilem vocarem ipsum.

M. Quorsum id, et qua ratione?

P. Nempe hoc modo sursum mentes, quum eum invocamus, docemur erigere, ne quid de ipso carnale aut terrenum cogitemus, neve eum moduli nostri metiamur captu, ne humilius de ipso aliquid sentientes in obsequium voluntatis nostrae redigere ipsum velimus, sed potius cum timore et reverentia suspicere discamus maiestatem eius gloriosam. Valet etiam hoc ad excitandam confirmandamque nostram in ipso fiduciam: dum caeli dominus ac praeses, qui arbitrio suo regat omnia, praedicatur.

M. Recita mihi primi postulati summam.

P. Per *nomen Dei* scriptura notitiam famamque intelligit, qua inter homines celebratur. Optamus ergo, ut eius gloria ubique et in omnibus provehatur.

M. Verum, accederene quicquam illi potest gloriae, aut decedere?

P. In seipsa nec crescit nec minuitur. Verum illustrari inter homines, ut par est, optamus: ut, quicquid facit Deus, omnia eius opera, ut sunt, ita gloriosa appareant: quo modis omnibus ipse glorificetur.

M. In secunda petitione, quid per *Dei regnum* intelligis?

P. Duobus potissimum membris constat. Ut electos Spiritu gubernet suo: ut reprobos, qui se illi in obsequium tradere recusant, prosternat et exitio tradat: ut ita palam fiat, nihil esse, quod resistere eius virtuti queat.

M. Qualiter, regnum hoc ut veniat, precaris?

P. Ut fidelium numerum in dies augeat Dominus, ut novis subinde Spiritus sui donis eos cumulet, donec prorsus impleverit. Adhaec ut suam veritatem ad discutiendas Satanae tenebras magis lucidam conspicuamque reddat: ut iustitiam suam proferendo iniquitatem omnem aboleat.

M. Nonne quotidie fiunt haec omnia?

P. Fiunt eo modo, ut inchoatum dici possit regnum Dei. Optamus ergo, ut assidue crescat ac provehatur: donec ad summum fastigium pervenerit: quod ultimo demum die futurum speramus: quo Deus solus, omnibus creaturis in ordinem coactis, exaltabitur et eminebit: adeoque erit omnia in omnibus. (1 Cor. 15, 28.)

M. Quod petis, ut *Dei voluntas fiat*, quem id habet sensum?

P. Ut in eius obsequium subigantur creaturae omnes, pendeantque ita ex eius nutu, ne quid nisi ipsius arbitrio fiat.

M. Ergone fieri quicquam praeter eius voluntatem posse sentis?

P. Non optamus tantum, ut, quod decrevit apud se, eveniat; sed etiam ut, domita subiugataque omni contumacia,

Digitized by Google

omnes omnium voluntates suae subiiciat et in eius obedientiam componat.

M. An non ita precando propriis voluntatibus cedimus?

P. Omnino: neque in hunc tantum finem, ut, quaecunque cum sua voluntate pugnant in nobis desideria, irrita faciat; sed etiam ut novas in nobis mentes novaque corda formet: ne quid velimus ipsi a nobis, sed Spiritus potius eius votis nostris praesit, ut plenam habeant cum Deo consensionem.

M. Cur id in terra fieri optas, *sicut in caelo?*

P. Quoniam hoc unum propositum habent sancti Angeli, qui caelestes sunt eius creaturae, ut illi in omnibus obsequantur, sintque semper et dicto audientes et ad obeunda obsequia ultro parati: talem obediendi propensionem hominibus opto, ut se quisque illi in voluntariam subiectionem prorsus addicat.

M. Nunc ad secundam partem veniamus. Quid tibi significat *quotidianus*, quem petis, *panis?*

P. In universum quicquid ad tuendam praesentem vitam facit: non alendo tantum aut vestiendo, sed praebendis quoque aliis omnibus adminiculis, quibus sustinentur externae vitae necessitates: quo panem nostrum, quatenus expedire Dominus novit, tranquilli comedamus.

M. Cur autem tibi a Deo *donari* optas, quod nos labore nostro parare iubet?

P. Tametsi victus parandi causa laborandum, ac etiam sudandum nobis est: non labore tamen nostro, non industria, non sedulitate alimur; sed una Dei benedictione, qua labor ipse manuum nostrarum prosperatur, futurus alioqui inanis. Praeterea sic habendum est: etiam quum ciborum copia nobis ad manum suppetit, illisque vescimur, non illorum tamen substantia, sed sola Dei virtute nos ali. Neque enim vim eiusmodi habent a natura ingenitam; sed Deus e caelo tanquam beneficentiae suae organis administrat. (Deut. 8, 3. Matth. 4, 4.)

M. Atqui *tuum* quo iure *panem* vocas, quum tibi a Deo postules dari?

P. Nempe, quia Dei beniguitate fit noster, utcunque nobis minime debeatur. Admonemur etiam hoc verbo, ab alieno pane appetendo nobis temperare, contentosque eo esse, qui legitima ratione tanquam ex Dei manu ad nos pervenerit.

M. Quotidianum, cur addis et *hodie?*

P. His duabus particulis ad moderationem instituimur ac continentiam, ne modum necessitatis vota nostra excedant.

M. Quum haec communis omnium esse debeat precatio, qui fieri potest, ut divites, qui domi abundant repositamque in longum tempus annonam habent, sibi petant in diem dari?

P. Hoc divites peraeque ac pauperes constitutum habere oportet, nihil eorum, quae habent, sibi profuturum, nisi quatenus et usum illis concesserit Deus, et sua gratia effecerit, ut

Digitized by Google

usus ipse fructuosus sit et efficax. Itaque omnia possidendo nihil habemus, nisi quatenus in singulas horas ex manu Dei percipimus, quantum nobis necesse satisque est.

M. Quid continet quintum postulatum?

P. *Ut peccata nobis ignoscat Dominus.*

M. Nemone reperietur mortalium tam iustus, qui hac venia non indigeat?

P. Nemo prorsus. Hanc enim precandi formam quum Apostolis suis dedit Christus, universae Ecclesiae destinavit. Quamobrem qui se hac necessitate eximere volet, e societate fidelium exeat oportet. Et sane audimus, quid Scriptura testetur: nempe, *qui in uno purgare se coram Deo contendet, deprehensum iri in mille reum.* (Job. 9, 3.) Unicum ergo omnibus ad eius misericordiam perfugium restat.

M. Quomodo peccata nobis remitti existimas?

P. Sicut ipsa Christi verba sonant: Esse debita scilicet, quae obstrictos aeternae mortis reatu nos teneant, donec mera sua liberalitate nos Deus liberet.

M. Gratuita igitur Dei misericordia peccatorum veniam obtinere nos dicis?

P. Omnino. Nam si unius vel minimi peccati redimenda sit poena, nos satisfaciendo nequaquam erimus. Omnia igitur gratuito ignoscat et condonet necesse est.

M. Quid ex hac remissione utilitatis ad nos redit?

P. Tum illi perinde accepti sumus, acsi iusti essemus et innocentes; simulque paternae eius benevolentiae fiducia, unde nobis certa salus, conscientiis nostris confirmatur.

M. Haec quae apponitur conditio: ut nobis remittat, *sicut nos remittimus debitoribus nostris:* num mereri nos a Deo veniam significat, hominibus, si quid in nos peccarunt, ignoscendo?

P. Minime. Sic enim iam gratuita remissio non foret, nec sola Christi satisfactione, qua in cruce pro nobis defunctus est, sicuti par est, fundata. Verum, quia irrogatas nobis iniurias obliviscendo, dum eius clementiam ac bonitatem imitamur, re ipsa nos eius filios esse demonstramus: hac ideo tessera confirmare nos voluit: et simul ex adverso ostendere, nisi faciles nos ad ignoscendum et flexibiles praebuerimus, nihil esse aliud a se expectandum, quam summum et inexorabilem severitatis rigorem.

M. Hic ergo abdicari a Deo expungique filiorum loco dicis omnes, qui offensiones ex animo deponere non possunt: ne quem sibi in caelo veniae locum fore confidant.

P. Ita sentio, ut impleatur illud: Remensum cuique iri eadem mensura, qua erga alios usus fuerit.

M. Quid postea sequitur?

P. *Ne nos Dominus in tentationem inducat, sed a malo potius liberet.*

Digitized by Google

M. Hoc totumne in unam petitionem includis?

P. Non nisi una est petitio. Posterius enim membrum prioris explicatio est.

M. Quid summatim continet?

P. Ne ruere nos aut labi in peccatum Dominus sinat: ne diabolo nos carnisque nostrae cupiditatibus, quae assiduum nobiscum bellum gerunt, vincendos permittat: quin potius sua nos ad resistendum virtute instruat, sustineat nos manu sua, praesidio suo muniat ac tegat: ut ita sub fide tutelaque eius in tuto habitemus.

M. Quo autem modo id fit?

P. Quum eius Spiritu gubernati tali iustitiae amore desiderioque imbuimur, quo peccatum, carnem et Satanam superemus: tali rursum odio peccati, quod nos a mundo segregatos in pura sanctitate contineat. In spiritus enim virtute victoria nostra consistit.

M. Habentne omnes opus hoc auxilio?

P. Et quis carere posset? Imminet enim perpetuo nobis diabolus, circuitque instar leonis rugientis quaerens quem devoret. (1 Petr. 5, 8.) Nos vero, qua sumus imbecillitate, statim concideremus: imo singulis momentis actum de nobis foret, nisi Deus nos ad pugnam instrueret suis armis, manuque sua roboraret.

M. Quid tibi significat *tentationis* nomen?

P. Astus fallaciasque Satanae, quibus nos continenter adoritur, et facile protinus circumveniret, nisi Dei ope adiuvaremur. Nam et mens nostra, pro nativa sua vanitate, obnoxia eius dolis; et ut propensior est semper voluntas nostra in malum, protinus illi succumberet.

M. Verum, cur deprecaris, ne te in tentationem inducat Deus, quod Satanae proprium, non autem Dei videtur?

P. Sicut fideles protectione sua tuetur Deus, ne aut fraudibus opprimantur Satanae aut a peccato superentur: ita quos vult punire, non modo destituit sua gratia, sed etiam Satanae tyrannidi tradit, caecitate percutit, et coniicit in reprobam mentem: ut prorsus sint peccato mancipati, et expositi ad omnes tentationum insultus.

M. Quid sibi vult haec, quae adiecta est, clausula: *Quoniam tuum est regnum, tua potentia et gloria in secula seculorum*?

P. Iterum hic admonemur, Dei magis potentia et bonitate suffultas esse preces nostras, quam ulla nostri fiducia. Praeterea Dei laudibus preces omnes nostras claudere docemur.

M. Nihilne fas est a Deo petere, quam quod est hac formula comprehensum?

P. Tametsi verbis aliis alioque modo liberum est precari: sic tamen habendum est, nullam Deo placere orationem posse, quae non huc, tanquam ad unicam rite orandi normam, referatur.

Digitized by Google

## [IV.] DE VERBO DEI.

**M.** Iam instituta a nobis ordinis ratio postulat, ut de quarta cultus Dei parte agamus.

**P.** Hanc in eo sitam esse diximus, ut Deum agnoscamus bonorum omnium auctorem, eiusque bonitatem, iustitiam, sapientiam, potentiam, laude et gratiarum actione prosequamur: quo in solidum bonorum omnium gloria penes ipsum resideat.

**M.** Nullamne huius partis regulam praescripsit?

**P.** Quicquid laudum eius extat in Scripturis, pro regula nobis esse debet.

**M.** Nihilne habet oratio Dominica, quod huc pertineat?

**P.** Nempe, quum optamus sanctificari eius nomen, hoc optamus, ut omnibus eius operibus sua constet gloria. Ut sive peccatoribus ignoscat, misericors; sive vindictam exerceat, iustus; sive praestet suis quod promisit, verax conseatur. Denique ut, quicquid operum eius cernimus, ad eum glorificandum nos excitet. Hoc vero est, bonorum illi omnium laudem tribuere.

**M.** Quid tandem ex iis, quae hactenus tractata sunt a nobis, colligemus?

**P.** Quod scilicet veritas ipsa docet, et ego initio proposui: *hanc esse vitam aeternam, unum verum Deum nosse patrem, et quem misit Iesum Christum.* (Ioan. 17, 3.) Illum, inquam, nosse, ut debitum ei honorem cultumque exhibeamus, utque nobis non Dominus tantum sit, sed etiam Pater ac Servator, nosque illi vicissim filii simus et servi, et proinde vitam nostram illustrandae eius gloriae dedicemus.

**M.** Qua via ad tantum bonum pervenitur?

**P.** In hunc finem, sacrum suum Verbum nobis reliquit. Est enim spiritualis doctrina, quaedam veluti ianua, qua ingrodimur in caeleste eius regnum.

**M.** Ubinam quaerendum nobis est hoc Verbum?

**P.** In Scripturis sanctis, quibus continetur.

**M.** Ut fructum inde percipias, qualiter eo utendum est?

**P.** Si ipsum solida cordis persuasione amplectimur, non secus ac certam veritatem e caelo profectam: si nos illi dociles praebemus, si voluntates mentesque nostras in eius obsequium subiicimus: si amamus ipsum ex animo: si cordibus nostris semel insculptum, fixas illic radices habet, ut fructum proferat in vita: si denique formamur ad eius regulam, tum nobis in salutem, sicuti destinatum est, cedet.

**M.** Suntne omnia haec in facultate nostra posita?

**P.** Nihil ipsorum prorsus: sed unius Dei est hoc totum, quod retuli, in nobis efficere Spiritus sui gratia.

**M.** Verum, annon adhibenda est a nobis diligentia, et omni studio enitendum, legendo, audiendo, meditando, ut eo proficiamus?

Digitized by Google

P. Imo vero: quum se quisque privatim quotidiana lectione exerceat: tum vero simul omnes praecipue sedulo conciones frequentent, ubi salutis doctrina in coetu fidelium explicatur.

M. Negas ergo esse satis, si domi seorsum singuli legant, nisi omnes simul in commune ad eandem doctrinam audiendam conveniant?

P. Convenire necesse est, ubi licet, hoc est, quum facultas datur.

M. Poterisne mihi hoc probare?

P. Sufficere ad probationem abunde nobis debet una Domini voluntas. Hunc autem ordinem Ecclesiae suae commendavit, non quem duo aut tres duntaxat servarent, sed cui subessent communiter omnes. Adhoc, illius tum aedificandae tum conservandae hanc esse unicam rationem pronunciat. Sit ergo haec nobis sancta et inviolabilis regula: nec sibi fas quisquam esse ducat, supra magistrum sapere.

M. Estne igitur necesse, praeesse Ecclesiis pastores?

P. Quin etiam necesse est audire ipsos, et quam proponunt Christi doctrinam, ex eorum ore cum timore et reverentia excipere. Itaque qui ipsos contemnit audireve detrectat, Christum contemnit, ac discessionem facit a societate fidelium. (Matth. 10, 40.)

M. Verum, semelne a pastore suo fuisse institutum satis est homini Christiano, an cursum hunc tota vita tenere debet?

P. Coepisse parum est, nisi perseveres. Christi enim discipulos usque in finem vel potius sine fine esse nos oportet. Hanc vero functionem mandavit Ecclesiae ministris, ut suo nos loco et nomine doceant.

## [V.] DE SACRAMENTIS.

M. Non est aliud a Verbo medium, ut loquuntur, quo se nobiscum Deus communicet?

P. Verbi praedicationi adiunxit Sacramenta.

M. Quid est *Sacramentum?*

P. Externa divinae erga nos benevolentiae testificatio, quae visibili signo spirituales gratias figurat, ad obsignandas cordibus nostris Dei promissiones, quo earum veritas melius confirmetur.

M. Tantane vis subest visibili signo, ut conscientias in salutis fiducia stabiliat?

P. Id quidem a seipso non habet, sed ex Dei voluntate, propterea quod sit in hunc finem institutum.

M. Quum propriae sint Spiritus sancti partes, Dei promissiones in animis nostris obsignare, hoc tu Sacramentis quomodo tribuis?

P. Longum est inter illum et hacc discrimen. Movere enim et afficere corda, illuminare mentes, conscientias reddere certas ac tranquillas, solius re vera Spiritus est, ut id totum

Digitized by Google

censeri proprium ipsius opus debeat, illique acceptum referri, ne laus alio transferatur: minime tamen hoc obstat, quominus Sacramentis Deus utatur, tanquam secundis organis, eaque in usum adhibeat, prout visum fuerit: idque sic faciat, ne quid Spiritus virtuti derogetur.

M. Vim ergo efficaciamque Sacramenti non in externo elemento inclusam esse existimas: sed totam a Spiritu Dei manare?

P. Sic sentio: nempe, ut virtutem suam exercere Domino placuerit per sua organa, quem in finem ea destinavit. Quod quidem ita facit, ut Spiritus sui virtuti nihil detrahat.

M. Potesne mihi, cur ita agat, rationem reddere?

P. Hoc scilicet modo infirmitati nostrae consulit. Nam si spirituales essemus toti, Angelorum instar spiritualiter tum eum tum ipsius gratias possemus intueri. Verum, ut hac terreni corporis mole circumdati sumus, figuris indigemus vel speculis, quae nobis spiritualium caelestiumque rerum aspectum terreno quodam modo exhibeant. Neque enim aliter eo perveniremus. Simul etiam nostra interest, in Dei promissionibus exerceri sensus omnes nostros, quo melius nobis confirmentur.

M. Si verum est, ideo instituta esse a Deo Sacramenta, ut subsidia necessitatis nostrae forent, annon arrogantiae damnari merito deberet, si quis iudicaret, illis se, tanquam non necessariis posse carere?

P. Omnino. Atque adeo si quis illorum usu sponte abstineat, acsi opus non haberet, Christum contemnit, ipsius respuit gratiam, et Spiritum extinguit.

M. Verum, qualis ex Sacramentis fiducia ad stabiliendas conscientias, et quam certa securitas concipi potest, quibus utuntur promiscue boni et mali?

P. Quanquam oblata sibi in Sacramentis, Dei dona, in nihilum, ut ita dicam, redigunt impii, quantum ad ipsos spectat, non tamen propterea efficiunt, quin sua vis et natura Sacramentis maneat.

M. Quo igitur modo, et quando usum Sacramentorum sequitur effectus?

P. Quum ea fide recipimus, Christum in illis solum eiusque gratiam quaerentes.

M. Cur illic quaerendum esse Christum dicis?

P. Intelligo non esse visibilibus signis inhaerendum, ut salutem inde petamus, vel affixam illic conferendae gratiae virtutem imaginemur ac inclusam: quin potius adminiculi loco habendum esse signum, quo recta ad Christum dirigamur, salutem ab ipso et solidam felicitatem petituri.

M. Quum ad eorum usum requiratur fides: qui nobis in fidei confirmationem data esse dicis, ut nos de promissionibus Dei reddant certiores?

P. Fidem in nobis semel inchoatam esse nequaquam sufficit,



Digitized by Google

nisi continenter alatur, et magis in dies magisque augescat. Ad eam ergo tum alendam tum roborandam tum provehendam Sacramenta instituit Dominus. Quod quidem significat Paulus, (Rom. 4, 11.) quum ad obsignandas Dei promissiones valere tradit.

M. Verum, nonne hoc infidelitatis indicium est, non habere Dei promissionibus solidam fidem, nisi aliunde nobis confirmentur?

P. Fidei certe imbecillitatem hoc arguit, qua filii etiam Dei laborant, qui tamen fideles propterea esse non desinunt; licet fide praediti sint exigua adhuc et imperfecta. Quamdiu enim versamur in hoc mundo, haerent semper in carne nostra diffidentiae reliquiae, quas aliter excutere non possumus, quam continuo usque ad vitae finem profectu. Ulterius ergo semper progredi necesse est.

M. Quot sunt Christianae Ecclesiae Sacramenta?

P. Duo sunt omnino, quorum communis sit inter omnes fideles usus.

M. Quae sunt illa?

P. *Baptismus* et *sacra Coena.*

M. Quid vero simile inter se habent vel diversum?

P. Baptismus veluti quidam in Ecclesiam aditus nobis est. Illic enim testimonium habemus, nos, quum alioqui extranei alienique simus, in Dei familiam recipi, ut inter eius domesticos censeamur. Coena vero testatur, Deum se nobis, animas nostras alendo, Patrem exhibere.

M. Quo clarius nobis innotescat utriusque veritas: de utroque seorsum tractemus. Primum: Quae est Baptismi significatio?

P. Ea duas partes habet. Nam ibi *remissio peccatorum*, deinde *spiritualis regeneratio* figuratur. (Eph. 5, 26. Rom. 6, 4.)

M. Quid similitudinis inest aquae cum his rebus, ut eas repraesentet?

P. Peccatorum quidem remissio species est lavacri, quo animae suis maculis absterguntur: non secus atque aqua abluuntur corporis sordes.

M. Quid de regeneratione?

P. Quoniam eius initium est naturae nostrae mortificatio: finis vero ut novae creaturae simus, in eo nobis proponitur mortis figura, quod capiti aqua iniicitur: novae autem vitae, in eo quod non manemus sub aqua demersi, sed ad momentum duntaxat subimus tanquam in sepulchrum, ut statim emergamus.

M. Num aquam esse animae lavacrum censes?

P. Nequaquam. Hunc enim honorem eripere Christi sanguini nefas est, qui ideo effusus fuit, ut, abstersis omnibus nostris maculis, puros coram Deo et impollutos nos redderet. (1 Petr. 1, 19. 1 Ioan. 1, 7.) Atque huius quidem purgationis fructum percipimus, quum sacro illo sanguine conscientias nostras Spiritus sanctus aspergit. Obsignationem vero in Sacramento habemus.

Digitized by Google

M. Verum, annon aliud aquae tribuis, nisi ut ablutionis tantum sit figura?

P. Sic figuram esse sentio, ut simul annexa sit veritas. Neque enim, sua nobis dona pollicendo, nos Deus frustratur. Proinde et peccatorum veniam et vitae novitatem offerri nobis in Baptismo, et recipi a nobis certum est.

M. An promiscue in omnibus impletur haec gratia?

P. Multi dum illi sua pravitate viam praecludunt, efficiunt, ut sibi sit inanis. Ita non nisi ad fideles solos pervenit fructus. Verum, inde nihil Sacramenti naturae decedit.

M. Regeneratio autem unde?

P. A morte Christi et resurrectione simul. Haec enim vis subest eius morti, ut per eam crucifigatur vetus homo noster, et naturae nostrae vitiositas quodammodo sepeliatur, ne amplius vigeat in nobis. Quod autem reformamur in novam vitam ad obediendum Dei iustitiae, id est resurrectionis beneficium.

M. Quomodo per Baptismum nobis haec bona conferuntur?

P. Quia nisi promissiones illic nobis oblatas respuendo infructuosas reddimus, vestimur Christo eiusque Spiritu donamur.

M. Nobis vero quid agendum est, ut rite Baptismo utamur?

P. Rectus Baptismi usus in fide et poenitentia situs est: hoc est, ut statuamus primum certa animi fiducia, nos ab omnibus maculis Christi sanguine purgatos Deo placere; deinde ut Spiritum eius sentiamus ipsi in nobis habitare, atque id operibus apud alios declaremus; utque assidue nos in meditanda tum carnis mortificatione tum iustitiae Dei obedientia exerceamus.

M. Si haec requiruntur ad legitimum Baptismi usum, qui fit ut *infantes* baptizemus?

P. Non est necesse, ut Baptismum semper fides et poenitentia praecedant; sed ab iis tantum exiguntur, qui per aetatem iam sunt utriusque capaces. Satis ergo fuerit, si infantes, postquam adoleverint, Baptismi sui vim exerant.

M. Poterisne ratione demonstrare, nihil esse in ea re absurdi?

P. Sane. Si mihi concessum fuerit, nihil Dominum instituisse, quod sit a ratione dissentaneum. Nam quum *Circumcisionem* poenitentiae signum fuisse Moses (Deut. 30, 6.) et omnes Prophetae (Ierem. 4, 4.) doceant, fidei etiam sacramentum, teste Paulo, (Rom. 4, 11.) fuerit: videmus tamen, ut infantes ab ea non excluserit.

M. Sed eademne causa, quae in Circumcisione valuit, nunc ad Baptismum admittendi sunt?

P. Prorsus eadem: quum promissiones, quas olim Deus populo Israelitico dederat, nunc sint per totum orbem publicatae.

M. Atqui num inde colligis signum quoque usurpandum esse?

P. Qui bene utrimque expendet omnia, hoc consequi animadvertet. Neque enim eius gratiae, quae Israeli ante collata fuerat, hac lege nos participes fecit Christus, ut vel obscurior erga



Digitized by Google

nos esset, vel aliqua ex parte imminuta. Quin potius, et luculentius eam in nos et abundantius effudit.

M. Putasne, si a Baptismo arceantur infantes, quicquam propterea Dei gratiae decedere, ut dici possit Christi adventu fuisse imminuta?

P. Id quidem evidenter patet. Signo enim sublato, quod ad testandam Dei misericordiam et confirmandas promissiones plurimum valet, deesset nobis eximia consolatio, qua fruebantur veteres.

M. Sic ergo sentis: quum Deus sub veteri Testamento, ut se Patrem parvulorum ostenderet, salutis promissionem in eorum corporibus insculptam esse voluerit signo visibili, indignum fore, si minus confirmationis a Christi adventu habeant fideles: quando et eadem hodie nobis promissio destinatur, quae olim Patribus, et clarius bonitatis suae specimen nobis in Christo exhibuit Deus.

P. Sic sentio. Praeterea quum satis constet, vim substantiamque, ut ita loquar, Baptismi, infantibus esse communem: si illis negaretur signum, quod veritate est inferius, aperta illis iniuria fieret.

M. Qua ergo conditione baptizandi sunt infantes?

P. Ut testatum fiat, benedictionis fidelium semini promissae ipsos esse haeredes; ut agnita, postquam adoleverint, Baptismi sui veritate, fructum ex eo percipiant ac proferant.

M. Transeamus ad *Coenam*. Ac primo quidem ex te scire velim, quae sit eius significatio?

P. Ideo a Christo instituta est, ut corporis et sanguinis sui communicatione educari in spem vitae aeternae animas nostras nos doceret, idque nobis certum redderet.

M. Cur autem *pane* corpus, *vino* sanguis Domini figuratur?

P. Nempe hinc docemur, quam vim habet panis in nutriendis corporibus, ad sustinendam praesentem vitam, eandem corpori Domini inesse, ad alendas spiritualiter animas. Sicuti vino exhilarantur hominum corda, reficiuntur vires, totus homo roboratur: ita ex Domini sanguine eosdem ab animis nostris usus percipi.

M. Ergone corpore Domini et sanguine vescimur?

P. Ita sentio. Num quum in eo sita sit tota salutis nostrae fiducia, ut accepta nobis feratur obedientia ipsius, quam Patri praestitit, perinde acsi nostra foret: ipsum a nobis possideri necesse est. Neque enim bona nobis sua aliter communicat, nisi dum se nostrum facit.

M. Atqui, nonne tunc se dedit, quum se exposuit in mortem, ut nos a mortis iudicio redemptos Patri reconciliaret?

P. Id quidem verum est: sed non satis est nobis, nisi eum nunc recipiamus: quo mortis eius efficacia fructusque ad nos perveniat.

M. Recipiendi porro modus an non fide constat?

P. Fateor. Sed hoc simul addo, fieri id, dum non solum mortuum credimus, quo nos a morte liberaret: et suscitatum, quo

Digitized by Google

nobis vitam acquireret: sed in nobis habitare agnoscimus, nosque illi coniunctos esse eo unitatis genere, quo membra cum capite suo cohaerent: ut huius unitatis beneficio omnium eius bonorum participes fiamus.

M. Numquid hanc communionem per solam Coenam obtinemus?

P. Imo vero. Nam et per Evangelium, teste Paulo, (1 Cor. 1, 6.) nobis communicatur Christus; et merito hoc Paulus docet: quum illic audiamus, nos carnem esse de carne eius et ossa ex ossibus; (Eph. 5, 30.) ipsum esse panem vivum, qui e caelo ad nutriendas animas nostras descendit; (Ioan. 6, 51.) nos unum esse cum ipso, sicuti cum Patre unum est; (Ioan. 17, 21.) et similia.

M. Quid amplius ex Sacramento consequimur, aut quid praeterea utilitatis nobis confert?

P. Hoc scilicet: quod illa, de qua dixi, communicatio nobis confirmatur et augetur. Tametsi enim tum in Baptismo tum in Evangelio nobis exhibetur Christus: eum tamen non recipimus totum, sed ex parte tantum.

M. Quid ergo in symbolo panis habemus?

P. Corpus Christi, ut semel pro nobis ad nos Deo reconciliandos immolatum fuit, ita nunc quoque nobis dari: ut certo sciamus, reconciliationem ad nos pertinere.

M. Quid in vini symbolo?

P. Christum, ut suum sanguinem semel in peccatorum satisfactionem pretiumque redemptionis nostrae effudit, ita nunc eum nobis bibendum porrigere, ut fructum, qui inde pervenire ad nos debet, sentiamus.

M. Secundum has duas responsiones, sacra Domini Coena ad eius mortem nos amandat, ut eius virtuti communicemus?

P. Omnino; tunc enim unicum perpetuumque sacrificium, quod in salutem nostram sufficeret, peractum est. Proinde nihil restat amplius, nisi ut ipso fruamur.

M. Ergo non in hunc finem instituta est Coena, ut Deo Filii sui corpus offeratur?

P. Minime. Solus enim ipse, quum aeternus sit Sacerdos; (Hebr. 5, 5. 10.) hanc praerogativam habet. Atque hoc sonant eius verba, quum ait: *Accipite et manducate.* (Matth. 26, 29.) Neque enim ut offeramus corpus suum, sed tantum, ut eo vescamur, illic praecipit.

M. Cur duobus utimur signis?

P. In eo Dominus infirmitati nostrae consuluit, quo nos familiarius doceret, se non cibum modo animis nostris, sed potum quoque esse, ne alibi quam in eo solo ullam spiritualis vitae partem quaeramus.

M. An utroque uti peraeque omnes absque exceptione debent?

P. Ita fert Christi mandatum: cui ullo modo derogare, aliquid contra tentando, summum est nefas.

Digitized by Google

M. Solamne eorum, quae dixisti, beneficiorum significationem habemus in Coena, an illic re ipsa nobis exhibentur?

P. Quum Dominus noster Christus ipsa sit veritas, minime dubium est, quin promissiones, quas dat illic nobis, simul etiam impleat: et figuris suam addat veritatem. Quamobrem non dubito, quin sicuti verbis ac signis testatur, ita etiam suae nos substantiae participes faciat, quo in unam cum eo vitam coalescamus.

M. Verum qui hoc fieri potest, quum in caelo sit Christi corpus: nos autem in terra adhuc peregrinemur?

P. Hoc mirifica arcanaque Spiritus sui virtute efficit: cui difficile non est sociare, quae locorum intervallo alioqui sunt disiuncta.

M. Ergo nec corpus in pane inclusum esse, nec sanguinem in calice imaginaris?

P. Nequaquam. Quin potius ita sentio, ut veritate potiamur signorum, erigendas esse in caelum mentes, ubi Christus est, et unde eum expectamus iudicem et redemptorem: in his vero terrenis elementis perperam et frustra quaeri.

M. Ut in summam colligamus quae dixisti: duas in Coena res esse asseris: nempe, panem et vinum, quae oculis cernuntur, attrectantur manibus, percipiuntur gustu: deinde Christum, quo interius animae nostrae, tanquam proprio suo alimento, pascuntur.

P. Verum, et eo quidem usque, ut corporum etiam resurrectio illic nobis, quasi dato pignore, confirmetur: quum et ipsa vitae symbolo communicent.

M. Quis autem rectus erit huius Sacramenti ac legitimus usus?

P. Qualem Paulus (1 Cor. 11, 28.) definit: Ut probet seipsum homo, priusquam eo accedat.

M. Quidnam in hac probatione inquiret?

P. Num verum sit Christi membrum.

M. Quibus ad eius rei notitiam argumentis perveniet?

P. Si vera sit poenitentia fideque praeditus: si proximos sincero amore prosequatur: si animum ab omni odio malevolentiaque purum habeat.

M. Num perfectam in homine tum fidem tum charitatem exigis?

P. Utramque sane integram et ab omni fuco vacuam esse convenit. Verum frustra exigatur tam absoluta numeris omnibus perfectio, in qua nihil desideretur, quando tanta nunquam in homine inveniri poterit.

M. Non ergo ab accessu nos arcet imperfectio, qua adhuc laboramus.

P. Quin potius, si perfecti essemus, nullum amplius usum inter nos haberet Coena: quae sublevandae nostrae imbecillitati adminiculum esse debet ac imperfectionis subsidium.

M. Nullumne praeterea alium finem propositum habent haec duo Sacramenta?

P. Sunt etiam professionis nostrae notae, et quasi tesserae

Digitized by Google

quaedam. Illorum enim usu fidem apud homines nostram profitemur, et testamur nos unum habere in Christo religionis consensum.

M. Si quempiam contingeret eorum usum aspernari, quo loco habendus esset?

P. Haec vero obliqua esset Christi abnegatio. Certe qui talis est, quum se Christianum confiteri non dignetur, indignus est, qui inter Christianos censeatur.

M. Satisne est, in totam vitam utrumque semel recepisse?

P. Usque adeo sufficit unus Baptismus, ut repetere fas non sit. Coenae autem diversa est ratio.

M. Quod est discrimen illud?

P. Per Baptismum nos adoptat, et in Ecclesiam suam allegit Dominus, ut pro domesticis nos exinde habeat. Postquam nos adscripsit in numerum suorum, per Coenam testatur, de nobis continenter alendis curam se habere.

M. Promiscuene ad omnes pertinet tam Baptismi quam Coenae administratio?

P. Nequaquam: sed eorum, quibus mandatum est publicum docendi munus, propriae sunt istae partes. Sunt enim res inter se perpetuo nexu coniunctae, pascere Ecclesiam salutis doctrina, et Sacramenta administrare.

M. Possisne mihi Scripturae testimonio id comprobare?

P. Baptizandi quidem mandatum Christus peculiariter Apostolis dedit. (Matth. 28, 19.) In Coenae celebratione exemplum suum iussit nos sequi. (Luc. 22, 19.) Referunt autem Evangelistae, ipsum in ea distribuenda publici ministri fecisse officium.

M. Verum, debentne pastores, quibus commissa est dispensatio, passim omnes et absque delectu committere?

P. Quod ad Baptismum pertinet, quia non nisi infantibus hodie confertur, discretio locum non habet. In Coena vero cavere debet minister, ne cui ipsam porrigat, quem indignum esse palam constet.

M. Cur id?

P. Quia non sine contumelia et profanatione Sacramenti fieret.

M. Atqui, nonne Iudam, quamlibet impius esset, eius communione dignatus est Christus?

P. Fateor: quum adhuc occulta foret eius impietas. Tametsi enim Christum non latebat, (Matth. 26, 25.) nondum tamen prodierat in lucem notitiamque hominum.

M. Quid ergo hypocritis fiet?

P. Eos, tanquam indignos, arcere pastor non potest; sed supersedere debet, quousque eorum nequitiam, ut omnibus innotescat, Deus revelaverit.

M. Quid si quempiam ipse indignum noverit, aut fuerit admonitus?

P. Ne quidem ad eos communione abdicandos foret satis, nisi legitima cognitio Ecclesiaeque iudicium accedat.

Digitized by Google

M. Certum ergo gubernationis ordinem constitutum in Ecclesiis operaepretium est.

P. Verum est: nec enim aliter bene moratae sunt, nec rite compositae. Haec autem ratio est, ut deligantur seniores, qui morum censurae praesint cavendisque offendiculis invigilent; et quos agnoverint recipiendae Coenae nequaquam esse capaces, nec admitti quidem posse quin Sacramentum polluatur, eos a communione reiiciant.

## [Appendix.]

## [a.] PRECATIONES ALIQUOT PIAE.

### [1.] *Precatio matutina.*

Deus mi, Pater mi et Servator, qui gratia erga me tua effecisti, ut transacta nocte ad hunc diem pervenirem: fac etiam, ut ipsum totum in sanctissimi numinis tui cultu et veneratione consumam. Nihil omnino aut cogitem aut dicam aut faciam, quod eo non tendat, ut tibi obsequar et voluntati tuae morem geram: quo scilicet actiones omnes meae referantur ad gloriam nominis tui atque fratrum meorum salutem, dum exemplo meo ad te colendum instruentur. Atque ut mundum hunc, ad vitae externae usus, Solis tui splendore illuminas, ita fulgore Spiritus tui mentem meam illustra, qui me in via iustitiae tuae dirigat. Quamcunque ad rem applicem animum meum, is mihi semper sit propositus finis, ut tibi honorique tuo inserviam. Omnem felicitatem a gratia et beneficentia tua sola expectem. Nec quicquam omnino aggrediar, quod tibi gratum non sit. Effice praeterea, ut, dum huius vitae tuendae causa laboro et ea curo quae ad victum et cultum corporis pertinent, altius tamen erigam animum, ad beatam nempe et caelestem vitam, quam filiis tuis promisisti. Nihilominus, tam animae quam corporis protectorem te mihi exhibendo, adversus omnes Satanae insultus me confirmes ac munias, et ab omnibus periculis, quae nobis assidue in hac vita impendent, liberes. Adhaec quum parum sit coepisse, nisi perseverem, ideo a te peto Domine, ne mihi in hodiernum diem tantum dux sis ac rector, sed usque ad vitae finem me in tuam fidem suscipias, quo sub tuis auspiciis totus vitae meae cursus transigatur. Et quia proficiendum nobis est, gratiae in me tuae dona adauge indies, tantisper dum penitus adhaeream Filio tuo, Iesu Christo, quem verum Solem lucentem perpetuo in animis nostris merito appellamus. Quae tot tantaque beneficia ut abs te obtineam, obliviscere delictorum meorum, eaque infinita misericordia tua remitte: quod te facturum promisisti iis, qui te ex animo invocaverint, Amen.

Fac ut mane audiam pietatem tuam, quoniam in te speravi. Ostende mihi viam in qua ambulem, quoniam ad te levavi animam meam.

Digitized by Google

Libera me de inimicis meis, Domine, ad te confugi. Doce me, ut faciam voluntatem tuam, quia tu es Deus meus. Spiritus tuus bonus deducat me in terra recta. (Psal. 143, 8.)

## [2.] *Quum adeunda est Schola.*

In quo instituet adolescens viam suam? Si prudenter se gerat iuxta sermones tuos. Ex animo te exquisivi, ne sinas me aberrare a praeceptis tuis. (Psal. 119, 9.)

Domine, qui fons es sapientiae omnis et doctrinae: quando pro singulari tua bonitate hoc mihi praestas, ut bonis artibus imbuatur haec mea pueritia, quae mihi ad sancte honesteque vivendum sint adiumento: mentem quoque meam, quae caecitate alioqui laborat, illustrando, simul effice, ut ad percipiendam doctrinam sim idoneus; memoriam meam confirma, ut, quod didicero, fideliter haereat; cor denique meum guberna, ut ad proficiendum voluntarius atque etiam avidus accedam, ne mihi haec, quam tu nunc concedis, facultas mea ignavia pereat. Proinde Spiritum in me tuum infunde: Spiritum, inquam, intelligentiae, veritatis, iudicii ac prudentiae: ne successu studium meum careat, et irritus sit erga me magistri labor. Porro quodcunque studii genus suscipiam, fac ut illud in rectum finem destinare meminero: nempe, ut te in Christo Filio tuo cognoscam. Atque ita quicquid addiscam, mihi sit ad rectam pietatis regulam adminiculo. Adhaec quando parvulos et humiles sapientia, rectos corde, notitia tui, illustraturum te promittis, superbos vero et improbos deiecturum te denuncias, ut in sensu suo evanescant: peto ut me ad veram humilitatem formare velis, qua me tibi primum, deinde etiam iis, qui mihi tua auctoritate praesunt, docilem et obsequentem exhibeam; simul ut cordi meo, evulsis inde vitiosis cupiditatibus, serium quaerendi tui desiderium inculces. Hic denique mihi unus sit propositus finis, me sic comparare in hac tenera aetate, ut, quum adolevero, ad quodcunque vitae genus me vocaveris, in eo tibi serviam.

Secretum Domini timentibus eum et foedus suum notum illis faciet. (Psal. 25, 14.)

## [3.] *Benedictio Mensae.*

Omnia ad te respiciunt Domine, et tu das illis escam tempore; te illis dante, colligunt; te manum aperiente, omnia implentur abundantia.

Domine, penes quem fons est bonorum omnium et inexhausta scaturigo, benedictionem tuam in nos effunde, nobisque cibum et potum, quae tuae erga nos benignitatis dona sunt, in usum nostrum sanctifica, ut sobrie, sicuti praecipis, et frugaliter iis utentes vescamur pura conscientia. Fac etiam, ut te Patrem semper bonorumque omnium auctorem et agnoscamus vera animi gratuitate et ore praedicemus, ac sic fruamur corporis alimentis, ut praecipuo tamen cordis affectu aspiremus ad spiritualem doctrinae

Digitized by Google

tuae panem, quo animae nostrae in spem aeternae vitae pascantur. Per Iesum Christum Dominum nostrum.

Non in solo pane vivit homo, sed in omni sermone quod procedit ex ore Dei. (Deut. 8, 3. Matth. 4, 4.)

### [4.] *Post pastum gratiarum actio.*

Omnes gentes laudent Dominum, omnes populi canant laudem Deo. Quia multiplicata est super nos misericordia eius, et veritas ipsius manet in aeternum. (Psal. 117.)

Gratias agimus Deus ac Pater de tot beneficiis, quae nobis assidue pro infinita tua benignitate largiris. Primum, quod omnia, quibus ad sustinendam praesentem vitam indigemus, adminicula suppeditando corporis etiam nostri curam te habere demonstras; tum vero praecipue quod in spem melioris vitae, quam nobis sacro tuo Evangelio revelasti, nos regignere dignatus. Teque oramus, ne mentes nostras in corporibus sepultas curis et cogitationibus terrenis affligi patiaris. Quin potius effice, ut sursum erecti perstemus in expectatione Christi Filii tui, donec e caelo in redemptionem salutemque nostram appareat, Amen.

### [5.] *Sub noctem, quum itur dormitum.*

Domine Deus, qui noctem destinasti hominis quieti, sicut diem creasti, in quo se laboribus exerceat: effice, quaeso, ut sic quiescat hac nocte corpus meum, ne animus interea vigilare tibi desinat, nec fatiscat cor aut torpore obruatur, quin semper erectum in amore tui perstet. Ita laxandi sublevandique animi gratia sollicitudines deponam, ne tui interea obliviscar, aut memoria mea excidat, quae penitus menti meae inhaerere semper debet, bonitatis et gratiae tuae recordatio. Hoc quoque modo sicuti quiescit corpus, ita etiam sua quiete conscientia mea fruatur. Fac praeterea ne in capiendo somno carnis deliciis indulgeam, sed tantum mihi concedam, quantum naturae huius imbecillitas postulat, quo deinde ad te colendum sim expeditior. Denique sic castum me et impollutum, non animo minus quam corpore, et a periculis omnibus tutum servare velis, ut ipse quoque somnus meus in nominis tui gloriam cedat. Quoniam vero dies hic elapsus mihi non est, quin pluribus te modis, qua sum in malum propensione, offenderim; sicut tenebris noctis omnia nunc obteguntur, ita, quicquid est in me peccatorum, misericordia tua sepultum lateat. Exaudi me Deus, Pater et Servator, per Iesum Christum Filium tuum, Amen.

## [b.] PRECUM ECCLESIASTICARUM FORMULA.

*Diebus quidem profestis Minister populum ad precandum, quibus ei visum fuerit verbis, adhortatur, suam nimirum exhor-*

Digitized by Google

*tationem ad tempus et ad argumentum concionis, quam habiturus est, accommodans; at Dominico die mane haec ut plurimum adhibetur formula:*

Adiutorium nostrum sit in nomine Domini qui fecit caelam et terram, Amen.

Fratres, unusquisque nostrum se Domino sistat suaque peccata confiteatur, ac me his verbis praeeuntem mente subsequatur.

Domine Deus Pater aeterne et omnipotens, agnoscimus et ingenue profitemur apud sanctam maiestatem tuam, nos miseros peccatores esse conceptos, et natos in iniquitate et pravitate, ad nequitiam proclives, ad omne autem bonum opus inutiles, nosque, ut vitiosi sumus, nullum transgrediendi sancta tua mandata finem facere. Quo fit ut exitium a iusto iudicio tuo nobis accersamus. Attamen, Domine, anxie gemimus, quod te offenderimus, ac nos vitiaque nostra damnamus, cum vera poenitentia, optantes, ut gratia tua nostrae succurrat miseriae.

Tua igitur nos misericordia dignare, Deus et Pater clementissime ac summe miserricors, in nomine Filii tui Iesu Christi, Domini nostri. Et vitia nostra delens omnesque sordes nostras abluens in dies dona sancti tui Spiritus nobis adauge, ut corde intimo iniquitatem nostram agnoscentes magis ac magis nobis displiceamus atque ita ad veram poenitentiam stimulemur, haec autem nos cum omnibus peccatis mortificans fructus iustitiae et innocentiae tibi gratos producat, per illum ipsum Iesum Christum Dominum nostrum.

*Hic finilis, canitur a toto coetu Psalmus aliquis; deinde Minister ad preces revertitur, quibus a Domino gratiam sancti sui Spiritus petit, ut verbum eius fideliter ad nominis ipsius gloriam et ad Ecclesiae aedificationem exponatur, et quali decet submissione animi obedientiaque excipiatur. Precationis autem formulam ad id aptam Minister sibi pro arbitrio deligit. Absoluta concione is populum ad orandum hortatus ita incipit:*

Deus omnipotens, Pater caelestis, te exauditurum preces quas tibi in nomine dilecti Filii tui Iesu Christi Domini nostri funderemus, nobis pollicitus es; et cum ab illo tum ab eius Apostolis, unum in locum nobis in eius nomine conveniendum esse, edocti sumus, addita etiam promissione, fore eum nobis praesentem, ut apud te pro nobis intercedat, impetretque omnia quae unamini consensu a te petierimus super terram.

Primo, pro iis, quos nobis dominatores et gubernatores praefecisti, precari nos iubes; deinde vero pro omnibus, quae populo tuo atque adeo cunctis mortalibus necessaria sunt, supplices ad te accedere. Tuis igitur sacrosanctis praeceptis promissionibusque freti, quandoquidem in conspectum tuum prodimus, in nomine Filii tui Domini nostri Iesu congregati, supplices et ex animo rogamus, Deus et Pater optime, in nomine eiusdem, qui Servator noster et Mediator unicus est, ut (quae tua est immensa clementia) nobis peccata nostra condonare atque ita cogitationes nostras ad te attra-

Digitized by Google

here digneris, ut ex intimis cordis penetralibus invocare te possimus, ea in re vota nostra ad obsequium tuae voluntatis formantes, quae sola rationi consentanea est.

Tibi igitur preces fundimus, Pater caelestis, pro omnibus principibus et magistratibus, quorum ministerio ad nos gubernandos uteris. Potissimum vero pro huius urbis Praefectis, ut Spiritum tuum, qui solus bonus est et vere principalis, impertiri illis atque in dies augere digneris, adeo ut Iesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum, Dominatorem dominatorum Regemque regum esse certo persuasum habentes, quemadmodum tu illum omni potestate in caelo et in terra donavisti, ita et ipsi in suo principatu cultum illius et regni eius amplificationem sibi ante omnia proponant, suos subditos (qui sunt manuum tuarum opificia et pascuorum tuorum oves) pro tuo arbitrio gubernantes, ut et hic et in alia qualibet orbis terrarum parte pace stabili fruentes te cum omni sanctimonia et puritate colamus, metuque hostium nostrorum liberati materiam celebrandae tuae laudis toto vitae nostrae tempore habeamus.

Deinde precibus nostris tibi commendamus, Pater verax et Servator, omnes quotquot fidelibus tuis pastores constituisti, quorum etiam tutelae animas commisisti, quos denique sacrosancti tui Evangelii dispensatores esse voluisti: ut eos sancto tuo Spiritu regas, quo probi fidelesque gloriae tuae ministri comperiantur, huc studium omne conferentes conatusque suos dirigentes, ut omnes miserae oves, quae adhuc sunt errabundae, recolligantur et ad Iesum Christum Dominum nostrum, praecipuum Pastorem et episcoporum Principem, reducantur, ut in dies maius iustitiae et sanctimoniae incrementum in eo accipiant. Interea autem omnes tuas Ecclesias e faucibus rapacium luporum eripere et ab omnibus mercenariis liberare digneris, qui gloriae tantum aut lucri cupiditate ducuntur, de tui nominis illustratione tuique gregis salute nihil plane solliciti.

Insuper tibi preces nostras offerimus, Deus clementissime et Pater summe misericors, pro omnibus in universum hominibus, ut, quemadmodum totius humani generis agnosci vis Servator per redemptionem a Iesu Christo Filio tuo praestitam, ita ii, qui adhuc ab illius notitia sunt alieni tenebrisque immersi et ab erroribus ac ignorantia tenentur captivi, affulgente illis sancto tuo Spiritu tuoque Evangelio auribus illorum insonante ad rectam salutis reducantur viam, quae in eo sita est ut agnoscamus te solum verum Deum et quem misisti Iesum Christum. Rogamus et ut ii, quos iam gratiae tuae favore dignatus es quorumque mentibus per cognitionem verbi tui illuxisti, quotidie in melius proficiant spiritualibus tuis benedictionibus ditati, ut simul omnes uno et cordo et ore te adoremus, Christumque tuum, Dominum nostrum, Regem et Legislatorem, honore debito prosequamur ac iusto obsequio colamus.

Digitized by Google

Praeterea etiam, o Deus omnis consolationis auctor, commendamus tibi quoscunque variis modis castigas populos, qui peste vel fame vel bello afflicti laborant, singulos etiam homines, qui vel paupertate vel carcere vel morbo exiliove aut alia ulla corporis sive animi aerumna premuntur, ut prudenter reputantes finem tibi esse propositum eos tuis ferulis in viam revocandi, imbuti hoc paterni tui amoris sensu, sincero cordis affectu resipiscant, ut toto animo ad te convertantur et conversi plenam consolationem reportent omnibusque malis liberentur.

Maiorem autem in modum tibi commendamus miseros fratres nostros, quotquot sub Antichristi tyrannide dispersi vivunt cibo vitae spiritualis destituti et libertate palam invocandi nominis tui privati, atque adeo qui aut in carcerem coniecti sunt aut alio quopiam modo ab hostibus Evangelii tui oppressi: ut eos, o indulgentissime Pater, Spiritus tui robore fulcire digneris, ita ut nunquam animum despondeant, sed constanter in sancta tua vocatione permaneant; ut manum illis porrigere, prout id illis conducere nosti, consolari etiam adversis in rebus et in tuam tutelam receptos a luporum rabie defendere, omnibus denique Spiritus tui donis cumulare velis, quo eorum vita pariter et mors ad gloriam tuam spectent.

Postremo, o Deus et Pater, a nobis, qui hic in nomine Filii tui Iesu verbique eius [et sanctae eius Coenae][a]) gratia congregati sumus, sine te hoc exorari: ut, vere nobis conscii perditae nostrae originis, simul etiam reputemus, quantam damnationem mereamur et quanto cumulo in dies nobis impura et scelesta vita eam augeamus; ut, quum nos boni omnis vacuos esse carnemque nostram et sanguinem plane a cernenda regni tui haereditate abhorrere cognoverimus, ex intimo cordis sensu firmaque fiducia dilecto Filio tuo Iesu Christo, Domino nostro et Servatori ac Redemptori unico, nos dedamus; ut in nobis ipse habitans veterem illum nostrum Adamum extinguat ac in meliorem vitam renovet et instauret, per quam nomen tuum, prout sanctitate et dignitate pollet, omni in regione omnique in loco laudibus extollatur et gloriam sibi debitam consequatur[b]). Simul etiam ut ius imperiumque in nos obtineas, utque in dies magis ac magis tuae maiestati nos submittere discamus, ita ut ubique locorum regnans domineris[c]), populum tuum sceptro verbi tui Spiritusque tui potentia gubernans, tuorum autem hostium conatus veritatis et iustitiae tuae robore pessundans. Atque ita fiat, ut omnis potentia et celsitudo se gloriae tuae opponens in dies destruatur atque aboleatur, donec regnum tuum suis omnibus numeris compleatur eiusque perfectio penitus stabiliatur, quum videlicet iudex

a) „His inclusa notulis [ ] dicuntur duntaxat die celebrationis Coenae.“ Nota marg. — b) „Sanctificetur nomen tuum.“ Nota marg. — c) „Adveniat regnum tuum.“ Nota marg. —

Digitized by Google

in persona Filii tui comparebis. Ut nos una cum omnibus creaturis veram plenamque obedientiam tibi praestemus d), sicut caelestes Angeli tui exequendis mandatis tuis toti sunt addicti. Atque ita voluntas tua nemine repugnante obtineat, omnesque tibi obsequi teque colere studeant, propriae voluntati omnibusque carnis suae cupiditatibus renunciantes. Ut nos amorem timoremque tui in omnibus vitae nostrae actionibus retinentes pro benignitate tua alas, ac nobis, quaecunque ad vescendum quiete et tranquille pane nostro necessaria sunt, sufficias e): quo te nostri curam gerere videntes melius Patrem nostrum agnoscamus, omniaque bona e manu tua expectemus, nihil amplius spei et fiduciae in ulla creatura, sed totam in tua bonitate collocantes. Iam vero quoniam in hac mortali vita miseri peccatores sumus, tanta imbecillitate laborantes ut assidue diffluamus et a recta via declinemus, peccata nostra nobis condonare digneris f), quorum rei apud tuum iudicium sumus; et per hanc condonationem nexu mortis aeternae, quoque obstricti sumus, liberemur. Ne igitur eam, qua praediti sumus, nequitiam nobis imputes; quemadmodum ipsi, mandato tuo parentes, iniuriarum, quae nobis inferuntur, obliviscimur, ac tantum abest, ut de ulciscendis hostibus cogitemus, ut etiam commoda eorum procuremus. In posterum denique nos tua potentia fulcire digneris, ne (quae est carnis nostrae infirmitas) excidamus g). Ac, quum tam sint imbecillae vires nostrae ut ne ad momentum quidem temporis consistere possimus, praeterea etiam quum assidue tot hostes nos circumdent et adoriantur, quum diabolus, mundus, peccatum, caro nostra, nullum faciant nos oppugnandi finem, sancto tuo Spiritu nos corrobora tuaeque gratiae donis arma, ut constanter omnibus tentationibus resistere et hoc spirituale praelium sustinere possimus, donec plena victoria potiti tandem aliquando in tuo regno cum Imperatore et Protectore nostro Iesu Christo, Domino nostro, triumphemus. Amen.

*Post haec recitatur Apostolorum Symbolum.*

*Quo autem die celebratur Coena, haec praecedentibus adduntur.*

Ac quemadmodum Dominus noster Iesus, non contentus tibi semel corpus suum et sanguinem in cruce obtulisse pro remissione peccatorum nostrorum, nobis quoque in alimentum vitae aeternae destinavit: ita hoc nobis pro tua beneficentia largire, ut vera cordis sinceritate et ardenti desiderio tantum beneficium ab eo accipiamus; nimirum ut certa fide praediti corpore pariter et sanguine eius vel potius eo toto fruamur, sicut ipse, quum verus sit

d) „Fiat voluntas tua.“ Nota marg. — e) „Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.“ Nota marg. — f) „Remitte nobis peccata nostra.“ Nota marg. — g) „Ne inducas nos in tentationem.“ Nota marg.

Digitized by Google

homo et Deus, vere est sanctus panis caelestis ad nos vivificandos; ut non amplius in nobis ipsis et ad nostrum ingenium, quod omnino depravatum est, vivamus, sed ipse in nobis vivat, ut ad sanctam vitam, beatam et in aeternum permanentem, nos deducat, atque ita novi et aeterni Testamenti vere participes fiamus, nimirum foederis gratiae, hoc persuasissimum habentes, te velle nobis in perpetuum Patrem propitium esse delicta nostra nobis non imputando, ac tanquam charis filiis et haeredibus omnia tam animae quam corpori necessaria suppeditare; ut te sine fine laudibus et gratiarum actione prosequamur, tuumque nomen tum dictis tum factis illustre reddamus. Effice igitur hodie nos hoc modo, Pater caelestis, celebrandae faustae Filii tui memoriae compotes; da etiam, ut nos in ea exerceamus ac mortis eius beneficium praedicemus, quo novum incrementum ac robur tam ad fidem quam ad aliud quodlibet bonum accipientes eo maiore fiducia nos tuos esse filios profiteamur et in te Patre gloriemur.

*Peracta autem Coena haec gratiarum actio vel aliqua ei similis adhibetur.*

Laudem et gratiarum actione immortali te prosequimur, Pater caelestis, pro tanto, quod in nos miseros peccatores contulisti, beneficio, dum ad participationem Filii tui Iesu Christi nos adduxisti, quem pro nobis morti passus es tradi, et nunc in vitae aeternae alimentum impertiris. Iam vero tuam in nos prosequens beneficentiam, ne unquam haec a nobis oblivioni dari permittas, sed fac potius ut ea cordibus insculpta gerentes proficiamus et crescamus in fide, quae ad omne opus bonum sit efficax. Unde etiam fiat, ut reliquum vitae nostrae cursum propagationi gloriae tuae et aedificationi proximorum dedicemus: per illum ipsum Iesum Christum Filium tuum, qui in unitate sancti Spiritus vivit tecum et regnat in aeternum. Amen.

*Benedictio quam Minister populo discessuro precatur, secundum divinae Legis praeceptum.*

Benedicat vobis Dominus, vosque servet incolumes. Dominus vos splendore vultus sui illustret, vobisque sit propitius. Convertat Dominus faciem suam ad vos, et omnia prospera vobis largiatur.

*Quum doceant nos Scripturae, pestes, bella et alias huiusmodi calamitates esse Dei castigationes, quibus in peccata nostra animadvertit, quum eas irruere videamus, Dei adversum nos iram agnoscere debemus; ac tunc, si vere fideles sumus, peccatorum nostrorum recordari nos oportet, ut nostri nosmes pudeat ac pigeat, et ad Dominum resipiscentia non ficta vitaque in melius mutata conversi submisso animo ac suppliciter veniam ab eo petamus. Ideo si quando Deum minari nobis videmus, ne patien-*

Digitized by Google

*tiam eius tentemus, sed potius eius iudicium antevertamus (quod alioqui tum imminere videmus) singulis hebdomadibus diem aliquem statum esse convenit, in quo peculiariter de his populus admoneatur, Deoque precetur et supplicet, prout tempus poscet. Sequitur itaque precum ad id aptarum formula.*

*In principio concionis adhibetur a Ministro illa confessio generalis, diebus Dominicis usurpari solita, quae antea perscripta fuit. In fine autem concionis, postquam commonefecit populum, Deum nunc in homines, ob scelera, quae per totum orbem grassantur, et propter nequitiam, ad quam passim omnes sunt proiecti, suam vindictam exercere; postquam item ad se convertendum et ad vitam in melius mutandam, simul vero ad orandum Deum pro impetranda venia, hortatus est, utitur ea quae sequitur formula:*

Deus omnipotens, Pater caelestis, agnoscimus et ingenue profitemur, quod et verum est, indignos esse nos qui in caelum oculos attollamus, ut coram te nos sistamus, nec tantum debere nobis arrogare, ut exauditum a te iri preces nostras speremus, si eorum, quae tibi afferimus, rationem habeas. A propriis enim accusamur conscientiis, nostraque peccata adversum nos testimonium ferunt; te vero iustum esse iudicem novimus, qui peccatores et nequam homines non iustifices, sed in eos animadvertas qui tua mandata violaverint. Hinc fit, Domine, ut, dum totius vitae nostrae statum reputamus, nostri nosmet pudeat, nec aliud quam animum despondere possimus, perinde acsi iam in abyssum mortis demergeremur. Verum tamen, Domine, quum pro tua immensa misericordia dignatus sis nobis imperare, ut te invocemus, idque vel ex intimis inferis; et quo magis viribus destitui nos videmus, tanto magis ad tuam summam bonitatem confugiamus; quum praeterea pollicitus sis nobis te precibus nostris fore exorabilem, in nomine Domini nostri Iesu Christi (quem nobis advocatum et intercessorem constituisti) eiusque merito, non autem spectantem quid meriti simus: ecce, omni humanae fiduciae renunciantes tuaque sola bonitate freti, in conspectum tuum prodire tuumque sanctum nomen ad obtinendam misericordiam invocare non dubitamus.

Primum Domine, praeter infinita beneficia, quae assidue in reliquos quosque homines quotquot terra sustinet confers, peculiariter etiam nobis tot gratiae tuae dona impertivisti, ut ea recensere nequeamus, imo vero ne mente quidem satis complecti possimus. Hoc vero singulare, quod ad notitiam sancti tui Evangelii vocare nos dignatus sis, miserabile quo nos diabolus premebat servitutis iugum excutiens, et ab execranda idololatria vanisque superstitionibus, quibus immersi eramus, liberatos ad lumen veritatis tuae adduxeris. Nihilominus tamen (quae nostra est ingratitudo) obliti bonorum, quae manus tua nobis largita est, a recta via declinavimus, et te relicto carnis nostrae concupiscentias sequuti sumus. Quin etiam sanctum tuum verbum debita re-

Digitized by Google

verentia atque obedientia fraudavimus, nec tuum nomen quibus decebat praeconiis prosequuti sumus. Et quamvis assidue fidelibus verbi tui admonitionibus aures nostrae personuerint, eas tamen negleximus. Peccavimus itaque Domine, teque offendimus, ideoque pudore suffundimur, nos gravium scelerum apud tuum iudicium reos esse agnoscentes: adeo ut, si dignas nobis poenas infligere velis, aliud quam mortem et damnationem expectare nequeamus. Nam si nos excusare velimus, at nostrae ipsorum conscientiae nos accusant, nostraque nequitia tuis oculis ad nos condemnandos patet. Ac profecto re ipsa, Domine, ex castigationibus, quas iam nobis immisisti, te iustissimis de causis adversus nos excanduisse cognoscimus. Quum enim aequus sis iudex, tuos non immerentes affligis. Tuis igitur verberibus caesi, tuam adversus nos ipsos iram provocasse agnoscimus. Sed et nunc manum tuam ad nos puniendos extentam videmus. Gladii enim, quibus ad exigendam ultionem uti soles, stricti nunc sunt, et ea, quae peccatoribus sceleratisque hominibus minitari consuevisti, parata esse cernibus.

Quamvis autem multo etiam graviores quam antea de nobis poenas sumeres, atque adeo plagas centuplo plures infligeres, et modo non horrendae illae clades, quibus olim peccata populi tui Israelitici castigasti, nobis ingruerent, nos illis dignos esse ac sceleribus nostris promeruisse confitemur. Sed enim, Domine, tu pater es noster, nos aliud nihil quam terra et lutum; tu creator es noster, nos tuarum manuum opera; tu nobis pastor es, nos tibi ovile sumus; tu noster es redemptor, nos populus abs te redemptus; noster es Deus, nos haereditas tua. Ideo ne ita irascaris nobis, ut in furore tuo nos castiges; ne recorderis nequitiae nostrae ad eam puniendam, sed pro tua clementia nos leniter castiga. Accensa quidem est adversus nos ira tua propter peccata, quae commisimus; sed nomen tuum invocari super nos tuamque nos tesseram gestare memineris. Conserva potius opus, quod gratia tua in nobis inchoasti, ut te nostrum esse Deum et Servatorem totus orbis agnoscat. Hoc certe nosti mortuos, qui apud inferos sunt, et quos perdideris ac funditus profligaveris, te nequaquam esse laudaturos, sed tristes et omni consolatione destitutas animas, corda contrita, conscientias sensu culpae suae oppressas tuaeque gratiae favorem sitientes, gloria et honore te affecturas. Tuus Israeliticus populus flagitiis tuam saepe iram provocavit, tuque eum iusto tuo iudicio afflixisti; verum quoties ad te conversus est, semper illi ad tuam clementiam aditus patuit; et quantumvis gravia essent eius scelera, tamen propter foedus, quod cum servis tuis, Abrahamo, Isaaco et Iacobo, inieras, flagella tua et clades, quae illis imminebant, avertisti: adeo ut nunquam preces eorum repulsam apud te passae sint. Atqui nos praestantiore foedere dignatus es, quo apud te niti possumus: eo nimirum, quod pepigisti in Iesu Christi Servatoris nostri dex-



Digitized by Google

tera, quodque sanguine eius scribi et eiusdem morte obsignari voluisti. Quapropter, Domine, nobis ipsis renunciantes, omnique alia spe valere iussa, ad faustum hoc foedus confugimus, quo Dominus noster Iesus Christus corpus suum tibi in sacrificium offerens nos tibi reconciliavit. Intuere igitur, Domine, in Christi tui faciem, non in nostram, ut eius intercessione ira tua placetur faciesque tua super nos ad gaudium et salutem refulgeat; ac nos posthac tuo Spiritu sancto regendos et gubernandos suscipias, qui nos in meliorem vitam regeneret, per quam

Nomen tuum sanctificetur, veniat regnum tuum; fiat voluntas tua, quemadmodum in caelo, sic etiam in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; et remitte nobis peccata nostra, etenim ipsi remittimus omnibus qui debent nobis. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Quia tuum est regnum et potentia et gloria in secula, Amen.

Quamvis autem indigni simus, qui pro nobismet ipsis os aperiamus et te in rebus adversis invocemus, quum tamen mandaveris ut alii pro aliis precaremur, nos pro omnibus fratribus, eiusdem corporis membris, quos nunc tuis flagellis castigas, preces tibi fundimus, et ut iram tuam ab illis avertas obsecramus: nominatim vero pro N. et N. Memineris, Domine, eos quoque filios tuos esse, sicut et nos: atque ideo, quamvis te offenderint, ne tamen bonitatis tuae et misericordiae erga eos cursum interrumpas, quam perpetuam erga tuos omnes fideles fore promisisti. Tuas igitur omnes Ecclesias oculo tuae clementiae intueri digneris, omnesque populos, quos nunc aut peste aut bello aut alio flagelli genere caedis, et singulos homines, qui verbera tua sentiunt, qui videlicet carcere constricti sunt morbove aut pauperie afflictantur, consolationemque omnibus, prout illis opus ea esse cognoscis, afferens et castigationes tuas ad vitae emendationem illis utiles reddens, patientia eos instruere, severitatique tuae moderari, ac tandem eos liberando, plenam illis materiam exultandi in tua bonitate sanctumque tuum nomen benedicendi praebere digneris. Praecipue vero in eos, qui pro tua veritate decertant, oculos convertere velis et publice et privatim, ut invicta eos constantia robores, tuteris eos, et ubique opituleris, omnes hostium illorum tuorumque technas et machinas irritas reddens, furorem eorum refrenans, omnes eorum conatus ignominiae damnans. Neque Christianismum omnino deploratum esse permittas, ne memoriam nominis tui in terris penitus aboleri sinas; ne eos, super quos nomen tuum invocari permisisti, luctuoso interitu obrui patiaris; ne Turcae, Ethnici, Barbari, Papistae aliique infideles nomini tuo cum blasphemiis insultent.

Tibi igitur preces fundimus, Pater caelestis, pro omnibus principibus et magistratibus, quorum ministerio ad nos gubernandos uteris. Potissimum vero pro huius urbis Praefectis: ut Spiritum tuum, qui solus bonus est et vere principalis, impertiri illis atque in dies augere digneris: adeo ut Iesum Christum Filium tuum,

Digitized by Google

Dominum nostrum, Dominatorem dominatorum Regemque regum esse certo persuasum habentes, quemadmodum tu illum omni potestate in caelo et in terra donavisti, ita et ipsi in suo principatu cultum illius et regni eius amplificationem sibi ante omnia proponant, suos subditos (qui sunt manuum tuarum opificia et pascuorum tuorum oves) pro tuo arbitrio gubernantes: ut et hic et in alia quavis orbis terrarum parte, pace stabili fruentes, te cum omni sanctimonia et puritate colamus, metuque hostium nostrorum liberati materiam celebrandae tuae laudis toto vitae nostrae tempore habeamus.

Deinde precibus nobis tibi commendamus, Pater verax et Servator, omnes quotquot fidelibus tuis pastores constituisti, quorum etiam tutelae animas commisisti, quos denique sacrosancti tui Evangelii dispensatores esse voluisti: ut eos sancto tuo Spiritu regas, quo probi fidelesque gloriae tuae ministri comperiantur: huc studium omne conferentes conatusque suos dirigentes, ut omnes miserae oves, quae adhuc sunt errabundae, recolligantur et ad Iesum Christum Dominum nostrum, praecipuum pastorem et episcoporum principem, reducantur: ut in dies maius iustitiae et sanctimoniae incrementum in eo accipiant. Interea autem omnes tuas Ecclesias e faucibus rapacium luporum eripere et ab omnibus mercenariis liberare digneris, qui gloriae tantum aut lucri cupiditate ducuntur, de tui nominis illustratione tuique gregis salute nihil plane solliciti.

Insuper tibi preces nostras offerimus, Deus clementissime et Pater summe misericors, pro omnibus in universum hominibus: ut, quemadmodum totius humani generis agnosci vis Servator, per redemptionem a Iesu Christo Filio tuo praestitam, ita ii, qui adhuc ab illius notitia sunt alieni tenebrisque immersi et ab erroribus ac ignorantia tenentur captivi, affulgente illis sancto tuo Spiritu tuoque Evangelio auribus illorum insonante, ad rectam salutis reducantur viam, quae in eo sita est, ut agnoscamus te solum verum Deum et quem misisti Iesum Christum. Rogamus et ut illi, quos iam gratiae tuae favore dignatus es quorumque mentibus per cognitionem verbi tui illuxisti, quotidie in melius proficiant, spiritualibus tuis benedictionibus ditati: ut simul omnes uno et corde et ore te adoremus, Christumque tuum, Dominum nostrum, Regem et Legislatorem, honore debito prosequamur ac iusto obsequio colamus.

## [c.] FORMULA SACRAMENTORUM ADMINISTRANDORUM.

In usum Ecclesiae Genevensis conscripta.

### [1.] *Formula Baptismi administrandi.*

*In primis illud scire oportet, apportandos esse infantes ad Baptismum aut Dominicis diebus Catechismi tempore aut aliis diebus ad concionem, ut, quemadmodum Baptismus solennis quaedam*



Digitized by Google

*est cooptatio in Ecclesiam, ita in conspectu et oculis totius concionis celebretur.*

*Absoluta concione, offertur infans. Tum Minister publicus ita exorditur:*

Auxilium nostrum in nomine Domini qui fecit caelum et terram, Amen.

Hunccine infantem offertis, ut baptizetur?

*Resp.* Maxime.

Minister.

Dominus nobis dilucide commonstrat, quanta in foeditate et miseria vitiositateque nascimur, quum ait nobis renascendum esse. Etenim si naturam nostram renovari oportet, ut in Dei regnum intromittamur: satis magnum argumentum est, eam penitus corruptam Deoque detestabilem esse. Itaque hac de causa monet nos, ut summisso et humili animo simus, nostraque nobis turpitudo acerbitati et odio sit. Eaque ratione nos ad gratiam ipsius expetendam praeparat, qua prioris naturae nostrae perversitas et indignitas extinguatur et funditus deleatur. Neque enim prius ei locus est in nobis, nisi quum totius nostrae virtutis, iustitiae, sapientiae fiduciam usque eo abiicimus, ut, quaecunque in nobis sunt, damnemus ac repudiemus.

Porro autem ubi nostram nobis turpitudinem foeditatemque aperuit ac commonstravit, tum consolationem nobis pro sua misericordia impertit, pollicens fore ut Spiritu suo sancto nos in vitam alteram exsuscitet, quae nobis quasi ingressus quidam sit in ipsius Regnum. Haec regeneratio bipartita est: nam et nobis prorsus renunciandum est, ac neque rationi neque voluntati neque voluptati libidinique nostrae obtemperandum; quin potius mentem animumque nostrum sapientiae iustitiaeque Dei subiici oportet, et quicquid ex nostro est et nostra carne extingui: tum praeterea lucem Domini sequi convenit eiusque sanctissimae voluntati morem gerere, quemadmodum ipse verbo suo nos docet Spirituque suo sancto nobis praelucet viamque commonstrat. Utrumque autem hoc in Domino nostro Iesu Christo impletum ac perfectum est, cuius mors et passio tantam vim habet, ut eam participantes quasi sepulti peccato simus, ut carnis nostrae concupiscentiae mortificentur atque extinguantur. Huc accedit, quod vi resurrectionis ipsius in vitam novam excitamur, quae a Deo est, quatenus Spiritus eius nos regit ac moderatur, ut in nobis ea opera perficiat, quae illi grata et accepta sint. Hoc tamen caput est salutis nostrae, ut nobis delicta omnia nostra pro sua misericordia condonet, ea nobis non imputans, sed eorum memoriam delens atque obliterans, ne quando nobis ea in iudicio illius obiiciantur. His omnibus beneficiis afficimur, quum per Baptismum in Corpus Ecclesiae nos inserit. In hoc enim Sacramento nobis peccatorum remissionem testificatur. Ob eamque causam aquae signum notam-

Digitized by Google

que instituit, significans atque adeo aperte ostendens, quemadmodum eo elemento maculae corporis eluuntur, eodem modo velle se animos nostros purgare atque expiare, ne ulla amplius labes aut macula appareat. Hoc amplius renovationem nobis nostram in eo offert, quae, quemadmodum iam diximus, versatur in carnis nostrae mortificatione vitaque spirituali, quam in nobis effert ac procreat. Itaque duplici beneficio afficimur a Deo in Baptismo, modo ne vim huiusce Sacramenti ingrato et immemori animo extinguamus. Nam et testimonium in eo certissimum habemus, Deum velle nobis parentis esse propitii loco, neque eum delicta nostra nobis imputaturum, tum autem Spiritu suo sancto nobis praesto futurum, ut diabolo, peccato et carnis nostrae concupiscentiis resistere tamdiu et repugnare possimus, dum victoriam consequamur, ut in Regni sui libertate vivamus, quod iustitiae Regnum est.

Quum igitur haec duo in nobis per Iesu Christi gratiam impleantur, satis constat Baptismi veritatem et substantiam in eo comprehendi et concludi. Non enim aliud lavacrum habemus, nisi eius sanguinem; neque aliam renovationem, nisi in eius morte et resurrectione. Sed quemadmodum nobiscum bona divitiasque suas per verbum communicat, eodem modo per Sacramenta nobis ea impertit et largitur.

Iam vero optimus et benignissimus Deus noster, non contentus nos in filios suos adoptasse atque in Ecclesiae suae communionem admisisse, largius adhuc atque prolixius suam in nos benignitatem conferre voluit: nobis videlicet pollicens fore ut Deus sit et noster, et vere etiam generis posteritatisque nostrae, adusque millesimam generationem. Quamobrem etsi fidelium liberi sint ex Adami corrupta stirpe ac genere, eos ad se nihilominus admittit, propter foedus videlicet cum eorum parentibus initum, eosque pro liberis suis habet ac numerat: ob eamque causam iam inde ab initio nascentis Ecclesiae voluit infantibus Circumcisionis notam imprimi, qua quidem nota iam tum eadem omnia significabat ac demonstrabat, quae hodie in Baptismo designantur. Et quemadmodum eos circumcidi iubebat, sic in suorum liberorum loco ac numero eos habebat, seque parentem ipsorum non minus quam eorum, a quibus geniti erant, profitebatur.

Nunc vero, quum Dominus Iesus in terras descenderit, non ut Dei Patris gratiam et beneficium imminueret, sed quo salutis foedus per omnes terrarum fines propagaret, quae tum temporis in populo Iudaico inclusa fuerat: minime dubium est, quin liberi nostri haeredes sint eius vitae ac salutis, quam nobis est pollicitus: qua de causa sanctificari eos Paulus affirmat, iam inde ab utero matris, quo ab Ethnicorum et a vera religione abhorrentium hominum liberis discernantur. Eoque Dominus noster Iesus Christus pueros, qui ei offerebantur, admisit; sicuti scriptum est Matthaei decimo nono capite. Tum oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret et oraret; discipuli autem eos increpabant. Iesus vero

Digitized by Google

ait eis: Sinite parvulos, et ne prohibeatis eos ad me venire. Talium est enim regnum caelorum. Quum affirmat regnum caelorum eorum esse iisque manus imponit et Deo Patri suo eos commendat, satis nos docet, minime excludendos esse illos ab ipsius Ecclesia. Hanc igitur ipsius regulam et praescriptionem sequentes, infantem hunc in eius Ecclesiam admittemus, ut bonorum omnium, quae suis fidelibus promisit, particeps fiat. Ac primum cum nos adhibita precatione illi offeremus, humili ac summisso animo suppliciter dicentes:

Domine Deus, Pater aeterne et omnipotens, quando pro tua infinita clementia nobis pollicitus es fore te Deum et nostrum et liberorum nostrorum: oramus te, ut beneficium illud tuum in hoc infante confirmare digneris, parentibus iis genito, quos in Ecclesiam tuam cooptasti. Et quemadmodum tibi a nobis offertur ac consecratur, ita in tutelam tuam eum recipias, Deum te et Servatorem eius esse demonstrans, peccatum ei originis condonans ac remittens, cuius genus omne Adami culpam sustinet, eumque praeterea Spiritu tuo sanctificans, ut, quum ad aetatem iudicii atque intelligentiae capacem progressus erit, te solum Deum et Servatorem agnoscat et veneretur, per omnem vitae cursum tibi laudem et gloriam tribuens, perpetuo suorum peccatorum condonationem abs te consequatur. Ut vero beneficia haec accipere possit, cum tu in communionem Domini nostri Iesu cooptare digneris, ut omnibus eius bonis tanquam unum ex eius corporis membris participet. Exaudi nos, Parens misericordiae, ut Baptismus, quem ei ex instituto tuo impertimus, fructum vimque suam exerat, qualem nobis Evangelii tui doctrina commonstrat.

Pater noster qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua in terra sicut in caelo. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; et remitte nobis debita nostra, ut et nos remittimus debitoribus nostris; et ne nos inducas in tentationem, sed nos a malo libera. Quia tuum est regnum et potentia et gloria in secula, Amen.

Quoniam admittendus est hic infans in Christianam Ecclesiam, spondetis, quum ad aetatem iudicii prudentiaeque compotem pervenerit, eum vos doctrina, quae a populo Dei recepta et probata est, instructuros; sicuti breviter et summatim comprehensa est in ea confessione fidei, quam omnes tenemus.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae. Et in Iesum Christum eius Filium, Dominum nostrum: conceptum de Spiritu sancto, natum ex Maria virgine, supplicio affectum a Pontio Pilato, cruci suffixum, mortuum et sepultum: qui descendit ad inferos: tertio post die resurrexit ex mortuis, ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus ut iudicet vivos et mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam universalem, communionem sanctorum, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.

Digitized by Google

Spondetis igitur vos daturos operam, ut omni hac disciplina instruatur, ac generatim omnibus his, quae scriptis divinis continentur, id est, tum veteri tum novo Testamento: ut ea amplectatur et audiat tanquam verbum sermonemque Dei certissimum, caelitus demissum. Eum praeterea hortabimini, ut ad eam normam et regulam vitam suam instituat, quam nobis Deus in Lege sua praescripsit, cuius haec summa sunt capita: primum, ut Deum toto pectore, animo et viribus, tum praeterea proximum nostrum non secus quam nosmetipsos diligamus. Item ut sermoni et admonitionibus, quas nobis per Prophetas et Apostolos suos Deus tradidit, fidem habens, ac sibi ipsi suisque concupiscentiis renuncians, omne suum studium in praedicando nomine Iesu Christi et proximis aedificandis collocet.

*Promissione facta, nomen infanti imponitur; tum in eum aquam Baptismi Minister effundit, inquiens:*

N. Baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

*Horum nihil nisi clara voce pronunciatur, linguaque patria omnia nuncupantur: quippe quum multitudo, quae ad hoc mysterium assistit, testis esse debeat eorum, quae in eo fiunt: quam ad rem intelligentia necessaria est: quin etiam, ut omnes magis magisque confirmentur, revocantes animum ad memoriam fructus et utilitatis sui Baptismi.*

*Neque vero ignoramus aliis in locis adhiberi alias ceremonias quamplurimas, quas vetustissimas esse minime diffitemur. Sed quoniam aut hominum arbitrio atque libidine aut certe levi aliqua de causa excogitatae sunt, denique quoniam sine verbo Dei fictae et inductae sunt, ac tam multae praeterea superstitiones inde manarunt, nobis sane sine ulla religione visum est eas tolli atque aboleri oportere, ut ne posthac cuiquam praecluderetur aditus ad Iesum Christum. Primum enim satis constat, quaecunque a Deo praescripta atque instituta non sunt, ea omnia libertati arbitrioque nostro relinqui; deinde, quicquid ad aedificationem confirmationemque pietatis non pertinet, id minime recipiendum esse in Ecclesiam: quod si in eam inductum esset, tollendum ac removendum esse. Quo magis id, quod nihil nisi scandalum et offensionem parit quasique idololatriae instrumentum quoddam est et commentitiarum opinionum, nullo modo tolerandum est.*

*Atqui non dubium est, quin luminaria, unguenta (quae Chrismata nominantur) aliaeque pompae generis eiusdem a Deo nunquam institutae sint, sed ab hominibus introductae, sensimque eo progressa superstitio sit, ut maiore in pretio atque honore haberentur, quam ipsum Christi institutum. Illud profecto negari nullo modo potest, quin eam ipsam Baptismi formam ac rationem teneamus, quam et Christus praescripsit et Apostoli sequuti sunt et vero etiam primaria et antiqua Ecclesia in more atque instituto habuerit; neque alio nomine culpari possumus, nisi quod Deum ipsum sapientia superare atque antecellere nolumus.*

Digitized by Google

[2.] *Ratio celebrandae Coenae Dominicae.*

*Principio illud scire oportet, die Dominico qui proxime ei diei antecedit quo Coena celebranda est, prius hoc denunciari populo: primum ut se quisque ad eam digne recipiendam comparet, eaque reverentia, qua ratio postulat; tum ne pueri eo adducantur, nisi qui commode instituti fidemque suam in Ecclesia professi sint; tertio, ut, si forte advenae quidam et peregrini in urbe sint nondum religionis disciplinaeque nostrae institutis imbuti, ii si communicare S. Coenae velint, Ministros adeant, a quibus in privatis aedibus erudiantur. Quo die celebranda est, Minister ad finem concionis de ea commemorat, aut, si res postulare videatur, sermonem omnem in ea tractanda explicandaque consumit, ut populum doceat quid hoc mysterio Dominus designet ac significet, et qua ratione illud sit recipiendum. Absoluta precatione confessioneque fidei, ut multitudiis totius nomine Concionator testetur, velle omnes in doctrina religioneque Christiana vivere ac mori, clara et magna voce haec pronunciat:*

Audite, qua ratione Iesus Christus sacrosanctam suam Coenam instituerit, sicuti Paulus memoriae tradidit capite undecimo prioris ad Corinthios Epistolae: Accepi, inquit, a Domino, quod et tradidi vobis, quod Dominus Iesus in ea nocte, qua traditus est, accepit panem, et postquam gratias egisset, fregit, ac dixit: Accipite, edite, hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur; hoc facite in mei commemorationem. Ad eundem modum et poculum peracta Coena, dicens: Hoc poculum novum Testamentum est in meo sanguine; hoc facite, quotiescunque biberitis, in mei commemorationem. Quotiescunque enim comederitis panem hunc, et poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec venerit. Itaque quisquis ederit panem hunc aut biberit poculum Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem quisque seipsum, et sic de pane illo edat et de poculo bibat: nam qui edit aut qui bibit indigne, iudicium sibi ipsi edit et bibit, non diiudicans corpus Domini.

Audivimus, fratres, quemadmodum Dominus Coenam suam una cum discipulis suis fecerit: ex quo quidem illud intelligi voluit, extraneos eosque, qui in suorum numerum recepti non sunt, minime esse admittendos. Quamobrem hanc ego regulam et praescriptionem sequutus, in nomine atque auctoritate Domini nostri Iesu Christi, hinc ego arceo ac repello, atque hoc sacrosancto mysterio interdico omnibus idolorum cultoribus, impie et contumeliose de Deo loquentibus, impiis et sceleratis hominibus, numenque contemnentibus, haereticis, iisque omnibus, qui sectas haeresesque amplectuntur, quo vinculum et communionem Ecclesiae perfringant, periuros, contumaces in utrumque parentem, ac superiores, seditiosos, factiosos, sicarios, concitos ad rixam, adulteros, stupris, furtis, rapinae, avaritiae, vino, gulae ventrique deditos, quicunque vitae rationem sequuntur flagitiosam et offensiones ac scandala parientem,

Digitized by Google

iisque palam denuncio, ut ab hoc sacrosancto convivio abstineant, ne sanctissimas epulas, quas Dominus solis suis domesticis et fidelibus paravit, foede polluant atque contaminent.

Itaque Pauli consilio atque cohortationi parens se quisque suamque conscientiam probet atque examinet, ac videat num vere se suorum scelerum poeniteat, atque ex iis dolorem animo maximum capiat, cupiens posthac vitam honeste ac sancte instituere, sed multo maxime, an fiduciam habeat in Dei misericordia fixam et positam, et in Christo Iesu suam salutem omni ex parte quaerat, omnibus inimicitiis ac simultatibus nuncium remittens, nihilque aliud studens, nisi ut posthac fraterna benevolentia et charitate proximos suos complectatur.

Quod si hoc studium in nobis esse nostra conscientia coram Deo testatur, ne dubitemus, quin habeat nos in filiorum loco et numero, Dominusque noster Iesus Christus nos compellet atque ad convivium suum invitet sanctissimumque hoc Sacramentum nobis offerat, quod cum discipulis suis communicavit.

Et quanquam plurimum in nobis fragilitatis et miseriae sentimus, neque fide perfecta praediti sumus, sed in diffidentiam et incredulitatem propendemus, multumque abest ut tanto studio atque ardore animi Deo serviamus, quam ratio exigit, quin potius bellum nobis assidue adversus carnis nostrae concupiscentias gerendum est: quoniam tamen Dominus nobis benignitate sua concessit, ut eius Evangelium in animis nostris impressum atque insculptum sit, quo incredulitati diffidentiaeque resistamus, nobisque desiderium largitus est, cupiditatibus nostris renunciandi, quo iustitiam illius sanctissimasque leges et praeceptiones observemus: certum atque exploratum habeamus, vitia omnia, quae in nobis sunt, minime obfutura, quominus nos admittat dignosque reddat, qui spirituali hoc convivio participemus. Neque enim ob eam causam huc venimus, ut profiteamur nos integros et iustos esse in nobismetipsis, sed potius vitam nostram magno studio in Christo Iesu quaerentes fatemur nos in morte atque exitio versari. Teneamus igitur atque intelligamus, Sacramentum hoc morbo ac dolore affectis medicinam esse, dignitatemque omnem, quam a nobis Deus requirit, in eo versari, ut nosmetipsos quemadmodum recta ratio praescribit agnoscamus doloremque maximum ac moerorem ex vitiis nostris capiamus voluptatemque et laetitiam omnem in eo collocemus.

Primum igitur fidem habeamus promissis, quae Christus Iesus, veritas ipsa constans et firma, nobis ostendit: velle se videlicet vere nobiscum carnem et sanguinem suum communicare, ut eum totum atque integrum possideamus, ipseque in nobis vivat, et nos in illo. Et quamvis nihil nisi panem ac vinum videamus: minime tamen dubitemus, quin spiritualiter in animis nostris id omne impleat ac perficiat, quod extrinsecus in his aspectabilibus signis commonstrat: ipsum videlicet panem esse caelestem, qui nos alat ac nutriat ad vitam aeternam. Itaque ne in bonitatem

Digitized by Google

infinitam Domini ingrati simus, qui in hac mensa divitias opesque suas omnes exponit, ut eas nobiscum communicet. Nobis enim sese largiens testificatur se quicquid habet in nos profundere. Quamobrem Sacramentum hoc tanquam pignus iustitiae ipsius recipiamus, quae nobis vi mortis ac supplicii illius imputabitur, nihilo secius quam si eo supplicio nosmetipsi affecti essemus. Ne igitur tam pervicaci ac perdita natura simus, ut tum fugiamus, quum Christus nos tam humaniter ac liberaliter suo verbo invitat. Sed muneris huius, quod nobis impertit, pretium ac dignitatem spectantes ardenti studio ei nos offeramus, ut tam pretioso munere nos dignos reddat. Ob eamque causam animos ac mentes nostras sursum erigamus, ubi Christus est in gloria Patris, et unde eum nos ad redemptionem nostram expectamus. Neque vero animos in his terrenis et caducis elementis occupemus, quae et oculis cernimus et manibus tractamus, quasi eum ibi quaeramus, ut in pane vinoque inclusum. Tum enim animi nostri substantia eius ali ac nutriri poterunt, quum supra terrena omnia erecti ad caelos usque pertingent, ut in Regnum Dei, ubi ipse habitat, ingrediantur. Satis ergo habeamus, si panis ac vinum nobis pro nota et signo dentur, veritatem in Spiritu investigantes, ubi Verbum divinum eam nos reperturos confirmat.

*Ubi finem dicendi Concionator fecit, tum panem verbi Ministri, calicem vero seniores Ecclesiae, qui morum censurae praesunt, populo distribuunt, prius commonitione facta ut honeste et decenter eo quisque adeat. Interea canitur Psalmus aliquis, aut locus Scripturae rei, quae Sacramento designatur, congruens atque conveniens clara et magna voce recitatur.*

*Ad extremum habentur gratiarum actiones, quas supra descripsimus.*

*Non ignoramus plerosque maiorem in modum offensos fuisse, quod tam multa in hoc genere ab usu multis iam seculis recepto aliena a nobis inducta sint. Quod enim Missa multos annos tanto in pretio habita est, ut omnes eam existimarint disciplinae religionisque Christianae caput esse, non dubitamus quamplurimos mirari, quod eam plane ac funditus tollendam curavimus. Eamque ob rem quibus consilii nostri ratio minus perspecta est, ii sublata a nobis fuisse Sacramenta existimant. Verum si quis instituti nostri rationem diligentius perpendat, is sine dubio intelliget restituta potius atque in usum relata a nobis fuisse. Quod ut perspici a quovis possit, consideretur quanta inter Missam et Christi institutionem similitudo sit. Quis non videt, non minus inter utramque, quam inter lucem et tenebras interesse? Tametsi non est hoc quidem loco propositi institutique nostri, copiosius hanc dispututionem persequi. Verum ut iis satisfaceremus, qui per ignorantiam eo nomine offendi possent, operae pretium nobis visum est, nonnihil obiter de ea re commemorare. Quum enim Sacramentum Domini tam multis corruptelis ac vitiis inquinatum ac foedatum esse videremus: ut hisce malis remedium adhibere-*

Digitized by Google

*mus, necesse habuimus multa immutare, quae perperam ac vitiose introducta fuerunt, certe in perversum ac praeposterum usum detorta. Quod quo rectius faceremus, quae tandem potius sequenda esse ratio videbatur, quam si ad purum et incorruptum Christi institutum rem omnem revocaremus? quod sane religiose ac bona fide (quemadmodum satis intelligi licet) sequuti sumus. Haec enim ipsa emendatio est, quam nobis Paulus praescripsit.*

## [d.] FORMULA ET RATIO CELEBRANDI MATRIMONII.

*Priusquam celebretur confirmeturque publice matrimonium, palam in Ecclesia publicatur tribus ante diebus Dominicis continuis, ut, si forte quis impedimenti aliquid noverit, id in tempore denunciet, aut, si cuius eas nuptias celebrari intersit, is possit intercedere.*

*Quae ut facta sunt, tum se in exorsu concionis sponsus ac sponsa sistunt in Ecclesia.*

*Minister autem publicus sic initium dicendi facit:*

Auxilium nostrum in nomine Domini qui fecit caelum et terram, Amen.

Deus Parens noster, posteaquam caelum et terram creavit eaque omnia, quae amplissimo caeli complexu coercentur, hominem ad imaginem similitudinemque sui finxit, qui imperium et dominatum teneret animantium omnium, quae tum in terra tum in aqua tum in aere versantur, hisque verbis post creatum hominem est usus: Non expedit hominem esse solum; fingamus ei adiumentum simile illius. Itaque immisit Dominus Deus soporem in Adam, qui quum obdormiret, Deus unam ex costis eius tulit eaque formavit Evam, significans atque adeo aperte ostendens virum et mulierem nihil nisi corpus unum esse, unam carnem unumque sanguinem. Quocirca descrit homo patrem et matrem, et adhaeret uxori suae, quam ita amare charamque habere debet, ut Christus charam habuit Ecclesiam, id est, veros fideles et Christianos, quorum causa mortem oppetivit. Uxor vicissim viro cum sanctitate et honestate inservire atque obsequi debet. Quamdiu enim una cum viro aetatem agit, eius imperio subiecta est. Hoc porro sanctum matrimonium, honoratum a Deoque institutum, vim eam habet, ut eius causa vir potestatem sui corporis non habeat, sed uxor, uxor contra sui corporis dominatu careat qui a viro tenetur. Itaque a Deo coniuncti separari nullo modo possunt, nisi ad tempus aliquod, utriusque consensu et voluntate, ut ieiunio se et precationi dedant, caventes etiam atque etiam ne tententur a Satana per incontinentiam. Ideo reverti ac referre sese alter ad alterum debebit. Etenim stupri et fornicationis vitandae causa uxorem quisque habere debet, et unaquaeque mulier virum, ut, quicunque sibi temperare non possunt continentiaque praediti non sunt, praecepto Dei iubeantur matrimonium contrahere, ne sanctum Dei templum (nimirum nostra corpora) violetur ac polluatur.

Digitized by Google

Quum enim corpora nostra membra sint Iesu Christi, indignum facinus esset, si scorti membra fierent. Itaque sancte et religiose servanda et custodienda sunt. Nam si quis templum Dei violaverit, eum Dominus male perdet.

Vos igitur *(sponsum et sponsam nomine appellat)* N. N. non dubitantes, hoc a Deo institutum esse, ecquid in hoc sanctissimo matrimonio aetatem agere vultis, quod Dominus tanto honore cumulavit? hoccine cum animis vestris statutum ac deliberatum habetis, quemadmodum hoc in loco coram Ecclesia eius sancta testificamini, postulantes ut hoc vestrum consilium comprobetur?

*Respondent*, Maxime.

*Minister.*

Vos ego omnes qui praesentes adestis testes facio, petoque ut huius rei memoriam habeatis. Quanquam si quis est, qui impedimentum aliquod esse intelligat aut horum alterum matrimonio cum altero esse coniunctum, id enunciet.

*Si nemo contradicat, tum Minister,*

Quoniam, *inquit*, nemo est qui contradicat, neque ullum est impedimentum, Dominus Deus sanctum consilium vestrum confirmet, quod vobis elargitus est, initiumque hoc vestrum sit in nomine Domini, qui fecit caelum et terram, Amen.

*Minister sponsum appellans his eum verbis affatur:*

Tu N. profiteris hic in conspectu tum Dei tum sanctae ipsius Ecclesiae, ducere te in sponsam et uxorem N. quam hic praesentem vides, eamque te habiturum spondes, amore utens, et charitate fida et constante, sicuti pii et boni viri munus atque officium postulat: sancte cum ea aetatem agens, fidelitatem ei omnibus in rebus praestans: sicuti verbum divinum atque Evangelium postulat.

*Respondet*, Spondeo.

*Tum sponsam appellans, inquit,*

Tu N. profiteris hic in conspectu tum Dei tum sanctae ipsius Ecclesiae, nuptias te N. spopondisse, eique utpote legitimo marito nubere, cui te obsequuturam spondes, ei inservientem imperioque eius subiectam, vitam sancte et honeste colentem, fidelitatemque ei omnibus in rebus praestantem; sicuti fidelem sponsam suo marito praestare decet, ex regula divini verbi et Evangelii.

*Respondet*, Spondeo.

*Tum Minister,*

Pater, *inquit*, omnis misericordiae, qui benignitate vos sua ad hoc sanctissimum matrimonium adduxit: propter Iesum Christum eius Filium, qui sanctissima sua praesentia matrimonium sanctificavit, primum ibi signum edens coram Apostolis, vobis Spiritum suum sanctum largiatur: ut ei in hoc praeclaro et nobili vitae genere servire atque honorem perpetuo tribuere possitis, Amen.

Audite Evangelium et praeceptum Domini, quemadmodum ma-

Digitized by Google

trimonium sancte habere velit, sitque firmum et indissolubile: sicuti scriptum est apud Matthaeum, decimo nono capite. Accesserunt ad eum Pharisaei tentantes eum ac dicentes: Licetne homini dimittere uxorem suam quavis ex causa? Ille vero respondens dixit eis, Non legistis Opificem ab initio fecisse masculum et foeminam? et dixisse, Propterea relinquet homo patrem et matrem, et agglutinabitur uxori suae, et qui duo fuerant erunt una caro. Itaque non amplius sunt duo, sed una caro; quod ergo Deus coniunxit, homo ne seiungat.

Credite verbis istis sanctissimis, quae Dominus noster Iesus pronunciavit, sicuti testatur Evangelista, et certum habete, Dominum Deum copulasse vos in hoc sanctissimo vitae genere. Itaque vitam una sancte et honeste degite, charitatem, pacem et concordiam colentes, fidelitatem mutuo praestantes, ex regula et praescriptione verbi Dei.

Deum igitur una omnes mente et animo precemur.

Deus omnipotens, bone et sapiens, qui ab initio praevidisti non expedire homini esse soli, ob eamque causam adiumentum ei creasti eius simile ac voluisti duos unum idemque esse: suppliciter abs te petimus, quando dignatus es hosce ambos ad matrimonium contrahendum perducere, ut pro clementia et benignitate tua Spiritum tuum sanctum eis largiri atque impertire digneris, ut in vera et stabili fide voluntati tuae morem gerentes sancte aetatem agant, omnes carnis libidines et affectiones vitiosas subigentes pureque viventes, atque aliis honestatis et castimoniae documento sint, benedictione tua salutari eos donans, similiter atque fideles tuos servos, Abrahamum, Isaacum et Iacobum; ut prolem habentes sanctam et incorruptam tibi serviant ac laudes tribuant, doctrina salutari eam instruentes atque ad gloriam et laudem tui nominis alentes proximique utilitatem et Evangelii tui propagationem. Exaudi nos, Parens misericordiae, per Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum charissimum, Amen.

Dominus vos beneficiis omnibus cumulet, vobisque concedat, ut virtutem et probitatem colentes simul ad multum temporis honeste et sancte vitam perducatis.

## [e.] DE VISITANDIS AEGROTIS.

Fidelis et veri Ministri officium est, non modo populum, cui pastor est praefectus, palam et publice docere, sed etiam, quoad eius fieri potest, unumquemque seorsim admonere, cohortari, redarguere et consolari. Quod si ullum unquam est tempus, quum homini Christiana doctrina necessaria est, tum certe multo maxime necessariam esse constat, quum Dominus eum invisit, aut morbo aut alio quopiam malo eum afficiens, praesertim vero mortis tempore. Tum enim multo quam unquam antea vehementius conscientia sua urgetur: sive ob iudicium Dei, quod se sine mora vocari intelligit, sive ob impugnationes diaboli, qui tum vehementer laborat ac studet, ut animum

Digitized by Google

aegroti labefactet. Ob eamque causam Ministri officium est, morbo affectos visitare et verbo Domini consolari, ac docere quicquid eis accidit incommodi a Deo immissum esse eiusdemque providentia contigisse, qui suis fidelibus nihil unquam impertit, nisi in eorum salutem et emolumentum. Cuius rei argumenta ac testimonia ex Scriptura proferet, quae tempori convenientia maximeque accommodata esse intelliget. Quod si aegrotum gravi et periculoso morbo afflictari videat, tum consolationem adhibeat magis praecipuam ac peculiarem, idque pro eo, ac sensum animi illius perspiciet, ut, si eum horrore mortis perterritum videat, doceat nihil esse in morte, quod fidelibus sit pertimescendum, qui ducem habent suum Iesum Christum, a quo per mortem in eam vitam perducentur, in quam ipse ingressus est. Ac simili cohortatione adimat ei terrorem, quem concepit iudicii divini. Sin eum haud satis peccatorum conscientia commotum intelligat, iustitiam ei divinam explicet atque ostendat, apud quam stare nemo poterit, nisi misericordia Dei instructus et Iesum Christum pro salute unica ac singulari complexus. Contra, si eum delictorum suorum cogitatione angi ac premi videat, tum, quam diligentissime poterit, Iesum Christum ei depingat atque exprimat, doceatque peccatores omnes, qui sibi ipsi diffidentes eius bonitate confidunt, in eo solatium ac praesidium habituros. Fidelis igitur et frugi Minister considerabit, quae commodior futura sit ratio aegroti consolandi, pro eo atque affectum eum perspiciet, in quo semper Dei verbo adhaerebit. Quin etiam, si quam facultatem Minister habeat auxilium afflictis corporibus ferendi, nullis opibus ac facultatibus parcet, verum charitatis et liberalitatis in egentes exemplum unicuique se statuens.

Digitized by Google

# 8.

# CONSENSUS TIGURINUS.

## „Consensio mutua in re Sacramentaria Ministrorum Tigurinae Ecclesiae, et D. Ioannis Calvini Ministri Genevensis Ecclesiae, iam nunc ab ipsis authoribus edita.“

*Ornatissimis Viris et Fidelibus Christi servis, Tigurinae Ecclesiae Pastoribus et Doctoribus, charissimis Symmistis et observandis fratribus, Ioannes Calvinus S.*

*Tametsi eadem saepius de re vobiscum ago, non tamen puto mihi timendum esse, ut importunus esse videar. Quando idem utrisque iudicium est, fieri non potest, quin vobis probetur quod ago. Quod autem paulo acrius insto, huc me assiduae bonorum virorum flagitationes stimulant. Iam aliquoties monui, levi de causa, non tamen sine praetextu offendi permultos, quod diversum a vobis, nescio quid, tradere videar. Vestram Ecclesiam, quae tot praeclaris dotibus ornata est, merito reverentur: nostrae quoque, et mihi forsan privatim, aliquid deferunt. Ita cupiunt scriptis nostris, in discenda pietatis doctrina, adiuvari, ne quâ dissensionis species, eorum progressus moretur. Huic offensioni tollendae quum nullum putarem aptius fore remedium, quam si familiari colloquio, rationem communiter iniremus testandae consensionis, hac de causa profectionem, ut scitis, ad vos suscepi: et venerandus collega noster Gulielmus Farellus, (ut est indefessus Christi miles) qui mihi dux alioqui et author erat, comitem se adiungere non recusavit. Ut inter nos conveniat, testari quidem vere ac fideliter utrinque possumus: sed quia rem, ut est, non omnibus persuadeo, mihi plurimum dolet, anxios vel suspensos manere, quorum tranquillitati melius consultum optarem. Proinde, ut initio praefatus sum, nihil intempestivum me facere arbitror, si urgeo, ut publicum aliquod eius, quae inter nos constat, consensionis testimonium extet.*

*Ego vero capita, de quibus inter nos contulimus, et breviter colligere, et ordine digerere, operae pretium esse existimavi: ut, si vobis meum consilium probabitur, cuivis velut in tabula cernere liceat, quid inter nos et actum et transactum fuerit. Certe bona fide me ex sermonibus nostris retulisse, quaecunque subiiciam, vos mihi testes fore confido. Nos vero (me et Farellum dico), pari vobiscum studio, synceram omnique fuco et astutia vacuam perspicuitatem quaesiisse, pii lectores, ut spero, animadvertent. Quanquam*

Digitized by Google

*simul admonitos esse velim, nihil hic contineri, quod non collegae etiam nostri, quotquot vel sub Reipublicae Genevensis ditione vel in Comitatu Neocomensi Christo serviunt, sua subscriptione approbaverint. Valete, praestantissimi viri et mihi ex animo vere colendi fratres. Dominus vos Spiritu suo regere pergat, in Ecclesiae suae aedificationem, vestrisque laboribus benedicat. Genevae, Calendis August. Anno Domini M.D.XLIX.*

## CONSENSIONIS CAPITA.

I. [Totum Ecclesiae regimen spirituale ad Christum nos ducit.] a)

Quum Christus sit finis Legis, et eius agnitio totam in se Evangelii summam comprehendat: non dubium est, quin huc spectet totum spirituale Ecclesiae regimen, ut ad Christum nos ducat. Sicuti per eum solum ad Deum pervenitur, qui ultimus est beatae vitae finis. Itaque quisquis hinc vel minimum deflectet, nunquam de ullis Dei institutis rite vel apposite loquetur.

II. [Sacramentorum agnitio vera, ex agnitione Christi.]

Quum autem Sacramenta Evangelii sint appendices, is demum et apte et utiliter de eorum natura, vi, officio et fructu disseret, qui a Christo exordietur. Neque id modo, ut obiter Christi nomen attingat, sed ut vere teneat, quorsum nobis datus sit a Patre, et quid nobis bonorum attulerit.

III. [Cognitio Christi qualis.]

Sic ergo habendum est, Christum, quum aeternus esset Dei Filius, eiusdem cum Patre essentiae et gloriae, induisse carnem nostram, ut iure adoptionis, id quod natura proprium habebat, nobis communicaret: nempe, ut simus filii Dei: quod fit, dum fide inserti in corpus Christi, idque Spiritus sancti virtute, primum iusti censemur gratuita iustitiae imputatione: deinde regeneramur in novam vitam: quo reformati in imaginem Patris caelestis veteri homini renuntiemus.

IV. [Christus Sacerdos, Rex.]

Ita Christus in carne sua considerandus est nobis Sacerdos, qui peccata nostra unico mortis suae sacrificio expiavit, qui omnes nostras iniquitates delevit sua obedientia, qui nobis perfectam iustitiam comparavit, qui nunc intercedit pro nobis, ut accessus nobis ad Deum pateat. Considerandus est tanquam victima expiatrix, qua placatus est Deus mundo. Considerandus est frater, qui nos ex miseris Adae filiis effecit beatos Dei filios. Considerandus est reparator, qui Spiritus sui virtute reformat quicquid in nobis est vitiosum, ut mundo vivere desinamus et carni, ac Deus

a) Inscriptiones capitum habentur in edd. Amst. et Genev. marg., unde interserui.

Digitized by Google

ipse in nobis vivat. Considerandus est Rex, qui omni bonorum genere nos ditat, qui nos gubernat sua virtute ac tuetur, qui nos spiritualibus armis instituit, qui nos ab omni noxa liberat, qui oris sui sceptro nos moderatur ac regit. Atque ita considerandus, ut ad se Deum verum et ad Patrem nos evehat, donec impleatur illud, quod tandem futurum est, nempe ut sit Deus omnia in omnibus.

V. [Quomodo Christus se nobis communicet.]

Porro, ut se nobis talem exhibeat Christus, ac eiusmodi effectus in nobis proferat, unum cum ipso nos effici et in eius corpus coalescere nos oportet. Qui non aliter vitam in nos suam diffundit, nisi dum caput nostrum est: ex quo totum corpus compactum et connexum, per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem, in mensura cuiusque membri augmentum corporis faciat.

VI. [Spiritualis communicatio. Sacramenta instituta.]

Haec spiritualis est communicatio, quam habemus cum Filio Dei, dum Spiritu suo in nobis habitans faciat credentes omnes, omnium, quae in se resident, bonorum compotes. Cuius testificandae causa tam Evangelii praedicatio instituta, quam Sacramentorum usus nobis commendatus, nempe sacri Baptismi et sacrae Coenae.

VII. [Sacramentorum fines.]

Sunt quidem et hi Sacramentorum fines, ut notae sint ac tesserae Christianae professionis et societatis sive fraternitatis, ut sint ad gratiarum actionem incitamenta et exercitia fidei ac piae vitae, denique syngraphae ad id obligantes. Sed hic unus inter alios praecipuus, ut per ea nobis gratiam suam testetur Deus, repraesentet atque obsignet. Nam etsi nihil aliud significant, quam quod verbo ipso annunciatur, hoc tamen magnum est, subiici oculis nostris quasi vivas imagines, quae sensus nostros melius afficiant, quasi in rem ducendo: dum nobis Christi mortem omniaque eius beneficia in memoriam revocant, ut fides magis exerceatur: deinde quod ore Dei renunciatum erat, quasi sigillis confirmari et sanciri.

VIII. [Gratiarum actio.]

Quum autem vera sint, quae nobis Dominus dedit gratiae suae testimonia et sigilla, vere procul dubio praestat ipse intus suo Spiritu, quod oculis et aliis sensibus figurant Sacramenta: hoc est, ut potiamur Christo, tanquam bonorum omnium fonte: tum ut beneficio mortis eius reconciliemur Deo, Spiritu renovemur in vitae sanctitatem, iustitiam denique et salutem consequamur, simulque pro his beneficiis olim in cruce exhibitis, et quae quotidie fide percipimus, gratias agamus.

IX. [Non disiuncta quidem, sed distincta signa et res signatae.]

Quare, etsi distinguimus, ut par est, inter signa et res signatas: tamen non disiungimus a signis veritatem: quin omnes,



Digitized by Google

qui fide amplectuntur illic oblatas promissiones, Christum spiritualiter cum spiritualibus eius donis recipere, adeoque et qui dudum participes facti erant Christi, communionem illam continuare et reparare fateamur.

X. [Promissio maxime in Sacramentis spectanda.]

Neque enim ad signa nuda, sed potius ad promissionem, quae illic annexa est, respicere convenit. Quatenus ergo in promissione illic oblata proficiat nostra fides, eatenus ista vis et efficacia, quam dicimus, se exeret. Ita materia aquae, panis aut vini, Christum nequaquam nobis offert, nec spiritualium eius donorum compotes nos facit: sed promissio magis spectanda est, cuius partes sunt, nos recta fidei via ad Christum ducere, quae fides nos Christi participes facit.

XI. [In elementis non obstupescendum.]

Hinc concidit eorum error, qui in elementis obstupescunt, et illic affigunt salutis suae fiduciam. Quum Sacramenta a Christo separata nihil sint quam inanes larvae: et in ipsis omnibus haec vox clare personet, non alibi quam in solo Christo haerendum, nec aliunde petendam esse salutis gratiam.

XII. [Sacramenta per se nihil efficiunt.]

Praeterea, siquid boni nobis per Sacramenta confertur, id non fit propria eorum virtute, etiam si promissionem, qua insigniuntur, comprehendas. Deus enim solus est, qui Spiritu suo agit. Et quod Sacramentorum ministerio utitur, in eo neque vim illis suam infundit, neque Spiritus sui efficaciae quicquam derogat: sed pro ruditatis nostrae captu ea tanquam adminicula sic adhibet, ut tota agendi facultas maneat apud ipsum solum.

XIII. [Deus organo utitur, sed ita ut omnis virtus eius sit.]

Itaque, quemadmodum Paulus admonet, eum, qui plantat aut rigat, nihil esse: sed unum Deum qui dat incrementum: ita et de Sacramentis dicendum est, ea nihil esse, quia nihil profutura sint, nisi Deus in solidum omnia efficiat: Organa quidem sunt, quibus efficaciter, ubi visum est, agit Deus: sed ita, ut totum salutis nostrae opus ipsi uni acceptum ferri debeat.

XIV.

Constituimus ergo unum esse Christum, qui vere intus baptizat, qui nos in Coena facit sui participes, qui denique implet quod figurant Sacramenta: et sic quidem uti his adminiculis, ut totus effectus penes eius Spiritum resideat.

XV. [Quomodo Sacramenta confirment.]

Sic interdum Sacramenta vocantur Sigilla, dicuntur fidem alere, confirmare, promovere: et tamen solus Spiritus proprie est sigillum: et idem fidei inchoator est et perfector. Nam haec omnia Sacramentorum attributa inferiore loco subsidunt, ut ne minima quidem salutis nostrae portio, ab unico authore, ad creaturas vel elementa transferatur.

Digitized by Google

XVI. [Non omnes Sacramento participantes re quoque participant.]

Praeterea sedulo docemus, Deum non promiscue vim suam exerere in omnibus qui Sacramenta recipiunt, sed tantum in electis. Nam quemadmodum non alios in fidem illuminat, quam quos praeordinavit ad vitam: ita arcana Spiritus sui virtute efficit, ut percipiant electi quae offerunt Sacramenta.

XVII. [Sacramenta non conferunt gratiam.]

Hac doctrina evertitur illud Sophistarum commentum, quod docet, Sacramenta novae Legis conferre gratiam omnibus non ponentibus obicem peccati mortalis. Praeterquam enim quod in Sacramentis nihil nisi fide percipitur: tenendum quoque est, minime alligatam ipsis esse Dei gratiam, ut, quisquis signum habeat, re etiam potiatur. Nam reprobis peraeque ut electis signa administrantur; veritas autem signorum ad hos solos pervenit.

XVIII. [Omnibus offeruntur Dei dona, fideles duntaxat percipiunt.]

Certum quidem est, offerri communiter omnibus Christum cum suis donis, nec hominum incredulitate labefactari Dei veritatem, quin semper vim suam retineant Sacramenta; sed non omnes Christi et donorum eius sunt capaces. Itaque ex Dei parte nihil mutatur; quantum vero ad homines spectat, quisque pro fidei suae mensura accipit.

XIX. [Fideles ante et extra Sacramentorum usum Christo communicant.]

Quemadmodum autem nihilo plus Sacramentorum usus infidelibus conferet, quam si abstinerent, imo tantum illis exitialis est: ita extra eorum usum fidelibus constat, quae illic figuratur veritas. Sic Baptismo abluta sunt Pauli peccata, quae iam prius abluta erant. Sic idem Baptismus Cornelio fuit lavacrum regenerationis, qui tamen iam Spiritu sancto donatus erat. Sic in Coena se nobis communicat Christus, qui tamen et prius se nobis impertierat et perpetuo manet in nobis. Nam quum iubeantur singuli seipsos probare, inde consequitur, fidem ab ipsis requiri, antequam ad Sacramentum accedant. Atqui fides non est sine Christo, sed quatenus Sacramentis confirmatur et augescit fides, confirmantur in nobis Dei dona, adeoque quodammodo augescit Christus in nobis, et nos in ipso.

XX. [Adeo non alligatur gratia actioni Sacramentorum, ut fructus eorum percipiatur aliquando post actionem.]

Utilitas porro, quam ex Sacramentis percipimus, ad tempus, quo ea nobis administrantur, minime restringi debet: perinde acsi visibile signum, dum in medium profertur, eodem secum momento Dei gratiam adveheret. Nam qui in prima infantia baptizati sunt, eos in pueritia vel ineunte adolescentia, interdum etiam in senectute regenerat Deus. Ita Baptismi utilitas ad totum vitae decursum patet, quia perpetuo viget quae illic continetur promissio. Et fieri interdum potest, ut sacrae Coenae usus, qui in actu ipso propter incogitantiam vel tarditatem nostram parum prodest, fructum deinde suum proferat.



Digitized by Google

XXI. [Localis imaginatio tollenda.]

Praesertim vero tollenda est quaelibet localis praesentiae imaginatio. Nam quum signa hic in mundo sint, oculis cernantur, palpentur manibus: Christus quatenus homo est, non alibi quam in caelo, nec aliter quam mente et fidei intelligentia quaerendus est. Quare perversa et impia superstitio est, ipsum sub elementis huius mundi includere.

XXII. [Expositio verborum Coenae Domini, Hoc est corpus meum.]

Proinde, qui in solennibus Coenae verbis, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus: praecise literalem, ut loquuntur, sensum urgent, eos tanquam praeposteros interpretes repudiamus. Nam extra controversiam ponimus, figurate accipienda esse, ut esse panis et vinum dicantur id quod significant. Neque vero novum hoc aut insolens videri debet, ut per metonymiam ad signum transferatur rei figuratae nomen, quum passim in Scripturis eiusmodi locutiones occurrant: et nos sic loquendo nihil afferimus, quod non apud vetustissimos quosque et probatissimos Ecclesiae scriptores extet.

XXIII. [De manducatione corporis Christi.]

Quod autem carnis suae esu et sanguinis potione, quae hic figurantur, Christus animas nostras per fidem Spiritus sancti virtute pascit, id non perinde accipiendum, quasi fiat aliqua substantiae vel commixtio vel transfusio: sed quoniam ex carne semel in sacrificium oblata et sanguine in expiationem effuso vitam hauriamus.

XXIV. [Contra transsubstantiationem et alias ineptias.]

Hoc modo non tantum refutatur Papistarum commentum de transsubstantiatione, sed crassa omnia figmenta atque futiles argutiae, quae vel caelesti eius gloriae detrahunt vel veritati humanae naturae minus sunt consentaneae. Neque enim minus absurdum iudicamus, Christum sub pane locare vel cum pane copulare, quam panem transsubstantiare in corpus eius.

XXV. [Christi corpus est in caelo ut in loco.]

Ac ne qua ambiguitas restet, quum in caelo quaerendum Christum dicimus, haec locutio locorum distantiam nobis sonat et exprimit. Tametsi enim Philosophice loquendo supra caelos locus non est; quia tamen corpus Christi, ut fert humani corporis natura et modus, finitum est et caelo, ut loco, continetur, necesse est a nobis tanto locorum intervallo distare, quanto caelum abest a terra.

XXVI. [Christus non est adorandus in pane.]

Quod si imaginatione nostra Christum pani et vino affigere fas non est, multo minus licet eum in pane adorare. Quanquam enim panis in symbolum et pignus eius, quam habemus cum Christo, communionis nobis porrigitur; quia tamen signum est, non res ipsa, neque rem in se inclusam habet aut affixam, idolum ex eo faciunt, qui mentem suam in eum convertunt, Christum adoratur.

Digitized by Google

*Ecclesiae Genevensis fido Pastori D. Ioanni Calvino, fratri charissimo, Pastores Doctoresque ministri Tigurinae Ecclesiae S. D.*

*Ingens tuum studium, Calvine, frater in Domino colendissime, et opera sedula, quibus moliris doctrinam de Sacramentis in dies illustriorem facere ac tollere offensiones e media Ecclesia, quae obortae videntur ex obscuriore quadam explicatione mysteriorum, adeo nihil molestiae nobis afferunt, ut ea non modo laude et praedicatione digna, verum etiam pro nostra virili adiuvanda esse et imitanda iudicemus. Quum enim sacrosanctae leges principis nostri Iesu Christi omnes actiones referant ad culturam charitatis studiumque mutuum iuvandi, nihil etiam severius prohibent, quam ut ullus obiiciat alteri impedimentum, quo minus vel recte vereque iudicet de iis rebus, quarum notitia necessaria est aut certe utilis et salutaris hominibus, vel minus praestet officium suum, quod tum Deo tum proximis debetur: eademque gravitate iubent summovere, quantum fieri potest, offendicula, in quae impingere solent homines. Quamobrem causa tui adventus ad nos, et D. Gulielmi Farelli venerandi nobis fratris, honestissima nobis visa est et in primis digna viris Ecclesiasticis: ut primum familiari colloquio quam simplicissime mutuo exponeremus nostram sententiam de Sacramentis, praesertim in iis capitibus, in quibus aliqua certe controversia hactenus fuit inter eos, qui per caetera capita synceriorem Evangelii doctrinam magno consensu tradiderunt: deinde consensum nostrum, edito in publicum scripto, testaremur. Nullam enim aliam viam et rationem commodiorem videmus, qua controversiae religionis dirimantur, aut pellantur vanae suspiciones, ubi discrepantia nulla existit, aut denique tollantur offensiones, quae nasci nonnunquam solent in Ecclesiae Dei ex docentium controversis opinionibus, quam si partes, quae dissentire videntur aut re vera dissentiunt, invicem apertissime suam mentem explanent tum sermone tum scriptis. Sed parum esset veritatem investigatam et deprehensam apud eos retineri, nisi aliis quoque hominibus ea patefiat, plenius expositis iis, quae parcius indicata fuerant, et, quod obscurius fuerat dictum, notioribus verbis enuntiato, quodque ambigue fuerat enuntiatum, certis, propriis et significantibus vocibus declarato. Quae ratio semper Ecclesiasticis patribus placuit, et in controversiis de religione componendis adhibita est saepissime, et nunquam non salutaris fuit Ecclesiae. Denique approbata est summo exemplo Apostolorum Christi Domini ac Dei nostri. Nam ut in Actis legimus cap. decimoquinto, non alio modo ac via sedata est maxima dissensio, quum Apostoli et Apostolorum germani Discipuli docerent fiducia in nomen Christi purificari corda, et eius solius gratia servari homines: aliqui contenderent, oportere circumcidi, et servari Legem Mosaicam. Itaque non possumus non summopere probare, Calvine, chare frater, tuos sanctos conatus, et omnium piorum,*

Digitized by Google

*qui studeant idoneis rationibus offensiones tollere et labefactam pacem atque tranquillitatem Ecclesiae instaurare, dum Christianam doctrinam simplici et accurata explicatione magis magisque illustrem ac planam reddere nituntur et vanas opiniones discordiae eximere animis, at eos etiam, qui verbis et sententiis nonnihil dissiderunt, in veram, solidam et sanctam concordiam reducere. Caeterum, ut publicatione scripti, quo nostrum consensum clare testari voluimus, piis iuxta et adversariis veritatis, cum speremus fructum, quem in epistola tua ominaris, facto iam periculo adducimur: nam formulam mutuae nostrae Consensionis ad fratres aliquot transmisimus, et hic exhibuimus aliquot viris, Christum et veritatem diligentibus, neque imperitis rerum sacrarum, qui non modo cognoverunt inter nos convenire in iis etiam capitibus, in quibus hactenus multorum opinione dissensimus, sed etiam gratias egerunt Christo Servatori, cernentes nos in Deo et veritate consentire, magnamque spem uberioris fructus in Ecclesia polliciti sunt. Quanquam nonnulli copiosiorem tractationem huius argumenti ob ingenia quaedam desyderavere, qui audito consilio nostro haud difficile admiserunt satisfactionem. Quorsum enim attinebat pluribus verbis edisserere, Deum esse authorem Sacramentorum et ea instituisse legitimis Ecclesiae filiis, quotquot*[b] *sint a Christo Ecclesiae tradita Sacramenta aut quae inventa sint ab hominibus, quae sint partes Sacramentorum, aut quo loco, quo tempore, quo instrumento sacro peragi conveniat mysteria, in quibus et aliis nonnullis id genus capitibus nullam fuisse inter nos vel speciem et umbram dissensionis satis probant libri editi, quos vel praeceptores nostri, piae sanctaeque memoriae, vel ipsi scripsimus de Sacramentis. Verum, de corporali Christi Domini praesentia, de genuina sententia verborum solennium, de manducatione corporis Christi, de fine, de usu et effectu Sacramentorum (in quibus capitibus multi existimarunt hactenus confligere nostras sententias aut certe verba) tam copiose, tam plane et simpliciter locuti sumus ut speremus homines studiosos tum fraternae concordiae tum perspicuae veritatis non desyderaturos esse in scripto nostro vel copiam vel lucem orationis. Neque diffidimus quin aliarum quoque Ecclesiarum Christi per Helvetiam ministri facile agnituri sint, eam ipsam doctrinam de Sacramentis nos expressisse, quae multis iam annis populo Christiano vulgata est; utque in veritate confessa minime gentium a nobis discrepent: id quod pollicemur nobis, non sine magnis rationibus, de piis omnibus per Ecclesias aliarum nationum.*

*Si quis tamen evidentiorem Sacramentorum explicationem protulerit, malumus ea ipsa uti cum piis omnibus, quam hortari unum hpminem ut subscribat nostrae consensioni, in qua Scripturae sanctae verba usurpavimus, et expressimus apte quo sensu accipiamus, et cum Ecclesia Catholica nos facere pro compertissimo habemus.*

---

b) *quotque* Ed. Genev. a. 1617.

Digitized by Google

*Porro si non offensiones omnium, quos discordiae inter nos species impedivit in viis Domini, scriptum hoc sustulerit, praeclare tamen suo munere functum existimabimus, quod non obscure neque fucate omnibus testati sumus, nos, quibus Christus dedit idem sentire et loqui de religionis dogmatibus in mysteriorum etiam explicatione, haudquaquam discrepare. Vale frater dilectissime. Tiguri, Tricesimo Augusti, Anno Dom. M.D.XLIX.*

---

Fidelibus Christi Ministris, Tigurinae Ecclesiae, Bernensis, Basiliensis, Schaffusianae, Curiensis et totius Reticae, Sangallensis, Biellensis, Milhousinae, Neocomensis, Pastoribus, Symmistis, et fratribus integerrimis et vere colendis.

Iam elapsi sunt anni quatuor, venerandi fratres, quum in lucem prodiit de Sacramentis confessionis nostrae summa, qua tandem infaustas contentiones, quae nimis diu pios et doctos viros exercuerant, prorsus extinctum iri putavimus. Et certe in illa brevitate complexi eramus, quod ad sedandas bonas mentes sufficeret; resque ipsa ostendit gravibus et cordatis viris non modo placuisse nostrum consilium, sed rem quoque ipsam esse probatam. Quod si in quibusdam maior fuit pertinacia vel etiam, ut in rebus turbatis fieri solet, altius infixa suspicio, quam ut in eundem statim consensum nobiscum descenderent, silentio tamen suo testati sunt nihil sibi videri melius, quam pacem et tranquillitatem colere. Interea indocti quidam homines et turbulenti, reliquis tacentibus, tantam clamandi licentiam sibi sumpserunt, ut ab eorum intemperie novum incendium, nisi obviam eatur, timendum sit. Quia vero et pauci sunt numero, et nulla subest virtus, quae fidem vel auctoritatem ipsis conciliet: imo confusa et insipida garrulitas non minus ridiculos quam odiosos reddit: merito contemni poterant, nisi fingentes publicam se causam agere, licet nullius sint pretii, tamen falso praetextu deciperent multos rudes et imperitos. Sed dum videmus plurimum nocere et nostra patientia crescere in dies ipsorum audaciam, magna, ut arbitror, iustaque necessitas nos ad reclamandum cogit. Equidem quamvis eorum scripta volitent, quibus cruciantur boni, turbantur infirmi, improbi ad rixandum armantur: aegre tamen et dolenter adductus sum, ut eorum stultitiam publice refellerem. Sed quia mihi crudelis fore videbar, nisi discussis illorum fallaciis bonos et simplices errore liberarem: non dubitavi eorum preterviae me libere opponere. Doctos etiam et graves viros, quorum nomen isti frivoli homines indigne obtendunt, sui officii monere volui, ne hanc petulantiam ultra grassari sinant. Praeterquam enim quod pios omnes dare operam convenit, ne longius serpat quod per has faces excitat Satan incendium, certe eorum, de quibus loquor, magis quam nostra interest, importunum fervorem compesci, qui in commune multarum Ecclesiarum dedecus redundat. Indocti et temulenti homines dum Sacramentarium bellum instaurant, primis librorum paginis audacter iactant, pro tota Saxonia et vicinis regionibus se pugnare. Id dum a multis creditur, alios involvit pia reverentia, quam Saxonicis Ecclesiis deferunt, alii eas derident, quod tam putidis indoctisque patronis utantur, alii nimiam sanioris numeri tolerantiam mirantur, impii vero et aperti Christi hostes summam ex mutua nostra concertatione, quasi Lanistae ex gladiatorio ludo, voluptatem capiunt. Quum igitur turpis dissimulatio sit, quae tot malis vagum et effraenem cursum

Digitized by Google

permittit: viderint docti ac prudentes viri, an non suarum partium sit moderari caecos istos impetus, unde tantum damnum inferri Ecclesiae vident. Et quoniam omnes, qui non prorsus intractabiles sunt vel nondum se adeo insolenter iactarunt, placide ad sanam mentem redire cupio, imo ne quis praeclusam sibi poenitentiae ianuam queratur, unum duntaxat et quidem tacito nomine breviter attingam. Ille igitur quisquis est, postquam Thrasonice professus est se plus quam animosum esse fidei orthodoxae vindicem, magnos et insignes viros, quos ego amo et veneror, ipse pro suis praeceptoribus agnoscit, in operam subsidiariam advocat. En quibus auspiciis primarios Ecclesiae doctores nobiscum in certamen committat, nempe ut mali discipuli temeritatem, quasi milites post aciem ad ferendum subsidium locati, sequantur. Sed quod hostium genus illis oppugnandum assignat? Nomine quidem appellat Sacramentarios, rem vero sic definit: eos se aggredi, qui in Eucharistico pane et sanguine Christi praeter vacua signa nihil relinquunt. Si ita est, quiescat ipse tumultuarius et a seipso lectus bellator, locumque potius legitimis et idoneis ducibus cedat. Praeclarae sunt apud Helvetios Rhetosque Ecclesiae, quibus et nostra accedit. Ab his cordati saltem aliquot Duces et antesignani prodibunt, qui ingentes copias secum trahent, ut iustis opibus non minus strenue quam fideliter belli huius molem sustineant. Quis enim nostrum suam sacris symbolis veritatem non asserit? At vero dum ita praefatus non modo singulos enumerat, qui ab huius criminis suspicione longissime absunt, sed etiam consensionis nostrae formulam in medium producit, ubi tam diserte repudiatur error ille: quid hac repugnantia impudentius vel magis praeposterum fingi potest? Nec vero causae nostrae defensionem aliunde opus est accersere, quandoquidem ipse paulo post verba nostra recitat, ubi palam fatemur vere in sacra Coena communicari fidelibus Christi corpus. Quid? ubi vera asseritur communicatio, an nihil praeter nudum et inane signum relinquitur? Restat illi miserum ieiuni cavilli suffugium: nos de spirituali manducatione loqui. An igitur carnalem vellet? Sed non putat nos de vero corpore sentire. Quasi vero nos, sicut ipse et similes, phantasma corporis loco imaginemur. Nos vero quum sciamus unicum esse Christi corpus, quod semel in victimam nostrae cum Deo reconciliationis oblatum est, illud ipsum asserimus nobis offerri in Coena: quia, ut nobiscum Christus partae salutis gratiam communicet, ante nostrum fieri oportet, et vivificam nobis esse Christi carnem, quia ex ea spiritualem vitam hauriamus. His enim verbis aperte usi sumus in consensus nostri summa, cuius ipse partes quasdam citans hoc praecipuum caput improbe et perfide dissimulat. Quid? Ubi praefatus erat, se ad verbum relaturum, quae a nobis essent edita: quo iure coniuncta membra discerpere licuit, ne plena et suo contextu apta confessio sub oculos veniret? Hoc scilicet nonne est instar rabiosi canis obvium quemque lapidem arrodere? Verum alibi, et quidem paulo post, clara de signorum veritate, quam negari a nobis mentitur, testimonia ex nobis profert. Atque hic spargendis nebulis deditus homo vafritiem nobis obiectat, quod de spirituali manducatione prolixe concionando simplices laudamus. Quasi vero spiritualiter Christum manducare quis possit, quin et fidei virtute eum habeat in se manentem et in eius corpus coalescat et in ipso vivat: quod fieri rursum non potest, quin ipse Christus, ut semel in sacrificium pro nobis oblatus est, se nobis fruendum exhibeat. Unde et carnem eius vivificam esse sequitur. Tam belle de erroris, quem oppugnat, specie praefatus, deinde ex opinionum dissidiis odium nobis conflare nititur. Proprium, inquit, haereticorum est, inter se dissentire. Ut ita esse fatear, rogo, quid ad nos? Respondet, quia secundum aliquos panis significat corpus, aliis symbolum est, aliis signum, aliis figura, aliis memoriale, aliis repraesentatio, aliis testimonium vel obsignatio communionis, aliis memoria carnis pro nobis traditae, aliis testificatio,

Digitized by Google

quae spiritualem gratiam figurat, aliis communio in corpore. Quis eum praevaricari non putet? Neque enim consensus noster laudari melius poterat, quam formis loquendi ita probe consentaneis. Ac ne obscurior forte esset simplex verborum descriptio, homo ingeniosus in tabula repugnantiam hanc pinxit. Porro dum videt magis in verbis discrepare Matthaeum a Paulo, Marcum a Luca, quorum alii calicem vocant sanguinem testamenti, alii testamentum in sanguine, ut nodum hunc expediat, non in verbis solum, sed in sensu quoque dissidere nos obtendit. Quid? Signum, significatio, figura, symbolum, repraesentatio contrarium sensum efficiunt? quae sic inter se cohaerent, ut ex unoquoque reliqua omnia gignantur. En cur turbulentus homo ex placida sua et umbratili quiete tela ignea iaculetur, quae incendio totam Europam corripiant. Sed quid de se tandem suisque sodalibus respondebit? Nunc clara per se esse contendit verba Christi, nec ulla interpretatione egere, panem esse corpus: mox autem tropum subesse non negat. Mihi vero necesse non est quaerere, quibuscum hic phreneticus confligat, qui seipsum tam recte elidit. Sed tropum saltem nominet, quem non excusare dicit, quominus panis proprie sit corpus. Certe quisquis erit tropus, a litera deflectet. Iam vero deprehensus tenetur. Nam quum opinionem suam proferens a multis, quos vocat haereticos, dissentiat, sequetur unum ex haereticis esse. Nisi forte publico omnium consensu sanctificatum esse tropum suum ostendet, et eum quidem anonymon, ut solus immunis sit a sinistra nota. Quanquam eum caute subticuit, ne de re incognita iudicium ferretur. Adde quod alibi quosdam nostrum idem verbis sonare fatetur, quod in recta fide sinceros, sed non idem sentire. Ubinam ergo reperietur illa verborum dissonantia, quae sola facit haereticos etiam qui ideo differunt a reliquis, ne erroribus subscribant? Pudendum sane est, fervorem, qui in iuvene tolerabilis non foret, adeo non esse aetate mitigatum, ut homo senex vel pueris ridendum se propinet. Neque tamen dissimulo eum postea diversas sententias colligere, quae etsi non male conveniunt, maiorem repugnantiae speciem praebent. Atqui primum, si ab unoquoque obiter quid dictum est, calumniose id arripit, acsi plena esset definitio. Deinde quum singulis et sua sit dicendi ratio et libertas esse debeat, inique, ne dicam tyrannice, omnibus praescribit, ut necesse sit non modo idem dicere, sed etiam eodem modo. Dixit aliquis mysticum corpus hic notari. Nonne idem Augustinus? Imo an non idem Paulus, quum tradit nos omnes unum esse panem? Dixit alius celebrem esse redemptionis partae memoriam. Nempe sicut ex eodem Paulo et communi omnium magistro filio Dei audimus, hunc sacrae Coenae esse finem, ut solennis illic sit mortis eius praedicatio. Hinc Tragoediam nemo, nisi tragicus aliquis Orestes, movere debuerat. Tantum abest, ut sacrae inter Deum et homines reconciliationis minister, nuntius et interpres excusabilis sit, dum materiam turbandi hinc venatur. Porro, ut discordias aliquamdiu fuisse demus, quia res non statim ab initio dilucide explicari poterat: an pium vel humanum erat, vulnus, quod cicatricem obduxit, de integro scindere? Ne qua varietas distrahat pios lectores: ecce consensus noster interponitur. Videt hic bonus zelotes quoscunque vocat Sacramentarios idem sentire et loqui. Nec vero, si superstites hodie essent optimi et eximii Christi servi Zuinglius et Oecolampadius, verbulum in ea sententia mutarent. Nam et felicis memoriae vir Martinus Bucerus, quum eum legisset, scriptis ad me literis pro sua pietate gratulatus est toti Ecclesiae, cui pro maligno suo livore, quantopere invideat hic bonus arbiter vel censor, eius obtrectato satis testatur. Ego vero, non ut retaliem eius calumniam, sed ut pro insulso eius probro verum dictum regeram, sic excipio. Proprium diaboli est calumniari, unde et nomen habet. Proprium eiusdem est luci tenebras obducere. Proprium denique eiusdem, quia discordiarum pater est, pacem turbare et lacerare fidei unitatem. Haec omnia quum in isto nostro

Digitized by Google

censore palam cernantur, quo loco habendus sit, mihi non est necesse dicere, quia nemini obscurum est. Caeterum quia non minore studio tum ad tuendam veritatis causam tum ad fovendam pacem incumbere nos decet, quam utriusque eversionem molitur Satan: aliquid hac in re tentandum esse duxi, integerrimi et vere observandi fratres: si forte mitescant qui hactenus fuerunt duriores, vel saltem ut ad domanda eiusmodi cerebrosa capita pii, graves et moderati doctores instructi sint. Atque haec mihi visa est optima ratio: quia et quorundam cavillis obnoxia est summa prioris scripti nostri brevitas, nec dubitationes altius multorum animis infixas penitus revellit, ne quis scrupulus maneret, plenius aliquanto mentem nostram exprimere, ut eadem sit confessio pluribus verbis luculentior. Exprobrat nobis ille, de quo iam nimis multa, tam confusum esse inter nos opinionum chaos, ut nemo alterum intelligat. Atqui ego sic vestra omnium sensa mihi tenere videor, ut nihil aliud a me hic positum fuisse confidam, quam quod singuli vestrum scripturi essent. Non enim dictandi vel praeeundi partes mihi arrogo, sed hac lege meum obsequium defero, ut arbitrii vestri sit statuere quidnam expediat. Quod eo meliore fiducia aggressus sum, quia et ego antehac sum expertus, et vos claro documento testatum fecistis, similem laborem libere pia sedulitate a me susceptum vobis probari. Valete optimi et semper colendi fratres. Dominus vobis adsit, vos gubernet suo Spiritu, vetrisque laboribus benedicat. Salutant vos reverenter collegae mei. Genevae 13. Cal. Decembris, M.D.LIV.

*Ioannes Calvinus vester.*

## CONSENSIONIS CAPITUM EXPOSITIO.

Quum piis omnibus sanoque et recto iudicio praeditis tam odiosa pridem esset molestaque, quae hac nostra aetate mota fuerat de Sacramentis contentio, quam infeliciter ab ea prosperum Evangelii cursum tardari videbant: non modo commoda aliqua ratione vel sepultam esse vel compositam semper optarunt, sed in ea quoque sedanda a quibusdam non parum laboris positum est. Quod ex voto non protinus successit, in ea tarditate, quam difficile sit ignem Satanae artificio semel accensum restingui, triste documentum apparuit. Hue quidem usque profectum est, ut sedato nonnihil fervore ad docendum magis quam ad pugnandum utraque pars intenta foret. Sed quia adhuc ex sopitis carbonibus subinde micabant scintillae, a quibus novum incendium rursus timendum erat: quod optimum putavimus remedium nos Tigurinae et Genevensis Ecclesiae pastores, adhibito etiam optimo fratre nostro Farello, afferre conati sumus, ne qua in posterum residua maneret discordiae materia. Breve compendium edidimus, quod nostram de Sacramentis doctrinam ita testatur, ut communem aliorum pastorum consensum, qui purum Evangelium apud Helvetios Rhetosque sequuntur, contineat. Hoc testimonio in publicum edito doctis et moderatis hominibus plane satisfactum esse nobis persuasimus, neminem certe putavimus ita morosum, quin placatus quiesceret. Nam ut postea videbimus, dilucida illic constat omnium rerum, de quibus antehac certatum est, definitio, quae nullum sinistrae suspicioni locum relinquat. Et singulari Dei beneficio factum est, ut

Digitized by Google

magna in parte ex spe votoque nostro successerit. Ecce autem, rebus tranquillis, surgunt importuni quidam homines, et quasi discordiis pascuntur, ad arma denuo conclamant. Nec vero est, quod sancti zeli praetextu excusent suam intemperiem. Satis inter nos convenit, veritatis iactura minime redimendam esse pacem. Ac proinde satius esse fateor, caelum terrae misceri, quam deseri sanae doctrinae patrocinium. Si quis sophisticis ambagibus, quae contrarias doctrinas fucando conciliant, strenue se cordateque opponat, non reprehendo. Quin potius hanc mihi laudem iure meo vendico, vix alium quenquam esse, cui magis placeat ingenua veritatis confessio. Quare facessant inanes isti praetextus, saepe, ne iaccat sanae doctrinae defensio, excitandas esse turbas. Nam primum nihil in hac causa obscure vel perplexe a nobis dictum, nihil astute celatum, nihil denique omissum de tota rei summa ostendam; deinde nihil minus nobis propositum fuit, quam liberum veritatis cursum abrumpere. Quin potius hoc summae curae fuit, quomodo placide et sine offensa, quod utile cognitu est in hac re, et tradi et legi posset. Sed ne verbis ultro citroque ambigue certemus: hoc tantum a lectoribus postulo, ut, quod solidis et claris rationibus probatum ante oculos ponam, recipiant.

Principio, ubi de Sacramentis agitur, negari non potest, quin praecipue consideranda sit Domini institutio, eiusque finis. Hinc et vis Sacramentorum et usus optime cognoscitur: ut errare nequeat, quisquis huc mentem dirigit, quo Dominus ipse nos vocat. Quorsum vero instituta sint Sacramenta, recte a nobis traditum, vel iniquissimi quique fateri cogentur: nempe ut nos ad Christi communionem deducant. Confidentius etiam loquar, neminem eorum, qui nobis obtrectant, unquam aliquid protulisse in medium, quod hanc partem magis diserte exprimeret. Si illis cordi est Sacramentorum dignitas: quid, obsecro, ad eam ornandam aeque magnificum, quam dum adminicula et media vocantur, quibus vel inseramur in corpus Christi vel insiti magis ac magis coalescamus, donec solide nos secum uniat in caelesti vita? si salutem nostram Sacramentis adiutam cupiunt: quid aptius cogitari potest, quam ut ad ipsum vitae fontem deducti vitam hauriamus ex Dei filio? Ergo sive utilitas nostra spectatur, sive dignitas et reverentia, quam Sacramentis deferri par est, finem et causam, cur instituta sunt, luculente exposuimus. Certe quod Paulus ventosis doctoribus obiicit, (Col. 2.) qui animas infructuosis speculationibus inflant, non aedificant, ipsos non tenere caput, longe a nobis alienum est, qui et ad Christum referimus omnia, et in ipso colligimus, et sub ipso ordinamus, et ab ipso totam vim Sacramentorum asserimus defluere. Nunc meliorem docendi regulam praescribant morosi isti censores, quam quae a Paulo tradita est. Si illis displicet ad symmetriam illam inter caput et membra Eccle-

Digitized by Google

siae, quam tantopere laudat Paulus ipse, et a qua solidam doctrinae perfectionem aestimat, Sacramenta aptari.

Bene igitur habet, quod de Sacramentis verba facturi optimo et maxime apposito exordio usi sumus, et finem eorum descripsimus, quem aequi omnes et moderati lectores sine controversia probabunt. Iam in usu legitimo duo cavenda sunt vitia. Nam si plus aequo extollitur eorum dignitas, facile obrepit superstitio; sin vero de vi eorum fructuque frigide vel minus splendide disseritur, mox profanus contemptus erumpit. Si media a nobis servata est ratio, quis non obstinatos veritatis hostes esse dicat, qui maligne sanctum consensum arrodere malunt, quam vel comiter amplecti vel saltem silentio probare? Neque enim, ut in verba nostra iurent, postulamus; quiescant modo et recte loquentibus non obstrepant. Obtendunt quidem, quia Sacramentis vim suam non tribuimus, se nobiscum ideo contendere. Sed ubi ad rem ventum est, alii nihil praeter convicia proferunt et caecos tumultus, alii quasi fastidiose uno verbo damnant quod nunquam legerunt. Atqui inconsiderate eos rixari, ex re ipsa perspicuum est. Quanta vehementia causam hanc egerit Lutherus, cuius imitatores videri cupiunt isti, plus satis omnibus notum est. Scio, quam multa hyperbolice ei in contentione excidant; sed quoties piis et integris iudicibus maxime plausibilem volebat causam suam reddere, qua de re professus est se habere certamen? Nempe, quod ferre non posset, Sacramenta externas tantum confessionis notas censeri, non etiam divinae erga nos gratiae tesseras ac symbola; deinde quod indignum statueret, vacuis et inanibus figuris conferri, quum in illis vere testetur Deus, quod figurat, et simul arcana virtute praestet atque impleat, quod testatur. Iurene an iniuria tantopere exarserit, in praesentia non disputo. Mihi enim sufficit, quum in hac causa exagitanda minime fuerit remissus, dum serio agendum est, ubi consistat non invenire: nisi quod obtendit hunc sibi totius disputationis esse statum. Et certe, ut, omissa mentione hominis, cuius ut memoriam reverenter colo, ita honori cupio consultum esse, de re simpliciter pronuntiem: hoc praetextu sublato, effugere nequeunt quicunque litem nobis intentant, quin probis omnibus et sanis odiosa sit eorum morositas. Itaque haec eadem subinde in eorum ore resonat cantilena. Quod si haec non deliniendis simplicium auribus, sed ingenue testantur; dum nos ex altera parte fateri audiunt, Sacramenta neque inanes esse figuras neque externa tantum pietatis insignia, sed promissionum Dei sigilla, testimonia spiritualis gratiae ad fidem fovendam et confirmandam, item organa esse quibus efficaciter agit Deus in suis electis, ideoque, licet a rebus signatis distincta sint signa, non tamen disiungi nec separari, data esse ut, quod verbo suo pollicitus est Deus, sanciant et confirment, ac praesertim arcanam quae nobis cum Christo est communicationem obsignent: certe nihil restat causae, cur nos reiiciant in hostium numerum.

Digitized by Google

Quid enim? Quum ubique, sicut nuper dixi, clament sibi non aliud esse propositum, nisi ut valeat haec doctrina, Sacramentis Deum uti tanquam adminiculis ad fidem fovendam et augendam, inculptas illis esse aeternae salutis promissiones, ut eas conscientiis nostris offerant, neque vacua rebus esse signa, quia Deus illis Spiritus sui efficaciam coniungat: his omnibus concessis, quid iam obstat, quaeso, quominus manum libenter porrigant? Et ne drivata singulorum scripta evolvere et excutere necesse sit: in consensu nostro reperient lectores quidquid continet edita Ratisbonae confessio, quam Augustanam vocant; modo ne crucis metu ad captandam Papistarum gratiam flectatur. Verba sunt: in sacra Coena cum pane et vino vere dari Christi corpus et sanguinem. Absit vero, ut nos vel Coenae symbolo auferamas suam veritatem vel pias animas tanto beneficio privemus. Dicimus ergo, ne sensus nostros frustrentur panis et vinum, externae eorum figurae verum effectum esse coniunctum, ut corpus et sanguinem Christi illic recipiant fideles. Imo quia consilium nostrum erat, dubitationem omnem eximere piis lectoribus, quae illic tantum breviter perstricta erant, conati sumus fusius et dilucidius explicare.

Quaeritur, quaenam Sacramentorum efficacia sit, quis usus, quod officium. Respondet scriptum nostrum, quum tota fidelium salus a spirituali, quam habent cum filio Dei, communicatione pendeat, eius testificandae causa, tam Evangelii quam Sacramentorum usum esse mandatum. Observent lectores Evangelio coniungi Sacramenta, ut eandem in salutis nostrae capite utilitatem nobis afferant. Unde sequitur, quae de illo affirmat Paulus, (Röm. 1. 2 Cor. 7.) licere per nos ad haec transferri. Itaque non negamus, partem esse illius virtutis, quam Deus in salutem nostram exerit, et ministerium nostrae cum Deo reconciliationis in illis quoque contineri. Quando enim illud Augustini libenter nos amplecti omnes semper professi sumus: Sacramentum scilicet quasi visibile esse verbum; sine controversia agnoscimus, utroque similiter adminiculo salutem nostram promoveri. Iam si quaeritur, qualis ista sit communicatio, sic paulo ante a nobis erat descripta, ut fictitia et umbratilis dici nequeat: nempe (quod etiam est proprium fidei munus ac perpetuum) coalescere nos oportere in Christi corpus, ut gratiae suae effectus in nobis compleat: quia non aliter vitam in nos suam diffundit, nisi dum caput nostrum est, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensura cuiusque membri augmentum corporis faciat. Sequitur deinde clarior illa, quam nuper attigi, explicatio, quamvis sacramenta notae sint ac tesserae Christianae professionis sive societatis, item ad gratiarum actionem incitamenta, pietatis denique exercitia et syngraphae ad Dei cultum nos obligantes: esse tamen hunc finem praecipuum inter alios, ut per ea Dominus suam gratiam nobis testetur, repraesentet atque obsignet: secundo non esse nuda

Digitized by Google

spectacula, quae oculis nostris ingerantur, sed illic repraesentari spirituales gratias, quarum effectum fideles animae percipiunt. Verba enim sunt: quum vera sint quae Deus nobis gratiae suae dedit testimonia et sigilla, vere proculdubio ipsum intus praestare suo Spiritu quidquid figurant Sacramenta: hoc est ut potiamur Christo bonorum omnium fonte, tum ut beneficio mortis eius reconciliemur Deo, Spiritu renovemur in vitae sanctitatem, iustitiam denique et salutem consequamur. Quibus subiicimus continuo post, nos inter signa et res signatas distinguendo, non tamen disiungere a signis veritatem, quin fateamur, quicunque oblatas illic promissiones fide amplectuntur, Christum spiritualiter cum omnibus suis donis recipere. Si mihi cum Papistis esset negotium, collectis Scripturae ac veterum testimoniis accuratius ostenderem, nihil vel a Deo proditum vel ab Ecclesia unquam creditum fuisse de Sacramentis, quod non breviter complexi simus. Homines autem, quibus solenne est assidue clamitare verbum Domini, verbum Domini, mirum est nisi de hac re litem amplius movere pudeat. Nam quum nihil absurdius sit quam Sacramenta efferri supra verbum, cuius appendices sunt ac sigilla, nihil verbo congruere reperient, quod non Sacramentis quoque demus. Denique si unicum agnoscunt salutis nostrae auctorem Deum, qui Sacramentis plus dari postulant, quam ut arcanae illius gratiae media pro infirmitatis nostrae captu sint et organa? A contemptu porro ea satis superque hoc unum vendicat, non modo bonorum omnium, quae nobis semel in Christo exhibuit Deus et nos quotidie percipimus, esse tesseras, sed externae eorum repraesentationi coniunctam esse Spiritus efficaciam, ne inanes sint picturae.

Iam vero quam solicite ex altera parte cavenda sit superstitio, non modo actatum omnium experientia docet, sed unumquemque nostrum propria ruditas convincit. Nam ut in terram nobis proclive est ingenium, sponte nos ad se plus satis externa elementa rapiunt, quamvis non hyperbolice ornentur. Ubi vero accedit immodica commendatio, vix se a pravo et vitioso reverentiae excessu continet centesimus quisque. Ita et illis perperam affingitur salutis fiducia et, quod unius Dei proprium erat, indigne ad illa transfertur. Qua in re plusquam caeca est istorum, qui nobis obtrectant, pervicacia. Nam quum adversus Papistas vociferari cogantur, ne quis ipsos nobis putet subscribere, rem ipsam clare definire non audent: imo ne ad rectam moderationem descendant, seipsos data opera impediunt et suspensos relinquunt lectores. Ac ne frustra conqueri videar, brevi explicatione, quam nihil sit in scripto nostro dignum reprehensione, nunc patefaciam. Ut superstitioni obviam iremus, primo loco diximus stulte eos facere, qui ad nuda tantum signa ac non potius ad promissiones illis annexas respiciunt. Quibus verbis nihil aliud voluimus, quam quod omnium consensu vere et scite Augustinus (Homil. in Ioan. 80.) docet, tum demum ex elementis Sacramenta extare, dum verbum accedit,

Digitized by Google

non quia profertur, sed quia creditur. Atque hanc esse causam, cur mundos pronunciet Apostolos Christus propter verbum, quod ab ipso audierant, non propter Baptismum, quo loti erant. Nam si visibiles figurae, quae pro Sacramentis ingeruntur sine verbo, non tantum ieiuna sunt et mortua elementa, sed noxiae praestigiae: quid aliud est Sacramenti intuitus, ubi promissio non attenditur, nisi mera illusio? Certe si quis oculos tantum illuc afferat clausis auribus, nihil a profanis gentium mysteriis differet. Nam etsi ex vetustis gentium ritibus plurimos a sanctis patribus fatemur originem habuisse, quia tamen vacui doctrina nihil purae fidei retinebant, degeneres et corruptos merito fuisse dicimus. Atque omnino sic res habet: nisi promissione condiatur signum, per se insipidum, nihil proderit. Quid enim aget mortalis homo et terrenus aquam fundendo in eorum capita, quos baptizat, nisi e sublimi pronunciet Christus, se animas sanguine suo abluere et Spiritu renovare? Quid totus coetus piorum pauxillum vini et panis gustando, nisi e caelo vox illa personet, Christi carnem spiritualem esse cibum, et sanguinem vere esse potum? Vere itaque concludimus aquae, panis et vini materia nos Christi ac spiritualium eius donorum nequaquam fieri compotes, sed promissione ad ipsum nos deduci, ut se nostrum faciat fideque in nobis habitans impleat quicquid signis promittitur ac offertur. Quid in hac re quisquam improbet, non video: nisi forte sacris signis honorificum esse putet, lusorias sine fide actiones censeri.

Hac occasione merito iterum pias mentes ad Christum reducimus, ne quid aliunde petant eorum bonorum vel sperent, quorum tessera illis ac pignus in signis proponitur. Atque hoc modo sequimur quam Deus regulam Mosi praescripsit: ut omnia exigeret formaretque ad exemplar, quod ei in monte ostenderat. Hunc enim locum non abs re Stephanus in Actis et Apostolus in epistola ad Hebraeos notant. Atqui ut olim crassi inter Iudaeos erroris corrigendi haec optima fuit ratio, ne scilicet in visibili tabernaculo et pecudum victimis subsisterent, Christum ad quem suspicerent illis ante oculos statui: ita hodie ad spiritualem illum archetypum nos esse intentos decet, ne inanibus spectaculis frustra ludamur. Et certe Dominus Sacramenta instituens minime impedimenta circumdedit, quae nos detineant in mundo, sed scalas potius erexit, per quas sursum ad caelos conscendere liceat: quia nec alibi quaerendus est Christus, nec alibi etiam quam in eo solo quiescendum. Quid enim, obsecro? An ideo pro nobis mortuus est Christus ac resurrexit, ut nos ad mortua elementa ablegans salutis causa et materia nobis esse desineret? Imo adiumenta ad se quaerendum nobis porrexit, ut suo loco maneret.

Sequitur altera plus satis tritae et tamen non parum noxiae superstitionis correctio: ubi monemus, si quid per Sacramenta nobis conferatur, id non fieri propriâ eorum virtute, sed quatenus Domino Spiritus sui virtutem in illis exercere placet. Nam

Digitized by Google

se humanum ingenium continere nequit, quin vel includat Dei virtutem signis vel signa ipsa in Dei locum substituat. Ita fit, ut virtutis suae laude spolietur ipse Deus, dum mortuis creaturis acceptum ferunt homines, quod eius proprium est. Haec doctrinae nostrae summa est, quam dilucidis et minime ambiguis verbis testamur, Deum solum peragere, quicquid ex Sacramentis consequimur, et quidem arcana sua et intrinseca, ut loquuntur, virtute. Caeterum ne quis obiiceret, signis quoque suas esse partes, ne frustra data sint: mature illic occurrimus, sic Deum illorum uti ministerio, ut neque vim ipsis suam infundat nec quicquam deroget Spiritus sui efficaciae. Quid etiam hic requirent boni viri? Deum per Sacramenta agere volunt? Hoc docemus. Volunt in ipsis fidem nostram exerceri, foveri, adiuvari, confirmari? Idem asserimus. Volunt Spiritus sancti virtutem in illis extare, ut electis Dei in salutem prosint? Idem nos quoque concedimus. In eo vertitur quaestionis status: soline Deo in solidum adscribere conveniat omnes salutis nostrae partes, an eius laudis partem ipse ad Sacramenta derivet, dum illis utitur. Quis nisi is omn verecundiae expers de hoc capite contendere audeat? Ac nostrae quidem doctrinae Paulum citamus testem, qui ministros nihil esse et plantando ac rigando nihil agere pronunciat, si quis ipsos a Deo separet, qui solus dat incrementum. Unde perspicere cuivis promptum est, modo maneat Deo quod suum est, nos Sacramentis nihil detrahere. Certe quam magnifice alibi verbi praedicationem extollat Paulus, satis notum est. Qui fit ergout nunc fere in nihilum eam redigat? nisi quia, ubi ad Dei comparationem venitur, illum unicum bonorum omnium agnosci auctorem aequum est, qui sic libere utatur creaturis, ut suo arbitrio per illas, quatenus visum est, agat. Nec vero terrenis elementis fit iniuria, si Dei spoliis non ornantur.

Quod autem subiicimus ex Augustino, unum esse Christum qui intus baptizat, item unum eundem esse, qui nos in Coena facit sui participes: utriusque mysterii praestantiam summopere commendat. Nam hinc colligimus, non humanas esse actiones, quarum auctor est Filius Dei, quibus praesidet, in quibus tanquam exerta e caelo manu, virtutem suam profert. Deinde nihil utilius est, quam ab hominis mortalis terrenique elementi intuitu abstrahi sensus nostros, ut Christum velut praesentem fides nostra aspiciat. Quan quam et hoc rursum ad ius suum Christo vendicandum spectat, ne cum putemus externum ministerium hominibus ita mandare, ut spiritualis effectus laudem illis resignet. In quem sensum Augustinus (Hom. 5. et 6. in Ioan.) pluribus disputat, Baptismum efficaciae et potestatis non nisi in Christum unum competere. Et quid opus est humano testimonio, quum vox illa Spiritus, quae in ore Baptistae (Ioan. 1.) clare sonuit, aures nostras assidue percellere debeat? Hic est qui baptizat in Spiritu, siquidem eum hoc elogio ab omnibus ministris discerni constat, ut sciamus solum

Digitized by Google

ipsum intus praestare, quod homines visibili signo testantur. Quod probe alibi Augustinus (Quaestionum veter. lib. 3. c. 84.) exponit his verbis. Quomodo ergo et Moses sanctificat et Dominus? Non enim Moses pro Domino, sed Moses visibilibus Sacramentis per ministerium suum: Dominus autem invisibili gratia per Spiritum sanctum, ubi est totus fructus etiam visibilium Sacramentorum. Nam sine ista sanctificatione invisibilis gratiae visibilia Sacramenta quid prosunt? Nec vero aliter conciliari poterunt scripturae loci, qui videntur in specie discrepare: Cuius generis sunt, quos illic notavimus, Spiritum sanctum esse sigillum, quo nobis sancitur futurae haereditatis fides: et Sacramenta etiam sigilla esse. Nihilo enim magis consentaneum est, pari gradu locari, quam ad signa transferri, quod non nisi in Spiritum competit. Una igitur solutio est in illo vulgari dicto, superioris et subalterni nullam esse repugnantiam. Nam si quis contendat non obsignari mortuis signis salutem nostram, quia hoc proprium est Spiritus sancti munus, quaero quid responsuri sint isti censores, quibus non plane arridet consensus noster? nisi hoc ipsum quod asserimus: quod mediis inferioribus utitur Deus, minime id obstare quin Spiritus sui virtute fidem nostram solus inchoet ac perficiat.

Quod dicimus, non omnibus promiscue, sed electis Dei tantum, ad quos interior et efficax Spiritus operatio pervenit, prodesse signa, clarius est quam ut longa refutatione indigeat. Nam si quis omnibus communem facere velit effectum, praeterquam quod Scripturae testimonio refellitur tale commentum, experientia etiam reclamat. Ergo sicuti per se externa vox hominis in corda minime penetrat, sed ex multis auditoribus soli ad Christum veniunt qui trahuntur intus a Patre: iuxta illud Iesaiae, non alios praedicationi credere nisi quibus revelatum est Dei brachium: ita penes liberum et gratuitum eiusdem Dei arbitrium est, dare quibus voluerit, ut in signorum usu proficiant. Nec vero dum ita loquimur, quicquam mutari intelligimus in Sacramentorum natura, quin sua illis maneat integritas. Neque enim Augustinus, (Tract. in Ioan. 26.) dum ad corpus Ecclesiae, quod in praedestinatis, qui iam ex parte iustificati sunt et adhuc iustificantur et olim glorificandi sunt, restringit sacrae Coenae effectum, eius vim, si ipsa per se aestimetur, erga reprobos evacuat vel minuit: sed tantum eius fructum peraeque omnibus communem esse negat. Quando vero reprobis non nisi sua incredulitas obstaculo est, quominus Christo potiantur, in ipsis quoque tota culpa residet. Denique neminem frustratur signi repraesentatio, nisi qui ultro et maligne seipsum privat. Verissimum enim est tantum quemque fructus ex signis referre, quantum fidei vase percipiet. Ac merito Sorbonicum illud figmentum repudiamus, novae legis Sacramenta omnibus prodesse, qui modo obicem non ponat peccati mortalis. Nam virtutem illis affingere, quam externus tantum usus instar canalis in animas infundat, plane insipida superstitio est. Quod si fidem mediam intercedere opor-



Digitized by Google

tet, nemo sanus negabit, eundem Deum, qui his subsidiis infirmitatem nostram levat, fidem etiam dare, quae idoneis fulturis subnixa ad Christum conscendat, ut eius gratiis potiatur. Et certe extra controversiam esse hoc debet: sicuti lucere solem et suos e caelo radios emittere non sufficeret, nisi prius dati nobis essent oculi, qui luce eius fruantur, ita Dominum frustra externis signis illucescere, nisi nos oculatos reddat. Imo sicuti solis calor vivum et animatum corpus vegetans, in cadavere foetorem excitat, ita Sacramenta, ubi non adest fidei Spiritus, mortiferum potius quam vitalem odorem spirare certum est.

Caeterum ne quis ideo vel quidquam decedere Sacramentorum virtuti vel hominum incredulitate et malitia infirmari Dei veritatem putaret, diligenter nos cavisse existimo, dum integra nihilominus diximus manere signa indignisque Dei gratiam offerre nec vim promissionum labefactari, licet non recipiant increduli quod offertur. De ministris hic non agitur, de quibus stulte olim dubitatum est, an eorum perfidia vel alia quaevis indignitas Sacramenta vitiet. Nobis autem sanctior est Dei institutio, quam ut eius vis ab hominibus pendeat. Sit igitur aut Iudas aut Epicureus quis piam sacrorum omnium contemptor, Baptismi vel sacrae Coenae minister. Non secus et lavacrum regenerationis et spirituale carnis et sanguinis Christi alimentum fidelibus per eius manum a Domino conferri statuimus, quam si Angelus de caelo descenderet. Non quod communi Ecclesiae incuria vel conniventia foveri deceat vitiosos ministros, et qui sacrum locum impura vita contaminant: quin potius tam publice quam privatim danda opera est, ut talibus inquinamentis Dei sanctuarium purgetur, si fieri potest. Verum si quos prorsus impios ad honorem obrepere contingat, vel ambitiosus quorundam favor impediat, ne in ordinem cogantur dissoluti, vel protinus, ut optandum foret, abdicentur: quantumvis detestabilis sit eorum indignitas, Sacramentis nihil derogat: quando non nisi a seipso sumit Christus quod illic nobis largitur, a ministris autem non haurit vel derivat. Itaque quod intentionem consecrantis necessario requirunt Papistae, perversum et exitiale figmentum esse non dubitamus. Sed quum Dominus vere semper, quod figurat, tam per impios quam fideles ministros praestare sit paratus, nonnisi fide recipi fatemur, quod oblatum est; incredulos vero inanes dicimus vacuosque discedere. Neque tamen eorum vitio Sacramenti virtuti quidquam deperit. Aditum claudit et obserat incredulus, quominus in eius animam penetret Dei gratia. Negamus Dominum ideo manum suam retrahere: quin potius, ut sibi perpetuo constet ac immensa bonitate sua certet cum hominis malitia, vere quod respuitur offerre asserimus. Sed haec duo longe inter se differunt, fidem Domino constare ad praestandum quod signo demonstrat, et hominem, ut fruatur oblata gratia, locum promissioni dare, quia, ut quis recipiat quod datur, ante capacem esse oportet, sicuti scriptum est: Aperi os tuum et

Digitized by Google

implebo illud. Quare inscite quidam clamitant inanem et irritam fieri sacrae Coenae figuram, nisi tantundem in ea percipiant impii, quantum fideles. Si promiscue idem utrisque dari sentirent, facile subscriberem. Sed Christum absque fide recipi non minus portentum est, quam semen in igne germinare. Nam quo iure sibi permittunt, Christum a Spiritu suo divellere? quod nefarium esse sacrilegium ducimus. Recipi ab impiis Christum volunt, quibus ne guttam quidem concedunt Spiritus Christi. Quid hoc aliud est, quam veluti mortuum sepulchro includere? Atqui, dicet quispiam, reos non faceret Paulus corporis et sanguinis Domini qui indigne manducant, nisi fierent ipsi quoque Christi participes. Imo si pateret in eos Christo ingressus, omni ipsos reatu eximeret. Nunc vero, quia sacrae communicationis pignus, quod reverenter suscipere decebat, foede conculcant, non mirum si corporis et sanguinis censeantur rei. Nimis autem absurde imperiti homines reatu non putant teneri, nisi qui et manibus palpant et dentibus atterunt et deglutiunt Christi corpus. Iam vero secundum eos qualis ista erit receptio? Nam modum, quo Christus habitat in nobis, Paulus fidem esse pronunciat. Ergo sublata fide, tantum ad momentum recipi necesse erit, ut simul evanescat. Quanto rectius Augustinus, (Hom. in Ioan. 62.) ut homine probe in Scripturis exercitato dignum erat, non secus panem Domini Iudae datum esse docet, quo manciparetur diabolo, quam datum Paulo angelum Satanae, per quem perficeretur in Christo. Prius vero dixerat, (Homil. 59.) reliquos discipulos manducasse panem Dominum, Iudam vero panem Domini contra Dominum. Alibi quoque (Homil. 26.) celebre istud Christi dictum prudenter expendit, nunquam morituros qui manducaverint. Nempe, inquit, virtutem Sacramenti non tantum visibile Sacramentum; et quidem intus, non foris; qui corde manducant, non qui premunt dente. Unde tandem concludit, Sacramentum huius rei in mensa Dominica proponi, et id sumi quibusdam ad exitium, aliis ad vitam, rem ipsam, cuius signum est Coena, omnibus ad vitam cedere, nulli ad exitium, quicunque fuerit eius particeps. Ac ne quis de eius scriptoris mente dubitet, quasdam sententias non pigebit altius repetere. Postquam dixerat panem hunc interioris hominis quaerere esuriem, subiicit: Manna et Moses et Aaron et Phinees et multi alii manducarunt, qui placuerunt Domino nec mortui sunt. Quare? quia visibilem cibum spiritualiter intelligebant, spiritualiter esuriebant, spiritualiter gustabant, ut spiritualiter satiarentur. Nam et nos hodie accepimus visibilem cibum; sed aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Et paulo post: ac per hoc qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit eius sanguinem: licet carnaliter et visibiliter premat dentibus signum corporis et sanguinis: sed magis tantae rei Sacramentum sibi ad iudicium manducat et bibit, quia immundus praesumpsit ad Christi accedere Sacramenta. Vides ut profanis et



Digitized by Google

impuris nihil praeter visibilem signi sumptionem concedat. Dicit alicubi, (Lib. 5. de bapt. contra Donastist.) fateor, corpus Christi fuisse illis panem Coenae, quibus dicebat Paulus, Qui indigne sumit, iudicium sibi edit et bibit, non discernens corpus Domini: nec ideo nihil accepisse, quia male acceperint: sed quo sensu id velit accipi, plenius idem ipse alio loco. (Lib. de civit. Dei 21. c. 25.) explicat. Nam ex professo definiendum suscipiens, quomodo improbi et scelerati homines, qui fidem catholicam ore profitentur, Christi corpus manducent: et quidem adversus quorundam opinionem, qui non solo Sacramento eos edere, sed re ipsa fingebant: sed nec isti, inquit, dicendi sunt manducare corpus Christi, quoniam nec in membris computandi sunt Christi. Ut enim alia taceam: non possunt simul esse membra Christi et membra meritricis. Denique ipse dicens, Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo: ostendit quid sit, non Sacramento tenus, sed revera Christi corpus edere. Hoc enim est in Christo manere, ut in illo maneat et Christus. Sic enim hoc dixit tanquam diceret, Qui non manet in me et in quo ego non maneo, non se dicat aut existimet manducare corpus meum vel sanguinem meum bibere. Desinant ergo imperiti homines pro Iuda litigare, nec Christum sine Christo appetere videantur.

Quod deinde prosequimur, fidelibus spiritualium bonorum effectum quae figurant Sacramenta, extra eorum usum constare, quando et quotidie verum esse experimur et probatur Scripturae testimoniis, mirum est si cui displiceat. Neque enim si martyribus carcere inclusis liberum non est externum signum sumere, ideo Christo carere dicentur, qui magnifice in illis triumphat. Nec ad Coenam quisquam rite accedet Christo prorsus vacuus: nec Cornelio decrat Baptismi veritas, qui ante aquae lotionem Spiritu sancto iam perfusus erat: sicuti nec Moses divinae unctionis expers, cuius signum aliis contulit, ipse nunquam accepit. Quanquam eo minime spectat haec doctrina, ut, signorum usu valere iusso, arcanis inspirationibus contenti simus. Neque enim, si Dominus interdum, ut suam virtutem nullis adminiculis obstrictam probet, omisso signo idem peragit, quod per signum repraesentat, ideo, quod in salutem nostram instituit, quasi supervacuum abiicere censebitur. Nobis vero multo minus id licebit, quorum fides verbo eiusque sigillis intenta esse debet. Vere enim ab Augustino scriptum est: (Lib. quaest. vet. test. 3.) Quamvis Deus absque signo visibili quos vult sanctificet, quisquis tamen signum contemnit, invisibili sanctificatione merito privari. Huic capiti affine est quod proxime addidimus, nempe quae ex Sacramentis percipitur utilitas, eam ad externae sumptionis tempus non debere restringi, ac si Dei gratiam eodem secum momento adveherent. In quo si quis a nobis dissentit, tum regenerationis gratiam in multis acceleret necesse est, tum in reliquum vitae cursum fabricet innumeros Baptismos. Effectum Baptismi, qui ad tempus nullus fuit, videmus tandem

Digitized by Google

emergere. Aqua tinguntur multi ab utero matris, qui aetatis progressu adeo se intus fuisse baptizatos non ostendunt, ut potius, extincto, quantum in se est, Dei Spiritu, Baptismum suum exinaniant. Eorum partem ad se Deus revocat. Qui ergo vitae novitatem signo tanquam capsula includet, non tam ornabit signum ipsum, quam Deo erit iniurius. Iam quum assidua usque ad mortem esse debeat poenitentiae meditatio, ut in ea proficiant filii Dei, quis Baptismum impie mutilari non videt, si non ultra externam administrationem vis et eius fructus extenditur, qui ad totum vitae decursum patet? Imo nihil in sacra signa magis contumeliosum fingi potest, quam eorum veritatem in praesenti tantum actione vigere. Hoc ita accipio, quamvis statim praetereat visibilis figura, manere tamen quam testatur gratiam, neque momento cum oculari spectaculo evanescere. Neque enim eorum superstitioni favere animus est, qui elementa panis et aquae, quasi post usum praesentem, cui destinata sunt, in ipsis haereat consecratio, perperam in templis asservant. Atque id diserte testari oportuit, ne spem aeternae salutis, quae nullis temporum inclinationibus obnoxia est, temporalibus signis quis affigat, ut non plus concipiat fides, quam intuitu cernit oculus.

Venio nunc ad quaestionem, ex qua exorti sunt tam violenti et duri conflictus: qualis in sacra Coena sit corporis et sanguinis Domini communicatio. Porro eius definitio non ante a nobis posita est, quam refutatum localis praesentiae figmentum et expositus verborum Christi sensus, de quibus antehac nimis contentiose certatum est. Sed quia nunc morosis et indoctis hominibus occurrere consilium est, qui praecipites ad caecum calumniandi impetum feruntur, vel probos et simplices sinistris illorum sermonibus imbutos placare, nunc ab illo tertio capite incipiam. Primum quidem fatemur, Christum, quod panis et vini symbolis figurat, vere praestare, ut animas nostras carnis suae esu et sanguinis potione alat. Facessat igitur putida illa calumnia, theatricam fore pompam, nisi re ipsa praestet Dominus quod signo ostendit. Neque enim dicimus quidquam ostendi quod non vere detur. Iubet nos Dominus panem et vinum accipere: interea spirituale carnis suae et sanguinis alimentum se dare pronunciat. Huius rei non fallacem oculis proponi figuram dicimus, sed pignus nobis porrigi, cui res ipsa et veritas coniuncta est: quod scilicet Christi carne et sanguine animae nostrae pascantur. Nec fidei nomen quidquam imaginarium notat, quasi tantum cogitatione vel memoria percipiant fideles quod promittitur; sed ne quis putet eo usque prostitui Christum, ut ipsum fruantur increduli. Neque enim, dum Paulus Christum habitare docet in cordibus nostris per fidem, loco verae habitationis imaginationem supponit; sed quomodo tanti boni possessionem cernamus, admonet. Carnem ergo Christi sine ullis ambagibus fatemur esse vivificam, non tantum quia semel in ea nobis salus parta est, sed quia nunc, dum sacra unitate cum

Digitized by Google

Christo coalescimus, eadem illa caro vitam in nos spirat, vel, ut brevius dicam, quia arcana Spiritus virtute in Christi corpus insiti communem habemus cum ipso vitam. Nam ex abscondito Deitatis fonte in Christi carnem mirabiliter infusa est vita, ut inde ad nos flueret. Verum ut de caelestibus Dei mysteriis semper crassum aliquid concipiunt humanae mentes, hic rursus obviam ire talibus deliriis necesse fuit. Quo pertinet ista definitio a nobis posita: non perinde intelligi debere, quod de carnis Christi participatione dicimus, quasi fieret aliqua substantiae vel commixtio vel transfusio, sed quia ex carne semel in sacrificium oblata vitam hauriamus. Si cui displicet haec exceptio, primum dico aliquid sibi ex proprio cerebro commentum esse, quod et Scripturis nusquam proditum et fidei analogiae minime consentaneum est. Deinde nimis superbum esse dico, qui ex sensu temere concepto legem aliis praescribat. Misceri si volunt carnis Christi substantiam cum hominis anima: quot se absurdis involvent? Negant fas esse, tam sublime mysterium ad seculi rationem subduci vel immensam eius magnitudinem metiri ingenii nostri modulo. In quo illis plane assentior. Sed an eo usque trahenda est fidei modestia, ut totam religionem horrendis portentis deformet? Atqui hoc modo, ut quidque absurdissimum foret, ita maxime Christo congrueret eiusque doctrinae sacram unitatem, quae nobis est cum Christo, sensui carnis incomprehensibilem fatemur esse. Quod nos sibi coniungens non modo vitam nobis suam instillat, sed unum quoque nobiscum efficitur, sicuti ipse unum est cum Patre, sublimius captu nostro mysterium esse concedimus, nisi quatenus eius verbis retectum est. Sed an ideo protinus somniandum, in nos transfundi eius substantiam, ut sordibus nostris inquinetur? Quod se oculos claudere dicunt, ne curiosius inquirant, quod Dominus occultat, vanissimum esse hinc convincitur, quod se ex Dei verbo doceri non sustinent. Haec certe fidei sobrietas est, non modo acquiescere in Dei nutu, neque plus sibi arripere, quam sacro eius ore patefactum sit, sed etiam ad Spiritum prophetiae sedulo attendere et sanam interpretationem mansueta docilitate amplecti. Quare temulenta in utroque pervicacia est, si quis vel se non contineat intra legitimas metas vel sanae intelligentiae lucem fastidiose respuat. Communicari nobis Christi corpus et sanguinem, nullus nostrum negat. Qualis autem sit corporis et sanguinis Domini communicatio, quaeritur. Carnalem isti palam et simpliciter asserere quomodo audeant, miror. Spiritualem cum dicimus, fremunt, quasi hac voce realem, ut vulgo loquuntur, tollamus. Nos vero, si reale pro vero accipiant et fallaci vel imaginario opponant, barbare loqui mallemus, quam pugnis materiam praebere. Scimus enim quam non deceant logomachiae Christi servos, sed quia hoc concedendo nihil apud eos proficitur, qui modis omnibus sunt implacabiles; placidis et moderatis hoc testatum volo, ita secundum nos spiritualem esse communicationis modum, ut re ipsa Christo fruamur. Hac

Digitized by Google

modo ratione contenti simus, ultra quam nemo nisi valde litigiosus insurget, vivificam nobis esse Christi carnem, quia ex ea spiritualem in animas nostras vitam Christus instillat: eam quoque a nobis manducari, dum in corpus unum fide cum Christo coalescimus, ut noster factus nobiscum sua omnia communicet.

De locali praesentia miror si censores nostros non pudeat certamen movere. Sed quum Christi corpus negent locorum spatiis circumscribi, immensum esse volunt. Quid autem nos? Nempe in caelo quaerendum esse, quod, teste Scriptura, eum capit, donec in iudicium appareat. Neque tamen est, cur nos ideo quisquam invidia gravet, ac si abesse a nobis fingamus membraque separemus a capite. Certe si Paulo dicere licuit, nos a Domino peregrinari, quamdiu sumus in mundo: eadem quoque ratione dicemus, quadam absentiae specie nos ab eo disiungi, quatenus scilicet a caelesti eius domicilio nunc distamus. Abest igitur Christus a nobis secundum corpus; Spiritu autem suo in nobis habitans, in caelum ad se ita nos attollit, ut vivificum carnis suae vigorem in nos transfundat, non secus ac vitali solis calore per radios vegetamur. Quod dicere solent, invisibilem nobiscum esse, perinde valet, acsi, forma eius in caelo reposita, substantiam carnis dicerent in terra residere. Atqui sensus pietatis clare dictat, non aliter vitam ex carne sua in nos stillare, quam dum, totus secundum corpus in caelo manens, ad nos sua virtute descendit. Eodem referri convenit, quae paulo post attexuimus: ista exceptione non tantum refelli quam Papistae commenti sunt transsubstantiationem, sed tam crassa omnia figmenta, quam futiles argutias, quae vel caelesti Christi gloriae derogant vel naturae humanae veritati minus sunt consentaneae. Haec quoque exceptio quam non de nihilo addita fuerit, pluribus disserere nihil attinet. Alii ut immensum faciant Christi corpus, corporis illi naturam eripiunt. Alii sub mortuo elemento includunt eius Deitatem. Verum si quis inscitia lapsus est, si alter fervore contentionis abreptus inconsiderate aliquid effutivit, sepultum maneat. Homines ipsos non exagito neque insector, sicuti neque vexavimus quemquam in nostro scripto, sed ansam erroribus praecidere satis habuimus. Quis nobis succenseat, si Christo manere salvum cupimus et integrum quod utriusque naturae est, ne laceretur Mediator ille qui nos Deo coniungit? Immensitas, quam imaginantur in Christi carne, prodigiosum spectrum est, quod spem resurrectionis evertit. Nam ubi omnia effutiverint de caelestis vitae qualitate, semper illud Pauli obiiciam: expectare nos Christum e caelo, qui corpus nostrum humile transfigurabit, ut conforme reddat corpori suo glorioso. Nunc quam sit absurdum singulis fidelium corporibus totum mundum impleri, quid attinet dicere? Sinant ergo homines isti nos modeste profiteri quod sanum et rectum est, ne eorum intemperie coacti retegamus eorum dedecora, quae melius latent. Neque ideo ferocius insultent, quod nominibus, ut dixi, parcentes nuda erro-

Digitized by Google

rum refutatione contenti fuimus. Sed enim intolerabile esse ducunt, quod Christum negamus sub pane locandum vel cum pane copulandum. Quid igitur? An e solio suo eum detrahent, ut panis frustulo inclusus iaceat? Neque tamen, si quis dicat nobis sub pane offerri Christi corpus tanquam sub arrha, litem ea de re movebimus: nihilo scilicet magis, quam carnalem vel localem copulam solvendo, divortium signi a sua veritate facere conati sumus. Recipiant igitur fideles sub panis symbolo Christi corpus, quia verax est qui loquitur, ut ei minime conveniat, nos inanem tesseram porrigendo frustrari, modo ne qua localis fingatur inclusio vel carnalis infusio misceatur.

Restat verborum Domini expositio, in qua si quid est offensionis, pervicaciae suae imputent, quibus fixum est clamore solum et tumultu rem per se claram tenebris miscere. Quod panem vocavit Christus corpus suum, praecise verbum hoc urgent, nec figuram ullam admittunt. Atqui si proprie panis est corpus Christi, sequetur Christum ipsum non minus esse panem quam hominem. Adde quod si figurata non est haec locutio, perverse ipsi idem corpus sub pane, cum pane et in pane esse dicunt. Quod si tantam interpretandi crassitiem sibi indulgent: nobis cur hiscere non licebit? Quum in quaerendo verborum sensu discutimus, qualiter de Sacramentis loqui Scriptura soleat, audire non sustinent, quia semel dictum est, Hoc est corpus meum. Quid? An non etiam dictum est, Petra erat Christus? Et quo sensu, nisi quia idem erat spiritualis potus cum eo, quem hodie in calice libamus? Ne apertae rationi locum dare cogantur, res sacro nexu coniunctas sacrilega vesania discerpunt. Verum ut taceam haec omnia et dissimulem: quo tandem iure sibi permittant suum illud esse, in quo tantopere insistunt, in diversas loquendi formas resolvere? Quum velint panem esse Christum, cur postea transiliunt ad sua commenta, esse cum pane, in pane et sub pane? Unde istud illis magisterium, ut commenta sua non minus ab usu remota, quam inter se contraria futiliter vomentes, alios a sana intelligentia arceant? Si panis censeri corpus debet quia sic vocatur, non minus teste Paulo erit communicatio corporis. Imo si dicam Paulum clarius hoc loco exponere, quod subobscure a Christo dictum erat, quis sobrius mihi repugnabit? Dominus pronunciat panem esse suum corpus. Sequitur discipulus, cui certe propositum non est luci nebulas obducere, ac panem explicatius corporis communicationem esse docet. Hic si consentiant nobiscum, statim lis dirempta erit, quia in panis fractione nos quoque testamur communicari fidelibus corpus Christi. Placet illis verbum retinere. Agedum, cum apud Lucam et Paulum Christus calicem vocet Testamentum in suo sanguine: quoties panem esse corpus et vinum sanguinem clamabunt, ego optimo iure vicissim regeram, esse Testamenta in corpore et sanguine. Desistant igitur indocti homines ab ea pertinacia, in qua, ne quid gravius dicam, contorti subinde et

Digitized by Google

perplexi haereant necesse est. Quia iustam disputationem nunc suscipere operae pretium non est, unum hoc sumo. Panem ubi dixerunt esse corpus, fateri tamen simul coguntur signum esse corporis. Unde porro hoc se habere dicent, nisi ex Christi verbis? Ergo signi nomen, de quo tam odiose nobiscum rixantur, furtim eliciunt ex eo loco, quem nolunt nisi literaliter intelligi. Nos vero, quod tam communis sensus quam pietatis ratio extorquet, dum figuratum esse loquendi modum ingenue concedimus, non confugimus neque ad allegorias neque ad parabolas; sed axioma sumimus, quod sine controversia receptum est inter omnes pios: quoties de Sacramentis agitur, rei signatae nomen ad signum metonymice solere transferri. Exempla frequentius in Scripturis occurrunt, quam ut negare audeant vel summi adversarii, hunc usum instar generalis regulae habendum. Ergo sicuti manna olim spiritualis cibus fuit, sicut aqua erat Christus, sicut Spiritus sanctus columba, sicut Baptismus lavacrum regenerationis: sic et panis corpus, vinum sanguis Christi vocatur. Si malunt synecdochen, quam metonymiam, atque ita si de vocula tantum una dimicant, ablegandum erat hoc certamen ad Grammaticos. Quid autem illi proficient, nisi ut pueris quoque iudicibus ludibrio sit eorum inscitia? Caeterum ut hoc omittam: quisquis a logomachia non abhorret, se nequaquam Christi servum esse prodit. De re enim quum optime conveniat, quid magis praeposterum, quam scindi Ecclesias et atroces moveri tumultus, quia alii panem vocari corpus interpretantur, quod sub ipso et cum ipso exhibetur: alii vero quia symbolum est non lusorium nec inane, sed cui annexa est sua veritas, ut vere participes fiant Christi, qui et ore signum et fide promissionem recipiunt? Quod si illis statutum est nullum facere maledicendi finem, neminem, qui a contentione integer erit, tam iniquum fore confido, qui non et recta nos docere et sinceritatem colere et paci studere agnoscat. Minime vero timendum esse arbitror, ne quis importunis istorum clamoribus nisi eodem ipse quoque furoris oestro percitus subscribat.

*Ioannes Calvinus.*

---

Digitized by Google

## 9.

# CONSENSUS GENEVENSIS.

## DE AETERNA DEI PRAEDESTINATIONE,

### QUA IN SALUTEM ALIOS EX HOMINIBUS ELEGIT, ALIOS SUO EXITIO RELIQUIT: ITEM, DE PROVIDENTIA QUA RES HUMANAS GUBERNAT.

CONSENSUS PASTORUM GENEVENSIS ECCLESIAE, A *IOAN. CALVINO* EXPOSITUS.

*Clarissimis Viris et Magnificis suis Dominis, Syndicis, Senatuique Genevensi Ecclesiae Pastores, quibus Verbi administratio tum in urbe tum in agro mandata est, iustam sanctamque Reipub. administrationem et felicem successum precantur.*

*Quae nos ad libellum hunc scribendum impulit ratio, eadem ad ipsum vobis nuncupandum hortatur, praestantissimi Domini, ut sub nomine vestro auspiciisque exeat. Electio Dei gratuita, qua sibi ex perdito damnatoque hominum genere, quos visum est, adoptat, hactenus non minus reverenter et sobrie, quam sincere et absque fuco hic tradita a nobis, et placide a populo recepta fuerat: donec circumforaneum errorem nuper supposuit turbarum omnium pater Satan, qui et doctrinam nostram, quae ex puro Dei verbo sumpta est, convellere, et fidem totius populi labefactare tentaret. Sed quia vel ex incenso Dei templo voluit famelicus gloriolae captator innotescere, ne sacrilegae audaciae praemium, quod aucupatus est, reportet, nomen eius silentio nostro sepultum maneat. Caeterum, quando molestia, quam nobis exhibere conatus est, non minus vobis communis fuit, fructum inde aliquem ad vos pervenire aequum est. Et quemadmodum vos experti sumus strenuos cordatosque piae causae vindices, ita nostrarum partium esse duximus, quam possemus gratitudinem vicissim testari. Eadem etiam opera, quale vestro patrocinio tutati sitis doctrinae genus, palam constabit. Etsi enim neque generosos Reip. praesides, neque Christi ministros anxie a rumoribus pendere decet: quin potius sinistrae multae obtrectationes, quae sua raucedine fractae paulatim concidunt, utrisque fortiter altoque animo*

Digitized by Google

*spernendae sunt: magnopere tamen refert, quasi publicis tabulis consignatam sub oculis et inter manus hominum exstare rei summam, quae falsas aut stultorum aut levium aut improborum voces coarguat, et simul compescat frivolos vulgi susurros. Sparsus multis in locis fuit rumor, duris eum vinculis constringi, quum per medium forum quotidie volitare licuerit. Quam maligne etiam finxerint virulenti quidam homines, ad capitis supplicium a nobis eum exposci, vos nobis optimi estis testes. Tales calumnias, donec evanescant, contemptu et tranquilla animi magnitudine refutare, gravitatis et prudentiae est. Rursum tamen, ne incerti plerique fluctuentur, quorum habenda est ratio: statum causae omnibus esse expositum, non minus expedit, quam ex officio nostro est. Serpit instar gangraenae impietas, inquit Paulus, nisi obviam eatur. Ista autem, quam sub vestro nomine piis omnibus offerimus, defensio tam erit ad curandos sanabiles, ut quidem speramus, validum efficaxque remedium, quam salubre antidotum sanis et integris. Ac digna est materia, ad quam studia sua intendant filii Dei, ne caelestis suae geniturae originem ignorent. Stulte enim quidam, quia Evangelium potentia Dei vocatur in salutem omni credenti, hoc praetextu Dei electionem obliterant. Atqui venire illis in mentem debuerat, unde oriatur fides. Passim autem Scriptura clamat, Deum Filio suo dare qui sui erant: vocare quos elegit: et quos sibi adoptavit in filios, Spiritu suo regignere: credere denique homines quos ipse intus docuit, et quibus patefactum est eius brachium. Porro quisquis fidem arram esse et pignus tenebit adoptionis gratuitae: ex aeterno divinae electionis fonte manare fatebitur. Neque tamen ex arcano Dei consilio petenda nobis est salutis notitia. Vita in Christo proposita est, qui se in Evangelio non modo patefacit, sed fruendum exhibet. In hoc speculum defixus sit fidei aspectus: nec penetrare appetat quo accessus non patet. Quando haec via est, in ea ambulent filii Dei, ne altius quam fas est evolando, in profundiorem, quam optandum sit, labyrinthum se demergant. Caeterum, ut non alia est caelestis regni ianua, quam fides in Christum, palam oblatis Evangelii promissionibus contenta, sic nimis crassi stuporis est, non agnoscere, apertos esse nobis mentis oculos a Deo: quia nondum in utero conceptos elegit, ut fideles essemus. Fuisse autem hoc impuro nebuloni propositum, ut non modo notitiam electionis deleret ex hominum animis, sed eius quoque virtutem prorsus everteret, ex eius deliriis quae in actis publicis habetis eius manuscripta diserte liquet: ubi asserit, Fidem ab electione non pendere, quin potius electionem esse in fide sitam. Nullos in caecitate manere ob ingenitam naturae corruptionem, quia rite omnes illuminentur a Deo. Nos Deo facere iniuriam, quia deseri tradimus, quos Spiritus sui illuminatione non dignatur. Trahi generaliter et ex aequo omnes homines, nec discrimen nisi a contumacia incipere: Quum Deus se ex lapideis cordibus carnea facturum promittit, nihil aliud intelligi, quam ut gratiae Dei simus capaces, idque promiscue ad totum genus humanum extendi, quum singulare Ecclesiae privilegium esse Scri-*

Digitized by Google

*ptura dilucide affirmet. Quantum ad Dei providentiam, qua mundus regitur: inter pios omnes fixum hoc et confessum esse debet, non esse cur suis peccatis socium homines Deum ascribant, vel ullo modo secum involvant ad partem culpae sustinendam: sed quum Scriptura doceat, reprobos quoque irae Dei esse organa, quibus partim fideles suos erudiat ad patientiam, partim hostibus poenas infligat, quales merentur, profanus nugator nihil a Deo iuste fieri contendit, nisi cuius ratio sub oculis posita iaceat. omne enim discrimen inter causas remotas et propinquas tollens, aerumnas sancto Iob impositas Dei opus censeri non patitur, quin pariter cum diabolo, Chaldaeis et Sabaeis latronibus reus fiat. Quod autem illo praeteritō, cum duobus aliis, Alberto Pighio et Georgio Siculo, congressi sumus: id duplici nomine expedire nobis visum est. Nam indoctus rabula nihil proferret, nisi ex duabus istis lacunis haustum, adeoque male dicta in deterius raperet, nimis frigidum cum eo fuisset certamen. Uno exemplo contenti sint lectores. Quibus cavillis Pighius et Georgius primum ad Ephesios caput obscurent, suo loco ostensum est. Atque insulse quidem illi, sed foedior huius inscitia, qui non erubuit in curia vestra, et illo verendo consessu effutire: et quod temere effutiverat, pertinaciter tueri, Non tractari illic de communi piorum salute, sed quod Paulus et reliqui collegae in munus Apostolicum electi fuerint. Ac tam futile quidem commentum exemplo, sicuti memoria tenetis, refellere promptum fuit, Si qui se tali magistro discipulos addicerent, nimis infaustum theologiam discere, quae non omnes vitae aeternae fiducia privaret, quando soli Apostoli divinae adoptionis compotes, et Deo per Christum reconciliati, et benedicti, et in societatem sanctorum asciti essent. His quidem in re praesenti fuit locus, sed libro edito tam insividum animal refellere, non ita forte congrueret. Neque vero nos latet, quantopere sibi placeat: neque mirum est, in eo, qui abiecta monachi cuculla repente medici personam induit, tantum esse audaciae, sed in eius gratiam cum multorum fastidio ineptire a modestia nostra alienum fuit. Deinde, quoniam duo illi noti sunt ac professi Evangelii hostes, alter etiam Calvinum nominatim aggressus bellum nobis et huic Ecclesiae indixerat, impiae doctrinae venenum publice libris excusis sparsum purgari consultius visum est, quam naenias vulgando, quae melius latent, importune fatigare hominum aures, supervacuis certaminibus iam plus satis vexatas.*

*Faxit Dominus Deus, Magnifici et praestantes viri, ut, quod hactenus magna cum laude fecistis, indefessi ad extremum usque puram Evangelii doctrinam, quae tam infesta mundi violentia undique pulsatur, fide praesidioque vestro tueri pergatis: et pios omnes, qui se in patrocinium vestrum conferunt, hospitio excipere non desinatis: quo sit urbs vestra inter horribiles istos motus fixum Deo sanctuarium, et fidele Christi membris asylum. Ita etiam fiet, ut eum perpetuum salutis vestrae praesidem sentiatis: et quod illi sacratum erit domicilium, eius virtute tutum, nunquam labascat. Calendis Ianuar. M.D.LII.*

Digitized by Google

## DE AETERNA DEI PRAEDESTINATIONE.

Iam elapsi sunt novem anni, quum Albertus Pighius Campensis, homo phrenetica plane audacia praeditus, eodem opere et liberum hominis arbitrium statuere et arcanum Dei consilium, quo alios eligit in salutem, alios aeterno exitio destinat, evertere conatus est. Quia vero me nominatim aggressus erat, per cuius latus piam sanamque doctrinam confoderet: sacrilegum hominis furorem compescere necesse habui. Sed quia tunc aliis negotiis distractus utrunque argumentum brevi temporis spatio complecti non poteram: altera parte absoluta, de praedestinatione, quum daretur occasio, me postea scripturum recepit. Paulo post librum editum, moritur Pighius. Ergo ne cani mortuo insultarem, ad alias lucubrationes me converti. Et ab eo tempore, quod agerem nunquam defuit. Adhaec, quia hoc doctrinae caput iam et copiose a me tractatum et clare explicatum et solidis Scripturae testimoniis comprobatum fuerat, non adeo necessarius videbatur hic labor, quin tuto omitti posset. Sed quia hodie male feriati quidam spiritus quicquid de gratuita piorum electione et aeterno reproborum iudicio Scripturis proditum est, Pighii exemplo diruere moliuntur: ne longius serpat contagio, frivola eorum obiecta, quibus se et alios deludunt, colligenda et breviter refellenda censui. Inter reliquos emersit in Italia Georgius quidam Siculus, homo quidem indoctus, et contemptu quam insectatione dignior: nisi quod nomen fraude et impostura partum magnas illi ad nocendum vires dedit. Nam quum Benedictinus esset monachus, diu in gurgustio suo latuit, donec Lucius Abbas, unus ex Patribus Tridentinis, falsa ipsum commendatione in sublime extulit, sperans se quoque eius humeris in caelos usque evolaturum. Nebulo hic Christum sibi apparuisse et totius Scripturae ab illo se interpretem constitutum mentitus, quod ipse crassa pudendaque inscitia plusquam vanum esse prodebat, nullo negotio plurimis verum esse persuasit. Atque, ut fabulam ad extremum usque actum perduceret, tanta confidentia ebuccinavit deliros suos sensus, ut imperitos, qui iam praeiudicio vincti tenebantur, prorsus attonitos redderet. Et certe talibus prophetis digna est hodie maior pars hominum: quorum partim cor in malitia obstinatum medelam nullam recipit, partim aures insatiabili pravarum speculationum desiderio pruriunt. Sunt alii fortasse, qui libenter vel cum dedecore innotescerent. Verum, suppresso eorum nomine, efficiam, ut intelligant lectores, quam frivola sint ac nihili omnia ipsorum obiecta.

In Pighio nunc et Georgio Siculo belluarum par non male comparatum proponere statui. Nam etsi quibusdam in rebus fuisse dispares fateor, in fingendis tamen errorum portentis, in licentia bacchandi, in scelerata adulterandae Scripturae audacia, in superbo veritatis contemptu, in proiecta impudentia, in proterva loquacitate,

Digitized by Google

summa inter eos reperietur similitudo et aequalitas: nisi quod Pighius lutulentas magniloquentiae suae ampullas inflans, maiore iactantiae pompa se effert: alter ille cothurnos, quibus assurgat, ex commentitia revelatione mutuatur. Quum autem in evertenda Praedestinatione consentiant ambo, postea tamen in commentis suis sunt diversi. Fingunt ambo, In libertate nostra positum esse, ut se quisque in adoptionis gratiam inserat. Neque hoc ex Dei consilio pendere quinam electi sint vel reprobi: sed singulos sibi utramvis fortunam suo arbitrio statuere. Quod alii credunt Evangelio, alii increduli manent, non ex gratuita Dei electione vel ex arcano eius consilio, sed ex privata tantum cuiusque voluntate provenire hoc discrimen.

Caeterum, Pighius sensum suum ita explicat, Deum immutabili consilio creasse indistincte omnes ad salutem. Sed quum Adae praevideret defectionem: ut firma nihilominus stabilisque maneret electio, remedium adhibuisse, quod omnibus perinde commune esset. Ita in Christo stabilitam fuisse totius humani generis electionem: ut nemo pereat, nisi qui sua obstinatione ex libro vitae se delet. Rursus vero, quum Deus praevideret quosdam ad extremum in malitia gratiaeque contemptu fore pertinaces, tales praevidendo reprobasse, nisi resipiscant. Hoc reprobationis esse initium, dum se impii universali electionis beneficio praeter Dei consilium et voluntatem privant. Indigne vero sentire de Deo omnes pronunciat, et alienum iustitia et bonitate rigorem illi affingere, qui electos esse praecise et absolute quosdam tradunt, alios destinatos exitio. Et nominatim hic Augustini sententiam damnat. Praescientiam vero Dei nihil tollere de arbitrii nostri libertate, ut ostendat, ad illam Nicolai Cusani argutiam confugit: (capite 1. Lib. 8.) Quod Deus non praeviderit, quae ab aeterno illi nota fuerunt, quasi futura, sed quasi praesenti aspectu intuitus fuerit. Et tamen ita supercilium suo more attollit impostor, acsi reconditum nescio quid et nunquam ante auditum ex tripode Apollinis proferret: quum tamen trita sit pueris cantilena. Quia tamen adhuc se impeditum teneri sentiebat, duplicem Dei praescientiam ingerit: (cap. 2. eiusd. lib.) Quod Deus scilicet prius creandi ad vitam hominis consilium ceperit, quam eius lapsum praesciret: idcoque salutis humanae cogitatio mortis praescientiam ordine in ipso Deo praecesserit. Et quum haec lutulento verborum torrente involvit, putat se ita obruere lectorum sensus, ut nihil discernant: sed ego mea brevitate, ut spero, paulo post discutiam loquacitatis eius tenebras. Georgii commentum est, non fuisse hunc vel illum praedestinatum ad salutem: sed Deum statuisse tempus, quo totum mundum servaret. Atque huc quosdam Pauli locos (Rom. 16. vers. 25. Ephes. 3. vers. 9.) detorquet: mysterium quod a seculis et generationibus absconditum fuerat, Christi adventu et praedicatione Evangelii patefactum esse. Ita secure elabitur, acsi nullo Scripturae testi-

Digitized by Google

monio palam constaret alios, aliis praeteritis a Deo fuisse cooptatos in salutem. Denique, in electione nihil praeter tempus novi Testamenti considerat.

Quid nos sentiamus, satis locuples, ut nihil praeterea addam, testis est Institutio. In primis rogatos velim lectores; ut quod illic admoneo, memoria repetant: Non esse, ut quibusdam falso videtur, argutam hanc vel spinosam speculationem, quae absque fructu ingenia fatiget: sed disputationem solidam et ad pietatis usum maxime accommodam: nempe, quae et fidem probe aedificet et nos ad humilitatem erudiat et in admirationem extollat immensae erga nos Dei bonitatis, et ad hanc celebrandam excitet. Nulla aedificandae fidei aptior est ratio, quam dum audimus electionem illam quam Spiritus Dei cordibus nostris obsignat, in aeterno et inflexibili Dei beneplacito consistere, ut nullis mundi procellis, nullis Satanae insultibus, nulli carnis vacillationi sit obnoxia. Tunc enim demum nobis certa est nostra salus, quum in Dei pectore causam reperimus. Sic enim vitam in Christo manifestatam fide apprehendimus, ut eadem fide duce procul intueri liceat, ex quo fonte vita prodierit. In Christo fundata est salutis fiducia, et in Evangelii promissiones recumbit. Sed haec non parum valida fultura est, quum nunc, ut in Christum credamus, audimus nobis divinitus esse datum: quia ante mundi originem tam ad fidem ordinati, quam ad vitae caelestis haereditatem electi eramus. Hinc illa inexpugnabilis securitas, quod Pater, qui Filio suo nos in peculium dedit, omnibus potentior, nos e manu eius rapi non patietur. Iam vero non vulgari in eo humilitatis materia, dum tam dispar eorum conditio cernitur, quibus communis est natura. Quocunque oculos vertant filii Dei, occurrent prodigiosa exempla caecitatis et stuporis, quae horrorem incutient. Quum se in tenebris illuminatos esse noverint: qui fieri dicent, ut caecutiant alii in clara luce? Quis eos discernit: nisi quod experientia convincit apertos illis fuisse mentis oculos, quum perinde clausi essent? Certe quid Deo sit reddere quod suum est, nondum didicerunt isti, quibus sponte nescire lubet, unde ab aliis differant. Quin radix sit pietatis, materque virtutum omnium, humilitas, nemo ambigit. Quomodo autem humilis erit, qui nec pristinam miseriam, e qua liberatus est, audire sustinet, Deique beneficentiam promiscue ad omnes extendens, quantum in se est, extenuat? Certe multum abest quin Dei gratiam pro merito illustrent, qui eam praedicant omnibus esse communem, in se vero efficaciter residere, quia fide eam amplexi sint: fidei vero causam interea sepultam cupiunt: quod scilicet gratis in filios electi Spiritu adoptionis postea donati sint. Qualis ista gratitudo, si incomparabili beneficio affectus cum eo debitorem me ex aequo profiteor, qui vix centesimam partem accepi? Quare, si ad celebrandam Dei bonitatem, quantum illi simus obstricti, praecipue tenere interest: maligni sunt in Deum et iniurii, quibus molesta

Digitized by Google

est ac gravis electionis aeternae notitia: qua sepulta, dimidiam gratiae Dei partem evanescere necesse est. Obstrepant, qui volent: hoc tamen elogio, quam de gratuita electione tradimus, doctrinam ornare semper licebit, quod nisi per eam non satis capiunt fideles, quanta in se fuerit Dei bonitas, dum ad salutem efficaciter vocati sunt. Breviter tantum ista delibo, quae iterum suo loco luculentius tractanda erunt, ne quis, rem cognitu apprime necessariam refugiens, grave fastidii sui damnum sero tandem sentiat. Quod si nos Evangelii non pudet: quod illic aperte traditur, fateri necesse est, Deum aeterno suo beneplacito, cuius aliunde causa non pendet, quos illi visum est, destinasse ad salutem, aliis reiectis: et quos gratuita adoptione dignatus est, Spiritu suo illuminare, ut vitam in Christo oblatam recipiant: alios ita sponte esse incredulos, ut fidei luce destituti in tenebris maneant.

Contra hoc Dei iudicium petulanter insurgunt multi canes. Atqui inter eos nonnulli quidem Deum palam impetere non dubitant, quod futuram Adae ruinam praevidens non melius consuluerit rebus humanis. Quibus compescendis nulla melior ratio quaerenda est, quam quae a Paulo nobis ostenditur. Hoc enim veniebat in quaestionem: quomodo iustus esset Deus, dum misereretur cuius vult, et quem vult indurat. Tantam hominum audaciam nullo responso dignatur, nisi quod ordinis ipsos sui sortisque admonet: (Rom. 9. vers. 20.) O homo, tu quis es qui respondeas Deo? quod garriunt profani homines, rationis inopia silentio absurditatem texisse, longe aliter res habet. Axioma enim sumit, quod non modo piis mentibus tenendum est, sed in communi sensu insculptum esse convenit: Altius esse magisque reconditum Dei iudicium, quam ut eo usque penetrare possint homines. Et quem, obsecro, non pudebit, velle ingenii sui modulo causas omnes operum Dei comprehendere? Atqui, in eo vertitur status quaestionis, An nulla sit Dei iustitia, nisi quae a nobis concipitur. Hoc si uno verbo proponitur, Liceatne Dei virtutem sensu nostro metiri, nemo est qui non protinus respondeat, Omnes hominum sensus in unum coacervatos immensae Dei potentiae longe succumbere. Interea simulac in Dei operibus certa ratio non apparet, diem illi dicere quodammodo parati sunt. Quid ergo hac Pauli admonitione opportunius vel aptius: Nimium sui esse oblitos qui se supra caelum attollant? ut Deus ipse, iure suo cedens, se ad reddendam causam offerat, ubi ad arcana illa ventum fuerit, quae Angeli cum trepidatione adorant, quis non tanto fulgore attonitus stupebit? Mira sane hominum rabies, qui Deum sibi audacius subiicere, quam Paganum aliquem iudicem aequare non verentur. Tibi molestum est ac odiosum, Deum plus posse et facere, quam mens tua capiat: aequali autem tuo interdum concedes, ut suo iudicio fruatur. Et tu in tanto furore Dei mentionem ullam facere audes? Quid tibi sonat Dei nomen? Et tu Paulum ratione destitui

Digitized by Google

iactabis, nisi Deum e caelesti solio detractum tibi excutiendum sistat? Nos vero sciamus, sanctum Apostolum, primo, qua decuit gravitate, compescuisse vesanam eorum lasciviam, quibus Dei iustitiam incessere nulla religio est: deinde, piis Dei cultoribus utilius moderationis consilium dedisse, quam si aquilarum pennis vestitos supra nubes extulisset. Quavis enim sapientia praestantior est sobrietas, quae Dei timore subacta intra praescriptum ab eo intelligendi modum se continet. Eam superbi homines ignorantiae nomine, si libuerit, infament: modo quod in vera sapientia iam praecipuum est, teneat, Dei voluntatem pro summa iustitiae norma habendo, suam illi propriamque gloriam tribuere.

Pighio tamen et similibus nondum satisfactum est. Nam simulantes, curae sibi esse Dei honorem, nobis oblatrant, quasi alienam illi sua natura crudelitatem affingentibus. Negat sibi cum Deo esse certamen. Quam igitur, vel cuius causam sustinet Paulus? Postquam hoc axioma posuit, Deum quem vult indurare, et cuius vult misereri: per anthypophoram subiicit: Quid ergo adhuc conqueritur? Voluntati eius quis resistet? Tantae blasphemiae non aliud quam Dei potentiam opponit. Si Deo tyranni personam induunt, qui ad aeternum usque eius consilium referunt hominum indurationem: nos certe non sumus huius sententiae auctores. Si Deo sunt iniurii, quibus eius voluntas omnibus causis potior est, hoc Paulus ante nos tradidit. Cum eo igitur disceptent. Neque enim aliud in praesentia disputo, quam ab eo fuisse proditum quod docemus. Quanquam de canibus istis non adeo essem sollicitus. Magis quorundam non malorum alioqui hominum anxietas me commovet, qui dum metuunt quicquam Deo, eius bonitate indignum adscribere, hoc ipsum exhorrent, quod de se per os Pauli Deus testatur. Pium quidem asserendae ab omni calumnia Dei iustitiae studium amplector. Laudanda quoque modestia esset, nisi eam gigneret morositas occulto quodam fastu turgida: si quidem ex proprio sensu loquuntur. Cur enim verentur, si quid ultra mentis suae captum Dei potentiae concedant, ne periclitetur eius iustitia, nisi quia eius tribunal suae cognitioni subiicere non dubitant? Paulus (Rom. 14. vers. 10.) intolerabilem esse superbiam ostendit, si mortalis homo sibi iudicium in fratrem sumat, quia unus sit iudex, cui stamus omnes et cadimus, et cui omne genu flecti oportet. Cuius ergo insaniae erit, cristas in iudicem ipsum attollere, ut eius potestatem sensu nostro metiamur? Ergo qui verecundiam hanc sibi obstare causantur, ne Paulo subscribant: primum, fateantur necesse est, quam Deo iustitiae laudem deferunt, se ad animi sui sensum restringere: sin vero de re ipsa nobiscum sentientes supprimere tamen malunt hanc doctrinae partem, ne habenas laxent impiorum petulantiae, nimis praepostera est ista cautio. Quasi vero nostris mendaciis protegendus sit Dei honor. Ipse vero hoc patrocinium non modo nobis remittit, sed prorsus exosum esse testatur in libro Iob.



Digitized by Google

Caveant potius, ne maiorem, quam Dominus verbo suo praescribit, prudentiam affectando duplicis insaniae se reos faciant.

Quanquam ut reprimendis impiorum blasphemiis maxime utilis sit, quam commendant, sobrietas: quod tamen homines Deo immorigeros tam facile suis dictatis frenatum iri sibi persuadent, ridicula est eorum fiducia. Paulus ubi de arcanis Dei consiliis, quatenus opus erat, disseruit, quasi iniecta manu, ultra progredi vetat. Calcitrant, proterviunt, ac desultoria levitate ultra finitam sibi metam transvolant inquieti spiritus: quomodo igitur ad unius vel alterius nutum subsistent, qui angustiores illis stadiis cancellos circumdant? acsi quis ferocem equum, qui fractis repagulis exultat, araneae filo retinere tentet. Verum, in re tam ardua et recondita nihil melius, quam sobrie sapere. Quis negat? Videndum tamen simul est, quis optimus sit sobrietatis modus: ne idem nobis quod Papistis contingat, qui ut discipulos habeant obsequentes, brutis pecudibus similes esse iubent. Haeccine est Christiana simplicitas, eorum, quae Deus ostendit, scientiam quasi noxiam refugere? Hoc, inquiunt, absque iactura nescire fas est. Quasi non melius iudicaverit caelestis Magister, quid scire et quousque expediat. Ergo ne vel in aquis fluctuemur, vel dubii et vagi circumferamur per medium aërem, vel altius pedem figendo, quam par est, in profundum mergamur: sic nos Deo praebeamus regendos et docendos, ut, simplici eius verbo contenti, plus scire quam illic reperiemus, ne appetamus quidem, etiamsi detur facultas. Haec docilitas, qua sensus omnes suos pius homo sub Dei verbo continet, vera est ac unica sapiendi regula. Nam et quousque nos porrecta manu ducit is qui via est, cuius Spiritus per Apostolos et Prophetas loquutus est, tutum est sequi: et supra omnem humanae mentis perspicaciam longe excellit eorum ignorantia, quae in Dei schola non discuntur. Itaque non minus a suis ovibus exigit Christus, ut voci suae auscultent, quam ut alienorum vocibus aures habeant obstructas. Nec sane aliter fieri potest, quam ut in vacuam solida doctrina animam inanes undique errorum flatus penetrent. Porro, quam vere profitear, non nisi praeeunte Dei verbo me unquam hac de re verbum fecisse, tametsi ex prioribus meis scriptis ac praesertim ex mea Institutione facile iudicabunt pii lectores: ex hac tamen hostium, qui se contra opponunt, refutatione nonnihil novae lucis accedet.

Sed quia odiose nobis ingeritur veteris Ecclesiae auctoritas: breviter etiam praefari operaepretium est, quam iniuste hac partim falsa partim frivola invidia prematur Christi veritas. Augustini tamen verbis (Libr. de praedest. cap. 14.) potius quam meis hoc quicquid est criminationis diluere malo. Nam et sanctum virum eodem olim probro vexabant Pelagiani: quod sibi adversos haberet alios Ecclesiae scriptores. Primum ergo excusat, quod ante exortam Pelagii haeresin non ita subtiliter neque exacte de praedestinatione id, quod erat, tradiderant. Quid igitur opus est,

Digitized by Google

inquit, ut eorum scrutemur opuscula, qui, priusquam ista haeresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quaestione versari? quod proculdubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Prudenter certe non minus quam ingenue dictum. Nisi enim cum exercuissent gratiae Dei hostes, nunquam ad excutiendam Dei electionem adeo fuisset attentus: sicuti fatetur. Nam in libro cui titulum fecit De bono perseverantiae: (cap. 20.) Haec, inquit, certa est ac manifestata praedestinatio sanctorum, quam postea diligentius et operosius, quum adversus novam sectam disputarem, defendere necessitas compulit. Didicimus enim singulas quasque haereses intulisse Ecclesiae proprias quaestiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret. Quid autem coëgit loca Scripturarum, quibus praedestinatio commendata est, copiosius et enucleatius isto nostro labore defendi, nisi quod Pelagiani dicunt, Dei gratiam secundum merita nostra dari: quod nihil aliud est quam gratiae negatio? Porro, aliquanto prius negaverat, sibi de librorum suorum vetustate praeiudicium debere afferri. Nemo, inquit, (cap. 12.) tam iniustus est, ut opinor, et tam invidus, qui proficere me prohibeat. Postea tamen simul contendit, ex quibusdam veterum testimoniis posse colligi, non aliter eos, quam tunc doceret, sensisse. Ut aliis supersedeam, plusquam perspicuum est, quod ex Ambrosio citat: (Eiusdem lib. c. 19.) Christus, quem miseratur, vocat. Item, Si voluisset, ex indevotis fecisset devotos. Sed Deus, quos dignatur, vocat, et quem vult, religiosum facit. Quis totam huius quaestionis summam his paucis verbis comprehendi non videt? Quod non omnes ad Christum accedunt, ut salutem consequantur, causam assignat, Quia Deus eorum corda efficaciter non tangit. Conversionem hominis ex gratuita Dei electione manare pronunciat. Cur, aliis reprobatis, alios vocet, in solo eius arbitrio positum esse non dissimulat. His tribus capitibus statum quaestionis contineri et finiri, nemo mediocri iudicio praeditus nescit. Porro, Augustinus ipse adeo totus noster est, ut, si mihi confessio scribenda sit, ex eius scriptis contextam proferre abunde mihi sufficiat. Sed ne in praesentia nimium sim prolixus, tribus aut quatuor locis contentus ero, ex quibus constet, ne uno quidem apice me ab ipso differre. Ex continua deinde operis serie plenius constabit, quam solide omni ex parte mihi suffragetur. Libro de Praedestinatione sanctorum, (capite 1.) contra eos se disputare profitetur, qui peccato Adae obnoxium nasci genus humanum agnoscunt, ac praeveniri Dei gratia hominum voluntates, nec sibi quenquam ad ullum opus bonum vel inchoandum vel perficiendum sufficere. Quid autem ea confessione maius desiderat, in ipso disputationis progressu ostendit. Ne diceret quispiam, inquit, (cap. 5.) Discernit me ab aliis fides mea, iustitia mea, aut aliquid simile, talibus occurrens cogitationibus, rogat Doctor Gentium: Quid habes quod non accepe-



Digitized by Google

ris? A quo autem, nisi ab illo qui te discernit ab alio, cui non donavit quod donavit tibi? Deinde, (cap. 9.) Fides igitur, et inchoata et perfecta, donum Dei est: et hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult (cap. 10.) manifestissimis Scripturae testimoniis repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes in condemnationem iustissimam venisse. Cur autem istum potius quam illum Deus hinc liberet, inscrutabilia sunt iudicia eius, et viae eius investigabiles. Item, Si discutiatur et quaeratur, unde quisque sit dignus, non desunt qui dicant, Voluntate humana: nos autem dicimus, Gratia vel praedestinatione divina. Postea subiicit: (cap. 15.) Salvator ipse Dei Filius praeclarissimum est gratiae et praedestinationis lumen. Respondeatur, quaeso: homo ille, ut a Verbo Patri coaeterno in unitatem personae assumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruerit. Quod enim eius bonum qualecunque praecessit? Quid egit ante? quid credidit? quid petivit, ut ad tantam dignitatem perveniret? Hic Deo aliquis hominum obmurmuret ac dicat: Cur non et ego? si audierit: O homo, tu quis es qui respondeas Deo? neque ita se cohibeat, sed augeat impudentiam, et dicat: Quomodo audio, Tu quis es, o homo? quum sim homo sicut ille de quo ago, cur non sum quod ille est? Etenim gratia ille talis ac tantus est. Cur diversa est gratia, ubi natura communis est? Certe non est acceptio personarum apud Deum. Quis, non dico Christianus, sed insanus haec dicat? Appareat igitur in capite nostro fons gratiae: unde secundum cuiusque mensuram se per cuncta membra diffundit. Ipsa est praedestinatio sanctorum, quae in Sancto sanctorum maxime claruit. Et paulo post: (cap. 17.) Sicut praedestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset: ita et multi sumus praedestinati, ut essemus eius membra. Ac ne quis fidei hoc tribueret, quod alter alteri praefertur, negat eligi eos qui crediderunt: sed potius, ut credant. Similiter ad Sextum: (Epist. 105.) Cur credat hic, non credat ille, cur hunc potius liberet Deus quam illum, scrutetur tam magnum profundum qui potest, sed caveat praecipitium. Rursus alio loco: (Ad Bonif. epist. 106.) Quis reprobos creavit, nisi Deus? Et cur, nisi quia voluit? Cur voluerit, o homo, tu quis es qui respondeas Deo? Item alibi, (Libr. ad Bonif. 4. cap. 6.) postquam disputavit, nullis hominum meritis Deum provocari, ut mandatis suis faciat obsequentes, sed retribuere illis bona pro malis, propter se, non propter illos: tandem subiicit, Si quis roget, cur istos homines Deus oves faciat, istos non faciat: istam esse quaestionem, quam Apostolus expavescens exclamat: O altitudo, etc. Quemadmodum vero electionis initium ex gratuita Dei voluntate deducens, reprobationem in mero eius arbitrio statuit: sic et salutis nostrae firmitudinem non alibi fundatam esse docet. Nam ad Paulinum scribens eos, qui non perseverent, ad vocationem Dei, quae effi-

Digitized by Google

cax est ac sine poenitentia, pertinere negat. Cur autem alii pertineant, alii non, occultam esse causam, non iniustam. Esse enim hanc altitudinem iudiciorum Dei, quae ideo vocantur iudicia, ne quid iniustum imaginemur. Fusius tamen in alio opere perseverantia donari electos contendit, qua excidere nunquam possint. Cur perseverentiam non dederit Deus, quibus Christiane vivendi affectum dedit, me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed modulum meum agnoscens, audio dicentem Paulum, O homo tu quis es? Item quando rogavit Christus, ne deficeret fides Petri, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? Mox subiicit: Mirandum quidem, multumque mirandum, quod filiis suis quibusdam, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non simul det perseverantiam, quum filiis alienis scelera tanta dimittens suos faciat. Quis hoc non miretur? quis non vehementer stupeat? Certe hic iudicia Dei, quoniam iusta et alta sunt, nec vituperari nec penetrari queunt. In his est et illud de perseverantia, de qua disputamus. De utrisque ergo exclamemus: O altitudo! Dixerat autem prius, (Cap. 7. eiusd. lib.) Firmum stat Dei fundamentum, habens signaculum hoc: Novit Dominus qui sunt sui. Horum fides, quae per dilectionem operatur, profecto aut omnino non deficit aut, si qui sunt quorum deficit, reparatur antequam vita ista finiatur: et delecta, quae intercurrerat, iniquitate, usque in finem perseverantia deputatur. Qui vero perseveraturi non sunt ac sic a fide Christiana lapsuri sunt, ut tales eos vitae finis inveniat, proculdubio nec illo tempore, quo bene pieque vivunt, in isto numero computandi sunt. Non enim sunt a massa illa perditionis praescientia Dei et praedestinatione discreti: et ideo nec secundum propositum vocati. Nequis autem perturbet, quod interdum excidunt, qui filii Dei habiti fuerant, huic quoque dubitationi occurrens: Absit ut deficiant, inquit, (cap. 9.) si de illis praedestinatis essent et secundum propositum vocatis, qui vere sunt promissionis filii. Nam isti quum pie vivunt, dicuntur Filii Dei: sed quoniam victuri sunt impie et in eadem impietate morituri, non eos praescientia Dei sic dicit. Sunt enim Filii Dei, qui nondum sunt nobis et iam sunt Deo: sunt rursus qui propter susceptam vel temporaliter gratiam dicuntur a nobis, nec tamen sunt Deo. Item, Christo intelliguntur dari, qui ordinati sunt in vitam. Isti sunt praedestinati et secundum propositum vocati, quorum nullus perit: ac per hoc nullus ex bono in malum mutatus vitam hanc finit: quia sic est ordinatus et ideo Christo datus, ut non pereat, sed habeat vitam aeternam. Paulo post: Quicunque Dei providentissima dispositione praesciti, praedestinati, vocati, iustificati, glorificati sunt, non dico etiam nondum renati, sed etiam nondum nati iam Filii Dei sunt, et omnino perire non possunt. Rationem mox annectit, Quia talibus omnia Deus cooperatur in bonum: et qui-

Digitized by Google

dem usque adeo prorsus omnia, ut, si qui eorum deviant et exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum: quia humiliores redeunt et doctiores. Quod si altius conscenditur et de prima hominis creatione movetur quaestio, eam quoque sic exequitur: (Libr. de corrept. et gratia cap. 10.) Saluberrime confitemur, quod rectissime credimus, Deum Dominumque rerum omnium, qui creavit omnia bona valde et mala ex bonis exoritura praescivit, et scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis benefacere, quam mala esse non sinere: sic ordinasse Angelorum et hominum vitam, ut in ea prius ostenderet quid posset liberum arbitrium: deinde, quid posset gratiae suae beneficium iustitiaeque iudicium. In enchiridio vero ad Laurentium, (cap. 95.) quod residuum dubitationis esse posset, liberius explicat. Quum extremo die, inquit, in iudicium mundi apparuerit Christus, tunc in clarissima luce sapientiae videbitur, quod nunc piorum habet fides, antequam manifesta cognitione videatur, quam certa, immutabitis et efficacissima sit voluntas Dei: quam multa possit, et non velit: nihil autem velit quod non possit: quamque sit verum, quod in Psalmo canitur: (cap. 96.) Deus noster in caelo omnia, quae voluit, fecit. Quod utique non est verum: si aliqua voluit, et non fecit. Non fit ergo aliquid, nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo. Nec dubitandum est, Deum facere bene, sinendo fieri, quaecunque fiunt male. Non enim hoc nisi insto iudicio sinit. Quamvis ergo quae mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona: tamen ut non solum bona, sed etiam sint et mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, ut essent et mala: nullo modo esse sinerentur ab Omnipotente bono. Cui proculdubio quam facile est quod vult facere, tam facile est, quod non vult esse, non sinere. Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum fidei nostrae initium, qua nos in Deum omnipotentem credere confitemur. Tandem clausulam addit. (cap. 100.) Haec sunt magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius: et tam sapienter exquisita, ut cum angelica et humana creatura peccasset: id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eandem creaturae voluntatem, qua factum est quod creator noluit, impleret ipse quod voluit, bene utens et malis tanquam summe ad eorum damnationem, quos iuste praedestinavit ad poenam, et ad eorum salutem, quos benigne praedestinavit ad gratiam. Quantum enim ad ipsos pertinet, quod Deus noluit, fecerunt. Quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipso quod contra Dei voluntatem fecerunt, de ipsis facta est Dei voluntas. Propterea namque magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius, ut miro et ineffabili modo non fiat praeter eius voluntatem, quod etiam contra eius voluntatem: quia non fieret, si non sineret: nec utique nolens sinit, sed volens. Haec pauca ex multis excerpere libuit, unde perspiciant lectores, quam verecunda fronte Pighius

Digitized by Google

Augustinum a nobis disiungat, adeoque erroris sui suffragatorem advocet. Nam in continua disputationis serie huius sancti viri testimoniis subinde utendum erit

Nunc quod praecipuum est, agamus, nihil hac de re a me proditum, nisi quod Deus Scripturae oraculis nobis omnibus clare dictat. Quod ex aeterna Dei electione pendeat salus fidelium, cuius nulla praeter gratuitum eius beneplacitum causa reddi potest, diserta sunt Pauli verba primo ad Ephes. cap. Benedictus, inquit, Deus, qui nos benedixit in Christo: sicuti nos in eo elegerat ante mundi creationem. Audio quid garriat Pighius: Electum esse in Christo genus humanum, ut quicunque cum fide amplexi fuerint, salutem consequantur. Sed in hoc commento duae sunt crassae hallucinationes, quas Pauli verbis refellere promptum est. Nam primo certe inter electos et reprobos mutua est relatio: ut stare electio, de qua loquitur, nequeat, nisi fateamur Deum certos homines, quos illi visum est, ab aliis segregasse. Quod ipsum Praedestinandi verbo, quod bis postea repetit, exprimitur. Adhaec, eos dicit electos, qui fide insiti sunt in Christi corpus: quod omnibus nequaquam commune esse, palam est. Solos itaque eos designat: quos vocatione sua dignatur Christus, postquam illi a Patre dati sunt. Fidem vero facere electionis causam, nimis absurdum est atque a Pauli verbis dissentaneum. Neque enim, quod prudenter animadvertit Augustinus, (Libr. de praedest. sanct. cap. 17. 18. 19.) electos esse pronunciat, quia crediturі essent, sed ut crederent: non electos dicit quos Deus praeviderat fore sanctos et immaculatos, sed ut tales fierent. Item: Non quia credidimus, ipse nos elegit, sed ut nos credamus: ne priores videamur ipsum elegisse. Fructum divinae electionis et effectum Paulus esse clamat, quod sancti esse incipimus. Ergo nimis praepostere faciunt, qui fidei electionem subiiciunt. Deinde quum unicam electionis causam statuat, Dei beneplacitum, quod habuit in seipso, alias omnes causas excludit. Ideo recte Augustinus nos illuc revocari admonet, ne placito gloriemur voluntatis nostrae. Sequitur apud Paulum: Gratia sua Deum in nos exundasse in omni prudentia, patefacto nobis arcano voluntatis suae secundum beneplacitum quod in seipso proposuerat. Audis illuminationis gratiam quasi rivum esse ex fonte aeterni illius consilii fluentem, quod ante absconditum fuerat. Multum ergo abest, quin Deus in nobis eligendis aliquem fidei respectum habuerit, quae nulla esse poterat, nisi eam adoptionis suae gratia nobis destinasset. Et Paulus iterum confirmat, non aliunde inductum fuisse Deum: sed ipsum sibi fuisse auctorem et causam, cur nondum creatos eligeret quibus postea et fidem conferret: Secundum propositum eius, inquit, qui omnia efficit secundum consilium voluntatis suae. Quis aeternum Dei propositum nostro opponi non videat? Quod etiam ab Augustino rite expensum est: qui usque adeo Deum operari omnia interpretatur,

Digitized by Google

ut velle quoque nostrum, quo credimus, efficiat. Iam satis evictum esse arbitror, quos nunc Deus per Evangelium in spem salutis vocat, quos in Christi Corpus inserit, quos facit vitae aeternae haeredes, aeterno arcanoque consilio sibi in filios adoptasse, atque ut adoptaret, usque adeo non fuisse eorum fide provocatum: ut fidei causa et principium sit ipsa electio: unde ordine priorem esse constat.

Nihilo obscurius est, quod octavo ad Rom. capite habetur. Nam quum dixisset, Omnia adiumento esse fidelibus qui Deum diligunt: ne felicitatis suae exordium a seipsis peterent homines, quasi suo Deum amore ad promerendum tale beneficium praeveniant, correctionis vice mox attexit, Qui secundum propositum vocati sunt. Videmus ut priores Deo partes nominatim vendicet, qui vocatione sua efficit, ut diligere incipiant, qui nihil poterant quam odisse. Nam ut totum hominis ingenium excutias, quae ad Deum amandum illic propensio reperietur? Imo Paulus eodem capite omnes carnis sensus Deo inimicos esse pronunciat. Si omnes natura hostes, et Deo adversi, sola eius vocatione discerni palam est, qui deposito odio animos ad eum amandum convertant. Porro minime dubium est, quin efficax hic vocatio notetur, qua regenerat Deus, quos sibi prius in filios adoptavit. Neque enim simpliciter dicit Vocatos (quod in reprobos plerumque competit, quos Deus promiscue cum filiis suis ad poenitentiam fidemque invitat) sed vocatos secundum propositum, quod stabile ipso effectu ratumque esse oportet. Nam de hominis proposito insulse hunc locum exponi, Augustinus optime coarguit: (Lib. ad Bonif. 2. cap. 9. et aliis locis.) et ipse contextus omnem scrupulum eximit, ne alieno opus sit interprete. Sequitur enim: Quos praedestinaverat vel definierat, eosdem vocavit, et quos vocavit, eos iustificavit. Hic de certo numero se loqui demonstrat quem sibi Deus in peculium destinavit. Nam quum et aliis modis et praesertim externo hominum ministerio vocet permultos: neminem, nisi quem ad vitam ordinavit, iustificat, ut tandem glorificet. Est igitur specialis quaedam vocatio, quae aeternam Dei electionem sic obsignat et sancit, ut patefaciat quod prius fuit in Deo absconditum.

Scio quid hic nonnulli cavillentur? Quum praedestinatos Paulus dicat quos Deus praescivit, suae quenque fidei respectu eligi. Sed ego illis quod falso imaginantur, non concedo, Intelligi quicquam fuisse a Deo praevisum, quod conciliaret illis gratiam: sed quia gratuito electi sint, fuisse praecognitos, Quemadmodum alibi docet idem Paulus, Deum novisse qui sint sui, quia scilicet notatos et quasi in suo censu numeratos habeat. Neque hoc quoque ab Augustino (Lib. de bono persev. cap. 18.) omissum est: Praescientiae nomen pro Dei consilio accipi, quo suos in salutem praedestinat. Praesciri a Deo, quinam futuri sint vitae haeredes, nemo non fatetur. Hoc modo in quaestione versatur, Praevideatne quid in ipsis facturus sit, an quales a se-

Digitized by Google

ipsis sint futuri. Futilis autem argutia est, arrepta Praescientiae voce, electionem, quam Paulus ubique in solo Dei proposito includit, hominum meritis alligare. Petrus (1 Petr. 1. vers. 2.) electos salutat, secundum praecognitionem Dei. An quod praevisa in ipsis aliqua virtus, Dei favorem ad eos inclinaverit? Atqui Petrus homines inter se non confert, ut alios aliis faciat digniores: sed decretum quod in se Deus statuit, supra causas omnes in sublimi locat: acsi diceret, Nunc censeri inter Dei filios, quia, priusquam nascerentur, electi fuerint. Secundum hanc rationem eodem capite docet, Christum ante mundi creationem fuisse praecognitum, ut sacrificio suo mundi peccata abluere t. Quo proculdubio significat, expiationem ab eo completam, aeterno Dei consilio fuisse ordinatam. Nec aliter exponi potest, quod in Petri concione apud Lucam habetur: Christum definito Dei consilio et praescientia in mortem traditum esse. Sic enim praescientiam consilio adiungit, ut discamus neque fortuito neque violento hominum impetu abreptum fuisse Christum ad mortem: sed quia Deus optimus et sapientissimus cognitor ita consulto statuerat. Et unus Pauli locus ad dirimendam omnem controversiam apud sanos lectores sufficiet. Deum plebem suam, quam praescivit, repulisse negat. Mox qualis illa fuerat cognitio, declarat: quod reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt. Item, quod Israël operibus non sit consequutus quod quaerebat: sed electio consequuta. Quam priore loco praescientiam vocavit, postea electionem esse definit, et quidem gratuitam.

Puerile figmentum est, quod gratiam Pighius interpretatur, quia Dominus omnes in Adam perditos ad salutem nihilominus invitat. Clare enim Paulus Deo praecognitos a reliquis discernit, quos adspectu suo dignatus non est. Quod idem non obscure expressum est Christi verbis, (Ioan. 6. vers. 37.) Quicquid dederit mihi Pater, ad me veniet: et eum, qui venit ad me, non eiiciam foras. Tria breviter quidem, sed tamen perspicue hic habemus: Quotquot veniunt ad Christum, prius illi a Patre esse datos: deinde omnes, qui dati sunt, quasi de manu in manum illi tradi, ut vere eius fiant: postremo fidum esse omnium custodem, quos in eius fidem ac praesidium Pater tradidit, ut neminem perire sinat. Nunc si fidei principium quaeritur: respondet Christus, Ideo credere qui credunt, quia sibi donati sunt a Patre. Magnum plebi imperitae obstaculum erat Scribarum incredulitas, quod vulgo persuasum erat, nullam doctrinam fide dignam esse, nisi quae eorum suffragio recepta esset. Clamat ex adverso Christus, singulare esse Dei donum lucem illam, qua in salutis viam dirigimur. Si quis tergiversetur, dari Christo quos Pater in eo elegit: manet tamen istud fixum, donationem non fide modo superiorem esse, sed eius causam ac originem. Sed in altero membro longe plus subest ponderis. Neque enim tantum venire ad se alios negat, nisi quibus porrecta fuerit a Deo manus: sed

Digitized by Google

sed omnes, qui sibi donati sunt, sine exceptione, credere affirmat. Quod in disputationis contextu uberius confirmat. Nemo, inquit, ad me potest venire, nisi Pater meus traxerit eum. Fatebitur Pighius illuminatione opus esse, ut ad Christum redeant homines, qui a Deo erant aversi, sed interea fingit, offerri peraeque omnibus gratiam, hominum autem arbitrio, utcunque eam recipere libuerit, efficacem demum esse. At vero Christus alium verborum suorum sensum esse testatur, Sunt quidam ex vobis qui non credunt, Propterea dixi vobis, nemo potest ad me venire, nisi illi datum fuerit a Patre meo. Vides ut incredulos eorum numero excludat qui trahuntur. Nam hoc prorsus intempestive effutiret, nisi speciale donum esset fides. Sed hoc omnium clarissimum: quod postquam Iesaiae vaticinium adduxit, Erunt omnes docti a Deo: mox interpretationis loco addit, Omnis ergo, qui audivit a Patre meo et didicit, venit ad me. In eo docet impleri Iesaiae vaticinium, quod Deus Spiritu suo intus discipulos alloquitur, ut Christo in possessionem tradat. Hunc instaurandae Ecclesiae modum definit Iesaias, ut omnes eius Filii divinitus edocti sint. Peculiare ergo beneficium commemorat, quo Deus non nisi Ecclesiae filios dignatur. Christus efficaciter hoc doctrinae genere ad se trahi pronunciat, quorum mentes et corda Deus compellat. Sic enim interius docet eos, inquit Augustinus, (Lib. de gratia Christi contra Pelag. et Celest. c. 31. cap. 14.) qui secundum propositum vocati sunt simul donans et quid agant, scire: et quod sciunt, agere. Qui autem novit, quid fieri debeat, et non facit, nondum a Deo didicit secundum gratiam, sed secundum Legem; non secundum Spiritum, sed literam. Paulo post: Si, ut dicit veritas, omnis, qui didicit, venit; quisquis non venit, profecto nec didicit. Concludit tandem. Non est consequens, ut, qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit atque fecerit. Sed omnis, qui didicit a Patre, non solum potest venire, sed etiam venit, ubi iam et possibilitatis profectus et voluntatis affectus et actionis effectus est. Neque Augustinum ideo in praesentia adduco testem, quod eius auctoritate pugnem. Sed quia eius verbis aptiora non suppetunt, quibus Evangelistae mentem exprimam. Quod si nondum quidam acquiescant, alibi (Lib. de praedestin. Sanctor. cap. 8.) plenius edisserit: Quid est, Omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me: nisi, Nullus est qui audiat et discat a Patre, et non veniat ad me? Si enim omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit: profecto omnis, qui non venit, non audivit a Patre nec didicit. Nam si audisset et didicisset, veniret. Valde remota est a sensibus carnis haec schola, in qua Pater auditur et docet, ut veniatur ad Filium. Paulo post: Haec gratia quae occulte humanis cordibus tribuitur, a nullo duro corde recipitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primum auferatur. Quando itaque Pater intus auditur, aufert cor lapideum, et dat cor carneum. Sic quippe facit filios promissionis et vasa misericordiae quae praeparavit in gloriam.

Digitized by Google

Cur ergo non omnes docet ut veniant ad Christum, nisi quia omnes, quos docet, misericordia docet: quos autem non docet, iudicio non docet? quoniam cuius vult miseretur, et quem vult obdurat. Quanquam breviore compendio potest huius quaestionis summa perstringi. Trahi a Patre Christus dicit, non quibus flexibile cor datur, ut venire ad eum possint: sed quorum Deus Spiritu suo cor intus afficit, ut reipsa veniant. Id non omnibus promiscue dari experientia vel caecis demonstrat.

Iam quod neminem ex eorum numero se eiicere pronunciat; quin potius repositam in tuto esse omnibus vitam, donec excitet eos in novissimo die: quis non videt finalem, ut vulgo loquuntur, perseverantiam Dei electioni similiter adscribi? Fieri potest, ut a fide quidam excidant: sed qui sibi a Patre donati sunt, extra ruinae periculum Christus esse asserit. Quemadmodum et alio loco, postquam dixit ex Iudaeis quosdam non credere, quia ex ovibus suis non essent, oves ipsas quasi in securo salutis portu collocat. Non peribunt, inquit, (Ioan. 10. vers. 18.) in aeternum: nec rapiet eas quisquam a manu mea. Pater, qui dedit mihi, maior omnibus est. Hunc tam firmum salutis statum Pighius in fide praesenti fundare non audebit: quum eam a libero hominis arbitrio suspendat. Nec quasi de re ambigua disputandum, ubi Christus cunctis Satanae machinationibus suam unius tutelam opponens, ideo tutos ad extremum usque nos fore pronunciat, quia servare velit. Porro ne cui dubium sit, quos fide sua protegendos suscipiat, iterum nos revocat ad Patris donationem. Nec vero leviter praetereundum: quod potentiorem quibuslibet adversariis Deum facit, ne minor sit nobis salutis securitas, quam potentiae Dei reverentia. Ergo inter tam violentos insultus, tam varia discrimina, tantas procellas et agitationes, in eo tamen consistit status nostri perpetuitas, quod Deus, quod de salute nostra apud se decrevit, brachii sui virtute constanter tuebitur. Si quisque nostrum se aspiciat: quid potest aliud quam trepidare? Nam circa nos omnia nutant: et nihil nobis imbecillius. Sed quia caelestis Pater, quos Filio donavit, perire non sinet, quantum habet hic potentiae, tam certa est nobis fiducia et gloriatio: quia ideo fortis est, ut constans et invictus apparcat suae donationis assertor. Nam ut scite Augustinus dicit, Horum si quisquam perit, fallitur Deus. Sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, humano vitio Deus vincitur. Sed nemo perit, quia nulla re vincitur Deus. Electi enim sunt, ut perpetuo regnent cum Christo: non sicut Iudas ad munus temporale cui congruebat. Item: Ex istis nemo perit, quia omnes electi et secundum propositum non suum sed Dei. Si quidem non tale modo illis perseverantiae donum confertur, ut postea declarat, (Lib. de corrept. et grat. c. 12. cap. 7.) quo possint si velint; sed quo non nisi perseverantes sint. Quod optima ratione confirmat. Nam si in tanta infirmitate vitae huius, in qua tamen

Digitized by Google

infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adiutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent: nec Deus operatur ut vellent: inter tot et tantas tentationes voluntas ipsa infirmitate sua succumberet, et ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent ut possent. Subventum ergo est infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter et inseparabiliter ageretur, et ideo quamvis infirma non deficeret nec infirmitate aliqua vinceretur.

Prodeat nunc in medium memorabilis ille Pauli locus et qui unus ad dirimendam controversiam apud sobrios et morigeros Dei filios abunde valere debebat. Etsi autem Cyclopem Pighium contemptim Pauli verba illudere mirum non est: facturum tamen me spero, ut sani omnes tam barbaram profanandae Scripturae audaciam detestentur. Quia Iudaei Ecclesiae titulo superbientes hoc ipso praetextu Evangelium respuebant, quod fictitiae Ecclesiae consensu damnatum foret: ne tam indigno fastu obruatur Evangelii maiestas, larvam, qua se venditabant, Paulus illis detrahit. Erat sane arduum infirmis obstaculum, quum doctrinam Christi ab iis fere omnibus reiici viderent, quos Deus aeterni sui foederis haeredes constituerat. Iesum esse Dei Messiam Apostoli praedicabant. Reclamabat tota natio, cui promissus fuerat Messias. Et quid mirum? quandoquidem hodie quam plurimos videmus obiecto hoc evanido fuco labascere, dum se Papistae Ecclesiam esse iactant. Hoc itaque modo cum Iudaeis congreditur Paulus, (Rom. 9: 8.) quod legitimos Abrahae filios nequaquam faciat carnale genus: sed soli filii promissionis in semine censeantur. Poterat autem ex fide aestimare: idque consentaneum erat, quum in promissione discrimen inter genuinos et spurios statueret: idque prius fecerat: sed nunc altius conscendit: esse filios promissionis, quos Deus antequam nascerentur, elegit. Citat (cap. 2, 4.) enim quod ab Angelo promissum fuit Abrahae: Secundum hoc tempus veniam, et erit Sarae filius: acsi diceret: antequam in utero conceptus esset Isaac, fuisse a Deo cooptatum. Non solum autem hoc, inquit: (Rom. 9. vers. 12.) sed quando ex uno concubitu patris nostri Isaac gravida erat Rebecca, quum nondum nati essent pueri, necdum quicquam boni fecissent vel mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Maior serviet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

Unum hunc esse ex difficillimis Scripturae locis Pighius (Lib. 9. c. 2.) causatur. Quod ut concedam, ita impium eius latratum minime ferendum esse dico, quum inextricabilem labyrinthum esse iactat. Quid enim? An Spiritum per os Pauli loquentem sibi dicemus excidisse, ut ultra, quam utile erat, nos abduceret? Promptum illi erat, ut iam dixi, veros Abrahae filios ab adulterinis sola fidei nota distinguere. Quaestionem

Digitized by Google

electionis, quae longe remotior erat, data opera accersit. Certe quum sibi supra tertium caelum rapto arcana revelata fuisse commemorat, (2 Cor. 12. vers. 2.) quae effari homini fas non est, satis demonstrat modum sibi notum esse, quousque progredi in publicandis Dei arcanis expediat, simul et liceat. Quum igitur quaestionem, quae populariter et brevi compendio expediri poterat, ultro huc deduxerit: quisnam piorum se attentum docilemque praebere dubitet? Nisi forte sperandum est, ut Spiritum Dei ultra suas metas lascivientem furiosus Cyclops sua moderatione cohibeat. Addit: Unum esse ex locis quos indocti homines et instabiles in suam ipsorum perniciem corrumpunt. Quod ut fateri cogat, ipse nimis luculento documento extorquet: adeo licentiose torquet ac pervertit totum Pauli contextum. Quod lectores hortatur, ut in obscuris istis et ad explicandum difficilibus locis se in Ecclesiae obsequio contineant, me quoque saffragatorem haberet, si modo illis Christi ovile, non foetidam porcorum haram ostenderet. Quid enim est Ecclesia Pighio, nisi ille omni impietatum congerie refertus et inexpletus errorum omnium gurges? Postrema admonitio est, Nequid lectores admittant ab immensa Dei bonitate alienum, vel qui in eius odium potius quam in amorem incitentur. Atque hic plenis velis in Deum invehitur, si quos ab ipsa creatione exitio destinet. Atqui, etiam si tota haec doctrina supprimatur, nunquam tamen reprobos deficiet occasio, quin Deum et exosum habeant et sacrilegiis suis impetant. Sed quaenam illis sit obstrependi ratio, ubi mens Pauli exposita fuerit, suo loco expendetur. Nunc quid diserte et absque ullis ambagibus exprimat Paulus, mecum audire ne recusent quicunque sustinent in Dei schola doceri.

Duos nobis filios Isaac proponit, qui quum ambo in sancta domo quasi in Dei sacrario pariter geniti sint, tamen in dissimilem sortem Dei oraculo segregantur. Causam discriminis, quae alioqui in utriusque meritis quaesita esset, recondito Dei consilio assignat, Ut propositum Dei maneret. Constitutum Deo fuisse audimus, ex duobus geminis alterum tantum eligere. Haec Pauli verba Pighius insulso cavillo, tanquam porcus rostro, evertere conatur. Gratiae electionem fuisse respondet, quia nihil tale promeritus erat Iacob. Sed quum in eo gratiam commendet Paulus, quod altero reiecto unus eligitur, hic certe concidit quod fingit Pighius de universali gratia. Non simpliciter docet Paulus, ut stabilis foret Dei electio, Iacob vitae fuisse nuncupatum haeredem: sed fratre posthabito ius primogeniturae illi delatum. Nec vero me fugit quid oblatrent quidam alii canes, quid etiam obmurmurent imperiti: Testimonia quae citantur a Paulo neque de vita aeterna neque de aeterno exitio tractare. Verum si vera theologiae principia, quae trita esse decebat omnibus Christianis, isti tenerent: paulo modestius loquerentur. Responsum enim, quod Rebeccae datum fuit, eo spectabat: Dissidii, quod in utero sen

Digitized by Google

tiebat, hunc fore exitum, ut penes minorem resideret Dei benedictio et vitae aeternae foedus. Quorsum enim lucta, nisi quod duo simul foederis haeredes esse non poterant, quod iam arcano Dei consilio uni erat destinatum? Excipiunt, Ad terram Canaan id referri: de qua etiam sermo apud Malachiam habetur. In quo forte audiendi essent, si Iudaeos Deus in terra Canaan quasi pecudes in ara saginasset. Atqui longe diversum est Prophetae consilium. Nam et quia terram illam Deus Abrahae quasi externum potioris haereditatis symbolum promiserat et eius posteris ipsam dederat possidendam, ut eos in populum sibi peculiarem colligeret; et sanctuarium, praesentis suae gratiae testimonium, illic erexerat, fines istos non immerito reputat Propheta. Denique terram Canaan pro sacro Dei domicilio habet, cuius habitatione quum privatus foret Esau, odio habitum colligit: quoniam a sancta electaque familia abdicatus erat, in qua perpetuus residet Dei amor. Nobis quoque intuenda est illa terrae qualitas quam illi Deus indiderat, ut pacti spiritualis cum Abrahae semine iniit arra quaedam esset vel pignus. Non abs re ergo Paulus (Rom. 9. vers. 12.) gratuitam electionem in Iacob ratam fuisse commemorat, quia nondum natus reiecto fratre ad potiendam haereditatem destinatur. Sed Paulus ultra etiamnum pergit: dignitatem hanc non operibus fuisse partam neque operum respectu collatam ipsi Iacob. Neque id modo: sed Dei providentia sic discretos fratres, antequam boni quicquam vel mali egissent. Itaque non ex operibus, sed ex vocante profectum fuisse discrimen constituit.

Hic a Pighio nobis rancida illa distinctio obtruditur: Non venisse quidem anteacta opera in rationem, quae nulla erant, sed firmam Dei electionem fuisse in Iacob, cuius fidem et obedientiam Deus praevidebat. Et argute scilicet, in nomine Israël philosophatur, quod a Deo videndo sit cognominatus, ut sciamus veros demum esse Israëlitas, qui se propria malitia non excaecant, sed ad Deum, ubi illis apparet conspiciendum, aperiunt oculos. Atqui ridiculum est, quod, dum alios studet facere tam perspicaces, talpa ipse caecior est. Diversa enim prorsus etymologia a Mose exprimitur: quod, cum Angelo Dei congressus, superior in certamine fuisset. Israël enim Deo potentem vel dominantem Deo sonat.

Sed quibus, obsecro, ita poterit oculos configere vel eruere, ut eius ineptias non animadvertant? Boni quicquam vel mali ipsos fecisse quorsum negat Paulus, nisi ut omnem meriti respectum tollat? imo nisi ut praecise affirmet, Deum non aliunde suspensas habuisse rationes, quum tam diversum de gemellis fratribus iudicium tulit? Scio quam tritum fuerit effugium istud: scire tamen primum velim, si communi naturae relicti forent Esau et Iacob, quid bonorum operum in secundo magis quam in priore Deus reperisset. Peraeque sane ambo lapidei cordis duritia oblatam salutem repulissent. Ideo ambobus, inquit Pighius, flexibile cor datum est, ut gratiam possent amplecti: sed alter libero arbitrio quod

Digitized by Google

poterat voluit, alter recusavit. Quasi non velle etiam dari Paulus testetur, quasi non se facturum Deus promittat, ut in praeceptis suis Israël ambulet. At Pighii iudicio Ioannes (Ioan. 1. vers. 12.) reclamat, Deum nobis potestatem dedisse filios Dei fieri. Primum in eo hallucinatur phreneticus iste, quod Potestatem accipit pro Facultate aut potentia, quum dignationem honoris potius significet. Plusquam crassam vero hebetudinem prodit, dum velut clausis oculis huius potestatis causam praeterit clare ab Evangelista expressam. Filios Dei fieri praedicat, qui Christum recipiunt; verum eosdem mox non ex carne et sanguinibus, sed ex Deo genitos esse dicit. Dignatur ergo adoptionis honore Deus qui in Filium credunt; sed quos prius Spiritu suo genuerat, hoc est, Quos sibi in filios formavit, suos tandem esse declarat. Nam si filios Dei nos reddit fides, unde ipsa nobis detur, considerandum est. Est enim spiritualis seminis fructus, quo nos Deus in vitae novitatem regignit. In summa: verissimum est illud Augustini, (Enchiri. ad Laur. cap. 99. Epist. 105. ad Sixtum Lib. 5. contra Iulia. cap. 3. et aliis locis.) Sola gratia redemptos discerni a perditis, quos ad perditionem concreverat ab origine ducta massa communis. Unde sequitur, gratiam Dei praedicari, qua eligendos facit, non invenit; quemadmodum idem saepius inculcat. Adde, quod si quid in electis suis praevidet Deus quo a reprobis ipsos discernat, inscite Paulus argueret, quia nondum tunc nati erant fratres, ex vocante non ex operibus fuisse dictum: Maior serviet minori. Quare solutio ista de praevisis cuiusque operibus aperte Paulo insultat. Colligit Paulus, in electione Dei non haberi operum respectum, quia Iacob Deus fratri praetulit, antequam nati essent et quicquam egissent boni vel mali. Isti, ut a Deo eligi obtineant, quos aliqua probitatis nota a reprobis discernit, praevideri obtendunt, qualis futura sit in recipienda vel respuenda gratia cuiusque dispositio. Quid si recipitur, eos, qui nihildum boni egerunt, non tamen Deus ex operibus eligere desinet, quia ex operibus praevisis interea pendebit electio. Atqui quum Paulus pro confesso sumeret quod bonis istis theologis est incredibile, Omnes ex aequo esse indignos, aequam naturae in omnibus esse corruptionem, secure inde constituit, Deum gratuito suo proposito eligere quoscunque eligit: non quos obsequentes fore sibi filios praevideat. Denique qualis extra Dei electionem sit hominum natura Paulus considerat: isti Deum quod nunquam futurum est, donec ipse fecerit, praevidere in homine somniant.

Quanquam haec per se satis clara sunt: longius tamen nos Pauli contextus ducit. Sequitur enim, Quid ergo dicemus? Nunquid iniustitia est apud Deum? Vel haec obiectio sine ratione ingeritur: vel nullum praevisis operibus locum dabat Pauli doctrina. Quae enim iniustitiae suspicio concipi potest, ubi Deus gratiam omnibus communiter offert, facit autem ut ea digni fruantur? Denique quum electionis vel reprobationis causam in futuris operibus

Digitized by Google

constituunt, hanc ipsam quaestionem, quam sibi Paulus obiicit, effugere et solvere sibi videntur. Unde perspicuum est, nova ista sapientia non fuisse instructum. Esto, adversarios Paulus importune et nullo colore inducat de iustitia Dei litigantes. Obiectionem quomodo repellat, videndum. Verba sunt, Absit. Nam Mosi dicit: Miserebor cuius miserebor: et miserebor quem miseror. Nihil fore aptius video, quam ut Augustini verbis (Epist. 105. ad Sixtum.) ad hunc locum explicandum utar. Mirum, inquit, quum his coarctantur angustiis, in quanta se abrupta praecipitent, metuentes retia veritatis. Ideo, inquiunt, nondum natorum alium oderat, alium diligebat, quia eorum futura opera praevidebat. Quis istum acutissimum sensum defuisse Apostolo non miretur? Hoc quippe ille non vidit, quanto sibi velit adversantis obiecta quaestione, non id potius tam breve, tam apertum, tam verum, sicut isti putant, absolutumque respondit. Quum enim rem stupendam proposuisset, quomodo de nondum natis, qui nihildum boni aut mali egerant, recte dici potuerit, quod unum dilexerit Deus, alium odio habuerit: Quid ergo dicemus? ait: Nunquid iniquitas apud Deum? Hic ergo erat locus, ut diceret quod isti sentiunt, Futura enim Deus opera praevidebat. Non autem Apostolus hoc dicit, sed potius, ne quisquam de suorum operum audeat meritis gloriari, ad Dei gratiam commendandam voluit valere quod dixerat. Moses enim dicit: Miserebor cuius misertus fuero. Ubi nunc merita? Ubi opera vel praeterita, vel futura, tanquam liberi arbitrii viribus adimpleta, vel adimplenda? Nonne apertam protulit Apostolus de gratuitae gratiae commendatione sententiam? Hactenus Augustini verba recensui. Fingamus nihil tale unquam eum dixisse. Quum expedita esset solutio, Deum ex futuris operibus discernere inter homines: cur Paulus se magis intricat, et totam in Dei arbitrio causam esse sitam asserit? Primo enim Dominus apud Mosem, liberum sibi ius, ubi placuerit, exercendae misericordiae vendicat: ne quis legem illi praescribere ausit: deinde ex tota populi multitudine sumpturum se, quos voluerit liberandos, pronunciat. Foedifragi pariter omnes erant. Non dicit, hunc sibi fore delectum: ut, si quos reperiat venia dignos, illis sit propitius: sed praecise misericordiae se arbitrum fore testatur, ut, quibus voluerit, parcat: quia nulla unius magis quam alterius eligendi necessitate sit adstrictus.

Tandem quod necessario ex sententia illa sequitur, Paulus infert: Non esse volentis nec currentis, sed miserentis Dei. Nam si sola Dei misericordia continetur salus hominum, Deus autem non nisi quos arcano suo beneplacito delegit servat, nihil prorsus sit hominibus residuum. Exponit Pighius, non deberi salutem conatui nostro, vel illis operibus, quia gratuito ad eam nos Deus vocet. Scilicet, ita secure ludit, acsi verbulo uno totam Pauli doctrinam abolere in promptu esset. Quia Dominus beneplacito suo, non operum discretione eligit quos servet: inde colligit Paulus,

Digitized by Google

non volentis esse neque currentis: sed totum in una Dei misericordia verti. Elapsum Pighius se putat, dum omnibus garrit, quae nemini debetur, gratiam. Caeterum, quum eius demum compotes fieri dicat, quos Dominus idoneos et sibi obsequentes reperit: eo necesse erit recidere: valere quidem et voluntatem et cursum: sed quia per se non sufficiant, Dei misericordiae palmam deferri: Quas ineptias optime refutat idem Augustinus: (Ench. ad Laur. cap. 32.) Si propterea, inquit, dictum est, Non volentis neque currentis, sed miserentis Dei: quia ex utroque fit: id est, ex voluntate hominis et misericordia Dei: tanquam diceretur, Non sufficit sola voluntas, nisi adsit misericordia Domini: neque sufficiet misericordia Dei, nisi adsit hominis voluntas. Porro, si nullus Christianus dicere audebit: Non miserentis Dei, sed volentis est hominis: restat ut propterea recte dictum intelligatur, Non volentis neque currentis: ut totum detur Deo, qui hominis voluntatem bonam et praeparat adiuvandam, et adiuvat praeparatam. Quo magis frivola est quorundam argutia, qui misericordiae Dei et humani conatus concursum inde eliciunt. Quasi vero Paulus homines currendo parum proficere intelligat, nisi Dei gratia adiutos: ac non potius alia omnia redigat in nihilum, ut locum Dei misericordiae vacuum cedant. Unde enim cursus recti principium? An quisquam, nisi duce ac directore Spiritu, ipse Deo occurret? Nam ut hic quoque Augustini verbis (Lib. 2. ad Bonif. cap. 16.) utar: Quotidie ad Christum trahuntur eius inimici. Dicit enim Christus: Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit, Non ait, Duxerit: quasi aliquo modo praecederet voluntas. Quis enim trahitur, si iam volebat? Trahitur ergo miris modis ab eo, qui sic novit in cordibus hominum operari, non ut homines nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant. Videmus ergo sic Dei electionem approbari subsequenti hominum cursu, ut sola tamen eius misericordia (quae iacentes erigit, errantes reducit in viam, imo in vitam suscitat mortuos, et vocat quae non sunt) principatum teneat.

Sequitur alterum de reprobis membrum, quorum maxime illustre exemplar in Pharaone proponitur. Porro de eo sic loquitur Deus apud Mosen: In hoc constitui te, ut tibi ostenderem potentiam meam. Pro quo fideliter Paulus tanquam verbum verbo reddidit: In hoc excitavi te. Est enim verbum *Hiphil* deductum a radice *Amad*, quod Stare significat. Productus ergo in medium dicitur Pharao, in quo Deus memorabile suae potentiae specimen ederet. Unde porro eum Dominus accepit, ut eo loco statueret? Mavult Pighius, quod Deus morte dignum sua potentia ad tempus sustinuerit. Quod effugium ut illi permittam, perplexus tamen adhuc in eo tenetur, quod Deus, Pharaonem proprio ingenio relinquens, eum exitio destinabat. Patientiam Dei si commendet Pighius, assentior: manet tamen interim istud fixum, in hunc finem sepositos Dei consilio esse reprobos, ut suam in illis potentiam



Digitized by Google

demonstret. Quanquam id nimis a Pauli mente remotum esse ex proxima illatione apparet: Quod Deus quem vult indurat: Neque enim hoc fuisset adiectum, nisi sub verbo illo Statui vel Excitavi comprehenderet Paulus Dei consilium, quo Pharao ad redemptionem populi sua contumacia illustrandam ordinatus erat. Nam si quis dicat, In Fastigium regii honoris divinitus evectum esse: est hoc quidem aliquid, sed non totum. Nam Graeci interpretes eodem hic verbo usi sunt, quo solent reddere verbum *Hiphil* a radice *Kum* deductum, quod Surgere significat. Porro excitare dicitur Deus, quod velut porrecta manu ad finem suo consilio ordinatum deducit. Maxime tamen ad initium rei, de qua agitur, Scriptura respicit, ut illud uni Deo adscribat. Ita dicitur, et Prophetas, et salutis ministros excitare: ne quid horum sibi vindicet hominum industria. Itaque fideliter expressus fuit sensus Mosis Excitandi verbo, modo ita accipias: Nec vero aliter accepit Paulus. Certe quod de electis et reprobis attigerat, non minus distincte quam summatim complectitur: quum hoc iuris et potestatis Deo vindicat, ut suo arbitrio induret vel misereatur. Indurandi vel miserendi ius penes ipsum esse pronunciat: nec legem illi imponi fas esse: quia nulla lex vel regula melior vel aequior, quam eius voluntas, fingi possit. Sed quia olim putarunt nonnulli, induci a Paulo impios Deo obstrepentes, ad hoc asylum se confert Pighius. Quod si illi detur, ne sic quidem solutus est nodus: quia neque de nihilo quaestionem movet Paulus: atque ita respondet, ut, quod obiectum ab adversariis fuerat, verum esse fateatur. Quid tamen eiusmodi tergiversatione proficit Pighius, nisi ut tergiversandi malam causam se habere prodat? Verum quis illi quod petit concedat? quando ita violenter disiungit quae inter se cohaerent: quae autem palam disiuncta sunt, in unum fasciculum compingit. Postquam reprobos et electos incomprehensibili Dei consilio discerni Paulus docuit, uno contextu infert: Ergo cuius vult miseretur, et quem vult indurat. Subiicit postea: Dices itaque mihi, Quid adhuc conqueritur. Quum loquentium personas aperte Paulus distinguat, quis non potius eius verbis, quam extraneis commentis attendit? Caeterum prudenter hoc quoque, ut multa, Augustinus, (In Enchir. ad Lauren. capite 99.) Non magnopere referre in cuius personas accipias, quod Paulus responsione sua verum esse innuit.

Si falsa erat obiectio, probabile certe non est Paulum in causa tam bona, tam dilucida, tam plausibili fuisse taciturum. Nam si falsum est illud, Deum quos vult indurare: nodum, qui humano ingenio inexplicabilis est, uno verbo solvere promptum erat. Excipit Pighius, Supersedere claro et idoneo responso Paulum, quia protervos homines sermone non dignetur: ut prius humiliter sapere discerent, quam rationem operum Dei superbe exquirere: qualiter alibi legimus, Iudaeos, qui Christum interrogabant in qua potestate opera sua faceret, tantum mutua quaestione repulsos.

Digitized by Google

Sed reclamant Pauli verba, Nam postea sic eorum refraenat insolentiam, qui nimis audaci curiositate in excutiendis Dei arcanis lasciviunt, ut tamen reprobos organa irae esse confirmet, in quibus suam potentiam Deus ostendit. Longe ergo melius Augustinus. (De praed. sanctor. cap. 8.). Quum dictum esset, Quid adhuc conqueritur? Nunquid responsum est a Paulo? O homo, falsum est quod dixisti? Minime: sed responsum est: O homo tu quis es? Observandum autem quod alibi tractat, Non ideo Paulum obiurgatione abrumpere eorum sermonem, qui sacrilega petulantia cum Deo litigant, acsi iusta defensione careret Dei iustitia: sed quod maxime expediebat, attulisse. Hoc loco quidam stulti putant Apostolum in responsione defecisse: et inopia reddendae rationis repressisse contradictoris audaciam. Sed magnum habet pondus quod dictum est, O homo, tu quis es? Et in talibus quaestionibus ad suae capacitatis considerationem revocat hominem: verbo quidem brevi, sed re ipsa, magna est redditio rationis. Si enim non capit hoc: Quis est qui respondeat Deo? si autem capit, minus inveniet quid respondeat, etc.

Proinde, si nos talia movent, inquit idem alibi, (Ad Bon. epist. 109.) quia homines sumus: simul audiamus dicentem, O homo, tu quis es? Paulo post: Quamvis enim peccata non fecerit Deus, naturas tamen ipsas, quae per seipsas sine dubio bonae sunt, quibus tamen ex arbitrio voluntatis futura essent vitia peccatorum, et in multis talia quibus esset aeterna poena reddenda, quis nisi Deus creavit? Quare? nisi quia voluit. Quare autem voluerit? O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum, etc. Ecce, ratio etiam homini reddita est, quanta debuit homini: si tamen vel istam capit, qui pro sui arbitrii libertate, infirmitatis servitute contendit. Si quem autem adhuc prava obstrependi libido sollicitat: Dicat, qui talis est, inquit: (Ad Sixt. epist. 150.) et audiat quod convenit homini: O homo, tu quis es? Audiat vero et non contemnat. Quod si contempserit, etiam ut contemneret, se inveniat obduratum: si non contempserit, ut non contemneret, credat esse adiutum: sed obduratum debito, adiutum gratia. Quale porro debitum hominibus imputet, prius ostenderat his verbis. Inexcusabilis est omnis peccator vel reatu originis, vel additamento etiam propriae voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat: sive qui iudicat, sive qui non iudicat: quia et ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est: in eis autem, qui non potuerunt, poena peccati.

Nihil nos iuvet Augustini testimonium: rem ipsam mecum expendant lectores. Paulus hominem cum Deo, ut facit, comparans, altius proculdubio in eligendis et reprobandis hominibus et magis reconditum Dei consilium esse ostendit, quam quo mens humana perveniat: acsi diceret, O homo, quisnam sis, reputa, et plus aliquid Deo concede, quam modulus tuus capiat. Nunc si locus



Digitized by Google

detur Pighii philosophiae, aequalem esse omnium sortem, nisi quatenus se vita privant, qui electi cum aliis pariter fuerant: quid illic impeditum vel obscurum? quid non receptum communi sensu, et cauis iudicio plausibile? Quum ergo humani ingenii caput superius esse arcanum audis, colligere inde promptum est, frivolas esse solutiones, quae ex communi iudicio sumptae etiam in foro profano valerent. Excipit Pighius, Non repelli a Domino solere, nec suspensos dimitti, qui humiliter mentes suas captivant: ideoque hanc obiurgationem non nisi in praefractos et fastuosos competere. In quo illi non difficulter assentior: modo vicissim fateatur, damnari a Paulo impiae superbiae omnes qui Dei iustitiam proprio sensu metiuntur. Atqui ut iustitiae laudem obtineat Deus, Pighio iudice rationem, cur quidque faciat, exstare necesse est. Haec autem nobis modestiae regula, ubi operum Dei ratio nos latet, ut iustum nihilominus esse credamus. Filius quidem Sirach hoc elogio Deum ornare non erubescit, quod sicuti figulus pro suo arbitrio vasa discernit: sic esse in manu Dei homines, ut illis reddat quemadmodum decrevit. Nam κρίσις hoc loco, si superiora conferas, non potest nisi de opificis beneplacito exponi. Nec vero hic alio interprete opus est: quando omnium audaciam clare Paulus compescit, qui rationem a Deo exigunt. An dicit lutum figulo, Cur me sic fecisti? Is ergo demum ad Pauli moderationem se cohibet, qui, Dei voluntatem, licet absconditam, summae iustitiae instar habens, liberam illi perdendi servandique potestatem facit. Quantumvis torquendis Pauli verbis se Pighius torqueat, non tamen ad praesens institutum aliter similitudo aptari potest, quam si iure suo Deus homines ad quamcunque voluerit sortem fingat et formet. Hoc si cui videtur prima specie absurdum, veniat nobis in mentem illa Augustini admonitio: (De verbis Apost. sermo 11.) Si pecudes loqui possent, ac cum opifice suo contenderent, quod non homines, ut nos, sint factae: neminem fore nostrum qui non protinus succenseat. Iam vero quid nos putamus esse? Nimium certe desipit, qui non plus saltem aliquanto praecellentiae Deo tribuit, quam sibi et generi humano supra pecudes vindicat. Imo si proprie loquendum, nos coram Deo minus sumus quam pecudes. Quid ergo restat, nisi ut se illi oves ex grege eius placide submittant? Id quidem longe praestat, quam Pighii exemplo homines substituere Dei loco figulos, ut fortunam sibi quisque pro propria virtute fingat. Alibi, inquit, aperte ostenditur quod hic obscurum est. Vasa figuli probat fornax, et homines iustos tentatio. Inde colligit, Si iustus in fide et pietate constans fuerit, vas fore in honorem: si molliter cesserit, fore vas in contumeliam. At quum suo quisque arbitrio, divina gratia, quae omnibus communis et parata est, adiutus perseveret: demum constituit, nos invicta fortitudine vasa in honorem fieri. Non dico quam insulse duo tam diversa commisceat, fingi vas, et probari: tantum dico, quod suos variis certaminum experimentis Deus probat, minime obstare, quin

Digitized by Google

ipsos aeterno suo consilio, priusquam nascerentur, in quem placuit usum destinaverit: quin postea eos, quales volebat fore, finxerit. Nec quicquam illi suffragatur Pauli dictum: Si quis se emundaverit ab eiusmodi malis, vas erit in honorem. Neque enim quomodo homines ex sordibus suis eruti vasa fiant honorifica: sed quomodo fideles, qui electi iam et vocati sunt, se accommodent in puros usus, illic disseritur. Ac vide quam bene inter eum et Paulum conveniat. Verba eius sunt, Quod alibi tacuerat Paulus, hic expressit: cur Deus quosdam vasa in honorem faciat potius quam alios. Ut enim Iacob vas foret misericordiae, anima eius emundaverat seipsam: quo nomine et merito factus est vas in honorem. Ad hanc emundationem respiciens Deus, quem praescivit, etiam elegit. Paulus autem, dum fideles ad emundationem hortatur, ut locum sternat huic doctrinae, praefatur, (2 Tim. 2. vers. 19. Eph. 2. vers. 10.) Deum novisse qui sint sui: quemadmodum et alibi admonet, Nos esse eius figmentum, creatos ad opera bona, quae ipse praeparavit. Hoc salutis fundamentum in gratuita Dei electione ubique statuit Paulus, qui non temere se peritum architectum esse gloriatur. Pighius contra a superficie aedificium inchoat. Intempestive quoque in tractando Ieremiae locum multum verborum consumit: ubi non describitur formationis nostrae initium, in frangendis et conterendis vasis, quae iam formata politaque sunt, sua Deo potestas asseritur. Tenendum igitur Pauli (Rom. 9. vers. 21.) consilium est: Deum hominum fictorem, ex eodem assumpto luto, ad honorem vel contumeliam suo arbitrio formare: quia alios ad vitam gratuito nondum natos eligit, alios exitio suo, qui natura obnoxii sunt omnes, relinquens. Nam quod electionem gratiae Pighius ad reproborum odium spectare negat: id ego verum esse ita fateor, ut gratuito amori, quo electos complectitur, iusta in reprobos severitas in causa pari et communi respondeat.

Concludit demum Paulus: Si Deus, iram suam volens ostendere et notam facere suam potentiam, sustinuit in multa patientia vasa irae apparata in interitum, ut notas quoque divitias gratiae suae faceret erga vasa misericordiae quae praeparavit in gloriam: non esse cur litem illi quisquam intentet. Ludit Pighius, ut solent eius similes, in voce Patientiae. Imo ferociter se iactat, quasi Deus non aliter reprobos, quam paterna indulgentia, obduret. Non aliter, inquit, vasa ad contumeliam format Deus, quam benigne tolerando qui patientia eius abutentes thesaurum irae sibi accumulant. Ubi ergo inter fratres nondum natos discrimen? Praevidebat Deus, si Pighio creditur, futuram Esau duritiem. Quomodo itaque in Iacob eminet electio gratiae, si in eodem gradu locatus fuit Esau, donec se ipse ex filiorum numero expungeret? Verum saepius in brevissima Pauli sententia refellitur haec tergiversatio, quam ut aliunde rationes contrarias accersere opus sit. Vasa aut Organa quo sensu vocent Hebraei, quisquis mediocriter

Digitized by Google

in Scriptura exercitatus est, non ignorat. Organa ubi audimus, tum Deum praesidem actionis totius et auctorem, tum manum eius directricem praecedere necesse est. Cur autem vocantur Vasa irae, nisi quia iustam severitatem, qua abstinuit erga alios, in istos exercuit? Et cur facti sunt vasa irae? Respondet Paulus, ut iram et potentiam in illis suam Deus ostenderet. Dicit Apparata in interitum: unde aut quomodo, nisi a prima origine et natura? ut quidem vitiata est in persona Adae totius generis humani natura: non quod altius Dei consilium non praecesserit: sed quia ex hac scaturigine emergit Dei maledictio et generis humani interitus. Praeparasse enim Deum vasa misericordiae in gloriam testatur. Si hoc speciale est electis, reliquos ad interitum aptatos esse constat, quia, naturae suae relicti, certo iam exitio devoti sunt. Quod enim nugantur quidam, Aptari eos propria malitia, adeo insulsum est, ut referre pigeat. Verum est istud quidem, reprobos iram Dei sua pravitate accersere, et in dies accelerando tandem in caput suum congerere. Sed hic discrimen quod ex arcano Dei iudicio manat a Paulo tractari, in confesso est. Dicit etiam, Divitias gratiae Dei patefieri, dum ex opposito vasa irae in exitium ruunt. Hic certe non audimus quod Pighius garrit, Aequalem esse erga omnes gratiam: sed melius Dei bonitatem illustrari, dum vasa irae sustinendo ad suum finem venire patitur. Quod ad patientiam spectat, in promptu est solutio: eam cum potentia coniungi ut non sinat tantum Deus, sed, quod fit, sua virtute moderetur. Quod et Augustinus (Lib. contra Iul. 5. cap. 5.) scite observat.

Nec vero aliter stare potest inviolabile illud Dei pactum: Ego sum Deus zelotes, misericors in mille generationes: severus ultor usque in tertiam et quartam generationem: nisi Dominus arbitrio suo discernat, quibus gratiam largiatur, vel quos aeternae morti velit manere addictos. Gratiam suam in mille usque aetates propagat. Quaeso, an piorum filios propriis meritis aestimat, quum exhibitam partibus gratiam non alia ratione continuat etiam erga ipsos, nisi quia se ita facturum promisit? Abrahae, qui nihil promeritus erat, fidem suam gratuito obstringit, se in eius gratiam fore posteris in Deum. Hinc solennis illa post eius mortem obtestatio: Recordare Domine servi tui Abrahae. Hic certe inter homines delectus habetur: neque ex cuiusque meritis, sed ex sancito cum patribus foedere. Non quod tota Abrahae posteritas, quae ex eo secundum carnem descendit, hanc praerogativam teneat: sed tamen eorum omnium, qui ex Abrahae semine in vitam cooptati sunt, et fides et salus huic promissioni accepta referri debet. Eadem est vindictae ratio, quam Deus in tertiam usque et quartam generationem exsequitur. Quod enim afferunt nonnulli, Puniri, quicunque omnibus seculis peccaverint, suo quemque ordine, plusquam frivolum est. Sic olim Pelagiani, quum ex Scripturae testimoniis, quae omnes in Adam peccasse ostendunt, expedire se ne-

Digitized by Google

quirent, cavillabantur imitatione peccasse. Sed quemadmodum eos urgebant pii doctores, Adae reatu vere omnes damnatos, quo Christi gratia eos absolvit: ita in praesenti causa, ut inter se antitheta respondeant, necesse est in filiorum persona Deum ulcisci, quae in patribus peccata damnavit. Nec sane aliter exponere licet complures Scripturae locos *), ubi se testatur reiicere maiorum peccata in sinum filiorum. Frustra autem obiicitur illud Ezechielis: Filius non portabit patris iniquitatem: sed anima, quae peccaverit, ipsa morietur. Quia haec vindictae pars est, quod Dominus Spiritu suo nudos et vacuos relinquit: quo fit, ut propriam quisque culpam sustineat. Luere ergo maiorum peccata dicuntur posteri, non immeriti (ut profanus ille Poëta [Horatius] cantillat) sed hoc ipso noxii, quod, ut natura sunt filii irae quemadmodum loquitur Paulus), (Eph. 2, 2.) proprio ingenio relicti, mortis aeternae iam a prima haeredes nihil quam suum interitum assiduo procursu augere possunt.

Hic quoque locum Iesaiae (Iesa. 6, 9.) exponere, non intempestivum erit, quem non abs re Spiritus sanctus in novo Testamento voluit sexies repeti. Mittitur Propheta cum prodigioso in speciem mandato: Vade, et dic populo huic, Audite audientes, et ne intelligatis: videte visionem, et ne cognoscatis. Impingua cor populi huius, et aures eius aggrava, et oculos eius claude: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde intelligat: et convertatur ut sanem eum. Quod excaecationis minister vocatur Propheta, accidentale esse fateor. In causa excaecationis vertitur quaestio. Fateor rursum ingrato rebellique populo quam meritus erat poenam irrogari ut lux illi in tenebras vertatur. Praecesserit sane et maligna et obstinata incredulitas, cui Deus tale praemium rependeret; sed quum postea recitet Propheta, fuisse aliquem selectum numerum, cui salus ex Dei verbo affulserit: suane virtute effugerint horribile illud iudicium, an Dei manu retenti fuerint, quaeritur. Magis etiam urget altera quaestio: Qui factum sit, ut e turba illa, cuius non dispar erat incredulitas, resipuerint quidam, incurabilis aliorum fuerit morbus. Si quis humano iudicio rem aestimet: in ipsis hominibus discriminis inveniet causam. At Deus nos illic subsistere non patitur: qui servatos sua gratia pronunciat, quotquot communem defectionem non sequuntur. Resipiscentia autem quin proprium eius opus sit, in controversiam vocari non debet. Vere igitur ab Augustino (Lib. 1. de praedest. sanct. 2.) dictum esse apparet, a Domino converti quos ipse conversos voluerit, qui non tantum ex nolentibus volentes facit, sed etiam ex lupis oves, ex persequutoribus martyres, gratia potentiore eos reformans. Si malitia obiicitur: potentior esset Dei gratia, qualem se erga electos ostendit, nisi verum esset illud, Misereri eum cuius misereatur. Et Pauli interpretatio nihil dubitationis relinquit. Postquam enim dixit, (Rom.

*) Exod. 39, 7. Deut. 5, 59. Ierem. 32, 18.

Digitized by Google

11, 7.) fixam Dei electionem fuisse, addit, reliquos esse excaecatos, ut impleatur vaticinium istud. Concedo, voluntariam esse caecitatem, et eorum culpae libenter adscribo. (Augustinus lib. de bono persever. c. 12.) Sed audio, quosnam excipiat Paulus: nempe quos eligere Domino visum est. Cur autem hos potius quam illos: ne identidem excipere pigeat. Non esse hominis litigare cum Deo. Sic alibi idem Paulus, quum Iudaeis, quorum virulentam malitiam expertus erat, dicit: Bene Spiritus sanctus locutus est per os Iesaiae: Auribus audietis, et non intelligetis: accusat quidem eos ut digni sunt. Sed perperam inde ac inscite colliget quispiam, obdurationis initium ab illa malitia esse, qua si non ipsius malitiae occultior esset causa, naturae corruptio: quasi etiam non ideo in corruptione demersi manerent, quia arcano Dei consilio, antequam nascerentur, reprobi non eruuntur.

Nunc Ioannem audiamus, qui minime ambiguus nobis erit interpres *). Quum multa signa fecisset Iesus, inquit, non credebant: ut sermo Iesaiae impleretur, Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? propterea non poterant credere, quia iterum dixit: Excaecavit oculos illorum, etc. Hic certe non commemorat Ioannes, suo vitio impeditos esse Iudaeos, ne crederent. Quod etsi verissimum erat, altius tamen conscendit. Spectandum enim est eius consilium. Rudes et infirmos non leviter turbabat, quum audirent, Christo non fuisse locum in populo Dei. Respondet, Non credere, nisi quibus datum est: paucos autem esse, quibus brachium suum revelet Deus. Alterum postea vaticinium, de quo nunc vertitur quaestio, in eundem finem attexit. Et magnum habet pondus quod inserit, Non potuisse ipsos credere. Nunc quantumvis se torqueant homines, discriminis tamen causa, cur brachium suum non omnibus Deus revelet, abscondita latet in aeterno eius decreto. Sane nihil aliud voluit Evangelista, quam fidem speciale esse donum, et altiorem esse Christi sapientiam, quam ut sub humanos sensus cadat, ne mundi incredulitas nos percellat, si quando vel acutissimi deficiant. Ergo, nisi, quod Evangelista ex professo contendit, eludere libet: quod pauci Evangelium recipiunt, statuendum est inde pendere, quia frustra exterior vocis sonus aures verberat, donec intus corda Deus tetigerit.

Diversa tribus reliquis Evangelistis **) huius citandi loci occasio fuit. Discipulos suos illic secernit Christus a vulgo hominum. Datum illis esse pronunciat, nosse regni caelestis mysteria, se vero loqui apud alios in parabolis, ut audientes non audiant: et sermo Iesaiae impleatur. Quos aenigmatice alloquutus est Christus sine profectu, indignos maiori luce fuisse non nego: sed rogo vicissim, quo merito digniores fuerint Apostoli, quos

*) Vide Aug. lib. ad Bonif. 2. c. 6. Ioan. 12, 37. **) Matth. 13, 11. Marc. 4, 12. Luc. 8, 10.

Digitized by Google

familiariter Christus admittit? Statuitur antithesis: paucis conferri gratiam, quae omnibus ex aequo negari iure poterat. An dicemus sibi Apostolos comparasse, quod illis datum esse asserit Dominus? Nec leviter praetercundum est, quod Mysteria appellat, quae apud ipsos eloquitur. Et certe nihil est in tota spirituali doctrina, quod non longe superet mentis nostrae captum, proculque fugiat. Quare nec ulla verborum quamlibet dilucida explicatio sufficiet, nisi Spiritus nos simul doceat. Sed Christus hoc quoque tanquam rarae dignationis pignus magnifieri vult a suis discipulis, quod in externa docendi ratione hominum vulgo eos praeferat. Quanquam gradatim ad singulare illud privilegium eos deducit, quo vere domestici ab alienis differunt: nempe ut divinitus edocti, quae altiora sunt sensu carnis, comprehendant. Clamat subinde Christus *): Qui habet aures audiendi, audiat. Quibus verbis non tantum ab ignavis auditoribus attentos discernit: sed surdos esse intelligit, quibus aures non sunt a Domino perforatae. Quod beneficium David totius Ecclesiae nomine celebrat. Non ero singulis excutiendis longior. Summa haec sit: Si Dei Spiritum, qui per Apostolos loquutus est, Prophetae interpretem admittimus, arcanum et incomprehensibile Dei iudicium, dum maiorem populi partem excaecat, ne videat videndo, adorandam esse. Cessent hic quaecunque nobis in mentem venire possunt rationes. Nam si in hominibus haeremus: primum certe hoc erit, Dominum petentibus liberaliter dare: alios tabescere in sua inopia, cuius remedium non quaerunt. Atqui nisi succurrat quod ait Augustinus **), Divinae esse beneficentiae non tantum ut aperiatur pulsantibus sed etiam ut pulsemus et petamus: nondum satis nota est nobis qua laboramus inopia. Ad auxilium si venitur: experientia evincit, non omnibus expositam esse illam Spiritus virtutem, qua fit quod fieri oportet. Nemo se vanis blanditiis fallat. Qui ad Christum accedunt, iam filii Dei erant in eius corde, quum in se hostes essent: et quia praeordinati erant ad vitam, Christo dati sunt. Quare ut fideliter monet Augustinus, se gratiae vasa esse meminerint, non meritorum: quando gratia illis omne meritum est. Nec alia nos cognitio iuvet, quam quae admiratione claudatur. Rideant nos qui volent: modo stupori nostro Deus e caelo annuat, et Angeli applaudant.

Nunc quae ex Pighii (Lib. 8. c. 2.) obiectis aliquid coloris prae se ferunt, summatim colligam, ut intelligant lectores, nihilo melioribus armis instructum pugnare, quam iustam ciendi tanti certaminis causam habuit: Statum quaestionis in eo verti dicit: In quem finem conditus fuerit homo. Ac primum, pro magno absurdo habet: si quicquam ex hominis creatione ad Deum redire intelligimus: quia Deus se uno contentus nullius indiget. Ego vero ut

*) Matth. 13, 9. Luc. 8, 8. Ps. 40, 7. **) De bono persev. cap. 23. Vide Aug. de corrept. et gratia c. 5. Ibidem cap. 8. et 9. Ibid. cap. 7.

Digitized by Google

Deum fateor nullo externo adminiculo habere opus: ita inscite ex eo colligi dico, nullum habuisse respectum sui, ut homines in gloriam suam crearet. Quid enim sibi vult illud Solomonis, (Prov. 16, 4.) Omnia propter seipsum operatus est Dominus? Nihil ergo absurdi est, si dixerimus, Deum, tametsi nullius egentem, hominum tamen genus in suam gloriam creasse. Ac merito hic potissimus finis censeri debet. Quo magis ridiculum est Pighii sophisma, qui Deum nullo gloriae suae respectu in hominis creatione motum fuisse colligit, quia sit in se perfectissimus. Sed operae pretium est audire, quomodo se ex illo Solomonis loco expediat, Deus propter seipsum condidit omnia. Non quia gloriae suae id referret: sed propter suae bonitatis immensitatem. Ac ne pondere careat istud commentum: negat (Lib. 7. c. 2.) ullos interpretes mecum sentire, praeter paucos, ut ipse ait, detestabiles haereticos. Quid ergo refellendis tam futilibus nugis immorer? Hebraica vox *Lammaanehu*, qua utitur Solomo, tantundem valet, acsi quis diceret, Ad causam sui. Homo semilatina garrulitate inflatus nobis exponit quid significet adverbium Propter. Quod si guttam haberet sanae mentis, contextus ipse clare demonstrat, non fuisse creatos in diem exitii impios, nisi quia Deus suam in illis gloriam illustrare voluit: quemadmodum alibi (Exod. 9, 16.) pronunciat Pharaonem hac de causa fuisse a se excitatum, ut nomen suum in gentibus patefaceret. Porro, ut tam insulso errori colorem inducat, testimonium Mosis adducit: Nunc Israël quid poscit abs te Dominus Deus tuus, nisi ut illum ames et colas? Ego vero neminem ex lectoribus fore adeo fatuum confido, qui non videat hominem mente privatum sine pudore blaterare. Quid enim? an quia nostrae potius utilitatis causa quam suae, a nobis coli vult Deus: ideo sepulta gloriae suae cura, nos tantum respicit? Et quid tot testimoniis fiet, quae salutis humanae summum et ultimum finem statuunt Dei gloriam? Ergo hoc axioma retinendum: Sic Deo fuisse curae salutem nostram, ut sui non oblitus gloriam suam primo loco haberet, adeoque totum mundum hoc fine condidisse, ut gloriae suae theatrum foret. (Eph. 1, 6.) Non quod vel seipso contentus non sit, vel quicquam aliunde mutuari opus habeat: sed quia hoc honore dignatus est suas creaturas, ut illis insignes gloriae suae notas imprimeret.

Postquam tam dextre exorsus est Pighius, alterum finem subiicit: Quod Deus ad suae bonitatis naturam respiciens, eius capacem facere voluerit rationalem creaturam: quod sine arbitrii libertate fieri potuisse negat. Hoc confesso, ruere arbitratur quod dogo, Ex aeterno Dei decreto constitutum fuisse inter electos et reprobos discrimen: quia scilicet homo futurae suae conditionis arbiter, utramque fortunam in manu habuerit. Monendi quidem hic in primis hortandique sunt lectores, ut, quo decet honore, fictorem et opificem suum Deum prosequentes, ad considerandum eius consilium in creatione humani generis non protervos oculos ingerant, sed ipsum reverenter, sobrie et puro fidei oculo suspiciant.

Digitized by Google

Scio de aeterna Dei praedestinatione verbum fieri vix posse, quin mox pravae multae absurdaeque mentibus imaginationes obrepant. Itaque reperiuntur modesti quidam homines, qui suppressam eius mentionem cuperent, ne lascivis ingeniis sese efferendi materia praebeatur. Ego vero, ut libenter argutis speculationibus, quod per alios licet, supersedeo: ita ingenuam veri confessionem subterfugere, ne impiorum sannis sit exposita, fas esse non arbitror. Nec vero aut minus quam aliud quidvis pretiosa est Deo sua veritas: aut nostra dissimulatione protegi vult suam iustitiam, sicuti nec tali patrocinio indiget. Verum hoc fusius paulo post. Nunc ut de re, quae agitur, breviter respondeam: contendit Pighius, ita praecise ad salutem creatos esse homines, ut nullum Dei consilium de contrario eventu praecesserit. Quasi vero Dominus ante primum hominem conditum, qualis totius generis futura esset conditio, non praeviderit. Quasi etiam non statuerit, quidnam fieri vellet. Homo, ut imago Dei foret, et luce rationis et naturae rectitudine ornatus fuit ab initio. Ergo Deus, quasi caecutiens, eventum dubius suspensusque exspectavit. Tales sint Pighii consequentiae. Audacter enim inde colligit, Deum indiscrete et indiscriminate disposuisse universos ita creandos, ut suae bonitatis ac beatitudinis essent participes. Atqui nullo negotio utrumque simul conciliant piae mentes: hominem eo statu fuisse locatum, quum primum conditus est, ut sponte cadendo sibi ipse exitii causa fuerit: et tamen admirabili Dei consilio ita fuisse ordinatum, ut voluntaria haec ruina humano generi et omnibus Adae posteris humilitatis materia foret. Neque enim, si Deo ita visum est, expedire, ideo non propria voluntate se praecipitem dedit, qui recta natura alioqui praeditus et ad Dei imaginem formatus erat. Iterum repeto: Non me latet, quantum absurditatis et repugnantiae haec apud profanos homines prae se ferant. Sed pro mille testibus una conscientia sufficere nobis debet: quam si audimus, negare certe pudebit, iure periisse hominem, qui Satanam quam Deum sponte maluit sequi.

Nunc audiendae sunt Pighii probationes, quibus ostendere conatur, indifferenter omnibus salutem fuisse constitutam. Mentiri alioqui Spiritum dicit, qui pronunciat, Deum omnium esse patrem. De coniugio illic tractat Malachias, (Mal. 2, 14.) cuius fidem plerique mariti tunc fallebant, qui polygamia inducta fraudabant primas uxores. Eos ad Deum fidei coniugalis praesidem ac vindicem revocat. Videant nunc lectores, qualis in Scriptura tractanda sit Pighii religio. Subiicit ex Psalmo, Suavem esse Dominum universis. Unde concludit, Omnes sine exceptione ad vitam aeternam destinatos. Quod si verum est, canibus etiam et asinis apertum est regnum caelorum. Neque enim Dei bonitatem, quae hominibus propria sit, illic commendat Propheta: sed omnia Dei opera comprehendit. Quidni tamen pro fratribus suis Pighius depugnet? Sequitur tertia probatio: Quod

Digitized by Google

non sit distinctio Gentilis ac Iudaei, teste Paulo. (Rom. 10, 12.) Ego vero hoc libenter amplector, modo addatur etiam quod idem Paulus docet: (Rom. 16, 26.) Vocatas in Evangelii societatem fuisse Gentes, quia aeterno Dei consilio ad id ordinatae fuerant. Citat et illud Ecclesiastici, Nihil Deum odisse eorum quae fecit. Acsi non ubique diceremus, Nihil Deum in nobis odisse quod suum est, sed degenerem tantum naturam, quae merito primae creationis deformitas censetur. Caeterum in hoc cardine minime versatur reprobationis quaestio: An aliquid suum oderit Deus. Etsi enim ante defectionem Adae, quid facturus esset Deus, occultas ob causas statuerat, nihil tamen ab eo damnari nisi peccatum in Scriptura legimus. Ita restat, ut iustas habuerit causas in reprobanda hominum parte, sed nobis absconditas: nihil tamen in homine oderit ac damnet, nisi a iustitia sua alienum. Attexit et illud Pauli: Deum clausisse omnia sub peccato, ut omnium misereatur. Acsi Paulus illic de hominum numero disputaret: non autem potius simplicem gratiae commendationem poneret erga eos omnes qui ad salutem perveniunt. Nihil certe illi minus propositum fuit, quam Dei misericordiam ad omnes extendere: sed tantum omnem carnis gloriationem prosternere voluit, ut sciamus neminem fore salvum, nisi quem mera gratia Deus servaverit. En quibus argumentis nullos prae aliis divinitus ad salutem fuisse electos demonstret, quin in singulis capitum titulis plusquam inepte pro Euclidis simia se venditat.

Tertium finem, qui satis clare et diserte illo Solomonis loco exprimitur, Quod propter se Deus omnia creavit, etiam impium ad diem malum: hac ratione impugnat: Quod si Deum respexisse dicimus, quid cuique futurum esset, simul necesse erit fateri discretionem inter electos ac reprobos priorem fuisse hominis lapsu, in mente divina. Unde sequetur, non damnari reprobos, quia perditi fuerint in Adam, sed quia ante lapsum Adae iam exitio devoti erant. Respondeo, Nihil mirum esse, si tam indiscriminate (ut eius verbis utar) omnia miscet Pighius in Dei iudiciis, quando inter causas propinquas et remotas non discernit. Postquam huc illuc circumspexerint homines, quo tamen interitus sui culpam transferant, non invenient: quia proxima in ipsis causa residet. Nam si aliunde inflictum sibi vulnus querantur, interior animi sensus constrictos tenebit, ex voluntaria primi hominis defectione exortum fuisse malum. Scio non posse carnis proterviam compesci, quin hic protinus obstrepat: Si Adae casum praescivit Deus, nec remedium adhibere voluit, nos ex aeterno eius decreto perire innoxios magis, quam iustas peccati poenas dare. Verum, ut demus nihil tale fuisse a Deo praevisum, eadem nihilominus de peccato originali querimonia manebit. Obiiciet enim Deo impietas: Cur non sibi privatim, ut solus damnum sentiret, peccavit Adam? Cur nos, qui nihil meriti eramus, in eiusdem cladis societatem involvit? Imo, quo iure alienae cul-

Digitized by Google

pae poenam in nos Deus traiecit? Sed enim ubi omnia dicta fuerint, singulos interior cordis sensus urgere non desinet, qui neminem, vel se iudice, patitur absolvi. Nec vero controversiam de eo quisquam facit. Nam quum, ob unius hominis peccatum, inflictum omnibus fuerit lethale vulnus: rectum Dei iudicium omnes agnoscunt. Si nihil obstat, quominus et prima interitus origo ab Adam coeperit, et proximam in se causam singuli inveniant, quid etiam impediet, quin arcanum Dei consilium, quo praeordinatus fuerat hominis lapsus, qua decet sobrietate, procul adoret fides nostra: et tamen, quod propius apparet, conspiciat: totum humanum genus in Adae persona aeternae mortis reatu constrictum esse, et propterea morti esse obnoxium? Non ergo discussit Pighius, sicuti putabat, optimam et aptissimam symmetriam, qua inter se causa propinqua et remota congruunt.

Monendi autem sunt lectores, peraeque a Pighio utrunque damnari: Deum ab initio, quum adhuc integer foret hominis status, quod postea futurum esset, decrevisse, et nunc ex perdita massa eligere quos voluerit. Augustinum ridet, eiusque similes, hoc est pios omnes, qui Deum imaginantur, postquam universalem generis humani ruinam in persona Adae praesciverat, alios ad vitam, alios ad interitum destinasse. Quia enim illud de omnibus in salutem creandis Dei consilium Adae lapsu fuisse superius pro confesso sumit, fixum adhuc manere non dubitat. Nam alioqui neque sibi constaret Deus, et immutabile eius propositum hominis vitio subversum foret. In nostra sententia illam (ut dictum est) repugnantiae speciem exagitat: quod, sicut Deus ante conditum Adam apud se decreverit quidnam illi et posteris futurum esset, iam peccato imputari reproborum interitus non debeat: quia absurdum esset, effectum facere sua causa priorem. Ego autem utrumque istorum, quae oppugnat Pighius, verum esse affirmo. Nam quod obtendit inter duas sententias dissidium, prorsus nullum est. Dicimus hominem hac conditione fuisse creatum, ut conqueri de suo opifice nequeat. Praevidit Deus Adae lapsum, nec certe nisi volens ruere passus est. Quid hic tergiversari attinet? Negat tamen Pighius: quia consilium ante de servandis omnibus conceptum, stabile maneat. Quasi vero non sit in promptu solutio: non aliter omnibus destinatam fuisse salutem, quam si in prima origine perstarent. Neque enim simplex et praecisum fuisse Dei decretum quisquam sanus concedet, ut ad salutem omnes pervenirent. Nam ad iustam hominis damnationem satis erat, in via salutis quum esset collocatus, inde sponte excidisse. At fieri aliter non potuit. Quid tum? an ideo culpa liberatur, quae tota in eius voluntate residet? Si diceret Augustinus, propositum semel fuisse Deo omnes servare: ad refutandam eius opinionem aliquid valeret Pighii argutia. Sed quando tradit, Adam prima sua creatione ita constitutum fuisse vitae haeredem, ut propinqua eius abdicatio Deum minime lateret:

Digitized by Google

imo in arcano eius consilio iam esset quasi inclusa: vere et merito colligit, universali reatu sic obstrictos teneri reprobos, ut in morte relicti istud iudicium sustineant. Idem et nos tradimus, quia in Adam sumus ad unum omnes perditi: iusto Dei iudicio perire, qui pereunt: et simul tamen fatemur, quicquid Adae accidit, divinitus fuisse ordinatum.

Nunc mihi non tam quid vel quo ordine dicat Pighius considerandum est, quam ut cum sua desperata impudentia iaceat confusus nebulo: et piis conscientiis satisfiat, per imperitiam turbari non raro cernimus. Itaque quicquid speciosum est in fluxa et prope immensa eius loquacitate, excerpam: ut omnes intelligant, multa dicendo nihil eum dicere. Cum speciali electione congruere non videtur, quod Christus totius mundi Redemptor omnibus promiscue Evangelium praedicari iussit. Atqui Evangelium legatio est pacis, qua reconciliatur mundus Deo, ut Paulus docet: (2 Cor. 5, 18.) et eodem teste, annuntiatur: ut, qui audiunt, salvi fiant. Respondeo breviter, Christum sic toti mundo ordinatum esse in salutem, ut eos servet qui a Patre illi dati sunt: eorum sit vita, quorum est caput: eos in bonorum suorum societatem recipiat, quos sibi Deus gratuito beneplacito haeredes adoptavit. Quid horum negari potest? Illud Iesaiae vaticinium (Iesa. 8, 18. Hebr. 2, 13.) Apostolus in eo impletum pronunciat: Ecce ego et pueri mei, quos Dominus mihi dedit. Clamat ipse Christus: (Ioan. 6, 37.) Omne, quod mihi dedit Pater, custodiam, ne quid pereat. Quod vitam non nisi in membra sua diffundat, passim legimus. Inseri porro in eius corpus speciale donum qui non fatetur, Epistolam ad Ephesios nunquam attente legit. Unde et tertium illud sequitur, Christi virtutem non nisi ad Dei filios pertinere. Quanquam non melius quam ex Evangelii praedicatione aestimandam esse universalem Christi gratiam ipsa quoque pars adversa mihi concedet. Quare in eo sita est nodi solutio, si tenemus quomodo salutem omnibus offerat Evangelii doctrina. Equidem omnibus sua natura salvificam esse non nego. Tantum hoc quaeritur: An Dominus aeterno suo consilio communem illic omnibus salutem destinaverit. Patet omnes indifferenter ad poenitentiam et fidem vocari: et proponi omnibus eundem Mediatorem, qui Patri ipsos reconciliet, satis notum est, sed aeque notum est, nihil nisi fide percipi: ut illud Pauli (Rom. 1, 16.) impleatur: Evangelium esse Dei potentiam in salutem omni credenti. Aliis autem quid restat, nisi ut odor sit mortis in mortem? ut idem alibi (2 Cor. 2, 17.) loquitur.

Porro, quum palam appareat, ex multis, quos externa voce Deus compellat, vix paucos credere: si maiorem partem ideo incredulam manere probo, quia Deus non nisi quos vult illuminatione dignatur: simul alterum illud obtinebo: communiter offerri utrisque Dei misericordiam: ut, quicunque intus non docentur, tantum reddantur inexcusabiles. Distinguunt quidam, quod poten-

Digitized by Google

tia salutare sit omnibus Evangelium, non effectu: sed nodum hoc modo minime expediunt: quia semper eo revolvimur, aequalisne omnibus conferatur credendi facultas. At vero, cur non omnes Evangelio obediant, rationem affert Paulus: (Rom. 10, 16.) quia Iesaias (Iesa. 53, 8.) dicit: Domine, quis credidit sermoni nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Credentium paucitate attonitus Propheta exclamat: Rem indignam esse, quod Dei verbum omnium auribus personans nulla fere corda intus afficiat. Verum, ne quem conturbet tanta mundi pravitas, mox subiicit, non omnibus hoc esse datum. In summa effectu carere quamlibet sonorum humanae vocis clamorem significat, nisi interior Dei virtus in cordibus operetur. Cuius etiam rei praeclarum documentum ante oculos ponit Lucas, (Actor. 13, 48.) qui, postquam retulit habitam a Paulo concionem, Crediderunt, inquit, quotquot ordinati erant ad vitam aeternam. Cur eadem doctrina non iisdem omnium animis excipitur? Numerum definit Lucas. Quia non omnes ad vitam erant ordinati. Cuius porro haec dispositio est, nisi Dei unius? Nam qui proprio cordis motu fuisse ordinatos ineptiunt, non magis refutatione sunt digni, quam si mundum a seipso creatum dicerent. Est enim recondita Evangelii sapientia, ad quam penetrare humani ingenii acumen nequit. Animalis homo, inquit Paulus, (1 Cor. 2, 4.) non capit ea, quae Dei sunt. An quia non vult? Id quidem verum est, rebelles esse Deo quicunque eius Spiritu mansuefacti non sunt. Sed altius conscendit Paulus: quod scilicet homini sit stultitia nec possit intelligere, neminem fuisse Dei consiliarium, nec cognosci eius arcana nisi a solo eius Spiritu. Unde constituit, solos esse vere Dei discipulos, qui non mundi huius Spiritu, sed caelesti donati sunt: ut sciant quae sibi a Deo donata sunt. Quid sibi ista vult comparatio inter mundi huius et Dei Spiritum: nisi quod suo modo sapiunt homines, ut in terra subsidant, filios suos Pater caelestis peculiari modo illuminat? Hic, si Deo placet, voluntariam cuiusque praeparationem nobis Pighius obtrudit: quasi non Corinthios alloquatur Paulus, (1 Cor. 6, 4.) quos paulo post et fures et ebriosos et maledicos et avaros et molles et prodigiosis flagitiis infectos fuisse commemorat, donec Spiritus sanctificatione purgati forent. Qualis ad promerendam illuminationem eorum potuit esse occursus, quos Deus ab inferis ipsis extraxit? Et quid longo verborum circuitu opus est? Spiritus qui nobis regni caelestis arcana patefacit, est adoptionis Spiritus. Adoptio autem gratuita. Ergo et gratis confertur Spiritus ipse. Iam non omnibus conferri experientia docet. Ergo speciale donum est fides, quo rata fit Dei electio. Quo etiam sensu dixerat Paulus, (1 Cor. 1, 23.) Christum, qui Iudaeis est scandalum et Gentibus stultitia, vocatis esse Dei virtutem et sapientiam. Unde autem vocatio, nisi quia Dominus, quos elegit, secundum propositum suum vocat? Nunc tenemus, Evangelium, quod odor vitae in

Digitized by Google

vitam natura sua esse debuerat, mortiferum iis qui pereunt odorem esse: ideo autem manere in suis tenebris incredulos, quia non revelatur illis Dei brachium. Quod autem in tanta naturae nostrae corruptela et pravitate aliqui tamen Evangelio credunt, eorum bonitati adscribere sacrilegium est; sed potius gratiae semper Deo agendae, ut Paulus monet, qui eos elegit ab initio mundi in salutem, in sanctificatione spiritus et fide veritatis. Quibus certe verbis et fidem et sanctificationem ab aeterna electione tanquam a fonte rivos deducit. Quid enim? an, quia seipsos sanctificaturi erant, ideo electi sunt? Atqui nominatim Paulus (2 Thess. 2. 13.) hoc esse Spiritus Dei opus asserit. Quum eadem sit fidei ratio: superest, ut in fidem illuminatos dicamus, quo rata esset Dei electio et effectu ipso patefieret. Et sane quum audiamus, Neminem ad Christum venire nisi a Patre trahatur; hoc quoque Augustini (Lib. 1. ad Bonif. cap. 19.) tenendum est: Quis trahitur, si iam volebat? Nemo tamen venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut nolentes credant, quod fieri non potest; sed ut volentes ex nolentibus fiant.

Reclamat Pighius, illam Pauli (1 Tim. 2, 4.) sententiam adducens: Deum omnes velle salvos fieri: et quod mortem peccatoris nolit, ipsi vel iurato credendum, ubi per Prophetam (Ezech. 18, 23. et 33, 11.) sic loquitur: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat. Quum prophetica concio ad poenitentiam hortetur, nihil mirum si Deum pronuntiet velle omnes salvos fieri. Si tales loquendi formas conditionales esse ostendit mutua inter minas et promissiones relatio. Ninivitis Deus, quemadmodum Regibus Gerar et Aegypti, facturum se denunciat, quod facturus non est. Quum resipiscentia poenam, quam minatus illis fuerat, antevertunt: tunc non nisi obstinatis constitutam fuisse apparet. Et tamen praecisa fuerat denunciatio: acsi revocabile non esset decretum: sed postquam irae suae sensu terruit ac humiliavit, qui non prorsus sunt desperati, eos spe veniae erigit, ut remedio sentiant locum esse. Ita rursum promissiones, quae omnes ad salutem invitant, non simpliciter nec praecise quid in arcano suo consilio statuerit Deus, sed quid omnibus ad fidem et poenitentiam adductis facere paratus sit, demonstrant. Atqui hoc modo duplex affingitur Deo voluntas, qui adeo varius non est, ut ne minima quidem in eum cadat obumbratio. Quid hoc, inquit Pighius, aliud esset, quam hominibus illudere, si Deus, quod non vult, velle se profiteatur? Si coniunctim, ut par est, legantur haec duo: Volo ut conversus peccator vivat: nullo negotio calumnia illa diluitur. Conversionem exigit a nobis Deus: eam ubicunque invenit, promisso vitae praemio non frustratur. Vitam ergo velle dicitur Deus, qualiter et poenitentiam. Hanc autem vult, quia verbo suo omnes ad eam invitat. Caeterum, id cum arcano ipsius consilio non pugnat, quo nonnisi suos electos con-

Digitized by Google

vertere decrevit. Neque propterea varium censeri fas est, quia tanquam Legislator omnes externa vitae doctrina illuminet: ad vitam omnes priore modo vocet: hoc autem altero, quos vult, adducat, tanquam pater regenerans Spiritu filios duntaxat suos.

Certum quidem est, nec homines suopte instinctu ad Dominum converti, nec conversionis donum omnibus commune esse. Est enim hoc unum ex duobus capitibus foederis, quod Deus non nisi cum filiis suis et electo populo facturum se promittit: ut leges suas in eorum corda inscribat. Desipiet enim si quis dicat, generaliter hoc omnibus promitti: (Ierem. 31, 33.) Percutiam cum ipsis foedus, non quale percussi cum patribus eorum, sed leges meas cordibus eorum inscribam. Ad dignos vel proprio motu rite praeparatos restringere, non minus crassae inscitiae foret: quum Dominus eos alloquatur, quibus corda lapidea prius erant: quemadmodum ex altero Propheta (Ezech. 36, 26.) liquet. Communem omnium contumaciam esse dico, nec cuiusquam affectum esse ad obsequium Dei flexibilem, donec ipse dederit quod iubet. Cur enim vocamur (Eph. 2, 10.) novae creaturae, nisi quia Dei sumus factura, creati ad omne opus bonum? Obsecro, qualis ista et quam iniqua partitio erit, si Deus mortales nos homines creet, sibi quisque ad iustitiam et caelestem vitam sit creator? Nam hoc modo sibi haberet Deus caducae gratiae laudem: quod longe praestantius est, in sortem nostram cederet. Atqui, circumcidere hominum corda, opus Dei esse scriptura (Deut. 30, 6.) affirmat: nec alteri regeneratio tribuitur: unde et passim, quod in homine ad imaginem Dei reformatum est, Spiritus nuncupatur. Hortatur quidem nos subinde Dominus ad poenitentiam, sed conversionis auctor ipse asseritur. Dicitur lex eius convertere animas, et ad Verbi ministros partes istae alicubi transferuntur: sed quia dum arando, serendo, rigando laborant illi, unius Dei est incrementum dare: non mirum est, si hoc illi tribuitur, quod cor suis aperiat, ut sermoni, quem audiunt, intenti sint. Itaque Augustinus, (Lib. contra Iulian. 5. cap. 3.) postquam de electis tractavit, et eorum salutem ita in fideli Dei custodia docuit esse repositam, ut nemo pereat: Caeteri, inquit, mortales, qui ex isto numero non sunt et tamen ex eadem massa sumpti sunt, vasa irae facti in utilitatem nascuntur istorum. Non enim quenquam eorum Deus temere aut fortuito creat: aut quid de illis operetur boni, ignorat: quum et hoc ipsum bonum operetur, quod in illis humanam creat naturam, et ordinem saeculi praesentis exornat. Istorum neminem adducit ad poenitentiam spiritualem, qua homo reconciliatur Deo. Quamvis ergo ex eadem massa perditionis nati, secundum cordis sui duritiem et cor impoenitens, thesaurisant sibi, quantum in se est, omnes iram in die irae, Deus tamen alios inde per misericordiae bonitatem adducit ad poenitentiam, alios iusto iudicio non adducit. Hactenus ille. At ne quis hic divinae gratiae et nostrae industriae



Digitized by Google

concursum imaginetur: semper occurrat quod alibi (Lib. 1. de peccat. merit. et remiss. c. 18.) tradit: Laborant, inquit, homines in nostra voluntate invenire, quid boni sit nostrum, quod nobis non sit ex Deo: et quid possit inveniri, ignoro. Et paulo post: Quopropter nisi obtinemus, non solum voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis est, quibus et male uti malus potest, sed etiam voluntatem bonam, quae iam in eis bonis, quorum usus esse non potest malus, nisi ex Deo nobis esse non posse: nescio quemadmodum defendamus quod dictum est: Quid habes quod non acceperis? Nam si nobis libera quaedam voluntas ex Deo est, quae adhuc potest esse vel bona vel mala, bona autem voluntas ex nobis est: melius est id quod a nobis, quam quod a Deo est. Tandem concludit: Quibus donare hoc voluerit Dominus, misericordiae eius esse, non meriti illorum; quibus noluerit, veritatis esse, quia potestatem habet trahendi.

Alterius loci expedita est solutio. Deum velle omnes salvos fieri Paulus affirmat. Nempe quomodo vult ad veritatis suae cognitionem venire. Utrumque enim copulat. Nunc quaero, Eademne Deo voluntas ab initio mundi constiterit necne. Nam si omnibus notam esse voluit suam veritatem: cur legem suam non publicavit et Gentibus? Cur inclusam in angustiis Iudaeae tenuit vitae lucem? Quid sibi vult Moses: (Deut. 4, 6.) Non esse gentem quae statuta et leges habeat quibus regatur, quemadmodum populus ille: nisi quod singulare privilegium generis Abrahae commendat? Cui et illud Davidis (Psal. 148, 20.) encomium respondet: Non ita fecit ulli populo, nec sua iudicia manifestavit illis. Nec omittenda est quae exprimitur ratio: (Deut. 4, 37. et 7, 8.) quia dilexerit Deus Patres, filios ab eo electos esse; non quia praestantiores essent, sed quia eligere eos in populum peculiarem Domino visum est. Quid? An Paulus (Actor. 16, 6.) ipse nesciebat, se prohibitum esse a Spiritu, ne in Asia verbum de Christo faceret, ac ne transiret in Bithyniam quo pergebat? Sed quia nimis prolixa foret huius rei tractatio, uno illo nunc ero contentus: Deum post lucem vitae, solis Iudaeis accensam, passum fuisse Gentes in ignorantiae tenebris per multa secula errare: deinde speciale hoc promitti (Iesa. 60, 2.) Ecclesiae donum, quod super ipsam orietur Dominus, et gloria eius conspicua illic erit. Nunc iactet Pighius, Deum omnes velle salvos fieri, quum ne externa quidem doctrinae praedicatio, quae tamen Spiritus illuminatione longe inferior est, omnibus sit communis. Agitatus olim a Pelagianis fuit locus iste. Quid Augustinus pluribus locis (Enchir. ad Laur. c. 9. d. et 98.) respondeat, dicere in praesentia supersedeo: nisi quod clare et breviter uno ex loco patet, quam secure hanc obiectionem contempserit. Quum Dominus, inquit, se volente filios Ierusalem congregare, ipsam noluisse conqueritur, an superata fuit ab infirmis hominibus Dei voluntas, ut non potuerit facere potentissimus quod volebat? Et ubi erit omnipo-

Digitized by Google

tentia, qua fecit quaecunque voluit in caelo et in terra? Quis vero tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntaest, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? Sed quum facit, per misericordiam facit: quum non facit, per iudicium non facit. Nodum quidem nondum solutum esse fateor: sed hoc tamen extorsi Pighio, ne quis nisi sensu et iudicio privatus credat arcano Dei consilio statutam aequaliter omnibus salutem esse. Caeterum, sensus Pauli cuivis non contentioso satis facilis est ac dilucidus. Iubet solennes pro regibus et principibus, qui cum imperio praesunt, preces concipi. Quia vero totidem illo seculo erant infestissimi Ecclesiae hostes: ne fideles a studio precandi revocet desperatio, mature occurrit Paulus, Deum omnes salvos velle fieri dicens. Quis non videt ordinum hic geri mentionem potius quam singulorum hominum? Nec vero ratione caret trita illa distinctio, Non singulos generum, sed genera singulorum notari. Quod tamen non alia sit Dei voluntas intelligenda, quam quae patefit externa Evangelii praedicatione, ex contextu evincitur: ut Deum significet Paulus omnium velle salutem, quos benigne ad Christum invitat.

Sed Pighius (Lib. 7. c. 2.) rursus de personarum respectu mihi certamen movet. Quia Deus personas non respicit, nde omes aequaliter colligit ab eo amari. Responderam, Hoc nomine signari in Scriptura externas omnes accessiones, quae sunt praeter causam, favoremque aliis conciliant, alios odio gravant vel contemptu. Nihil ineptius posse dici vel fingi detonat. Atqui si agenda res esset suffragiis, multos haberem non poenitendos socios vel duces. Sed valeat una ratio. Hebraeis nomen est *Panim* *) quod tantundem valet ac Facies. Quum vetantur iudices personas accipere, quum testatur Moses nullum personae respectum esse Deo, et idem in historia Iob repetitur: quid, obsecro, per hanc vocem intelligere possumus, quam externas omnes apparentias, ut vulgo appellant, quibus a re ipsa abducimur? Similiter quum de servis et dominis, quum de Iudaeis et Gentibus, quum de nobilibus et obscuris loquuntur Apostoli **), *πρόσωπον*, quod alii prae aliis habent excellentiae, unde fit ut, quod aequum ac rectum est, non cernatur. Ideo Christus *ὄψιν*, (Ioan. 7, 24.) id est adspectum, iusto iudicio opponit: acsi diceret, ubi hominum favor vel odium regnant, fieri aliter non posse, quin totam aequitatem ac rectitudinem pervertant. Nemo igitur non videt Pighium rabiosa maledicendi petulantia abreptum nunquam pensi habuisse quid diceret. Nunc audienda boni censoris correctio. Personarum adspectum pronunciat vitium esse, in iustitia distributiva locum habens. Inde concludit, Deum non accipere personas, quia indifferens sit omnibus: et quemadmo-

*) Levit. 19, 15. Deut. 1, 17. 10, 17. Iob. 32, 21. et 34, 19. — **) Rom. 2, 11. Gal. 2, 6. Eph. 6, 9. Col. 3, 25.



Digitized by Google

dum aequum distributorem de publico largiri decet, praebeat se perinde liberalem ac beneficum. Perinde vero haec garrit, acsi, exstincta Scriptura, quidvis illi e proprio capite fingere liceret. Nam omnes Scripturae loci meam sententiam confirmant; nullum profert qui eius commento suffragetur. Et quid mirum, si sua deliria tam secure proferat, quum ne ipsam quidem vocem, de qua sermo illi erat, expenderit? forsan ut se probaret magnum Theologum, contempta Grammatica sine sensu voces effutivit. Nam Persona nihil illi aliud valet, quam hominem. Quum tamen plusquam conspicuum sit, qualitatem extrinsecam notari, qua induti homines aut favore digni habentur aut contemptui subiacent. An autem Deus aequalis sit distributor necne, Christo magis credendum est quam Pighio. Christus autem Deum sub patrisfamilias persona ita loquentem inducit: (Matth. 20, 15.) Licet in rebus meis facere quod volo: an oculus tuus malus est, quod ego benignus sum? Secundum quam rationem Paulus, (Rom. 11, 35.) ut nemini obstrictum esse doceat quin gratiam suam pro arbitrio quibus visum est dispenset, interrogat, Quis prior illi dederit, ut ei mutuum rependatur.

Primum, si qua pietatis gutta fuisset in hoc homine, an unquam ausus foret, Deum tam contumeliose in ordinem cogere? Praescribit enim, ut omnibus aequaliter largiatur, quasi de publico. Ita nihil Deo reliquum facit, in quo gratuitam beneficentiam exerceat. Iudicat, inquit, de unoquoque secundum cuiusque dignitatem et opus, non autem pro suo beneplacito. Quo igitur merito provocatus elegit genus Abrahae? Quid reperit in ea gente dignitatis, cur eam reliquis praeferret? Non aliam ipse rationem assignat, nisi quia dilexit patres eorum. Postea expressius: (Deut. 4, 37. 10, 15. Ios. 24, 2.) Ecce, quum Domini sint caeli et terra, tantummodo illi in patribus tuis complacuit ad eos amandos et elegit semen eorum post eos. Iam alio loco merita omnia in nihilum redigit, dum idololatras fuisse commemorat. Saltem hoc obtineo, quod Pighius negat, Dei beneplacitum a Mose clare praedicari. Negat, ex Dei pendere decreto, sed hominum affectu, quod uno reiecto alius eligitur. Quid ergo sibi vult illud? Non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Maior serviet minori, Execranda vero, quam postea evomit, in Deum blasphemia est: Fingi Deum non iniustum modo, sed crudelem, si quempiam exitio devoveat. Atqui ad eius Dei tribunal semel sistetur, quem Paulus ostendere suam potentiam in vasis irae asserit. Imo iam nunc malo suo exitio sentit non esse humanitus fabricatum, sed aeternum totius mundi semper fuisse iudicem. Nunc experitur miser, quam vere dictum sit, Vincere Deum quum iudicatur. Caeterum fateor personae alicubi opponi piam et rectam vitam: ut quum Petrus dicit *), Non esse

*) Psal. 51, 6. Rom. 3, 4. Actor. 10, 34.

Digitized by Google

Deum προσωπολήπτην, quia in omni gente acceptus illi sit qui bene vivit. Sed prompta est responsio, Quod Deus, qui filiis suis contulit dona, probet grataque habeat, in hominis autem natura nihil prorsus inveniat nisi odio dignum. Ergo ut Deus cultores suos diligat: necesse est, ut, dum adhuc omni bono vacui sunt, gratuito amore praeveniat indignos, et illis donet quod postea amore prosequatur. Hanc vero primam gratiam dat quibus vult, inquit Augustinus, (Lib. de bono persever. cap. 12.) quoniam misericors est. Quod etsi non det, iustus est. Et non dat, quibus non vult, ut notas faciat divitias gloriae suae in vasa misericordiae. Quod autem non sit apud eum personarum acceptio, hinc liquere in fine capitis admonet, quia, praeteritis cultorum suorum filiis, natam ex reprobis sobolem ab exitio interdum liberat. Ac omnino memoria tenendum, quod tandem adducit, (Eiusdem lib. cap. 24.) Nullum praedestinationis illustrius speculum exstare, quam sit ipse Mediator, qui secundum humanam naturam id honoris nullo merito adeptus est, ut Dei unicus esset Filius. Atqui gratuitum Dei beneplacitum, quod in Christo Ecclesiae capite spectandum ille proponit, Pighius ne in membris quidem admittere sustinet. Beatam enim Christi matrem contendit suo merito electam esse, quia ipsa canat, Respexit humilitatem ancillae suae. Istae sunt Pighii (Lib. 8. cap. 2.) probationes, Fundatam in hominum meritis electionem Dei esse non gratuitam, quia, quod abiectum est ac contemptibile, elegit.

Hac ratione facile diluitur Pighii obiectio: Quum Christus benedictos Patris sui ad regnum possidendum vocat, non simpliciter causam dici, quia electi sint, sed quia exercuerint charitatis opera. Neque ego sane ad arcanam Dei electionem homines ablego, ut inde salutem hiantes exspectent; sed recta ad Christum pergere iubeo, in quo nobis proposita est salus, quae alioqui in Deo abscondita lateret. Nam quisquis plana fidei via non ingreditur, illi Dei electio nihil quam exitialis erit Labyrinthus. Itaque ut certa sit nobis peccatorum remissio, ut in vitae aeternae fiducia conscientiae nostrae acquiescant, ut Deum intrepide patrem invocemus, hinc minime faciendum est exordium, quid de nobis ante mundum conditum Deus statuerit; sed quid de paterno eius amore nobis in Christo sit patefactum, et quotidie per Evangelium Christus ipse praedicet. Nihil altius nobis quaerendum, quam ut filii Dei simus. Atqui gratuitae, qua hoc tantum bonum consequimur, adoptionis speculum, arra et pignus est Filius, qui e Patris sinu ideo ad nos prodiit, ut, in corpus suum inserendo, regni caelestis haeredes faceret. Porro sicuti haec haereditas et Christi sanguine parta est semel et sacris Evangelii tabulis consignata, ita eius possessio non aliter quam fide adiri potest. Denique non tantum libenter fateor, sed passim in scriptis meis inculco, et fidei alligatam esse hominum salutem, et Christum unicam esse ianuam, qua in regnum caelorum omnes ingredi opor-

Digitized by Google

tet, nec alibi tranquillam pacem quam in Evangelio inveniri: quicunque inde vel minimum deflectunt, nihil quam per flexuosas ambages errare: et quo quisque in profunda illa divini consilii adyta confidentius irrumpere et penetrare conatur, eo longius a Deo recedere. Ergo quin per fidei viam ambulandum sit, non nego. Unde et alterum illud conficitur, Deum, quae electis in praesenti vita contulerit Spiritus sui dona, extremo die coronaturum. Caeterum id non obstat, quominus caelestis Pater, quos in Christo elegit, in eius corpus fide et Spiritus sanctificatione inserat, quominus ante conditum mundum praedestinatos tempore suo vocet ac iustificet. Atque utrumque Paulus optime coniungit, ubi, omnia cedere in bonum diligentibus Deum praefatus, mox addit: Qui secundum propositum vocati sunt. Haec igitur via est, qua suos gubernat Deus; haec ratio, qua opus in illis gratiae suae absolvit. Sed cur manum eorum apprehendat, alia est superior causa: propositum scilicet illud, quo eos destinavit ad vitam. Quo magis ridicula est Pighii impudentia, dum testimonium sibi tam adversum procaciter tamen in suum usum aptare non dubitat. Notandum esse in primis admonet, (Lib. 8. cap. 2. in fine) non dici, Cedere omnia in bonum electis vel dilectis: sed diversam potius causam notari, quod Deum diligant. Quasi vero non ideo data opera addita a Paulo fuerit correctio, ne quis fidelium merito tribuerit, quod illis Deus omnia in bonum vertit. Qualiter affectos esse deceat fideles, primum ostendit. Atque hoc vocationis est proprium. Sed ne in seipsis haereant, salutis bonorumque omnium initium ex altiori fonte manare docet, quia prius electi fuerant. Hunc quoque nodum Pighius iocando expedit: quod Deus ad sanctitatem omnes vocet. Quasi vero non diserte Propositi nomine efficax vocatio commendetur. Quibus autem praestigiis tam densas tenebras offundet, ut sententiae huius perspicuitas obruatur? Deus, quos elegit, iustificat, ut tandem glorificet. Quantumvis eam laceret, nunquam tamen efficiet, ut se ad omnes extendat. Hinc apparet, quam stulte ratiocinentur, qui fidei bonorumque operum praetextu electionem subvertere moliuntur, ut filia, sicut vulgo loquuntur, matrem devoret. Extremum suffugium Pighio est, Deum nonnisi quos praescivit ad salutem praedestinasse: quod iam illis prius a me obstructum est, quum fieri non posse ostendi, ut quicquam aliud in homine praevideat, nisi exitio dignum: donec eum ipse Spiritu suo refinxerit. Nam si nihil habet quispiam quod non acceperit: quid alius alio plus afferet in Dei conspectum, quo excellat? Praescivit ergo suos Deus, non ut ex meritis aestimaret; sed quia nemo ab aliis discernitur, nisi in quem benignos et propitios oculos coniecit, ut filiis suis quamlibet indignum adnumeret: secundum illud Pauli, Quis enim te discernit? At Pighio gratuita praecognitio, quam ipse nudam appellat, videtur nulla esse. Quibus ergo plumis hominem ornabit, ne coram Deo nudus et omni ex parte deformis

Digitized by Google

prodeat? Nam Scriptura, quicquid in vitiata hominis natura est, exosum esse Deo clamat: solam eius imaginem, quae in Christo renovatur, placere.

Sequitur apud Pighium: Rationem, cur damnentur impii, quaerentibus non ingeritur vox illa tyrannica: Aeterno Dei consilio ab electis fuisse discretos, quia Deo placuerit exitio ipsos devovere, ut valeat illud, *Sic volo, sic iubeo: sit pro ratione voluntas*; sed audient ex ore Christi: Esurivi, et non dedistis mihi cibum, etc. Cui non multum dissimile est quod alio loco repetit: Non pronunciaturum illis Christum, ideo damnari, quia ex infecto Adae genere progeniti sint, quia ex eius peccato mortis aeternae reatum contraxerint, quia eius culpa perire ipsos oporteat; sed quia non dederint cibum famelicis, et alia charitatis opera non exercuerint. Si neque originalis culpa ad homines damnandos Pighio sufficit, nec quicquam loci habet arcanum Dei iudicium: quid pueris infantibus faciet, qui, priusquam ullum tale specimen per aetatem edere possent, ex hac vita erepti sunt? Quum eadem nascendi et moriendi conditio fuerit parvulis, qui Sodomae et Ierosolymae mortui sunt, nec quicquam in eorum operibus dispar: cur, aliis ad dextram suam stantibus, alios ad sinistram Christus extremo die segregabit? Quis hic admirabile Dei iudicium non adoret, quod factum est ut alii Ierosolymae nascerentur, unde ad meliorem vitam mox transirent, alios Sodoma, inferorum atrium, nascentes exciperet? Caeterum, ut electis iustitiae praemium rependet Christus, ita reprobos minime inficior impietatis et scelerum suorum poenas tunc daturos. Nec vero tale quicquam ex nostra doctrina elicere licet, quoniam aeterno suo consilio elegit ad vitam Deus, quos visum est, alios exitio reliquit: vel nullas malis operibus constitutas esse poenas, vel bonis nullam esse repositam mercedem. Stabimus omnes ante tribunal Christi, ut referat quisque prout in corpore suo gessit, sive bonum sive malum. Sed unde piis iustitia et sanctitas quae tunc coronabitur, nisi quia Spiritu eos suo Deus in vitae novitatem regenuit? Unde porro regenerationis donum, nisi ex adoptione gratuita? Perinde argumentatur Pighius, acsi quis diem esse neget ex luce a Domino creata, quia solis splendor diem facit. Quanquam similitudinem istam non omni ex parte convenire fateor, Lux enim initio creata Deum proprie habet auctorem. At damnationis nostrae culpa sic in nobis residet, ut procul alienos ad eam obliterandam colores accersere fas non sit. Sed tantum breviter ostendere libuit, quam praepostere Pighius propinquae causae obiectu remotam tollat. Damnatum iri impios contendit, quia propriis maleficiis iram Dei in se provocarint. Ex eo colligit, a Dei decreto non provenire eorum damnationem. Ego autem eos maleficia alia aliis cumulasse dico, quia, quum pravi essent, nihil quam peccare potuerint. Etsi autem non extrinseco impulsu, sed spontaneo cordis affectu, scientes ac volentes peccarint: quin

Digitized by Google

tamen fons et origo malorum omnium sit naturae corruptio et vitiositas, negandum non est, nisi prima pietatis rudimenta convellere libeat. Causam si quaeras, cur vitium, quod in electis suis Deus corrigit, non eodem in reprobis remedio dignetur: abscondita apud ipsum latet. Hoc modo Paulus, quum nono ad Romanos capite Deum statuit vitae et mortis arbitrum, ut salvi sint illi demum, quos ab interitu eripit; et clare pronunciavit, Non volentis esse neque currentis, sed miserentis Dei, qui miseretur cuius vult, et quem vult indurat: postea conspicuas et quasi palpabiles excaecationis causas in sua gente ostendit, quod Christum plerique respuerint, quod Deum contumaciter repulerint, manus ad eos tendentem. Optime igitur consentiunt inter se haec duo: quod quisque sibi propria incredulitate damnationis fit auctor, et nihilominus, quicunque Spiritu Dei destituti sunt, caeci adversus Christum ruant. Itaque Iudaeos Paulus (Rom. 11, 4.) reos peragens, quod, iustitiam suam stabilire volentes, Dei iustitiae non fuerint subiecti atque ita superbiae suae vitio abdicati ex Ecclesia fuerint, simul tamen tribuendum esse Dei gratiae docet, quod residui quidem steterint: quemadmodum et oraculum continet, (1 Reg. 19, 18.) Reliqui mihi septem hominum millia, qui non curvaverunt genu ante Baal. Neque enim, ut circunspecte Augustinus notat, (Lib. de bono persev. cap. 18.) sua virtute steterunt, si eos Dominus servavit, ut reliqui manerent. Expressius etiam Paulus, Reliquias Christi adventu secundum gratuitam electionem servatas. Audis reliquias: qua voce exiguum numerum ab universa turba segregat. Servatas esse illas dicit, non propria virtute, sed Dei beneficio. Salutem ex gratuita electione deducit: quo significat, hanc solam fuisse causam, cur non in turba perierint, quia gratuito electi sint. Unde rursum conficitur, Si electi essent omnes, neminem fuisse periturum.

Si velle se ac iubere pronunciet mortalis homo, ut pro ratione sit sua voluntas, tyrannicam esse vocem fateor: sed id ad Deum transferre, sacrilegi est furoris. Neque enim quicquam Deo immoderatum affingere licet, ut in eo, sicut in hominibus, exultet libido; sed merito hoc honoris defertur eius voluntati, ut pro ratione valeat, quando omnis iustitiae fons est ac regula. Nam quae in scholis trita est de duplici eius voluntate distinctio, a nobis minime admittitur. Voluntatem Dei aliam ordinatam, aliam absolutam garriunt Sorbonici sophistae. Haec blasphemia, a qua merito abhorrent piae aures, Pighio et similibus esset plausibilis. Ego autem ex adverso contendo, adeo nihil esse in Deo inordinatum, ut inde potius fluat, quicquid est in caelo et in terra ordinis. Quum ergo in summum gradum evehimus Dei voluntatem, ut sit omni ratione superior, absit ut eum quicquam nisi summa ratione velle imaginemur; sed simpliciter sentimus, eum iure suo tantum habere potestatis, ut solo eius nutu contentos esse nos oporteat. Nam si vere dictum est: (Psal. 36, 6.) Iudicia

Digitized by Google

tua, abyssus multa: simul atque eo superbiae prorumpit mens hominis, ut in simplici Dei beneplacito non acquiescat, cavendum est ne tanta illa profunditas absorbeat. Nec sane fieri aliter potest, atque haec plusquam iusta est ultio. Quare nunquam memoria excidat illud Augustini: (De verbis Apost. serm. 20.) Quis Deus sit, et quis tu sis, attende. Ille Deus est, tu homo. Si iustitiam tibi loqui videris, an fons iustitiae siccatus est. Tu homo a me exspectas responsum. Et ego sum homo. Itaque ambo audiamus dicentem: O homo, tu quis es? Melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia. Quaere merita, non invenies nisi poenam. O altitudo! Petrus negat, latro credit. O altitudo! Quaeris tu rationem? Ego expavescam altitudinem. Tu ratiocinare, ego mirabor: tu disputa, ego credam: altitudinem video, ad profundum non pervenio. Requievit Paulus, quia admirationem invenit. Vocat ille inscrutabilia Dei iudicia: et tu scrutari venisti? Ille dicit, investigabiles esse eius vias: et tu vestigas? Cui simile est quod alio loco (De verbis Apost. serm. 11.) tradit: Disputare vis mecum? Imo mirare mecum et exclama: O altitudo! Ambo in pavore simus concordes, ne in errore pereamus.

Acutus sibi Pighius videtur, quum iudicia Dei profundam abyssum fore negat, si voluntas eius summa sit ratio: quia nihil facilius vel magis expeditum, quam fieri omnia, quoniam sic Deo placet, ubi dominatur sola eius voluntas. Atqui, sophistice garriendo, quod unum in quaestione vertitur, ridicule praeterit, quum liqueat sic fieri, quia Deo placet: cur illi potius ita placeat, quam secus. Pergit deinde inepticndo, atque ut ostendat causam Deo esse in suis consiliis, responsum, quod discipulis suis dedit Christus, (Ioan. 9, 3.) adducit, hominem caecum fuisse natum, ut opera Dei in illo manifestarentur. More suo Pighius umbratile certamen sibi fingit. An mihi portentum hoc unquam venit in mentem, nullam Deo consilii sui rationem constare? Dum ego Deum praesidem totius mundi statuo, qui incomprehensibili et mirifico consilio gubernet moderetur que omnia: an illo fortuito huc illuc raptari, vel caeca temeritate eum facere quod facit, quisquam ex verbis meis colliget? Imo paulo post verba mea citat, quibus satis, nisi fallor, dilucide refellitur: quum Deo semper in operibus quamlibet arcanis propositum esse dico, ut nominis sui gloriam illustret: nisi quod repugnantiae colorem in eo lectoribus ostentat, quod divini beneplaciti rationem quaerendam nego: et simul tamen docco quaenam illa sit. Quam frigidae sint nugae istae, accuratius monstrare nihil attinet. Gloriae suae rationem in factis suis omnibus habet Dominus. Nempe hic universalis est finis. Excitavit, teste Paulo, Pharaonem, ut nomen suum in tota terra celebraret. An secum dissidet Paulus, quum deinde exclamat, Inscrutabilia esse iudicia eius? Dicit, vasa irae a Domino destinata ad interitum sustineri in multa patientia, ut poten-

Digitized by Google

tiam suam in illis ostendat: an huic sententiae contraria est admiratio quae mox sequitur? O altitudo! Adde, quod in Causae nomine fucum Pighius facit, causam finalem pro formali in medium afferens. Etsi enim, quorsum spectet Deus, non est obscurum: non ideo tamen protinus apparet, cur ita fieri deceat. Haec autem praesentis instituti summa est. Etiamsi claris argumentis iustitiam nobis suam non probet Deus, statuendum tamen esse, quicquid ab eo fit, iuste fieri: ideo in sola eius voluntate quiescendum esse, ut quod illi placere intelligimus, cuius nos causa fugit, instar mille rationum sufficiat. Nimis ergo inepte cavillatur Pighius, dum me inconstantiae insimulat, quia, rationem divinae voluntatis quaerendam esse negans, pronuncio tamen nihil eum velle, nisi quod expedire censet. Nam hoc posterius, causae redditionem esse, quam nobis constare alibi nego. Atqui qualis ista est causae notitia, si Deum consulto facere, quod facit, audiamus, et, quod ita expedire censeat, interim nos fugiat certa et specialis operis consiliique ratio? Adhaec, quid inter fidei reverentiam et inquirendi audaciam intersit, pro nihilo ducens, quod credendum esse docco, ad vulgarem, quae humanitus concipitur, notitiam praepostere rapit. Ergo simul atque affirmaverit quispiam, Optimum semper agendi finem esse Deo, secum ipse dissentiet, si postea cum Paulo exclamet, Recondita esse Dei iudicia, et vias eius incomprehensibiles. Quanquam in eo fallitur Pighius, quod mea ipsius verba agnoscere me iubet quae ex Augustino (Lib. 1. de genes. contra Manich. c. 3.) retuleram. Ubi quaeritur, inquit sanctus ille vir, cur ita fecerit Deus, respondendum est: Quia voluit. Quod si rogando pergas, cur ita voluerit, maius aliquid quaeris et sublimius Dei voluntate, quod inveniri non potest. Compescat igitur se humana temeritas; et quod non est, ne quaerat: ne forte, quod est, non inveniat. Vere hoc Augustinus, cui subscripsi. Sed ab his verbis nihil dissentaneum continet superior illa sententia: Quod Dei voluntas optima sit et aequissima omnium quae statuit moderatio.

Eiusdem est farinae alia obiectio: Reprobos ab electis nego discerni ullo meriti proprii respectu, quia Dei gratia adoptione dignos faciat, non inveniat, ut saepe loquitur Augustinus. Alibi nego iniuriam fieri reprobis, quia digni sunt qui pereant. Hic se expansis alis tumultuose iactat Pighius, quod neque meipsum intelligam, neque meminerim quid a me prius dictum esset. Mihi vero in defensione multum verborum facere adeo operaepretium non videtur, ut paucis quoque attingere pigeat. Ut alios Deus aliis praeferat, ut aliis praeteritis alios eligat, non ex hominum dignitate vel indignitate pendet discrimen. Ergo falsum est, dignos aeterno interitu reprobos esse. Ac si priore membro non fieret hominum comparatio inter se, et dignitas non referretur ad vitae praemium: in secundo autem membro non aequalis omnium conditio statueretur. Adde, quod Augustinus, quum alicubi (Lib. 2.

Digitized by Google

c. 3.) scripsisset, Nemini unquam digno salutem defuisse, in suis Retractationibus ita temperat, ut opera excludens vocationi Dei gratuitae dignitatem ferat acceptam. Sed instat adhuc Pighius, Dignos fieri interitu, non inveniri, siquidem verum est quod doceo, aeterno Dei placito, cuius ratio non apparet, destinatos ad mortem esse qui pereunt. Respondeo, tria hic esse consideranda: primo aeternam Dei praedestinationem, qua de toto genere humano et de singulis hominibus quid futurum esset statuit, antequam cecidisset Adam, fixam et decretam fuisse: deinde, Adam ipsum, pro defectionis suae merito, esse morti addictum: postremo, in eius iam perditi et desperati persona sic damnatam esse totam progeniem, ut Deus, quos inde gratuito eligit, adoptionis honore dignetur. Horum nihil vel somniavi vel fabricavi. Neque hoc agitur in praesentia, ut singulis probandis insistam, quod supra fecisse mihi videor. Tantum diluenda est Pighii calumnia, qui de me tanquam decies victo superbe triumphat, quasi haec nullo modo conciliari inter se queant. Quum de praedestinatione sermo habetur, inde exordiendum esse constanter semper docui, atque hodie docco, iure in morte relinqui omnes reprobos, qui in Adam mortui sunt ac damnati: iure perire, qui natura sunt irae filii: ita nemini causam esse, cur de nimio Dei rigore queratur, quando reatum in se omnes inclusum gestant. Quod si ad primum hominem veniatur, illum, quum integer creatus foret, sponte cecidisse: ac inde factum esse, ut sibi et suis exitium propria culpa accersiverit. Iam etsi nonnisi sciente atque ita ordinante Deo cecidit Adam seque et posteros perdidit, minime tamen id vel ad levandam eius culpam vel ad Deum crimine implicandum facit. Semper enim hoc spectandum, quod rectitudine, quam a Deo acceperat, sponte se privavit, sponte se peccato et Satanae addixit in servitutem, sponte in exitium se praecipitem dedit. Una excusatio obtenditur: quod a Deo decretum erat, non potuisse effugere. Sed ad reatum satis superque voluntaria transgressio sufficit. Neque enim propria genuinaque peccati causa est arcanum Dei consilium, sed aperta hominis voluntas. Merito apud veterem poëtam ridetur stulta Medeae querimonia: Utinam me in nemore Pelio caesae securibus cecidissent abiegnae ad terram trabes. Prodiderat illa patriam, furioso advenae et ignoti hominis amore correpta. Quum sibi perfidiae et barbarae crudelitatis sit conscia, quum impudicitiae flagitium eam constringat: ridicule se ad occasiones procul remotas convertit. Intus mali sui causam quum inveniat homo, quid circuire prodest, ut eam in caelo quaerat? Palam in eo apparet culpa, quod peccare voluerit. Cur in caeli adyta prorumpens in labyrinthum se demergit? Quanquam, ut per immensas ambages vagando deludere se homines conentur, nunquam ita se obstupefacient, quin sensum peccati in cordibus suis insculptum retineant. Hominem igitur, quem sua ipsius conscientia damnat, frustra absolvere tendit impietas. Quod autem Deus sciens ac volens hominem ipsum cadere pas-

Digitized by Google

sus est, occulta ratio esse potest, iniusta non potest. Hoc quidem absque controversia tenendum: semper illi peccatum odio fuisse. Nam vere elogium hoc, quo ornatur a Davide, (Psal. 5, 5.) in eum competit: Quod Deus sit iniquitatem non volens. Quum potius in ordinando hominis lapsu finem habuit optimum et rectissimum, a quo abhorret peccati nomen. Quanquam sic ordinasse dico, ut eum proprie auctorem fuisse non concedam. Ac ne longior sim, penitus quod Augustinus docet, (Ench. ad Laur. cap. 99.) impletum fuisse sentio: ut miro et ineffabili modo non fuerit praeter eius voluntatem factum, quod etiam contra eius voluntatem factum est, quia non fieret si non sineret. Nec utique nolens sinit, sed volens. Negari enim, quod illic principium sumit, non potest. Tam hominem quam Angelos apostatas, quantum ad ipsos attinet, quod Deus noluit, fecisse; quantum vero ad Dei omnipotentiam, nullo modo efficere id valuisse. Ergo sancti viri sententiae subscribo: sic peccando fecisse quod nolebat Deus, ut per malam eorum voluntatem faceret Deus quod volebat. Si quis hoc mentis suae captu superius esse excipiat, idem et de me fateor. Sed quid mirum, si modulum nostrum immensa et incomprehensibilis Dei maiestas exsuperet? Atqui tantum abest, ut pro carnis ratione explicandum suscipiam sublime istud reconditum arcanum, ut, quod initio praefatus sum, assidue in memoriam redire velim, Desipere qui plus scire appetunt, quam Deus revelaverit. Quare nos potius docta ignorantia delectet, quam intemperans et ebria sciendi, plusquam Deus permittit, curiositas: sub hac tantum reverentia se omnes sensus animi contineant, nihil Deum in hominis peccato voluisse, nisi quod sua iustitia dignum erat.

Prosequitur Pighius, Si Dei opus est hominis apostasia, falsum esse quod Scriptura tradit, Omnia, quae facit Deus, bona esse. Atqui et sancte testari et ingenue profiteri possum, mihi commentum istud nunquam venisse in mentem. Naturam hominis ideo rectam primo conditam fuisse ubique assero, ne pravitas, quam sibi defectione contraxit, Deo possit adscribi: mortem, cui se mancipavit qui ante compos vitae erat, sic profectam esse ab eius culpa, ne Deus auctor censeatur. Si unquam divini Spiritus instinctu factum esse dixissem, ut se a Deo primus homo alienaret, ac non potius ubique contenderem diaboli instigatione et proprio cordis sui motu impulsum, merito forte insultaret mihi Pighius: nunc autem, quum a Deo propinquam actionis causam removens simul omnem ab eo culpam removeam, ut solus homo reatum subeat, calumniose et improbe dictum istud in me torquet: Hominis defectionem unum esse ex Dei operibus. Quomodo autem Dei praescientia et decreto statutum fuerit, quod de homine futurum erat, neque tamen in culpae societatem trahendus sit Deus, quasi transgressionis vel auctor sit vel approbator, quum longe altius humanae mentis perspicacia esse arcanum palam sit, ne ignorantiam nostram fateri pudeat. Imo, ne quem ex fidelibus fateri ne-

Digitized by Google

scire pigeat, quod Dominus lucis suae inaccessae fulgore absorbet. Primum, nihil aliis, nisi ex animi mei sensu, praescribo. Testis enim mihi erit Dominus, cui conscientia mea subscribet, sic me stupenda haec ipsius iudicia quotidie meditari, ut nulla me plus aliquid sciendi curiositas sollicitet, nulla mihi de incomparabili eius iustitia obrepat sinistra suspicio, nulla me obmurmurandi libido prorsus titillet. Denique, in hac Augustini sententia non minus tranquille quam libenter acquiesco: Deum, qui creavit omnia bona valde et mala ex bonis exoritura praescivit, et scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis benefacere, quam mala esse non sinere, sic ordinasse Angelorum et hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset liberum eorum arbitrium, deinde quid posset gratiae suae beneficium iustitiaeque iudicium. Adhaec ut de affectu meo taceam, si quibus ita pruriunt aures, ut nihil sibi ex Dei mysteriis clausum obtectumque esse velint, bis vesanus erit magister, qui talibus discipulis satisfacere tentabit. Potius trepidi audiamus, quid Davidi acciderit, cum inusitata Dei iudicia, quae in externo corporum et praesentis vitae statu apparent, plus aequo inquireret: Factus sum, inquit, (Ps. 77, 22.) apud te similis iumento. Non potuit tantus Propheta in rebus minus obscuris et reconditis ultra fas sapere, quin brutae pecudis instar obstupesceret: nos vero praeposterae mentis nostrae lasciviae in excutiendo consilio Dei omnium profundissimo impune indulgebimus? Postquam Paulus Deum ex perdita massa eligere, et reprobare quos illi visum est, docuit: quare et quomodo id fiat adeo non expedit, ut potius expavescens in clamorem illum erumpat: (Rom. 11, 33.) O altitudo! Et nos eius altitudinis reverentia non perculsi penitus scrutari audebimus, quomodo in persona Adae totum genus humanum excidere passus fuerit? Dixi iam supra, lapsum Adae utile posteris fuisse humilitatis rudimentum, ut se ad vitam recuperandam nihil esse nec posse discant, in qua ille integer non stetit. Una tamen est rite sapiendi regula, si se mens hominis illo admirationis fraeno compescat.

Caeterum, quaestionem hanc non ideo tantum parcius attingere convenit, quod abstrusa est ac in penitiore sanctuarii Dei adyto recondita, sed quia otiosa curiositas alenda non est, cuius illa nimis alta speculatio alumna est simul ac nutrix. Quanquam interim quae Augustinus libro de genesi ad literam undecimo (A c. 4. usque ad cap. 8.) disserit, quum ad Dei timorem et reverentiam omnia temperet, minime improbo. Altera autem pars, quod ex damnata Adae sobole Deus quos visum est eligit, quos vult reprobat, sicuti ad fidem exercendam longe aptior est, ita maiore fructu tractatur. In hac igitur doctrina, quae humanae naturae et corruptionem et reatum in se continet, libentius insisto: sicuti non solum ad pietatem propius conducit, sed magis mihi videtur theologica. Meminerimus tamen, in ea quoque sobrie modesteque philosophandum, ne ulterius progredi tentemus, quam Dominus

Digitized by Google

nos verbo suo deducit. Quam dulces sint argutiarum illecebrae, plus satis notum est: quo maior adhibenda est cautio, ut sensus omnes nostros sibi divinctos habeat fidei simplicitas. Quod Deus arcano Spiritus afflatu ad se homines trahat, vel quotidianae preces nostrae testes sunt: nam cum pro persecutoribus oramus, quid petimus aliud, quam ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes? Atqui palam constat, non omnibus indifferenter hoc dari, ut centies exitium meritos Deus repente vita dignetur. Quomodo hanc gratiam dispenset, inquit Augustinus, (Lib. ad Bonif. 6. cap. 20.) alios secundum meritum faciens vasa irae, secundum gratiam alios vasa misericordiae: quis cognovit sensum Domini? Quantumvis tamen mundi vel superbia vel protervia calcitret, minime ferendum est, ut deterior sit Dei quam mortalis hominis conditio. Cui autem creditori non conceditur ab uno exigere, quod alteri remittit? Quae similitudo non abs re toties ab Augustino repetitur. Fieri quidem vix potest, quin primo statim momento turbetur mens hominis, cum gratiam Dei negari quantumvis indignis audit, quae perinde indignis datur. Sed meminerimus, postquam damnati sunt ex aequo omnes, minime fas vel aequum esse, Deo legem imponi, quin misereatur cuius voluerit. Sed vere Augustinus contendit, (De praedest. et gratia cap. 2.) Humanae iustitiae modo metiendam non esse divinam. Caeterum, ubi omnia dicta fuerint, sit haec omnium disputationum clausula, ut cum Paulo ad tantam profunditatem expavescamus. Si obstrepant petulantes linguae: ne identidem exclamare cum eodem Apostolo vel pudeat vel pigeat: O homo, tu quis es qui litiges cum Deo?

Caeterum, etsi absurda, quae hinc inde congerunt huius doctrinae adversarii ut eam calumniose infament, in mea Institutione dilucide non minus quam succincte refutasse, et simul pravis figmentis, quibus se imperiti deludunt atque implicant, obviasse mihi videor: quia tamen Pighio responsiones meas arrodere libuit, eius virulentiam iterum diluere non gravabor. Quaerunt praeposteri homines, Quomodo de salute sua, quae in arcano Dei consilio latet, certi esse poterunt. Respondi quod verum erat. Cum nobis in Christo proposita sit salutis certitudo, perperam nec sine Christi ipsius iniuria facere, qui praeterito hoc vitae fonte, ex quo haurire promptum erat, ex reconditis Dei abyssis vitam eruere moliuntur. Tradit quidem Paulus, (Eph. 1, 4.) nos ante mundi creationem electos esse, sed in Christo. Ne quis ergo aliunde electionis suae fiduciam petat, nisi librum vitae, in quo scriptus est, delere velit. Non alius est adoptionis finis, quam ut censeamur inter Dei filios. Atqui Scriptura, (Ioan. 1, 12.) quicunque in Filium Dei unigenitum credunt, Dei filios et haeredes esse pronuntiat. Christus ergo aeternae et absconditae Dei electionis tum luculentum nobis speculum est, tum arra quoque et pignus. Fide autem, quam Deus in hoc speculo nobis repraesentat, vitam contempla-

Digitized by Google

mur; fide pignus hoc arramque amplectimur *). Et unde probamus, gratuito electos esse ex hominibus aliquos, nisi quia Spiritu suo Deus quos vult illuminat, ut fide inserantur in Christi corpus? Fidei quidem nostrae origo et causa est divina electio; sed quia invisibilis est Deus lucemque habitat inaccessibilem et neminem consiliarium admittit praeter Unigenitum, qui semper fuit in eius sinu, tenere mentem Christi oportet ac fide illuminari, ut nobis patefiat, quae in corde Dei prius latuit, adoptio. Si quis malit crassius: Prior quidem fide est electio, sed ex fide discitur. Quae breviter hic delibo, fusius in mea Institutione explicata reperient lectores. Itaque Christus, (Ioan. 17, 16.) aeternam suorum in Patris consilio electionem commendans, simul, ubi tuto recumbat eorum fiducia, ostendit. Manifestavi, inquit, nomen tuum hominibus quos dedisti mihi. Tui erant: et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servarunt. Videmus, ut a seipso incipiat Deus, cum nos eligere dignatur; sed nos a Christo incipere velit, ut nos sciamus in sacro illo peculio censeri. Nam ideo nos dare Filio suo dicitur, ut se quisque tunc demum caelestis regni haeredem esse sciat, dum ad Christum pertinet, extra quem undique mors et exitium nos obsident. Ideo manifestare nobis Christus Patris nomen dicitur, quia electionis nostrae scientiam, Evangelii sui voce testatam, Spiritu quoque suo in cordibus nostris obsignat. Si Pighio creditur, in solvendo hoc nodo inexplicabili ita sudo, laboro, omnia verto, confundo et transfundo in omnia, ut clarissime pateat, propria conscientia me constringi. Atqui, ut facillimum illud fuit, suam iustam loquacitatem absque sudore profundere, ita fieri potest, ut vino bene madidus, quae illi in buccam venerunt convicia, temere nulloque pudore vomuerit. Si fixa et inevitabilis salutis causa est Dei praedestinatio, omnem excuti nobis fiduciam contendit. Ut verbum non addam: cum docet Paulus, (Eph. 1, 4.) nos fide participes esse factos divinae adoptionis, sicuti ante mundum conditum electi fuimus: quid, obsecro, in huius doctrinae contextu inextricabile est vel perplexum? Quum eos, qui prius electi fuerunt, docet secundum propositum vocari, rite, nisi fallor, cum fixo divinae electionis decreto fidei nostrae certitudinem conciliat.

Ratiocinatur Pighius: Si in libro vitae scripti sunt, quicunque sunt Christi membra, ebriosos ergo, adulteros, fures, periuros et homicidas regno Dei contra manifestam Apostoli sententiam potituros, quando tales multi Christo per baptismum sunt inserti eumque induerunt. Primum monendi sunt mihi lectores, ut animum paulisper ad effraenem istam, in qua lascivit Pighius, Scripturae profanationem advertant, deinde ut in ea ulciscenda expendant iustum Dei iudicium, quod se palam exserit. Totam Scripturam pedibus calcare, modo fucum lectoribus faciat, pro nihilo ducit

*) Col. 1, 21. 1 Tim. 1, 17. 1 Tim. 6, 16. Rom. 11, 34. 1 Cor. 2, 16.

Digitized by Google

Pighius. Modo se imperitis venditet, susque deque habet prima quaeque pietatis rudimenta convellere. Interea Dominus cum mente privatum pueris quoque ridendum prostituit. Sicuti literae et Spiritus circumcisio a Paulo statuitur, (Rom. 2, 29.) ita et de baptismo sentiendum est: quosdam literale duntaxat symbolum in corpore gestare, qui re ipsa procul absunt. Nam et Petrus, ubi docuit baptismo nos salutem consequi, mox quasi addicta correctione pronunciat, (1 Petr. 3, 21.) Non sufficere nudam et externam carnis ablutionem, nisi et bonae conscientiae responsio accedat. Quare Scriptura, cum de Sacramentis disserit, bifariam loqui solet. Si cum hypocritis agit, qui inani figura gloriantes rem ipsam negligunt: ut futilem eorum confidentiam prosternat, ex perverso eorum sensu veritatem a signis separat. In hunc modum Paulus, (1 Cor. 10, 5.) nihil profuisse veteri populo admonet, quod in maris transitu baptizatus fuerit, quod eandem nobiscum escam spiritualem comederit in deserto (eisdem scilicet donorum spiritualium symbolis nobiscum participasse intelligens). Verum, ubi apud fideles habetur sermo, usus Sacramentorum ut legitimus ita efficax describitur, qui divinae scilicet institutioni respondeat. Quo pertinent istae sententiae: Induisse Christum, Insitos in eius corpus, et, Illi consepultos, qui in eius nomen baptizati sunt. Inde colligit Pighius, quicunque visibili aquae elemento aspersi fuerint, vere Spiritu regenitos, et in Christi corpus coaluisse, ut Deo eiusque iustitiae vivant. Nec eum pudet, complures talibus naeniis pagiñas implere, cum generaliter omnia Christi membra nominem, sub eo sermone comprehendi quicunque externo baptismo tincti sunt. Paulo post tamen quasi retracta alarum expansione subiicit, (In fine lib. 7.) Multos a Christo deficere, qui vere in eius corpus insiti fuerant: nam quos a Patre sibi creditos in fidem custodiamque suam recipit, ita fingit ab eo servari, ut a libero suo arbitrio suspensam habeant suam salutem. Multis, inquit, tutela Christi gratiae non deest: sed ipsi sibi desunt. Certe, ut nunquam poterit satis severe hominum socordia et ingratitudo coargui, qui se Dei auxilio subducunt: ita minime tolerabilis est in Christum contumelia, electos dicere ab eo servari, si modo se ipsi tueantur: ut ambiguum sit Christi praesidium, quod diabolo et omnibus inferorum machinis inexpugnabile fore affirmat. Daturum se vitam aeternam promittit (Ioan. 17, 2.) omnibus qui sibi dati sunt a Patre. Fidum se custodem omnium fuisse testatur, ut nemo perierit, nisi filius perditionis. Alibi (Ioan. 10, 28.) etiam in sua manu electos esse docet, e qua nemo eos rapere poterit, quia Deus toto mundo sit potentior. Si omnibus electis certa est vita aeterna, si excidere nemo potest, si nulla violentia nullove impetu quisquam rapitur, si invicta Dei potentia nititur eorum salus: qua fronte Pighius fixam istam certitudinem concutere audet? Quamvis non eiiciat Christus, inquit, multi tamen discedunt; et qui filii Dei fuerunt ad tempus, non permanent. Malus et perversus

Digitized by Google

est interpres Pighius, qui non agnoscit Christi manu retineri, quicquid illi a Patre datum est, ut salvum in finem usque maneat: nam quotquot defluunt, eos Ioannes ex grege esse negat. Qui exierunt a nobis, non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, utique mansuri erant nobiscum: sed ut manifesti fierent, quod non sint omnes ex nobis.

Ergo frustra, inquit, apponitur conditio: ut, qui salvus esse cupit, in finem usque perseveret. Hic vero eum praevaricari dicas: nam cum probandum susceperit, Non stare cum electione salutis fiduciam, eo nos ratiocinando deducit, ut hanc necessario in illa fundatam esse oporteat. Video me assidue fluctuari: nullum momentum praeterit, quo non obruendus videar. At, quia electos suos Deus sustinet, ne unquam mergantur, staturum me inter innumeras procellas certo confido. Unde me electum esse cognoscam, si Pighius rogat: Christus mihi pro mille testimoniis sufficit: nam ubi nos in corpore eius reperimus, in secura tranquillaque statione salus nostra, tanquam locata iam in caelis, quiescit. Si excipit, Non posse ex praesenti gratia aeternam Dei electionem aestimari: non obiiciam contra, quem fideles experientiae sensum habent, quia panem, quo pascuntur filii Dei, extraneis gustare datum non est. Sed quod garrire audet, nusquam id in Scriptura haberi, hoc vero quam crassum sit mendacium, probatu non est difficile. Postquam enim docuit Paulus, qui electi fuerant, vocari et iustificari, donec ad beatam immortalitatem perveniant, quasi undique firmo praesidio munitus intrepide exultats (Rom. 8, 33.) Quis stabit adversus electos Dei? etc. Ac ne qui, universalem esse doctrinam cavilletur, in peculiarem cuiusque usum accommodat. Certo persuasus sum, inquit, quod neque mors neque vita neque Angeli neque principatus neque instantia neque futura nos a Dei charitate separabunt, quae est in Christo. Certe salutis aeternae fiduciam, quam singulis momentis abrumpi vult Pighius, in futurum tempus adeoque ultra praesentis vitae metam Paulus extendit, et eam non aliunde manare demonstrat, quam ex Dei electione, quam sic illi adversam fingit Pighius, ut mutuo se conflictu evertant. Quid ergo sibi vult Ezechiel, cum iusto exitium denuntiat, si a recta via se averterit? Nempe, reprobis multa interdum esse cum filiis Dei similia, non negamus: sed quocunque iustitiae splendore fulgeant, nunquam donari Spiritu adoptionis certum est, ut Deum vere patrem invocent. Nullos enim Spiritu illo gubernari testis est Paulus *), nisi Dei filios quos simul pronuntiat vitae aeternae haeredes. Alioqui non staret quod alibi tradit, Nos spiritum e caelo habere, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis, atque ideo nos tenere Christi mentem. Frustra etiam Spiritum, quo obsignati sunt fideles, arram vocaret futurae redemptionis. Caeterum, ut perseverantiae fidem stabiliat rite

*) Röm. 8, 14. 1 Cor. 2, 12. Eph. 1, 14.



Digitized by Google

cognita Dei electio, vel una illi Christi precatio ad probationem sufficere debet, qua electos omnes Patri commendat, nominatim eos a mundo separans, ut, hoc pereunte, salvi et intacti maneant.

Sequitur alia obiectio apud Pighium: Non frustra hortatur fideles Paulus, ne in vacuum receperint Dei gratiam: nec frustra Christus vigilandum et orandum esse admonet. Atqui, si tenemus, quantum inter supinam carnis securitatem et tranquillum, qui ex fide nascitur, mentis statum intersit, mox solutus erit nodus. Fideles de salute sua certos esse oportet. An ut sopiti iaceant? an ut se proiiciant ad socordem ignaviam? Imo potius ut quietum cum Deo silentium colentes precibus simul invigilent. Hortatur eos Paulus, (Phil. 2, 12.) ut salutem suam operentur cum timore et tremore. An ut de successu anxii trepident? Minime: sed ut sub Dei alis absconditi assidue se illi commendent, sicque toti pendeant ab ipso uno, ut eius praesidio freti non dubitent se in finem usque fore victores. Causam enim subiicit, cur sollicitos esse deceat: Quia Deus est, qui pro suo beneplacito operatur et velle in illis et perficere. Porro, ne suspensi haesitarent, iam ante omnem illis dubitationem exemerat: (Phil. 1, 6.) Qui coepit in vobis opus bonum, usque in diem Christi perficiet. Nusquam ergo ad precandi curam et studium nos Spiritus Dei hortatur, quasi dubio in statu fluctuaretur salus nostra, quae in Dei manu sita est: nusquam nobis timorem iniicit, qui fiduciam in gratuito Dei amore fundatam excutiat: sed in talibus stimulis pungendo carnis nostrae pigritiem corrigat. Atque in eum finem calumniose detorquet Pighius Apostoli verba ex undecimo ad Romanos capite. Per incredulitatem defracti sunt nativi oleae rami: tu vero fide constitisti. Ne efferaris animo, sed timeas: nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, vide ne qua fiat, ut nec tibi parcat. Ecce igitur bonitas Dei et severitas: in eos, qui ceciderunt, severitas: in te autem bonitas, siquidem permanseris in bonitate. Postquam de duplici gentis suae electione disseruit, et multorum defectione ostendit factum esse, ut, qui prius legitimi et proprii erant vitae haeredes propter sancitum cum Patribus foedus, nunc abdicati sunt a Deo et facti ab eius regno extorres: tandem ad Gentes se convertit, ne superbe Iudaeis insultent, quia in eorum locum successerint. Notandum autem, quod, sicuti universalis illa populi reiectio non labefactavit fixam Dei electionem, quin reliquias aliquas servaret, ita universalis Gentium electio non complexa est singulos ex Gentibus, ut omnes vitae consortes fierent. Duplicem in Iudaeis Dei electionem Paulus illic commemorat. Electum enim quodammodo fuerat totum Abrahae genus. Sed cum occulto Dei iudicio plerique non essent ad vitam ordinati: pereunte maiori numero, electio in reliquiis consequitur. Nunc translato ad Gentes vitae foedere, communis illa generis Abrahae adoptio ad nos pertinet. Caeterum, id non obstat quominus arcano Dei beneplacito pauci ad eam fruendam destinati sint. Paulus ergo, dum Gentes

Digitized by Google

ex opposito conferens cum Iudaeis steriles oleastros exsectis naturalibus ramis in sanctam radicem insitos esse dicit, neque privatim de singulis neque simplicitèr de arcana Dei electione tractat: sed quanta fuerit rerum facta conversio, docet, dum reiectis filiis in eorum locum subrogati sunt extranei. Itaque tota illa Pauli exhortatio non tam ad fideles dirigitur, qui vere et ex animo gratiam amplexi erant, quam ad Gentium corpus, quod ex variis membris permixtum erat. Et tamen nihil absurdi est, si compescat Deus in filiis suis carnis insolentiam, cum hoc vitio omnes laborent. Ridicule tamen inde colligit Pighius, ab hominum perseverantia suspensam esse divinae electionis constantiam, quia in generali quoque omnium defectione necesse est ut illa nihilominus obtineat.

Quod autem impii Dei iudicium alio colore suggillant, quia frustra iustitiae et sanctitati studeant reprobi quos tandem perire necesse est: calumnia haec ut ex crassa inscitia nascitur, brevi responso a me discussa fuerat: Nullum scilicet bene agendi studium inesse hominibus, quod non ex electione prodeat; reprobos vero, ut sunt vasa in contumeliam formata, provocandae in se Dei ultioni nullum finem facere, et evidentibus signis monstrare exitio se esse devotos. Pighio hic omnium absurditatum cumulus est, ut nihil in tota disputatione aeque prodigiosum reperiat. Atqui vel uno hoc argumento abunde probat, rabiosa maledicendi libidine ita se transversum rapi, ut sine ulla occasione sua convicia ebulliat. Nullos Dei Spiritu nisi electos gubernari Scriptura docet. Qualis in homine absque Spiritus sancti ductu rectitudo esse poterit? Manifesta, inquit Paulus, (Gal. 5, 19.) sunt opera carnis. Et alibi *), omnes carnis cogitationes Deo inimicas esse pronunciat. Quid igitur absurdi, si peccato mancipatos esse dico, qui, Spiritu Dei non regeniti, carnis suae arbitrio ferantur? Quos Deus elegit, iustificat. Quid mirum si reprobi, Dei iustitia vacui, nihil quam peccare noverint? Elegit Deus suos, ut sancti sint ac irreprehensibiles. Si gratuitae electionis fructus est sanctitas: quis alios in profanis sordibus demersos manere neget? Vocem suam audire negat Christus **), quicunque non sunt ex ovibus suis. Rursus, ex diabolo esse pronuntiat, qui vocem Patris in ore suo resonantem audire non sustinent. Ut reprobos ostendat Pighius bonis operibus studere: gratam esse Deo contumaciam ostendat necesse est. Obiicit contra Pighius, Saul multis virtutibus excelluisse, imo placuisse Deo. Virtutes, quae in reprobis fulgent, suapte natura laudabiles esse fateor: idque sibi vult Scriptura, cum Saulem et alios eiusdem ordinis refert fecisse quod rectum est; sed quia cordis fontem, unde fluunt opera, Deus respicit, nihil obstat quominus opus, quod alioqui in se laudatur, ob vitium, quod intus latet, sit abominationi apud Deum. Rudimentum scilicet illud pie-

*) Rom. 8, 30. Eph. 1, 4. **) Ioan. 8, 10; 26. 8, 44.



Digitized by Google

tatis ignotum fuit Pighio: Nihil tam esse purum, quod non inquinet hominis immundities. Ergo non mirum est, si ab externa larva, Saulis opera aestimans, innocentiam eius probitatemque commendet. Quod semel cum Deo placuisse contendit, distinguo. Sic enim dignatus est cum honore regio, ut in scriptura domus Israël nunquam eum censuerit: quemadmodum Ezechiel (Ezech. 13, 9.) loquitur. An, quia ad munus Apostolicum electus fuit Iudas, ideo a Deo in filiis suis habitum esse colliget? Caeterum maligne, quod a me dictum est, calumniatur Pighius: quasi de singulis vitae actionibus seorsum loquutus sim, ac non potius de continuo vitae cursu. Porro, totam Scripturam labefactari oportet, nisi, quicquid esse in homine iustitiae et boni potest, a Spiritu sanctificationis, qui solis filiis datur, manare concedimus.

In persequendis caeteris cavillis non est quod plus operae sumam. Tritum illud est, Irritam fore doctrinam, vanas et nihili exhortationes, si ab electione Dei pendeat obsequendi vis et facultas. Item aliud non absimile, Fieri non posse quin se ignaviae dedant homines, cum in aeternum Dei consilium recumbere docentur. Responsiones a me adductas quibus solet conviciis ita Pighius exagitat, ut maneant ab ipso intactae. Caeterum, si quibus plus aequo morosis nondum satisfactum sit et plus forte apud ipsos ponderis habeat Augustinus, idem, quod iam tradidi, eius verbis et repetam et confirmabo. Verba eius sunt in libro cui titulum fecit De bono perseverantiae: (Cap. 14.) Praedestinationis doctrinam aiunt praedicationi adversam esse, ne quid prosit. Quasi vero adversata sit Apostolo praedicanti. Nonne ille doctor Gentium praedestinationem toties commendavit, et verbum Dei praedicare non destitit? Nunquid, quia dixit: Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere: ideo non et ipse ut velimus quae Deo placent et ut operemur hortatus est? An, quia dixerat: Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet: ideo, ut inciperent homines et perseverarent usque in finem, non suasit? Nempe, ipse Dominus praecepit hominibus ut in se crederent. Neque tamen falsa eius sententia est, nec vana definitio, ubi ait: Nemo venit ad me, hoc est, nemo credit in me, nisi cui datum fuerit a Patre meo. Neque rursus, quia vera est haec definitio, vana est illa praeceptio. Cur ergo praedicationi, exhortationi, correctioni, quae omnia tam frequenter usurpat Scriptura, dicemus inutilem esse praedestinationis doctrinam, quam commendat eadem Scriptura? Paulo post, Audiunt haec, et faciunt quibus datum est. Non autem faciunt, sive audiant sive non audiant, quibus non est datum. Nec praedestinationis igitur praedicatione impedienda est praedicatio fidei perseverantis et proficientis, ut quod oportet audiant, et quibus datum est, obediant. Quomodo enim audient absque praedicante? Nec rursus praedicatione fidei proficientis et in finem usque perseverantis impedienda est praedicatio praedestinationis, ut, qui fideliter et obedienter vivit, non de ipsa obedientia tanquam de suo

Digitized by Google

sed in Domino glorietur. Item, sicut is, qui donum accepit, recte exhortatur et praedicat, ita exhortantem et praedicantem obedienter audit, qui accepit hoc donum. Ideo Dominus, Qui habet aures audiendi audiat. A quo autem habeant, quicunque habent, Dominus ipse ostendit, Dabo vobis cor ad cognoscendum me, et aures quae audiant. Ergo aures audiendi ipsum est donum obediendi, quo qui praediti sunt, veniunt ad Christum. Exhortamur ergo atque praedicamus: sed qui habent aures audiendi, obedienter nos audiunt: qui vero non habent, fit in eis quod scriptum est, Ut audientes non audiant: audientes corporis sensu, non audiant cordis assensu. Cur autem illi habeant, illi non: hoc est, cur illis datum sit a Patre, ut veniant ad Filium, illis non sit datum: quis cognovit sensum Domini? Nunquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendi non potest quod occultum est?

Quam autem praepostera sit eorum cautio, (Eiusdem lib. c. 15.) qui absurditatis ullius metu doctrinam cognitu necessariam vel suppriment vel obscurant, deinde exsequitur. Nunquid si hoc audito nonnulli in torporem segnitiemque vertantur, et a labore proclives ad libidinem post concupiscentias eant: propterea de praescientia Dei falsum putandum est, quod dictum est? Nonne, si Deus illos bonos fore praescivit, boni erunt, in quantalibet nunc malitia versentur? Et si malos fore praescivit, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur? Nunquid ergo propter huiusmodi causas quae de praescientia Dei vera dicuntur vel neganda sunt vel tacenda? tunc scilicet, quando, si non dicantur, in alios itur errores? Alia, inquit, (Cap. 16.) ratio est verum tacendi, alia verum dicendi necessitas. Causas verum tacendi longum esset omnes quaerere: quarum tamen est haec una, Ne peiores fiant qui non intelligunt, dum volumus eos, qui intelligunt, facere doctiores: qui nobis tale aliquid dicentibus doctiores quidem non fiunt, sed nec redduntur peiores. Quum autem res vera ita se habet, ut fiat peior nobis eam dicentibus qui capere non potest, nobis autem tacentibus ille qui potest: quid putamus faciendum? Nonne potius est dicendum verum, ut qui potest capere capiat, quam tacendum, ut non solum id ambo non capiant, verum etiam qui est intelligentior, ille sit peior: qui si audiret et caperet, per eum etiam plures discerent. Et nos dicere nolumus, quod, teste Scriptura, dicere licebat. Timemus enim videlicet, ne loquentibus nobis offendatur qui capere non potest: non autem timemus, ne tacentibus nobis, qui veritatem potest capere, falsitate capiatur. Quam sententiam brevius tandem perstringens clarius etiam confirmat. (Eiusdem lib. c. 20.) Quamobrem, si Apostoli et qui eos secuti sunt Ecclesiae Doctores utrumque fecerunt, ut de aeterna Dei electione pie dissererent, et sub piae vitae disciplina continerent fideles: quid est quod, invicta conclusi violentia veritatis, isti nostri se recte dicere existimant: Non esse populo praedicandum, etsi verum sit quod de praedestinatione dicitur? Imo praedicandum

Digitized by Google

est prorsus, ut, qui habet aures audiendi, audiat. Quis autem habet, si non accepit ab eo, qui se daturum promittit? Certe qui non accipit, reiiciat: dum tamen, qui capit, sumat et bibat, bibat et vivat. Sicut enim praedicanda est pietas, ut rite colatur Deus; ita et praedestinatio, ut, qui habet aures audiendi, de gratia Dei, in Deo, non in se glorietur.

Et tamen, (Eiusdem lib. c. 22.). ut singulare aedificationis studium sancto viro fuit, sic docendi veri rationem temperat, ut prudenter caveatur, quoad licet, offensio. Nam quae vere dicuntur, congruenter simul posse dici admonet. Si quis ita plebem compellet: Si non creditis, ideo fit, quia iam divinitus exitio destinati estis: non modo ignaviam fovet, sed etiam indulget malitiae: Si quis in futurum quoque tempus sententiam extendat, quod non sunt credituri qui audiunt, quia reprobati sunt: inprecatio erit magis quam doctrina. Tales itaque Augustinus (De Cor. et gratia ad Valent. cap. 5.) non immerito tanquam vel insulsos doctores vel sinistros et ominosos prophetas ab Ecclesia iubet facessere. Tenendum quidem vere alibi contendit, quod tunc correctione proficit homo, quum miseretur atque adiuvat, qui facit quos voluerit, etiam sine correptione, proficere. Sed quare isti sic, illi aliter: absit, ut dicamus, Iudicium luti esse, non figuli. Item postea: (Cap. 14.) Quum homines per correptionem in viam iustitiae suae veniunt seu revertuntur: quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille qui quolibet plantante et rigante dat incrementum? cui, volenti salvum facere, nullum hominis resistit liberum arbitrium. Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in caelo et in terra quaecunque voluit et qui etiam quae futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult, quandoquidem de ipsis hominum voluntatibus quod vult facit. Item, Quum vult adducere homines, nunquid corporalibus vinculis alligat? Intus agit, intus corda tenet, intus corda movet: eosque voluntatibus eorum, quas in illis operatus est, trahit. Sed quod continuo subiicit, (Cap. 15.) minime omitti debet: Quia nescimus quis ad praedestinatorum numerum pertineat vel non pertineat, sic nos affici decere, ut omnes velimus salvos fieri. Ita fiet, ut, quisquis nobis occurret, cum studeamus facere pacis consortem. Sed pax nostra super filios pacis requiescet. Ergo quantum ad nos pertinet, omnibus, ne pereant vel ne alios perdant, salubris et severa instar medicinae adhibenda erit correctio: (Cap. 16.) Dei autem erit illis utilem facere, quos praescivit et praedestinavit. Haec si vera sunt: quando primarium ex sanctis Patribus habent testem, ne in odium Calvini ab indoctis vel male affectis respuantur. Utinam vero insipidi isti moderatores, qui in sobrietate nimis aquosa multum placent, saltem reputarent, quantum Augustino cedunt rerum sacrarum scientia, modestia quoque illum esse superiorem, ne morosam suam timiditatem nobis pro modestia venditarent.

Digitized by Google

Ut tandem cum Pighio transigam, de tribus summatim monendi sunt mihi lectores: quicquid absurditatum ad gravandam meam doctrinam congerit, non tam in me quam in Deum ipsum torqueri: deinde, Scripturae locos, qui pro me aperte faciunt, ut mihi extorqueat, tam inscite nugari, ut satis appareat, non posse sustinere causam illam, nisi corrupta eversaque Scriptura: postremo, in tantum impudentiae prorumpere, ut Augustinum sibi accersere suffragatorem non dubitet. Si quos in exitium Deus condidit, indignus est qui ametur. Qui antequam nati essent, vita aeterna privati sunt, misericordia quam supplicio digniores. Si mea essent, quae labefactare conatur, mortalem hominem impeteret: nunc, quum talibus probris palam insultet Deo, me cum Paulo centies repetere non pudebit: O homo tu quis es, qui cum fictore tuo litiges? Sentit iam miser et sentient olim omnes eius similes, quae ex ore impuro et sacrilego probra in Deum vibrant, suo impetu fracta concidere, antequam ad caelum pertingant: nec demum restare aliud, nisi ut recidant in eorum capita. Foetidissimae in adulteranda Scriptura delirationis unum esto specimen, nonum ad Rom. cap. qualiter ab eo partim miscetur partim discerpitur. Initio, ne in solvendo nodo Gordiano nimium laboret, uno verbo abrumpit: Electum esse a Deo Israëlem, sed non omnes esse Israëlitas, quia patrem suum non referunt, qui a videndo cognominatus est. Unde constituit, non esse ratam electionem, nisi in iis qui oculos aperiunt. Atqui, bonus perspicaciae magister in Israëlis nomine ridicule caecutit, dum ex robore facit acumen. Interea non cogitat peculiari gratia factum esse divinitus Israëlem, qui in utero matris iam electus fuerat: nec alios videndo Deo esse idoneos, nisi quorum mentes illuminat: luce autem Spiritus sui dignari, quos sibi in filios, quum adhuc caeci essent, adoptaverit. Postea, quasi elapsus, ultra metas vagatur et saltat, Misericordiam Dei nemini deesse, quando omnes vult salvos fieri, quando stat et pulsat ad cordis nostri ostium, cupiens ingredi. Itaque ante mundi creationem electos, a quibus se receptum iri praevidit: neminem vero indurare, nisi tolerantia: qualiter patres nimium faciles dicuntur indulgentia sua filios perdere. Quasi vero talibus naeniis eludere promptum sit, quae Paulus tam diserte in contrariam partem affirmat; et quasi lectoribus nihil significet, Ex duobus gemellis, quum adhuc in utero sunt inclusi, alterum eligi, alterum reiici, nullo operum respectu, sed mero Dei vocantis beneplacito: Non esse volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, qui indurat quem vult, et misericordia quem vult prosequitur: Deum ostendere potentiam suam in vasis irae, ut in vasis misericordiae notas faciat gratiae suae divitias: Secundum gratuitam electionem servari, quidquid in Israële salvum est: atque ita electionem obtinere, et quae fusius suo ordine supra exposuimus. Certe iam si centuplo esset acutior, nullis tamen cavillis efficiet, quin tam sonorum Pauli (Rom. 11, 7.) clamorem vel

Digitized by Google

surdastri exaudiant. Quod vero multam verborum congeriem hoc cumulo terminat, Non creasse Deum quos praeviderat reprobos fore: sed reprobos scivisse quos creaverat: perinde est acsi luto illineret figuli oculos et manus, ne qua eius forma nobis appareat. Similiter quum ex primo ad Ephes. cap. expedire se nititur, ita ludibundus proiicit suas ampullas, acsi inani suo strepitu Paulum obmutescere cogeret. Elegit nos Deus in Christo, quia gratiae suae, quae alioqui omnibus exposita est, praevidit locum in nobis fore. Elegit ex omnibus, quia, quod in commune propositum erat omnibus, nostrum peculiariter fore praevidit, ut illi cooperantes sancti per eam essemus. Elegit secundum propositum voluntatis suae, quod est et erat eiusmodi, ut eos eligeret, de quibus praesciebat futurum quod dictum est. Elegit in laudem gratiae suae, quae nos sanctificat, ut laus est praeceptoris virtus et doctrina discipuli. Quasi vero non istud sit Dei propositum, quod alibi (1 Tim. 1, 9.) Paulus omnibus humanis operibus opponit. Quasi in nomine Beneplaciti non expressior sit hoc loco gratiae commendatio. Quasi non dicatur proposuisse Deus in seipso beneplacitum suum, quia causam in nobis nullam reperiens sibi ipse ad nos servandos causa fuit. Quasi frustra totum salutis nostrae effectum a decreto illo et proposito et beneplacito pendere quinquies repetat. Quasi non diserte pronuntiet, quia electi eramus, nos in Christo fuisse benedictos. Quasi non sanctificationem, et quicquid est bonorum operum, ex electione tanquam aquas ex fonte derivet. Quasi non eidem gratiae acceptum ferat, quod Dei figmentum sumus, ad bona opera conditi, quae praeparavit. Quasi non a reliquis nos discernat, ut gratuito solo Dei favore nos excellere sciamus. En quam apte operum praescientiam cum Paulino textu conciliet. Quanto satius fuerat, illam admirantis personam retinere, quam semel ad momentum suscipere coactus, mox ad superbas speculationes transvolans, deponit. Et haec quidem, quae uberius supra tractavi, nunc cursim tantum delibo.

Augustinum postquam acriter flagellavit, ut qui in hac disputatione impetu magis quam moderata ratione feratur, qui huc illuc impingat, qui proferat quae aliena videntur a Dei bonitate: eius deinde suffragio quam parum verecunde utatur, tribus verbis ostendam. Diligentiam sancti viri laudat, quod in libro ad Simplicianum Mediolanensem Episcopum sedulo quaestionem hanc ventilet. An opus aliquando inspexerit, nescio, quum ex libris duobus libellum unum faciat. Mirum tamen, cur librum illum, quem se Augustinus initio sui Episcopatus scripsisse *) commemorat, bonus iste dexterque interpres ex omnibus maxime delegerit. Nam etsi illum Pelagio auctor opponit, non tamen dissimulat, quanto plenius postea et solidius de eadem re disseruerit. Haec eius verba

*) Lib. 1. de praedestin. sanctor. cap. 4. De bono persever. c. 20. Lib. retractat. 2. cap. 1.

Digitized by Google

sunt: Illic a me ostensa est praedestinatio sanctorum: quam postea diligentius et operosius, quum adversus Pelagianos disputarem, defendere necessitas compulit. Didicimus enim singulas haereses intulisse Ecclesiae proprias quaestiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret. Caeterum, videamus qualis ista sit quam ostendit Augustini subscriptio. In eo, inquit, noster est, quod vocationis contemptum, reprobationis causam affirmat. Longe vero ipse aliter. Nam in libro Retractationum dicit, Pro libero hominis arbitrio sic laboratum esse, ut tandem vicerit Dei gratia. Verum omittam, quid illic et duobus in locis a me citatis dicat, mentem suam fidelibus saltem, quam mille tui similes, exponens: quomodo in eum plusquam impudenter conferre audes, quod toto opere non minus fortiter reiicit, (Circa dimid. lib. prior.) quam ingenue damnat, ne longior sim: quae Pighius pro se verba adducit, Apud Augustinum quidem exstant, sed eadem pagina refutantur. Si propterea dictum est, inquit, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia voluntas hominis sola non sufficit, ut iuste recteque vivamus, nisi adiuvetur misericordia Dei: potest et hoc modo dici: Igitur non miserentis est Dei, sed hominis volentis: quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostrae voluntatis addatur. At illud manifestum est: frustra nos velle, nisi Deus misereatur: illud autem nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, etiam volumus, quia ad eandem misericordiam pertinet, ut velimus, iuxta illud, Deus est qui operatur et velle et perficere. Nam si quaeramus, utrum Dei donum sit voluntas bona: mirum si quisquam negare audeat. Paulo post: Itaque verum est: non volentis neque currentis, sed miserentis Dei: quia etiam si multos vocet, eorum tamen miseretur quos ita vocat, quomodo vocari illis aptum est, ut sequantur. Falsum autem si quis dicit: Non miserentis Dei, sed volentis hominis est: quia nullius frustra Deus miseretur. Cuius enim miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. Est quidem verissimum quod praefatus erat Pighius, ventilari ab Augustino istam, de qua nunc agitur, quaestionem. Sed ipse graviter peccat, quod quisquilias in aërem sparsas arripiens, quod deinde in vanno residuum apparet triticum, negligit.

Nunc dandus Georgio quoque Siculo est locus: in quo homine adeo insipida sunt omnia, ut in eo refellendo quicquam operae locare pudeat. Nec sane congredi cum ista umbra dignarer, nisi stulta multorum consternatio me cogeret. Neque enim defuturos arbitror, qui, ex puerilibus nugis facilem me captare victoriam putantes, inane studium derisui habeant. Equidem nisi noceret, quantum non sine maximo dolore audio, contemptu potius obterendum censerem, quam verbis refellendum. Sed quando eius libri, per Italiam volitantes, multos passim dementant, cum deliro

Digitized by Google

homine, si opus sit, paulisper ineptire malo, quam meo silentio pati, ut cum tanta Ecclesiae iactura insania eius grassetur. Quum olim Propheta Ezechiel (Ezech. 13, 17.) anus fatidicas videret fucum populo facere: muliebre bellum subire non erubuit. Ergo neque nos pigeat, si Christi servi esse volumus, qualescunque tandem sint, qui in horreum Domini suas quisquilias ingerere nituntur, eos conserta manu depellere.

Quod aeterno Dei consilio praedestinatos esse homines dicimus vel ad salutem vel ad exitium: tribus de causis ea nos in re hallucinari Georgius putat: quarum primam assignat, quod Electionis nomen non observemus diverso sensu accipi in Scriptura: nempe quod ad munus temporale quosdam eligat Deus, ubi nulla fit aeternae vitae mentio neque etiam ratio habetur. Sed quibus persuadeat stolidus nugator, nos in Scriptura tam male exercitatos esse, ut nondum teneamus, Saulem, (1 Sam. 9, 16.) qui reprobus erat, Regem tamen esse electum? Iudam Diabolum vocari, (Ioan. 6, 70.) qui unus erat ex duodecim, quos a se Christus electos praedicat? Cur locos non notat male et impie a nobis adductos, qui errorem patefaciant? Verum, somnia ipse sibi fabricat, quae in cerebro suo nata tanquam aliena debellet: interea mirum, quomodo decimo circiter versu praecepti sui oblitus Pauli (1 Cor. 9, 27.) testimonio nos oppugnet. Ne quum aliis praedicavero ipse reprobus efficiar. Colligit enim, vel mentiri Paulum, qui timere se iactet, ne concidat immutabilis Dei electio, et suae electionis fuisse ignarum: nec videt miser, reprobum illic probato opponi, qui certa suae pietatis experimenta dederit. Cur non tunc illi in mentem venit diversa vocis acceptio? Nam et argentum reprobum apud Ieremiam (Ierem. 6, 30.) et in Epistola ad Hebraeos, (Hebr. 6, 7.) reproba terra, non divinitus exitio devotum argentum vel terram significat, sed vitiosum nihilique argentum et terram infrugiferam. Quod autem in verbis Pauli relatio ad homines fiat sicuti in altera quoque Epistola ex contextu colligere promptum est. Et tamen sic ab aeterna electione, qua nos in vitam adoptat Deus, sic distinguitur electio ad munus temporale, ut ambas simul interdum propter affinitatem Scriptura coniungat. Quum gloriatur Paulus (Gal. 1, 13.) se ab utero segregatum esse, de munere quidem Apostolico disserit: sed altius conscendens pariter Dei gratiam, quo vocatus fuerat in spem salutis, commendat. Christus etiam quamvis unum ex duodecim, quos elegit, diabolum esse pronuntiet: alibi tamen cum honore Apostolico adoptionis gratiam coniungit, dicens: *) Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat. Nam ea lege sibi datos a Patre commemorat, ut neminem sinat perire praeter eum, qui iam filius erat perditionis. Quod ergo passim legimus, ad certum vitae genus vel

*) Ioan. 15, 16. Ioan. 17, 12.

Digitized by Google

munus temporale eligi hos et illos, minime obstat, quominus Deus ad salutem elegerit, quoscunque vult salvos esse.

Secundam erroris causam statuit, quod non teneamus fideles omnes novi Testamenti, quos vocat, electos esse in salutem: quemadmodum docet Paulus primo ad Eph. cap. Atqui, plus satis iam monstratum est, ex electionis fonte illic deduci fidem, qua filii Dei salutis suae possessionem adeunt. Fides certe inter spirituales illas divitias, quibus donati sumus in Christo, vel praecipue censeri debet. Unde autem fluere docet Paulus quicquid habemus benedictionum, nisi ex recondito illo gratuitae adoptionis fonte? Rursum: Ubertim nos locupletavit omni scientia et prudentia: sed quomodo? Iuxta beneplacitum suum, quod proposuerat in seipso. Si divinae electionis fructus est fides: constat autem non omnes in fidem illuminari: statuendum proculdubio est, eligi a Deo, quos fide donare apud se decrevit: atque ita verum esse quod Augustinus tradit: In filios a Deo eligi, ut credant, non quia praeviderit credituros. Aliis locis citandis (De praedest. Sanctor. c. 17. et aliis locis.) supersedeo, quia mox tractandi erunt. Caeterum quia unus erat locus, ubi Dei electi in infinitum aliquem numerum redigi videntur: quum scilicet dicit Christus, (Matth. 24, 24.) tantas fore Antichristi fallacias, ut etiam electos, si fieri possit, decipiant: illic electos vocari exponit Georgius, qui in fide et iustitia perseverant. Recte id quidem, modo simul fateretur constantiam hanc ab electione pendere. Atqui, ne qua specialis sit in Deo electio, sibi unumquemque hominum propriae electionis auctorem facit.

Tertia erroris nostri causa secundum Georgium est, quod dum excaecationis et indurationis meminit Scriptura, non animadvertimus superioribus peccatis tales poenas infligi. Nos vero, quod innumeris Scripturae testimoniis passim expressum est, non negamus: Deum excaecatione et aliis modis et gratiae suae contemptum et superbiam et contumaciam et alia scelera ulcisci. Nam singulares poenae, quarum passim fit mentio, (Rom. 1, 26.) ad generalem illam sententiam referri debent: Coniici in sensum reprobum, et in cupiditates ignominiosas tradi, qui Deum cognitum non timuerunt nec reveriti sunt, ut decebat. Qua de re iterum postea fusius. Verum, etsi Dominus impios furore et vertigine percutiens, quam meriti sunt, mercedem illis rependit: non tamen id obstat, quo minus in reprobis omnibus maneat caecitas et obstinata cordis durities. Quum dicitur (Exod. 10, 20.) obduratus esse Pharao, iam dignus erat, quem Deus Satanae manciparet. Sed quod prius a Deo in hoc ipsum excitatus esset, simul admonet Moses. Nec vero Paulus (Rom. 9, 17.) aliam causam addit, nisi quod unus esset e reprobis. Sic demonstrat idem Paulus, quum Iudaei, intelligentiae luce privati, in horribiles tenebras delapsi sunt, poenas iustas impii divinae gratiae contemptus hoc modo ipsos dedisse: neque tamen excaecationem hanc

Digitized by Google

reprobis omnibus constitutam fuisse dissimulat. Reliquias enim servatas fuisse docet secundum electionem gratuitam: reliquos omnes fuisse excaecatos. Si reliqui omnes, in quorum salutem non regnat Dei electio, excaecantur: certe palam constat, eosdem, qui sua rebellione iram Dei provocando novam excaecationem sibi accersunt, iam ab initio caecitati fuisse devotos. Et clara sunt Pauli verba, (Rom. 9, 22.) Vasa irae esse pridem ad interitum praeparata, quicunque, Spiritu adoptionis destituti, propria culpa seipsos praecipitant. Equidem cum Augustino (Lib. contra Faust. 21. cap. 2. et 3.) fateri non recuso, in occultis Dei iudiciis aliquid praecedere, sed occultum. Nam inaccessibili secreto ab humana cogitatione seclusum est, quomodo et impium damnet Deus et iustificet impium. Ergo satius nihil restat, quam cum Paulo expavescere, quia iudicia eius abyssus multa.

Pergat deinde Georgius, Nullam reperiri syllabam in tota Scriptura, unde colligere liceat, excaecari qui aeterno Dei iudicio reprobati sunt: et quicquid de praedestinatione tradimus, philosophica tantum argutia niti, quod Deum nihil eorum lateat quae futura sunt, quaecunque autem praevidit necessario eveniant. Nihil dico, nisi quod tam crassum mendacium libri nostri refellunt. Quia hoc illi inter fraterculos licentiae reverendi Abbatis favor dederat, ut quicquid somniaverat, oraculi instar iactare auderet: idem sibi extra monasterium permisit. Nos vero, non ex nuda Dei praescientia, ut ipse stolide mentitur, elicere, quod frustra oppugnat, inter electos et reprobos discrimen: sed manifestis solidisque Scripturae locis proditum ostendere quid pluribus nunc contester? Nos ex nuda Dei praescientia pugnare fingit. Atqui, apertos Scripturae locos plus viginti a me prius citatos reperient lectores. Specialem electionem commentum esse nostrum iactat, quia nullos Deus certos homines elegerit. At Christus ex adverso clamat, se scire quos elegerit.

Videatis tamen, quam validis machinis aeternum illud Dei consilium labefactet, quo alii in salutem electi sunt, alii exitio destinati. Iustitiam Dei ex fide Paulus (Rom. 3, 22.) communem facit omnibus qui credunt, nec distinctionem admittit, quia omnes peccaverint et destituantur gloria Dei. Fateor sane Dei iustitiam super omnes per fidem diffundi. Sed unde hominibus fides, nisi ex gratuita Spiritus illuminatione? Et quos in Christum credere Paulus censet, nisi quos Pater caelestis traxerit? Christus (Ioan. 10, 29. et 17, 6.) certe neminem in suis reputat, nisi datus sit a Patre. Sibi autem datos praedicat, qui ante Patris fuerant. Delirium suum de fide naturali obtrudet Georgius: quod refellere non est praesentis instituti. Tantum dico, in omnes et super omnes, qui credunt in Christum, esse Dei iustitiam; sed eodem Paulo teste (1 Cor. 4, 6.) excipio: Ut alii prae aliis excellant, non nisi a solo Deo discerni, ne quis glorietur. Item, (Phil. 1, 29.) ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis, arra et sigillo

Digitized by Google

Spiritus aeternam haereditatem in cordibus nostris obsignari. Item, (Eph. 1, 18.) Nobis dari ut in Christum credamus. Item, (Gal. 5, 22.) Illuminari mentis nostrae oculos, ut sciamus quae sit spes vocationis nostrae. Item fructum Spiritus esse fidem. Discrimen esse negat Paulus: nempe Iudaei et Graeci: quia utrosque pariter Deus ad salutem invitat. Sed duae istae species, inquit Georgius, totum genus humanum comprehendunt. Esto: non tamen inde evincet, sigillatim unicuique hominum promitti iustitiam. Hoc quoque postremum ut demus, huc tamen redeundum erit, neminem boni oblati compotem, nisi fide, fieri. Restat ut Monachus fidem omnibus promiscuam faciat. Quod iam satis probavi, quam sit a Pauli mente alienum. Verum sequetur, solos electos destitui gloria Dei. Unde id colliget? Quia in omnes qui peccaverunt, inquit, diffunditur Christi gratia. Atqui ego sic universalem Dei gratiam esse fateor, ut in hoc tamen situm esse discrimen addam: quod non omnes secundum Dei propositum vocantur.

Argute se ratiocinari putat, quum dicit: (Rom. 8, 32.) Christus propitiatio est pro peccatis totius mundi. Ergo extra mundum reprobos constituant oportet qui a Christi participatione arcere eos volunt. Ne valeat in praesens communis illa solutio: Christum sufficienter pro omnibus passum esse, efficaciter tantum pro electis. Magna illa absurditas, ob quam plausum sibi inter suos gregales Monachus quaesivit, apud me nihil habet momenti. Per quascunque mundi plagas dispersi sint fideles, expiationem Christi morte partam ad eos Ioannes extendit. Id certe non obstat, quominus reprobi in mundo electis permixti sint. Controversia etiam caret, Christum expiandis totius mundi peccatis venisse. (Ioan. 5, 15.) Sed confestim occurrit illa solutio: Ut, quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Nec vero qualis sit Christi virtus vel quid per se valeat, nunc quaeritur: sed quibus se fruendum exhibeat. Quod si in fide consistit possessio, et fides ex Spiritu adoptionis manat: restat, ut in numerum filiorum is duntaxat adscitus sit, qui futurus est Christi particeps. Nec vero aliud Christi officium commendat Evangelista Ioannes, quam ut morte sua in unum congreget Dei filios. Unde colligimus, Quamvis per ipsum offeratur omnibus reconciliatio, peculiare tamen esse electis beneficium, ut in vitae societatem colligantur. Quanquam, dum omnibus offerri dico, non ita accipio, quasi ad omnes legatio illa perveniat, qua mundum sibi reconciliat Deus, teste Paulo, (2 Cor. 5, 18.) sed ad quos pervenit, ne eorum quidem cordibus indifferenter obsignatur, ut rata sit. Quod nullam esse acceptionem personarum garrit: discat primum quid significet Personae nomen: tum nihil facesset nobis molestiae ex ea sententia.

At Paulus docet, Velle Deum omnes salvos fieri. Ergo aut Deum fateatur non esse votorum suorum compotem, aut omnes

Digitized by Google

sine exceptione salvos fore. Si respondeat: Velle Deum, quantum in se est, quia salus libero cuiusque arbitrio sit exposita: quaero iterum, Cur non ergo omnibus indifferenter praedicari Evangelium ab initio mundi voluit? Cur tot seculis tam multas gentes in mortis tenebris errare passus est? Sequitur enim in contextu, quod velit omnes ad veritatis notitiam venire. Sed candido sanique iudicii lectori minime ambiguus est sensus, quem supra exposui: Quum pro Regibus et principibus iussisset Paulus sollennes et ordinarias in Ecclesia preces concipi, ne quis Reges et Magistratus haberet pro deploratis, quod tunc omnes infesti essent fidei hostes, occupat Apostolus, et Christi gratiam ad illum quoque ordinem patere affirmat.

Quo audacior est nebulo hic in torquenda Scriptura, non mirum est, si in pluribus locis congerendis sit copiosus: quando neque ulla est religio neque pudor, quae eius proteruiam fraenent. Sed quo ille laxius diffluit, meum erit responsiones brevius adstringere. Citat locum Iesaiae: Ne dicat filius extraneae, Reiectus sum. De reprobis non posse exponi, pro confesso sumit. Electos autem vocari filios extraneae, absurdum iudicat. Respondeo, non esse insolens, ut, qui ante mundi creationem electi erant, extranei tamen censeantur, donec fide aggregentur ad Dei filios. Verba Petri sunt, quae ex Propheta mutuatur: *) Qui eratis quondam non populus, nunc estis populus Dei. Quos alloquitur? Nempe, quos initio testatus fuerat, (Eph. 2, 12.) dilectos esse secundum praecognitionem Dei Patris. Apertius etiamnum ad Ephesios. Postquam enim de aeterna ipsorum electione disseruerat, subiicit, Exules fuisse a regno Dei, hospites promissionum, sine Deo et spe vitae. Et miramur, si Iesaias, templum Dei ex profanis lapidibus aedificans, novam consecrationem fore praedicet? Nam quum in Dei corde abscondita esset Gentium vocatio, quid aliud in illis quam damnata immundities apparuit? Erant quidem Dei oves, quicunque demum in Christi corpus coaluerunt, ut ipse testatur: (Ioan. 10, 16.) sed oves foris exclusae adhuc et vagae. Interea quamvis se nescirent, pastor tamen eas noverat secundum illam praedestinationem, qua suos elegit ante constitutionem mundi, ut probe Augustinus admonet.

Si verum est, inquit, (Tract. Ioan. 45.) Prophetae dictum: Filius non portabit iniquitatem patris: nulla igitur pars hominum in originali corruptione relinquitur. Cum bellua ista nihil mihi negotii esse volo. Tantum rudibus succurrere consilium est, ne talibus cavillis implicentur. Nihil certius est, quam manere in generali interitu, quicunque in Christi corpus non inseruntur. Bonus iste frater, de alieno prodigus, omnes accumulat; et quibus Deus ianuam claudit et obserat, eos facit domesticos. Cae-

*) 1 Petr. 2, 10. 1 Petr. 1, 2.

Digitized by Google

terum, sponte insanit, quisquis non fatetur, eos, qui naturaliter in Adam mortui sunt, non posse nisi ordinato divinitus remedio in vitam restitui. Iam inter pii hominis et increduli sobolem apertum discrimen statuit Paulus: *) ut haec immunda sit, illa vero sancta. Et hac ratione, priusquam Gentes una cum Iudaeis, diruta maceria, cooptarentur in Ecclesiam, filios Abrahae ramos esse sanctos dicit ex radice sancta. Quid autem longo sermone opus est? An non idem Propheta Ezechiel, cuius dicto Monachus abutitur, Gentes incircumcisas saepius tanquam profanas exitio addicit? Neque enim alioqui tunc circumcisio fuisset vitae foedus. Quomodo igitur verum erit, filium paternae culpae poenam non daturum? Vicissim quaero: Quomodo innoxium se iactabit, qui ex malo ovo malus corvus nascitur? Sic enim ex Adam contrahitur originale peccatum, ut cuiusque proprium sit. Nemo itaque conqueri poterit, quasi alieni peccati reatum sustinet a culpa immunis. Caeterum, si Deo in filiis persequi non licet maiorum peccata; quid sibi vult illud: **) Ultor in tertiam et quartam generationem? Item, (Exod. 34, 7. et aliis locis.) Reiiciens patris scelera in sinum filiorum. Porro, haec prima ultio est, quod Spiritu Dei destituti in naturae gravitate manent.

Quum dicit Ioannes: Quisquis peccaverit, delebo eum e libro vitae: si de reprobis exponas, nunquam scripti fuerunt; si de electis, consilium Dei erit instabile. Perinde garrit Monachus, acsi nunquam se ad captum nostrum Deus accommodaret. Foeda sane ingratitudo, adversus Deum ita insolescere, dum usque eo nobis indulget, ut nostra causa balbutiat. Hoc quoque modo Deum corporeum nobis conflabit, quia et aures et oculos et pedes et manus illi tribuit Scriptura. Atqui, simplex est sensus: Deleri e libro vitae, qui ad tempus inter filios Dei habiti postea in locum suum discedunt, quemadmodum de Iuda vere loquitur Petrus. (Actor. 1, 16.) Tales autem nunquam ex nobis fuisse Ioannes (1 Ioan. 2, 19.) testatur, quia, si ex nobis fuissent, non exiissent. Quod autem crasse Ioannes expressit, subtilius Propheta Ezechiël: (Ezech. 13, 9.) In arcano, inquit, populi mei non erunt, et in catalogo Israël non scribentur. Non alia solutione indiget, quod optant Moses et Paulus, ex libro vitae deleri: quia vehementia doloris extra se rapti perire, si fieri posset, mallent, quam populosam Dei Ecclesiam, qualis tunc erat, extingui. Gaudere enim quum suos discipulos iubet Christus, quia nomina eorum scripta sint in caelo, perpetuum illud esse bonum significat, quo nunquam privandi sint. Porro non minus dilucide quam breviter utrumque conciliat Christus, quum dicit: (Matth. 15, 13.) Omnis arbor, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur. Nam et reprobos in speciem radices agere, neque tamen Dei manu plantatos esse, significat.

*) 1 Cor. 7, 14. Rom. 11, 16. — **) Exod. 20, 5. Deut. 5, 9.

Digitized by Google

Notanda, inquit, illa apud Paulum comparatio, quod, sicut per unum hominem peccatum in condemnationem, ita et per unum hominem donum iustitiae in vitam. Quod si in uno mortui sint multi, multo magis gratia Dei exuberabit, ut multi regnent in vita per Christum. Si illic disputaret Paulus, ad omnes penetrare Christi gratiam, victus tacerem; sed quum simpliciter illi propositum sit ostendere, quanto potentior sit in fidelibus Christi gratia, quam contracta ex Adam maledictio: quid hoc ad labefactandam eorum electionem, quos in vitam Christus restituit, aliis percuntibus? Sed Monachus verba urget. Nam Paulus totum hominum genus comprehendit, quum dicit, Peccatum unius hominis grassatum in omnes: neminem licebit a vitae participatione excludere. Si hoc modo ineptire libet, creandos esse Deo novos mundos contendam, ut, quod illic habetur, praestet. Negat Christus parem fuisse maledictionem gratiae, quia haec longe exuberet. Si in rationem utrinque veniat hominum numerus, non potest Christus plures servare, quam perdiderit Adam. Ergo periclitabitur Pauli fides, nisi repente novus aliquis mundus emergat. Ego vero non alium Monacho clypeum opponam, quam qui mihi ab eo porrigitur. Alterum ex Paulo locum (1 Cor. 15, 22.) adducit: Quod sicut in Adam moriuntur omnes, ita in Christo omnes vivificabuntur. Si hoc secundum membrum extendit ad omnes Adae filios, manum Paulus iniicit, qui diserte mox testatur, non nisi de Christi membris se intelligere: Primitiae Christus: deinde et qui sunt Christi, resurgent. Nam certe illic de resurrectione disputat, quam beata immortalitas consequitur, qualem et in symbolo fidei praedicamus.

Ne eadem subinde iterando lectoribus frustra taedium pariam, pauca ex multis obiter perstringere consilium est. Qualiter mortem peccatoris nolit Deus, quum vult omnes converti et vivere, supra exposui. Nam quod ad resipiscentiam hortatur et conversis offert veniam, id omnibus commune est: at filios suos singulari hoc privilegio dignatur, ut carnea eorum corda ex lapideis faciat. Neque tamen irritas in aërem iactari voces Monacho concedo, dum et impios malitiae suae convictos inexcusabiles reddit Dominus: et in electis suis ita operatur, ut arcana Spiritus virtute efficax sit in eorum cordibus doctrina, quae in eorum auribus personat. Nec est quod quempiam moveat vulgaris illa calumnia, Illudere Deum hominibus, quod pedibus captos ad ambulandum hortatur. Nam si nihil exigit, quod illi non debeant, non facit iniuriam. Nisi vero, qui solvendo non est decoctor, cum ludibrio creditoris solutum se iactabit. Porro litem hanc, quae nisi propria cuiusque conscientia dirimi nequit, ulterius non persequor. Populi sui aures Prophetae voce verberari iubet Deus. An ut tangantur corda? Imo ut obdurentur. An ut resipiscant qui audiunt? Imo ut iam perditi bis pereant. Si excipias, Superiorem fuisse causam; non aliud in praesentia volo, minime ab-

Digitized by Google

surdum esse, spargi Dei mandato doctrinam, quam profectu carituram novit. Non minus frivolum, quod constare negat posse Christi dictum, de reducta quae perierat ove, si qui praedestinati forent. Ego vero, quod temere in nos vibrare telum molitur, longe aptius in eum retorqueo: non alia ratione vocari ovem, qui ad tempus perditus videtur, nisi quia gratuitae electionis respectu sub Dei custodia manet.

Eiusdem farinae est illud dilemma, Si qua esset specialis electio, non quadraret exhortatio Prophetae: Derelinquat impius viam suam. Nam si electos alloquitur, quomodo impii essent, quibus omnia in bonum cedunt? Si reprobos, quorsum ad resipiscentiam vocantur? Ego autem utrisque destinari Prophetae concionem respondeo: ut priores, qui excusso iugo lascivierunt, ad sanam mentem redeant moniti: alteri vero, qui in malis suis stupent, talibus stimulis pungantur. Neque enim electos fingimus continua Spiritus directione semper tenere rectum cursum: quin saepe labi, errare, impingere et fere alienari a salutis via dicimus. Sed quia potentius est, quo teguntur, Dei praesidium, lethali eos ruina excidere impossibile est. Cavere iubentur homines, ne pereant. Atqui, electos extra periculum esse, certum est: in reprobis nulla cautio. Respondeo, Nihil absurdi esse, si electi, qui assidue sunt in conflictu, necessariis armis instruuntur: et communiter acuitur omnium vigilantia, donec reprobi re ipsa se incurabiles esse demonstrent. Adhibetur enim morbis medicina, donec certa desperatio appareat.

Obiicit Georgius: Abraham fidelium, non electorum vocari patrem; et salutem non electis, sed credentibus promitti. Quos igitur esse dicet, qui simul cum patre suo Abraham in regnum Dei colligendi sunt? Nam certe Christus *) id in electos docet competere. Christus finem horrendis cladibus impositum iri pronunciat, ut electis sit consultum. An filios Abrahae esse negabimus, qui simul cum eo domestici sunt Ecclesiae? Et unde, obsecro, tantae Abrahae dignitas, ut pater fidelium censeatur, nisi quia a Domino electus est? Unde degeneres esse statuendum est, qui hac similitudine ipsum non referunt: execrandam vero esse nebulonis huius audaciam, qui notam, qua praecipue filios suos insignit Deus, expungere et delere, quantum in se est, conatur. Credentibus certe vitam aeternam promitti fateor; modo ne vicissim neget, electis similiter promitti. Sic enim Iesaias: Et eam possidebunt electi mei; modo credere fateatur, quos Deus Spiritu suo illuminat; modo denique electionem fateatur matrem fidei esse. Ad omnia pro electis ferenda se paratum esse Paulus docet, (2 Tim. 2, 10.) Christus (Luc. 18, 7.) Patrem electorum vindicem fore clamat. Hortatur Paulus Colossenses, (Coloss. 3, 12.) ut mansuetudinem, patientiam et reliquas virtutes tanquam electi

*) Matth. 24, 22. Marc. 13, 20.



Digitized by Google

Dei induant. Eximit Paulus a reatu omnes Dei electos. An spoliandi bonis istis erunt fideles? acsi inter res mutuo et quidem individuo nexu coniunctas plusquam hostile dissidium foret. Imo ut firma Dei electio maneat, tum in fidem illuminantur qui caeci erant, tum fide recipiunt Christi iustitiam, tum fide in finem usque custodiuntur.

Quum perditis exitium denunciat Scriptura, causam in aeternum Dei consilium minime reiicit vel transfert, sed residere in ipsis testatur. Nos vero non ideo reprobos tradimus destitui Dei Spiritu, ut scelerum suorum culpam in Deum derivent. Quicquid peccant homines, sibi imputent. Quod si quis subterfugiat, conscientiae vinculis fortius constringi dico, quam ut se a iusta damnatione expediat. Causetur Adam, ut volet, se datae sibi a Deo uxoris illecebris fuisse deceptum: intus tamen mortiferum infidelitatis virus, intus pessima consultrix ambitio, intus diabolicum audaciae flabellum reperietur. Multo igitur minus excusabiles erunt, qui ex profundis Dei adytis malorum suorum causam, quae se ex vitioso eorum corde proferet, eruere tentabunt. Coniici merentur in sensum reprobum, quicunque Deum ex caeli terraeque adspectu cognitum non glorificarunt, ut decebat. Qui maligne ac deliberata malitia Christi gratiam respuerunt et accensam Evangelii lucem respuere non veriti sunt, graviorem poenam sustinent. Sua quisque peccata accuset, seipsum damnet, suamque culpam ex animo confessus iudicem suum suppliciter deprecetur. Si quis obstrepat, prompta est exceptio: Perditio tua ex te Israël. Nam, ut alibi dictum est, si ridicule apud veterem Poëtam queritur Medea, caesas in nemore Pelio fuisse abietes: quum intestino libidinis suae igne flagrans patrem totumque regnum secum perdiderit: multo certe minus audiendi sunt, qui procul remotas causas e nubibus accersunt, ut culpae suae notitiam, quae et eorum cordibus penitus insidet neque occulta latere potest, utcunque obscurent. Hominum ergo peccatis malorum omnium causam Scriptura iure assignat. Neque id inter nos disputatur, Occultone Dei iudicio citra propriam culpam pereant homines (quod non modo falsum esse concedimus, sed tanquam foedum sacrilegium detestamur), sed, An impii, qui voluntarie peccando iram Dei in se provocant, iam olim iusta quidem sed incognita de causa divinitus reprobati fuerint. Atqui, ut Paulus severe coarguit (Rom. 9, 22.) hominum peccata, conscientias valide urget, Deique iustitiam a sacrilegis hominum calumniis acerrime vindicat: ita, qui se in exitium praecipitant, non dissimulat fuisse vasa irae ad interitum praeparata. Reprobos quo digni sunt reatu Christus (Matth. 15, 13.) constringit. Simul tamen arbores esse dicit (Ioan. 17, 6.) Patris manu non plantatas. Denique Patrem eos, qui sui erant, Filio dare audimus, ut eos sanctificet. Contra Paulus, (Rom. 11, 7.) postquam electionem Dei consequutam esse docuit, reliquos omnes subiicit esse excaecatos. Perperam

Digitized by Google

ergo Georgius, qui, defixis in manifesta peccata oculis, reconditum corruptae naturae fontem non considerat.

Magna absurditate nos implicari putat Georgius, quod hominem facimus liberum ad peccandum, quum necessitate peccent reprobi. Atqui libertas ista de qua loqimur, quum illi nimium fuerit familiaris, non fuit satis nota. Manumissos ab obsequio iustitiae et liberos Paulus (Rom. 6, 20.) vocat, qui sine metu Dei intemperanter lasciviunt. An ideo sequitur, non esse peccato mancipatos? Calumniatur etiam, nos Dei potentiam vincire; quia, si praescit atque ordinat quod futurum est, nequeat postea mutare. Abominandum vero prodigium, si Deus instar mortalis hominis varium se et flexibilem mutandis in horas consiliis non praebeat. Quid enim tantopere improbat Monachus nisi Deum sibi necessario constare? Verum, in eo scilicet hallucinatur, quod fixa Dei placita a potestate distrahendo eum sibi dissidentem facit. Si Stoice loquendum esset, nota est Senecae sententia, Quod Deus sibi sit ipse necessitas. Nos magis reverenter et sobrie: quod semper idem vult, constantiae esse laudem: quod, quicquid decrevit, effectum reddit, omnipotentiae eius esse consentaneum: quod coniuncta est cum potentia voluntas, dignam illa rerum omnium moderatrice providentia esse symmetriam.

Non moror, quod diversa et nihil commune inter se habentia Scripturae testimonia coacervat. Quanquam, ut inscitiae parcamus, coërcenda eius protervia est, ne simplices conturbet. Postquam ex loco uno Pauli (2 Thess. 2, 11.) ostendit, mittere Deum operationem erroris rebellibus, ut credant mendacio, qui noluerunt obedire veritati; locum alterum (2 Cor. 4, 3.) dissimilem accumulat: doctrinam Evangelii obscuram esse iis, qui pereunt, quorum mentes excaecavit Deus huius seculi. Fateor quidem illos vocari incredulos; verum si in illis caecitatis causa est sola incredulitas, quid sibi vult quod mox sequitur, Deum, qui iussit ex tenebris lucem splendescere, illuxisse in cordibus fidelium? Ubique tenebras esse audimus, Deum vero ex tenebris fulgorem educere. Sed quod nos crudelitatis accusat, quod nobis et multis obstruimus salutis viam, quum Christus Chananaeam et oves perditas atque alienos canes tam benigne invitet: ego vero respondeo, Nos fidei et poenitentiae doctrinam, quae nobis commissa est, fideliter omnibus proponere, ut Christo lucrifiant omnes. Quum rogatus esset Dominus ipse ab uxore Zebedaei *), ut alterum ex filiis ad dexteram suam, alterum ad sinistram locaret, stultum et intempestivum votum compescere volens, praesenti quidem vocationi suae congruere hoc negat: neque tamen subticet, decretum cuique a Patre caelesti esse locum, et suo tempore patefactum iri. In hunc modum neque silentio nobis obruenda est superstitio, quae palam in Scriptura proditur; et tamen, quo usque reve-

*) Matth. 20, 21. Marc. 10, 17.



Digitized by Google

lationis dies advenerit, agendum quod Dominus mandat, ut sine exceptione ad poenitentiam et fidem omnes hortemur. Communis enim omnibus est doctrina; et hac lege apud nos deposita est, donec qui reprobi sunt deplorata obstinatione viam nobis obstruant.

Caeterum, quum praedestinationem tot Scripturae locis testatam admittere cogatur, novum cavillum ingerit, quo nihil stultius nec putidius fingi potest: Fideles novi Testamenti electos a Deo esse, quibus mysterii a seculis absconditi notas faceret divitias. In hunc sensum colligit testimonia omnia, quae excellentiam gratiae per Christum exhibitae commendant. Tandem concludit, Quicquid primo ad Ephesios capite habetur, non alio spectare, nisi quod fideles novi Testamenti Deus peculiari hoc thesauro dignatus sit. Quum autem ad tempus referatur haec gratia, a Christi adventu usque ad finem mundi omnibus peraeque communem esse docet. Atqui, longe aliam Pauli mentem ostendunt verba, quorum summa est, Illuminatos esse in fidem, qui secundum aeternum Dei beneplacitum ad vitam praedestinati fuerant. Quin tunc specialis fuerit quorundam vocatio, negari non potest. Ne omnibus quidem Evangelium promulgatum fuit. Verum ut detur, personuisse externa voce omnium aures, altiorem vocationem illic Paulus notat, qua in animos penetrat Dei Spiritus. Somnium narratur Georgio, quum interior et efficax vocatio ab externa discernitur. Sed quantum sit frivola eiusmodi distinctio, fidei experientia locuples est testis. Ad haec non alio vel sensu vel fine electionem tractat hoc loco (2 Thess. 2, 13.) Paulus, quam alibi, dum gratias agit Deo, quod Thessalonicenses ab initio elegerit in salutem. Atqui partem exiguam ab impia multitudine discernit. Excipiet Georgius, Electis opponi praefractos gratiae contemptores. Sed hoc nihil ad rem; quia non aliud in praesentia contendo, quam specialiter quosdam prae aliis electos esse, quum Georgius contra garriat, nos tantum in hoc praedestinatos esse, ut hoc tempore nasceremur. Quid Iudas? (Ioan. 13, 18.) Cui etsi Christum audire et domestica eius consuetudine frui datum est, electum tamen fuisse Christus negat. Non de omnibus loquor, inquit, ego scio quos elegerim. Quod si audiatur fanaticus iste, potior erit Herodis conditio, quam Davidis; et electionis honore sanctos Prophetas impii Scribae praecedent, dicet non esse ex numero fidelium. Atqui passim clamitat, generaliter in seculum competere electionis gratiam. Vult se fideiussore credi, Nunquam aliter Paulum de praedestinatione loquutum esse. Quid? An omnes suae aetatis homines complectitur, quum iustificari dicit, (Rom. 8, 29.) quos Deus praedestinavit? annon potius a communi ordine segregat, qui secundum propositum vocati sunt? Item, quum alibi (1 Cor. 1, 27.) dicit: Quae stulta sunt, elegit Deus, ut sapientiam mundi confundat; an ad totam aetatem extendet, in qua manifestum discrimen statuitur?

Digitized by Google

Quoniam tamen se adhuc impeditum teneri sentit, aliud asylum captat, quod non vocentur electi, quos Deus aliis praetulerit, sed qui in communi electione et gratia perseverant. Acsi diceret, Eos demum censeri electos, qui se fidei constantia ab hominum vulgo separant. Locum (1 Tim. 5, 21.) Pauli adducit: Testificor coram Deo et electis Angelis. Quasi vero illi concessum sit quod postulat, quia cum apostatis non desciverint, electionis gratiam esse promeritos. At si quis ex adverso asserat, Quia electi erant, perstitisse, quanto probabilius hoc erit? Ne sit pugna de verbo. Quum praedicit Christus, (Matth. 24, 24.) tantas fore Satanae fallacias, ut electi quoque, si fieri posset, in errorem inducantur: significat fieri nullo modo posse, ut electos vi sua abripiat Satan. Nunc qua virtute tutos esse dicemus? Staturos proprio robore Georgius somniat. Longe aliter Christus: (Ioan. 10, 29.) Nemo rapiet e manu mea quas suscepi custodiendas oves; Pater enim, qui dedit mihi, maior omnibus est; nec poterit quisquam eas rapere e manu Patris. Ita Paulus (1 Thess. 5, 24.) fideles minime in propriam constantiam recumbere iubet, sed fidelem esse Deum admonet, qui ipsos vocavit: qui idem efficiet. Suae quemque electionis auctorem et arbitrum facit Georgius; at Christus suos esse testatur, (Ioan. 15, 19.) quos e mundo ipse elegit. In quam sententiam clamat Paulus, (Rom. 8, 28.) Secundum propositum vocatis omnia cooperari in bonum. Et de infante nondum nato. (Rom. 9, 11.) Ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum esse: Iacob dilexi. Quid restat tandem, nisi ut garriat nebulo, Iacob utero adhuc inclusum sua industria electionis honorem sibi peperisse, et sua constantia stetisse in eius possessione ad extremum?

Tantundem habet rationis, quod reiectionem, de qua disputat Paulus, non ad singulas personas, sed ad totum Iudaici populi corpus spectare exponit, quia gens illa Christum respuendo vitae aeternae haereditate se privavit. Fateor equidem, hinc ortam fuisse disputandi causam. Sed inde nemo sanus colliget, quaestionem illis terminis finiri, quum et genus Abrahae ex electis pariter et reprobis mixtum esse doceat Paulus; et generaliter pronuntiet, ex genere humano partim irae partim misericordiae vasa ad illustrandam Dei gloriam proferri. Quod autem primam reprobationis originem in eo statuit, quod Evangelio increduli fuerint: causam hanc a Paulo diserte exprimi non inficior, postquam scilicet prius illud membrum de abditis Dei iudiciis absolvit. Distincte enim duo ab eo tractantur: Quod nunquam ita obstrictus fuerit Deus uni populo, quin libera eius electio in singulis vel cooptandis vel abiiciendis regnaret; deinde quod Iudaei sua ingratitudine se abdicaverint ex Dei familia, quum proprii essent aeternae vitae haeredes. Caeterum, ne quem perturbet varietas, quasi posterior haec reiectio arcanum Dei consilium labe-

Digitized by Google

factet, maturo occurrit Paulus, (Rom. 11, 29.) Dona et vocationem Dei poenitentia carere, ac proinde reliquias secundum gratuitam electionem servari. Quibus verbis stabilem et fixam manere, quae in abdito Dei consilio fundata est, electionem significat. Foedior etiam nebulonis impudentia in eo se profert, quod Esau ante reprobatum fuisse negat, quam primogenitura sua vendidit. Verbum certe Apostoli (Hebr. 12, 17.) agnosco, quod, quum se haereditate privasset, reprobatus est. Sed an superius illud iudicium abolet, quam tunc passus est, repulsa? Certe non magis, quam fides et obedientia Iacob, gratuitam Dei adoptionem evertit.

Quod initio praefatus sum, nunc iterum repeto: Nemini improbari posse quam exposui doctrinam, nisi qui supra Dei Spiritum sapere sibi videbitur. Nunc enim eo fastidii perveniet hominum morositas, ut, quod e Scriptura sumptum esse constat, placide libenterque amplecti non sustineant, quin sibi, quod Dei proprium est, arrogent: loquendi scilicet et tacendi legem imponere. Et tamen modestiae praetextu sepeliri quidem volunt, quod ab omnibus Dei servis proditum esse ne ipsi quidem negare audent. Ego vero non aliam modestiae legem novi, nisi ut, quod in caelestis Magistri schola didici, sobrie et reverenter profitear. Neque vero me latet, ut ad fidei aedificationem attemperentur omnia, prudentiam adhibendam esse. Sed quum id quoque bona fide praestare studuerim, si nondum placantur quorundam lautitiae, defunctum me existimo: qui habet aures audiendi, audiat.

## [DE PROVIDENTIA DEI.]

De providentia Dei verba facturus, qua non modo totam mundi machinam et singulas eius partes, sed cerda etiam actionesque hominum gubernat, ingens sylva occurrit. Sed quia argumentum hoc sic me tractasse iam confido, ut satisfactum magna ex parte sit sanis et aequis lectoribus, summam qua potero brevitate nunc adstringam. Nec vero sperandus est a me orationis splendor, qui illius magnitudini et praestantiae respondeat: Nudis tantum verbis quae uberius in mea Institutione exposita fuerunt nunc referam; et si qua opus testimonia habebunt, probationem ex Scriptura attexam; tum sinistras malignasque Pighii et similium obtrectationes, quibus bene dicta male corrumpunt, ita diluam, ne quid pias mentes impediat vel conturbet.

Providentiam vocamus, non qua Deus e caelo otiosus speculetur quae in mundo fiunt, sed qua mundum a se conditum gubernat, ut non unius tantum momenti sit opifex, sed perpetuus moderator. Sic providentia, quam Deo tribuimus, non minus ad manus quam ad oculos pertinet. Iam dicitur providentia sua mundum regere, non modo quia propositum a se naturae ordinem tuetur, sed quia peculiarem uniuscuiusque ex suis creaturis curam habet ac gerit. Est hoc quidem verum: sicuti admirabili

Digitized by Google

Dei sapientia tam pulchre dispositum fuit mundi opificium, ita nisi quatenus praesenti eius virtute sustinetur non posse manere in suo statu. Quod sol quotidie nobis oritur, quod in cursu tam rapido gradus habet tam apte temperatos, quod astrorum mire digesta series non turbatur, quod continuae recurrunt temporum vices, quod viscera sua quotannis ad homines alendos terra aperit, quod elementa et singulae partes officium facere non desinunt, quod denique naturae foecunditas nunquam deficit quasi fatigata: id non nisi directrice eius manu, qui semel omnia condidit, fieri putandum. Et Psalmus 104. nihil aliud continet, quam universalis huius providentiae elogium. Eam similiter praedicat Paulus, quum dicit, (Actor. 17, 28.) In ipso nos esse et moveri et vivere. Quare sicuti Dei unius propria est essentia, ita fide consideranda est occulta, quam inspirat, vegetatio: qua fit, ut subsistant, quae alioqui mox interirent, creaturae.

Sed universalis providentiae notitia per se vaga et confusa esset, nisi simul teneamus, Deum singulas creaturas cura sua complecti; quemadmodum et Christus docet, (Matth. 10, 29.) passerculum, qui dimidio asse vaenit, non cadere in terram sine Patris voluntate. Nunc in ista speciali providentia, quae curandis singulis Dei operibus privatim excubat, certos et distinctos gradus statuere convenit. Nam quum nobilissimum Dei opus sit homo, in cuius gratiam conditum est quicquid caelum et terra continent, Scriptura praecipue nobis in gubernando genere humano Dei providentiam commendat. Paulus dum locum illum exponit: (1 Cor. 9, 9.) Non obligabis os bovi trituranti; boves Deo curae esse negat, quod scilicet illic non resideat cura eius tanquam in sua meta, sed in hominem potius respiciat. Hic autem, quia Deo cum hominibus ratione praeditis negotium est, certior et magis dilucida se profert eius providentiae ratio. Mirifica enim eius iudicia nunc in sceleribus puniendis, nunc in erudiendis ad patientiam fidelibus domandaque eorum carne, nunc in purgandis mundi vitiis, nunc in expergefaciendo multorum torpore, nunc in conterenda impiorum superbia, nunc in astu sapientum ridendo, nunc in pravis machinationibus diruendis se proferunt. Ex altera parte incomparabilis eius bonitas in iuvandis miseris, in protegenda asserendaque innocentium salute, in ferendo rebus desperatis auxilio relucet. Huius providentiae, quae homines respicit, pulchra descriptio habetur Psalmo centesimo septimo. Illic enim ostendit Propheta, quae vulgo aestuariae putantur fortunae vices adeo non volvi caeco impetu, ut dilucida sint vel bonitatis vel irae vel iustitiae Dei specula. Quare tandem concludit, Si prudenter reputentur quae subinde in mundo fiunt rerum conversiones, piis fore laetitiae materiam, satis autem ad os iniquis obstruendum tale operum Dei specimen valere.

Caeterum hic rursum digerendi sunt gradus. Quamvis enim se toti humano generi et patrem et iudicem Deus ostendat, quia

Digitized by Google

tamen Ecclesia sanctuarium est in quo residet, illic clarioribus documentis praesentiam suam exserit, illic officium facit patris familias et eam propiore adspectu, ut sic loquar, dignatur. Referta est eiusmodi testimoniis Scriptura, quae Deum pro suis fidelibus intentiores agere excubias affirmant. Oculi Domini sunt super iustos. (Psal. 33, 21. et 96, 10.) Custodit Dominus animas sanctorum suorum. (1 Petr. 5, 7.) Illi cura est de vobis. Capilli capitis vestri numerati sunt *). Denique Ecclesia propria est Dei officina, in qua suam providentiam exercet, et praecipuum eiusdem providentiae theatrum. Qua ratione etiam dicitur Angelos, qui sunt veluti eius manus, specialiter destinasse fidelibus suis custodes, ne a Christi corpore, cuius ipsi quoque sunt membra, quicquam seperatum habeant. Itaque, ut pro captu rudium crasse agamus, primo loco statuenda est ante oculos generalis mundi gubernatio, qua foventur et vegetantur omnia, ut stet incolumis naturae eorum status. Deinde considerandae sunt in singulis partibus regendis et curandis Dei excubiae, et quidem tales, ut nihil nisi nutu arbitrioque eius eveniat. Tum peculiaris generis humani cura in mentem nobis venire debet: qua fit ut vita et mors hominum, tam publica regnorum et gentium quam privata cuiusque conditio, et quicquid fortunae adscribi solet, ab una caelesti moderatione pendeat. Ultimo praesidium vere paternum, quo Ecclesiam suam tuetur, cui praesentissima Dei ipsius virtus annexa est.

Porro, quanta sit et quam multiplex huius doctrinae utilitas, nullis verbis pro dignitate satis exprimi potest. Verum, Dei providentiam in mundo gubernando, qualis in Scriptura nobis traditur et agnoscitur fidei sensu, nemo utiliter expendet, nisi qui, sibi cum fictore suo rerumque omnium opifice negotium esse reputans, metum et reverentiam tantae maiestatis, qua decet humilitate, primum se submiserit. Nam si aequalibus quisque suis tantum honoris habere solet, ut candide modesteque de eorum factis iudicet, ubi quid obscurum est vel non satis cognitum, sensum non minus quam sedulo inquirat, et iudicium suspendere malit, quam nimis properando iniuriam facere: an non plus quam immanis, obsecro, ista est feritas, maiore licentia tum opera Dei ad calculum nostrum vocare, tum de incognitis praecipitem ferre sententiam, tum arcana eius consilia excutere, tum profano more de tantis et procul adorandis mysteriis nugari? Atqui, quum omnibus seculis grassata fuerit haec petulantia, multo insolentius hodie, quam antehac unquam, se iactat. Ac multi quidem Epicurei, quia Deum nequeunt e caelo detrahere, quod gigantum exemplo libenter tentarent ut saltem eius cultum et quicquid est religionis ex suis et omnium conscientiis deturbent, foedas et indignas blasphemias vomendo impium suum furorem produnt. Sed

*) Matth. 10, 30. Psal. 34, 8.

Digitized by Google

in maiori parte hunc mali fontem esse constat, quod leves et fervidi spiritus frivolae suae curiositati primum indulgent, ut nullo fine sibi proposito totos se addicant supervacuis speculationibus. Accedit deinde effraenis audacia, quae linguas ad aequandam sua petulantia illam intemperiem stimulat. Alii laborant quidem diverso vitio, sed non minus noxio. Nam se implicantes absurdis deliriis mentes suas obruunt voluntaria aut desperatione aut socordia. Istae scilicet diaboli sunt artes: involvere prodigiosis figmentis piam sanamque doctrinam, quibus non modo eius fructum nobis praeripiat, sed partim eam odiosam partim exitialem reddat. Verum quicquid moliatur ille, facessat tamen a nobis praepostera quorundam cautio, qui, ut talibus periculis occurrant, non aliud inveniunt compendium, nisi ut corrumpant vel obscurent quod simpliciter in Scriptura proditum est.

Longe aptius remedium est: quomodo et in quem finem consideranda sit Dei providentia, tenere. Prior finis est, ut nos temeraria confidentia exutos tum in Dei timore contineat tum ad invocationem expergefaciat. Alter vero, ut, sedatis tranquillisque animis, in Deum recumbere, et quae nos circunstant pericula nobisque assidue centum mortes minantur, secure fortiterque contemnere doceat. Utrumque membrum breviter exponam. Qui fortuitum aliquid imaginantur, vel industriae suae, consiliis, opibus, humanis auxiliis quidpiam arrogant: audacius ad tentanda omnia feruntur, satagunt, versant se in omnes partes, nullum non movent lapidem, subinde novi aliquid excogitant; quasi libero spatio soluti vagantur; nulla interim Dei invocatio, nullus metus. Qui vero Dei providentia homines eorumque consilia et rerum eventus gubernari agnoscet, trepide cum Ieremia (Ierem. 10, 23.) dicet: Scio Domine, non esse hominis viam eius, neque viri ut dirigat gressus suos; item illud Solomonis (Prov. 20, 24.) reputans: A Domino sunt gressus viri, et quis hominum disponet viam suam? totum se Domino tradet, atque ab eo pendebit. Ultro sequentur preces, ut Deus nobis quiescentibus inchoet ac perficiat, quicquid aggredimur operum. Similiter qui fortunae imperium comminiscetur, ut diabolo, impiis et brutis animalibus fraena laxabit, quasi praeter Dei nutum et moderationem quicquam possint vel agant: misera anxietate semper aestuabit, vitam suam quasi de filo pendentem adspiciens torquebitur, pedem vix movere audebit quin de vita sua desperet: fideles vero, dum sibi manum Dei moderatricem proponent, curas suas non dubitabunt in eum coniicere. Dum certo statuent, diabolum et impios omnes, quantumvis tumultuentur, non tantum ligatos Dei compedibus teneri, sed etiam cogi ad praestanda illi obsequia: quieti per vias suas pergent.

Nonnihil etiam lucis addent duae aliae distinctiones: prior est, Quod tam in praeteritum quam futurum tempus consideranda sit Dei providentia; altera, Interdum cum suis mediis, interdum sine mediis,

Digitized by Google

interdum contra omnia media summam illi potestatem asserendam esse, ut ordinet constituatque omnia. Talis praeteriti temporis sit consideratio, Si quid prospere et ex voto successit, non sacrificet mortalis homo reti suo, quemadmodum loquitur Habacuc; neque suam prudentiam, virtutem vel fortunam efferat, neque acceptum ferat hominibus vel creaturis quod Dei proprium est; sed Deum sibi persuadeat eius boni primum esse auctorem, undecunque provenerit. In rebus autem adversis in hac consolatione acquiescat: Sicut Domino placuit, ita factum est; contra Deum tumultuando nec quicquam proficiam, et me obstringam impiae contumaciae reatu. Tum vero anteactae vitae subeat memoria, ut ex poenis sibi inflictis peccata sua agnoscat. In tempus futurum hoc modo reputanda est piis mentibus Dei providentia, ut semper ad eius promissiones ac minas intentae sint, quia, simulatque inde deflexerint, nulla restabit ad Dei timorem eruditio, nullus fidei profectus. At vero qui Dei omnipotentiam in speculo verbi eius intuebitur, tum promissionibus eius fretus supra innumera mundi pericula se fidei alis eriget, tum minis subactus se coram totidem ferulis humiliabit. Quod cum suis mediis considerandam esse dixi Dei providentiam, hunc habet sensum: Si quis in extremo discrimine laborantibus opem tulerit, non humana est sed divina per manum hominis liberatio. Sol oritur quotidie, sed Deus est qui orbem terrae illustrat. Producit terra fruges, sed Deus est qui panem suppeditat et pani inspirat vigorem ad nos alendos. In summa, quum inferiores causae tanquam vela Deum e conspectu nostro subducere ut plurimum soleant, fidei oculo altius penetrandum est, ut Dei manum in his organis operantem cernat. Absque mediis quomodo locus dandus sit providentiae Dei, exemplo suo Christus (Matth. 4, 4.) docuit, quum Satanae insultum hoc clypeo repelleret: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur ex ore Dei. Nam quia virtutem Dei sciebat nullius externi adminiculi indigam esse, tam sine pane suffecturam colligit, quam se benigne exerit per panem. Cavendum itaque, ne inferioribus mediis ita simus affixi, quum Dei manus omni subsidio nudata per se nobis abunde sufficiat. Contra media, quam meretur gloriam apud nos obtinet Dei providentia, quum, illam obstaculis omnibus superiorem fore persuasi, cunctas formidines hac una fiducia vincimus. Atque haec vera est palaestra, in qua fidem nostram Deus exercet, quum totidem se obstacula ingerunt ad impediendum eius consilium, quot sursum et deorsum apparent in caelo creaturae. Quid autem tunc agendum? Nempe si ad divinae potentiae altitudinem conscendat fides, omnia, quae contra niti videntur agendi media, non magno negotio expugnabit.

Quisquis se intra has metas continuerit, nec tortuosis speculationibus se impediet, nec, quia divinitus omnia fieri audiet, inde praetextum captabit ignaviae, nec desperatione concidet, nec ad frivolas nugas devolabit et Dei maiestate indignas. Nunc tamen

Digitized by Google

propius excutienda est quaestio, unde exoriuntur pugnae. Non quod Dei providentia rite, ut decebat, cognita eas ex se gignat; sed quia in reputandis Dei operibus humana ratio, quum caecutiat, simul ad rixandum prosilit. Quanquam mirum non est, si carni parum consentanea sint Dei consilia, quae ex caelorum altitudine Angeli suspiciunt. Sed hoc vitium minime tolerabile, quod nos, quibus humi reptare vix datum est, nihil probamus, nisi quod tanquam oculis nostris subiectum despicere liceat. Caeterum, ut fructuosa sit doctrina, tum rudes et imperitos placare tum improborum calumnias refellere operaepretium est. Primo loco videndum est, quomodo Dei voluntas rerum omnium, quae in mundo geruntur, causa sit, neque tamen malorum auctor sit Deus. Non dicam cum Augustino, quod tamen ut vere ab eo dictum libenter amplector, In peccato sive in malo nihil esse positivum. Est enim argutia, quae multis non satisfaceret. Sed aliud mihi principium sumo: Quae perperam et iniuste ab hominibus fiunt, eadem recta et iusta esse Dei opera. Hoc si prima specie quibusdam esse paradoxum videtur, saltem ne sint ita fastidiosi, quin paulisper mecum sustineant ex verbo Dei inquirere, quid sentiendum sit. Caeterum, ne quicquam stulta pertinacia tueamur quasi Dei proprium, quod illi temere ex sensu nostro affictum fuerit: primum audienda est Scriptura, imo tota inde operum Dei petenda est definitio.

Quod Deus suo consilio dirigat, quae maxime videntur fortuita, clare Scriptura testatur, quum dicit: (Prov. 16, 33.) In sinum coniici sortes, iudicium vero earum exire a Domino. Similiter si ramus ex arbore defractus aut securis e manu hominis praeter consilium elapsa caput transeuntis illidat, Moses testatur (Deut. 19, 5.) hoc Deum consulto fecisse, quia hominem occisum voluerit. Alia Scripturae testimonia consulto nunc praetereo, quia rem tantum digito monstrare propositum est. Sed quia Stoica necessitas hoc modo statui videtur, multis odiosum est dogma, etiam qui pro falso damnare non audent. Vetus ista calumnia fuit, qua se Augustinus iniuste fuisse gravatum alicubi (Lib. 2. ad Bonif. c. 5.) conqueritur; nunc obsoletam esse decebat. Certe hominibus probis et ingenuis, si modo iidem docti sint, valde indigna est. Qualis fuerit Stoicorum imaginatio, notum est. Fatum suum texebant ex Gordiano causarum complexu, in quem quum Deum ipsum involverant, fabricabant aureas catenas, ut est in fabulis, quibus Deum vinciront, ut subiectus esset inferioribus causis. Stoicos hodie imitantur Astrologi, quibus fatalis ex stellarum positu dependet rerum necessitas. Valeant igitur cum suo fato Stoici; nobis libera Dei voluntas omnium sit moderatrix. Sed contingentiam tolli ex mundo, videtur absurdum. Omitto quae in scholis usitatae sunt distinctiones. Quod afferam, simplex, meo iudicio, et minime coactum erit, deinde ad vitae usum accommodatum. Sic evenire necesse est, quod statuit Deus, ut tamen neque praecise

Digitized by Google

neque suapte natura necessarium sit. Exemplum in Christi ossibus familiare habeo. Christum corpus induisse prorsus nostro simile, Scriptura testatur. Quare fragilia illi ossa fuisse, fateri nemo sanus dubitabit. Sed alia mihi videtur ac separata quaestio, An ullum os eius frangi potuerit. Nam integra omnia et illaesa manere, quia fixo Dei decreto ita statutum erat, necessario oportuit. Nec vero, quod a receptis loquendi formis de necessitate secundum quid et absoluta, item consequentis et consequentiae, abhorream, ita loquor; sed ne qua lectores argutia impediat, quin agnoscat vel rudissimus quisque verum esse quod dico. Ergo si in Christi ossibus naturam consideres, fragilia erant; sin vero illud Dei decretum, quod suo tempore manifestatum fuit, nihilo magis fracturae obnoxia erant, quam humanis aerumnis Angeli. Iam vero quia divinitus positum naturae ordinem intueri nos decet, contingentiam, quoad sensum nostrum, minime reiicio.

Ac memoria tenendum est, quod ante posui, ubi Deus per media et inferiores causas virtutem suam exerit, non esse ab illis separandam. Temulenta est ista cogitatio: decrevit Deus quid futurum sit, ergo curam ac studium nostrum interponere supervacuum est. Atqui, quum nobis quid agendum sit praescribat, et virtutis suae organa nos esse velit: fas nobis esse ne putemus separare quae ille coniunxit. Initio terram sine humana arte et cultura omne herbarum et frugum genus iussit producere, nunc autem manum hominis adhibet per quam operetur, si quis otioso hiatu velle se panem excipere iactet, quia benedictio Domini foecundet terram; at non pedibus magis calcabit Dei providentiam, quam tali praedicatione efferet. Discerpit enim ac lacerat, quae sacro inter se nexu cohaerent. Ergo quantum ad futurum tempus, quia nos adhuc rerum eventus latent, perinde ad officium suum intentus esse quisque debet, acsi nihil in utramvis partem constitutum foret. Vel, ut magis proprie loquar, talem in omnibus, quae ex Dei mandato aggreditur, successum sperare debet, ut in rebus sibi incognitis contingentiam cum certa Dei providentia conciliet. Et benedictionem suam Dominus manuum nostrarum labori promittit. Hac voce pius vir se divinae providentiae organum constitui agnoscet. Hac eadem promissione fretus alacriter ad opus se accinget, quia persuasus erit, non fortuitam se operam in aëre iacere, quae in Dei verbum recumbens arcano eius consilio in optimum finem dirigetur. Denique, sicut providentia Dei rite expensa manus nostras non ligat, ita invocationem adeo non impedit, ut potius stabiliat. Si quid iam acciderit, simili in tempus praeteritum sobrietate iudicia nostra temperari convenit. Nulla ad patientiam aptior exhortatio, quam dum audimus, nihil fortuito contigisse, sed quod Domino visum est, fuisse impletum. Interea non sequitur, quin rerum adversarum culpam vel ignavia nostra vel temeritas vel incogitantia vel aliud vitium merito sustineat. Quod si de causis eventuum non liqueat, ut saepe videntur quae

Digitized by Google

accidunt praeter rationem accidere: tamen ne sic quidem desinent piae mentes et sapientiae et iustitiae laudem tribuere Deo.

Verum, ubi interveniunt hominum consilia, voluntates, studia, conatus, plus in eo est difficultatis, quomodo illic quoque regnet Dei providentia: non modo ne quid geratur nisi ex eius nutu, sed etiam ne quid deliberando agitent homines, nisi quod ipse inspirat. Edit quidem in eo quotidie praeclara suae providentiae documenta, quum stultis hominum consiliis fraena laxans, imo dissimulans ad eorum apparatus, eventu tandem eos frustratur. Sed in alio genere potentem eius manum et dominationem celebrat Scriptura, quum impios infatuat, quum vertigine percutit, quum dementat et obstupefacit eos, similiter quum eorum corda effoeminat et pavore replet, ut ad folii cadentis strepitum concidant. Parum ergo considerate Pighius, dum in istas angustias concludit Deum, ut tanquam vir prudens et dux rei militaris peritus hostium suorum consilia praevidens in contrarium tempestivis remediis vertat. Quasi vero non utrumque diserte exprimatur: Quod deprehendat sapientes in astutia sua et auferat spiritum principum ac eorum prudentiam evanescere faciat. (Lib. 8. cap. 3.) Nimis crassa etiam inscitia est, dum negat Dei voluntate mori, qui consulto ab homine occiditur, quia, ubi intercedit hominis voluntas, Deus agere non iudicatur. Quid ergo de innumeris Scripturae testimoniis fiet, quae gladios impiorum Dei manu regi testantur? An sine hominum consilio occisi sunt filii Heli? (1 Sam. 4, 11.) Atqui, adscribitur elogium, quod voluerit Dominus occidere ipsos. Caeterum, quin perpetuo gubernet Deus hominum manus, nunc ligatas teneat, nunc flectat huc et illuc ad exequendum quod statuit, quicunque mediocriter in Scriptura exercitati sunt, non vocabunt in controversiam. Imo communi fere omnium sensu receptum est, quicquid moliantur homines, eventum in manu Dei esse. Sed quia in tam densa humanae mentis caligine perquam tenuis et fere evanida est illa cognitio: Scriptura altiorem nobis speculam aedificat, e qua Deum contemplemur omnia hominum opera sic moderantem, ut in finem a se destinatum applicet.

Summa autem huc redit: Quamvis homines, ut indomitae bestiae nullisque vinculis coërcitae, lasciviant; arcano tamen fraeno gubernari, ut ne digitum quidem movere queant, nisi ad exequendum Dei magis quam suum opus. Nam fideles, qui spontaneum illi obsequium impendunt, non secus atque Angeli, manus eius censendi sunt. Quare eos potissimum hic commemoro, quibus nihil minus propositum est, quam habere quicquam vel consilio Dei affine vel consentaneum eius voluntati. Ac sibi quidem quasi votorum compotes plaudunt impii. Sed res tandem comprobat, per ipsos, licet inscios ac nolentes, quod divinitus ordinatum fuerat, esse impletum. Porro Deus ipse nunc impiis ad punienda hominum peccata tanquam flagellis utitur; nunc, quasi obtorto collo eos traheret, beneficentiae suae ministros esse cogit. Prioris

Digitized by Google

membri exempla colligere, immensi operis foret. Pauca tantum attingere praestiterit. Postquam Deus Assyrium ad bellandum incitans virgam furoris sui vocavit, (Iesa. 10, 5.) nec alio quam irae suae baculo armatum esse docuit, postea in eius superbiam invehitur, quod se non agnosceret veluti securim vel serram aliunde agitatam. Hac ratione et sanctificati a Deo et conductitii eius milites dicuntur, et operam illi navare, quos ambitio alioqui sua et crudelitas et avaritia impellit; et Dominus vicissim sibilo vel classico se eos ad arma vocare testatur. Divinae beneficentiae viam parari hominum maleficiis, vel unus Mosis locus satis clare demonstrat. Plusquam scelerata, perfida et crudelis fuerat conspiratio fratrum Ioseph, quum eum venderent. Atqui, in Deum transcribit, sed alio respectu venditionis huius causam: Non vos estis, sed Dominus qui me praemisit, ut vos alerem. Constat ergo, quum impie agerent, per eos tamen operatum esse Deum, ut vitam in morte invenirent. Quantum in ipsis erat, occiderant fratrem. Inde illis vita affulget. Idem in scelerum omnium principe et impiorum capite, Satana, perspicere est. (1 Reg. 22, 23.) Eum Deus ad decipiendum Achab cum suo mandato dimittit, ut sit spiritus mendax in ore omnium Prophetarum. Ita spiritus impostor irae Dei minister est ad excaecandos impios, qui veritati obtemperare noluerant. Contra vero Paulus datum sibi carnis stimulum memorat nuntium Satanae, a quo caedatur colaphis. Hic Satanae venenum ad curandum superbiam antidotum est. Qualis, obsecro, medicus Satan, qui nihil quam perdere et occidere didicit? Verum Deus, qui semel iussit e tenebris lucem splendere, (2 Cor. 4, 6.) ex inferis ipsis, cum ita visum est, salutem mirabiliter educit, atque ita tenebras convertit in lucem. Caeterum quod operatur Satan, Scriptura Dei opus alio respectu affirmat, quatenus scilicet ipsum Deus suae providentiae obsequio illigatum tenens, quo visum est, flectit, ut eius operam ad usus suos applicet.

Quanquam si non alium agendi modum exprimeret Scriptura, nondum adeo difficilis esset ad solvendum nodus. Magis ardua est altera quaestio: agatne Deus in cordibus hominum, consilia dirigat, huc illuc flectat eorum voluntates, ne quid agant nisi quod ipse ordinavit. Non quaerimus hic, an pios sanctosque affectus in cordibus suorum operetur, quia controversia caret; sed an pravos quoque impiorum affectus in potestate sua habeat, flectat huc vel illuc, ut velint quod per ipsos perficere decrevit. Certe cum Solomon pronunciat, (Prov. 21, 1.) in manu Dei esse cor regis, ut quocunque visum fuerit ipsum inclinet, generaliter ostendit, non minus voluntatem, quam externa opera, Dei arbitrio regi. Obduratum ab eo cor Pharaonis dicit Moses. (Exod. 4, 21. et 7, 3.) Frustra hic ad permissionem confugitur, quasi Deus fecisse dicatur, quod fieri tantum passus est. Clare enim duritiem illam Dei opus fuisse Moses affirmat. Nec sane alio sensu hic Dei consilio adscribitur Pharaonis saevitia, quam alibi gratiam dare populo suo

Digitized by Google

dicitur in oculis Aegyptiorum. Quis enim non videt cicuratas fuisse Dei virtute et mansuefactas truces bestias, cum ad clementiam flexi repente sunt Aegyptii? Unde ergo factum dicemus, ut tam inhumaniter Pharao saeviret, nisi quia partim ad probandam suorum tolerantiam partim ad exercendam suam virtutem ita Domino placuit? Eadem ratione dicitur, (Psal. 105, 25.) vertisse hostium corda in odium populi sui. Nec obstat, quod dicitur alibi (Exod. 8, 32.) Pharao ipse cor suum aggravasse: quando neque extrinseco motu impelli fingimus hominum animos, ut violenter ferantur, neque in Deum transferimus indurationis causam, acsi non sponte propriaque malitia duri et immites seipsos ad pervicaciam acuerent; sed quod perverse homines faciunt, non nisi Deo ordinante fieri Scriptura docet. Quemadmodum alibi (Iosuae 11, 20.) dicitur, quod incolae Gibeon se Israëli opposuerint a Domino fuisse, qui obstinavit cor eorum.

Modum quoque exprimit Scriptura, quum uno in loco (2 Sam. 24, 10.) recitat Deum populo iratum cor Davidis incitasse, ut populum numeraret; in altero Satanam facit eiusdem instigationis auctorem. Unde intelligimus, Satanam irae Dei flabellum esse, ut corda hominum quocunque voluerit Deus impellat. Quod expressius alibi (1 Sam. 16, 23.) habetur: Invasit Saulem Spiritus Domini malus. Scelere quidem suo agitur Saulus, ut furorem intus conceptum voluntario modo egerat. Eum nihilominus impellit Satan, neque id Deo per otium speculante, sed ita volente. Alioqui improprie Spiritus Domini malus diceretur, nisi ad exequendam eius vindictam minister esset ac carnifex. Nec vero ideo tantum irae Dei minister, quod animos ad malas cupiditates sollicitet, sed quia efficaciter trahat. In quem sensum Paulus (2 Thess. 2, 11.) efficaciam erroris divinitus immitti asserit, ut mendacio credant, qui noluerunt veritati obedire. Vides ut non modo Dei mandato Satan in ore Prophetarum omnium spiritus sit mendax, sed eius imposturae reprobos illaqueent, ut ratione privati in errorem necessario trahantur. Sic intelligendum quod idem Paulus tradit, qui Deo ingrati fuerant, dari ab ipso in reprobum sensum, et tradi in cupiditates foedas et ignominiosas, ut faciant, quae non conveniunt, et probris afficiant sua corpora. Augustinus ait: non permissu quiescentis Dei, sed iusto eius iudicio cordis cupiditatibus fuisse addictos, qui gloriam eius indigne profanarunt. Quomodo id factum sit, declarat locus ille, quod illis Deus mittit efficaciam erroris. Unde perspicuum fit, quod iam attigeram, non minus interiores affectus regere Dei manum, quam externis actionibus praeesse; neque Deus, quae decrevit, hominum manu perficeret, nisi in ipsorum cordibus operaretur ipsum velle, quod operis effectum praecedit. Tenenda igitur Augustini sententia: (Lib. 1. de praedest. Sanct. cap. 20.) quum vult fieri Deus, quod non nisi volentibus hominibus fieri oportet, eorum simul corda inclinare, ut velint, ipsumque non tantum auxiliando in cordibus

Digitized by Google

agere, sed etiam iudicando, ut impleant, quibus nihil tale propositum est, quod manus eius et consilium decrevit. Prudenter etiam in ipsis naturae seminibus considerandum proponit, (Lib. 1. de pec. mer. et remiss. cap. 22.) a quo multi tantopere abhorrent. Tanta enim quae in hominum ingeniis cernitur diversitas, quum divinitus sit illis indita, arcanae illius operationis, qua corda regit ac movet, luculentum est specimen.

Hinc certe iam colligere promptum est, quam inane et fluxum sit illud divinae iustitiae patrocinium, Quae mala sunt, non eius voluntate, sed permissu duntaxat fieri. Equidem quatenus mala sunt, quae malo animo perpetrant homines, ut statim plenius exponam, Deo minime placere fateor; sed quod otiosum ea permittere fingunt, quae Scriptura non tantum eo volente sed auctore fieri pronunciat, nimis frivolum est effugium. Dedit hoc interdum Augustinus receptae loquendi consuetudini; (Cap. 3.) sed quum pressius insistit et magis exacte rem examinat, nullo modo patitur, in locum actionis permissionem substitui. Non referam ad verbum omnia quae hac de re libro contra Iulianum quinto disputat. Clausulam apponere sufficiet. Facit haec miris et ineffabilibus modis, qui novit iusta iudicia sua non solum in corporibus hominum sed etiam in cordibus operari. Qui non facit voluntates malas, sed utitur eis ut voluerit, quum aliquid inique velle non possit. (De grat. et libero arbitrio ad Valent. cap. 20.) In eundem sensum alibi Scriptura, si diligenter inspicitur, ostendit non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, et bonas a se factas in actus bonos et in aeternam dirigi vitam; verum etiam illas, quae conservant seculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut eas quando voluerit et quo voluerit faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam praestanda vel ad poenas quibusdam ingerendas. Tandem attexit, (Cap. 20.) Quis non ad ista iudicia contremiscat, quibus agit Deus etiam in cordibus malorum quicquid vult, reddens eis tamen secundum merita eorum? Iterum Scripturae testimoniis satis manifestum est, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia sive ad mala pro meritis eorum, iudicio utique suo, quandoque aperto, quandoque occulto, semper autem iusto: fixum enim in cordibus vestris esse debet, quod non sit iniquitas apud Deum. Cur autem occultum quandoque Dei iudicium esse commemoret, ex superiore loco petenda ratio est, ubi, postquam saepius peccata confessus est esse poenas quas Deus iuste prioribus peccatis rependit, tandem ad illud altius magisque reconditum arcanum conscendit: quod iustam excrcendae irae suae materiam Deus in omnibus inveniat, nisi quos gratis elegit. Nam caeteri, inquit, mortales, qui ex isto numero non sunt, et ex eadem quidem massa, ex qua et isti, sed vasa irae facti sunt, in utilitatem nascuntur electorum. Non enim quenquam eorum Deus temere ac fortuito creat, aut, quid de illis

Digitized by Google

boni operetur, ignorat, quum et hoc ipsum bonum operetur, quod in eis humanam creat naturam et ex eis ordinem seculi exornat. Cur formidine et pavore nunc corda hominum consternet nunc instruat audacia, cur auferat spiritum principibus et sapientum consilia infatuet, cur spiritu temperantiae donet alios, spiritum vertiginis et furoris aliis propinet: causam aliquando notam et conspicuam assignat; sed occultum eius iudicium dominari, ut voluntates quas visum est convertat, aeque apparet, quando communis omnibus natura est, non gratia, ut alio loco (de ver. apost. serm. 11.) vere admonet idem sanctus vir.

Haec probe et sobrie reputanti minime dubium erit, summam et praecipuam rerum omnium causam esse Dei voluntatem. Qua etiam notitia fraenari mentes nostras convenit, ne plus quam fas est quaerendo intemperanter lasciviant. Durum primo statim auditu videtur illud Augustini, (Lib. 6. de gen. ad liter. c. 15.) quod Dei voluntas sit rerum necessitas. Item quod subiicit (Cap. 18.) explicandi gratia, quod sic causas inferiores condiderit Deus, ut ex illis esse illud, cuius causae sint, possit, sed non necesse sit; altiores autem et remotas sic in se absconderit, ut ex eis esse necesse sit, quod ex illis fecit, ut esse possit: sed attentius rem consideranti asperitas illa facile mitescet. Nam quod alibi (Lib. 9. eiusdem operis c. 18.) tradit, etsi verbis diversum, re tamen et sensu prorsus idem est: quod tamen nihil in se offensionis continet. Habet in seipso Deus absconditas quorundam factorum causas, quas rebus conditis non insernit: eas implet, non illo opere providentiae, quo naturas substituit ut sint, sed quo eas administrat prout voluerit, quas prout voluit condidit. Ibi est gratia, qua salvi sint qui perditi erant. Quid enim verius, quam Deum in creaturis regendis plus aliquid apud se habere reconditum, quam earum naturis indiderit? Atqui omnium, quae geruntur, prima causa ideo censetur eius voluntas, quia naturas a se conditas arbitrio suo ita regit, ut cuncta hominum consilia et actiones in finem a se praefixum destinet. Porro hac doctrina fraenum nobis iniici, quod sub modestia nos contineat, non immerito dixi: quia nimis absurdum est Dei voluntati, quae omnibus causis superior est, non cedere nisi manifesta eius causa appareat.

Memoria quidem repetendum est quod ante dixi: nihil nisi optima ratione facere Deum; sed quia certissima iustitiae regula est eius voluntas, nobis praecipua, ut ita loquar, rationum omnium ratio esse debet. Nam fidei humilitas, quum ex divinae iustitiae reverentia nascatur, minime stupida fingenda est. Quis enim, nisi persuasionem hanc penitus animo infixam habeat, iustum esse Deum et recta eius opera, in solo eius placito acquiescet? Itaque Sorbonicum illud dogma, in quo sibi plaudunt Papales Theologastri, detestor, quod potentiam absolutam Deo affingit. Solis enim lucem a calore avellere, imo suum ab igne calorem, facilius erit, quam Dei potentiam separare a iustitia. Facessant ergo procul



Digitized by Google

a piis mentibus monstrosae illae speculationes: plus aliquid Deum posse, quam conveniat, vel eum sine modo et ratione quicquam agere. Nec vero commentum illud recipio, Deum, quia lege solutus sit, quicquid agat, reprehensione vacare. Deum enim ex lege qui facit, maxima eum gloriae suae parte spoliat, quia rectitudinem eius ac iustitiam sepelit. Non quod legi subiectus sit Deus, nisi quatenus ipse sibi lex est. Talis enim est inter potentiam eius ac iustitiam symmetria et consensus, ut nihil ab ipso nisi moderatum, legitimum et regulare prodeat. Et certe quem omnipotentem praedicant fideles, eundem simul mundi iudicem agnoscant necesse est, ut potentiam sensu suo apprehendant, iustitia et aequitate temperatam.

Nondum tamen soluta est obiectio: Si Dei arbitrio geruntur omnia, nec quicquam homines nisi eo volente et ordinante designant, esse igitur malorum omnium auctorem. Vera est illa, quae pridem in scholis obtinuit, et passim celebratur distinctio: malum poenae, non culpae, a Deo proficisci, modo dextre intelligatur; sed imperite quidam, acsi verbulo uno rem, de qua agitur, obruere liceret, hoc ipsum, de quo maxime ambigitur, secure praetereunt: quomodo extra culpam sit Deus in eodem opere, quod in Satana et reprobis tam damnat ipse, quam damnatum ab hominibus pronunciat. In eodem enim opere non diversis malum utrumque cernitur, ut Deo iustae punitionis laudem, culpam hominibus adscribi necesse sit. Praedones sancti Iob pecora rapiunt. Crudele et indignum est facinus. Satan hoc modo eum ad desperationem sollicitat. Magis detestanda machinatio. Atqui Iob auctorem alium praedicat: Dominus dedit, Dominus abstulit. Neque immerito in Deum transfert, quod non nisi latronibus tribuendum foret. Nam perinde acsi oculis spectasset, quae in caelesti consessu gesta esse historia narrat, Dominum abstulisse fatetur per manus latronum, quod nonnisi eius nutu et auctoritate ablatum erat. Quod etiam explicat sequentibus verbis: Sicut Domino placuit, ita factum est. Audimus commune esse et Dei et Satanae et latronum opus. Audimus nihil accidisse, nisi quod Domino visum est. Quomodo nunc a culpa eximetur Deus, cuius Satan cum suis organis reus erit? Nempe si inter hominum facta discrimen a consilio et fine sumitur, ut eius damnetur crudelitas, qui cornicum oculos configit vel occidit ciconiam, iudicis autem laudetur virtus, qui scelesti hominis caede manus suas sanctificat. Et cur deterior erit Dei conditio, ne sua eum iustitia ab hominum maleficiis separet? Ut propius ad similitudinem accedam: laudabitur princeps, qui iusto et legitimo bello vim, rapinas et latrocinia a suis finibus repellet. Interea multos armabit milites, qui cupide ad fundendum sanguinem, ad diripienda pauperum bona, ad omne licentiae genus grassando, laudem certe non merebuntur. Alii duo inter se exercitus praelio confligent: si in duce, cuius auspiciis et iussu commissum est praelium, rectum affectum per-

Digitized by Google

spicias, quamvis homo sit mortalis, eum absolves, militibus damnatis, qui manus ad iugulandos homines nefanda mercede locant: et Deum, quia per Satanam operatur, iustitiae suae gloria fraudabis? Ita est scilicet: ut nebulae, quas terra exhalat, Solis fulgorem obscurant, ne ad hominum usque oculos perveniat, Sol tamen nihilominus lucidus manet; ita multa quasi vaporum impedimenta procreat hominum vanitas, quae divinae aequitatis conspectum auferant, ipsa tamen integra et illaesa manet. Quum idem sit opus, pari Deum et impios reatu involvi volunt isti. Verum non sic David, (2 Sam. 16, 6. 10.) quem quum Semei probris et lapidibus impeteret, non in homine ipso subsistit, sed Dei praeceptum considerat: Dominus, inquit, illi praecepit, ut malediceret. Neque tamen contra Deum insurgit, sed humiliter tergum virgis subiiciens: quis audeat dicere, inquit, quare sic fecisti? Quemadmodum et in Psalmo: (Psal. 39, 10.) Obmutui, quia tu fecisti. Quem enim piorum non ad silentium protinus adiget Dei maiestas? et cui non laudis confessionem exprimet iustitia? ut in vocem illam erumpat: (2 Sam. 16, 10.) Sinite maledicere iuxta praeceptum Domini, si forte afflictionem servi sui respiciat ipse Dominus.

Ergo quum iusta de causa, licet nobis ignota, a Domino procedant, quae scelerate ab hominibus maleficia perpetrantur: etiamsi rerum omnium prima causa sit eius voluntas, peccati tamen eum esse auctorem nego. Nec vero oblivione tegenda est illa, quam posui, causarum diversitas: quod alia est propinqua, alia autem remota causa: ut sciamus, quam longa inter aequabilem Dei providentiam et turbulentos hominum impetus sit distantia. Turpi quidem et illiberali calumnia nos gravant, qui Deum peccati auctorem fieri obtendunt, si omnium, quae aguntur, causa est eius voluntas. Nam quod homo iniuste perpetrat, vel ambitione vel avaritia vel libidine vel pravo quovis alio affectu incitatus, quum Deus iusto, licet occulto, iudicio per manum eius faciat, non potest in eum quadrare peccati nomen. Peccatum in homine facit perfidia, crudelitas, superbia, intemperies, invidia, caecus sui amor, prava aliqua cupiditas. In Deo nihil reperies tale. Semei regem suum immani petulantia infestat. Peccatum apparet. Deus tali ministro ad iustam Davidis humiliationem utitur, adeoque tali ferula eum castigat. Quis eum peccati insimulet? Arabes et Sabaei ex aliena substantia praedam rapiunt. Manifestum latrocinii crimen. Deus servi sui patientiam illorum violentia exercet. Emergat potius ex re praesenti heroica illa confessio, Sit nomen Domini benedictum, quam sacrilegae obstrectationes audiantur. Denique talis Dei est agendi ratio in hominum peccatis, ut, quum ad eum ventum est, sua puritate omnem maculam prorsus abstergat.

Atque hic utilis est Augustini admonitio: (Enchirid. ad Laur. cap. 101.) in specie consensus magnum esse interdum Deo cum



Digitized by Google

hominibus dissidium, quum bene vult Deus, quod homines male volunt, et bene non vult, quod homines male nolunt; sicut rursum in specie repugnantiae non male conveniunt, quum bene volunt homines quod Deus bene non vult, et bene nolunt, quod Deus bene vult. Optabit filius mortem patris, ut in haereditatem convolet. Eundem et Deus mori volet. Voluit Deus Ierosolymam excidi, Templum profanari et funditus everti, extremis quibusque tormentis vexari Iudaeos: idem optabant Idumaei. Diro et truculento homini, qui nemini pepercit, ut eadem illi mensura remetiatur, nolet Deus quicquam opis afferri, quum necessitate urgebitur. Filius omne illi pietatis officium negabit, nec cum sublevare volet. Sanioribus consiliis filios Heli parere Deus nolebat, (1 Sam. 2, 25.) quos statutum illi erat perdere. Patrem illi audire noluerunt. Quaedam initio consensus species hic se profert; sed quantum ad bonum vel malum, nihilo minus discordiae, quam inter aquam et ignem. Longiorem uxoris vitam optabit maritus, quam e mundo Deus evocat. Mortem horrebat et deprecabatur Christus, quae suavissimi odoris sacrificium erat Deo. Utriusque tamen voluntas, quamvis in speciem diversa, extra culpam est. Non est igitur, quod Deum in societatem criminis quisquam arripiat, quoties inter arcanum eius consilium et palam vitiosas hominum cupiditates aliqua similitudo se ostendit. Occurrat semper illud Augustini: Propterea magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius, ut miro et ineffabili modo non fiat praeter eius voluntatem, quod etiam fit contra eius voluntatem, quia non fieret si non sineret; nec utique nolens sinit, sed volens.

Atque hinc etiam refellitur (Enchirid. ad Laur. cap. 100.) eorum vel inscitia vel improbitas, qui unam et simplicem Dei naturam fore negant, si voluntas illi alia tribuitur, quam quae ab ipso in Lege patefacta est. Quaerunt etiam nonnulli per ludibrium, si qua est, quae non est revelata in lege Dei voluntas, quo nomine vocetur. Atqui mente captos esse oportet, quibus nihil significant tot Scripturae testimonia, quae cum admiratione praedicant quam profunda sit iudiciorum Dei abyssus. Certe Paulus quum exclamat: O altitudo! quam inscrutabilia sunt iudicia eius! aliud quoddam de Iudaeis fuisse Dei iudicium aperte docet, quam quod exprimitur Christi verbis: Ierusalem, quoties volui congregare pullos tuos! Et quod filios Heli patri morigeros esse noluit, voluntas illa a Legis praecepto differebat, quo iubet filium parentibus obsequentém esse. Denique quoties mirifica Dei consilia et profundas cogitationes praedicat, non de praeceptis loquitur, quae ante oculos patent exposita; sed potius inaccessam illam lucem commendat, in qua reconditum est consilium, quod mentis nostrae captu altius suspicere et adorare cogimur. Dicet quispiam: Si inaccessa lux est, cur ergo accedis? Ego vero non accedo, ut, quae procul latere vult Deus, proterva curiositate excutiam; sed, quod Scriptura pronunciat, certa fide amplexus reverenter suspicio.

Digitized by Google

Sed quomodo conveniet, Deum perpetuo similem esse sui, ac ne minima quidem obumbratione flexibilem, et aliud tamen velle quam prae se ferat? Respondeo, non esse mirum, si Deus cum hominibus loquens ad eorum modulum se attemperet. Quis Deum in visionibus apparuisse dicet, qualis est? Nam is est gloriae eius fulgor, qui omnes nostros sensus nudo sui conspectu absorbeat. Se ergo manifestavit, quatenus capere homines poterant. Verum, sive nobiscum balbutit Deus, sive, quod nobis novit incomprehensibile esse, subticet, in eius tamen sermone quicquam fictum aut simulatum esse nego. Quod habetur in Psalmo, verissimum est: quod Deus non sit iniquitatem volens. Nec vero illic per os Davidis testatur aliud, quam re ipsa quotidie probat, dum poenam de hominum peccatis sumit. Neque enim puniret, nisi odisset. Ultorem vides, approbatorem non esse statuendum est; sed in eo falluntur multi, quod Deum iuste velle non reputant, quae homines peccando faciunt. Quomodo, inquies: Adulteria incestosque coitus abominatur. Quod Absalom patris concubinas coram populo constuprat, (2 Sam. 16, 21.) an fit Deo nolente? Atqui hoc se facturum ipse per servum suum Nathan praedixerat: (Eiusdem lib. c. 12.) Tollam uxores tuas in oculis tuis; et dabo proximo tuo, qui dormiet cum illis in conspectu Solis huius. Tu fecisti occulte, ego autem coram toto populo et coram Sole facturus sum. Plena est talibus exemplis Scriptura. An ideo vel peccati culpam Deo imputabimus, vel duplicem in eo voluntatem fabricabimus, ut secum ipse dissideat? Verum sicuti iam ostendi, idem eum velle cum sceleratis et improbis, sed diverso modo; ita nunc tenendum est, quae in speciem diversa sunt, eodem modo eum velle. Ut in ista, quae mentibus nostris occurrit, varietate optime temperata sit symphonia. Quatenus immanis adversus patrem impietas, perfida coniugii violatio, foeda etiam ordinis naturae profanatio est, Absalomi facinus displicere Deo certum est, cui placet honestas, pudicitia, fides, modestia, qui legitimum, quem praescripsit, ordinem coli et integrum servari vult inter homines: quia tamen illi placet, hoc modo adulterium Davidis ulcisci, quae diversa nobis videntur, eodem modo vult. Una enim et simplex est voluntas, qua praecipit quid fieri debeat, et qua legis suae transgressiones ulciscitur. Dictum alibi est, peccata esse poenas, quas Deus superioribus peccatis rependit. In talibus documentis an non duo nobis consideranda sunt? iustum Dei iudicium, quo se peccatum, cui poenam irrogat, testatur odisse, et hominis malitia, quae Dei voluntati palam adversa est. Quod si tam immensus splendor mentis nostrae aciem praestringit, quid mirum? Ad ferendum Solis intuitum corporei oculi non sufficiunt. An vel ingenio nostro maior perspicacia, vel Dei maiestas Solis fulgore inferior? Nos ergo nimis acutos esse non convenit, modo ne interea, quod Scriptura clare docet ac experientia confirmat, vel negemus verum esse, vel tanquam Deo

Digitized by Google

minus consentaneum capere audeamus. Quum ultimus affulserit dies, inquit Augustinus, (Enchirid. ad Laur. c. 95.) tunc in clarissima luce sapientiae videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione videatur, quam certa et immutabilis et efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit et non velit, nihil autem velit, quod non possit.

Digitized by Google

## 10.

# CONFESSION DE FOY,

FAITTE D'UN COMMUN ACCORD PAR LES FRANCOIS,

QUI DESIRENT VIVRE SELON LA PURETÉ DE L'EVANGILE DE NOSTRE SEIGNEUR *IESUS CHRIST.*

*I PIERRE III.*

SOYEZ TOUSIOURS APPAREILLEZ À RESPONDRE À CHACUN QUI VOUS DEMANDE RAISON DE L'ESPERANCE QUI EST EN VOUS.

*M D L X I.*

## LES FRANCOIS QUI DESIRENT VIVRE SELON LA PURETÉ DE L'EVANGILE DE NOSTRE SEIGNEUR IESUS CHRIST.

*AU ROY.*

Sire, nous rendons graces à Dieu, de ce que n'ayans eu iusques icy aucun accés à vostre Maiesté, pour luy faire entendre la rigueur des persecutions que nous avons endurees, et endurons iournellement pour vouloir suyure la pureté de l'Evangile, et le repos de nostre conscience: maintenant il nous fait cet heur de veoir qu'avez la volonté de connoitre le merite de nostre cause, suyvant l'Edit dernier donné à Amboise au moys de Mars, l'An present 1559. qu'il a pleu à vostre Maiesté faire publier. Qui est la cause qu'à present nous osons ouvrir la bouche: laquelle nous a esté parcidevant fermee par l'iniustice et violence de plusieurs voz officiers, estans plustost incitez de haine contre nous, que de bonne affection à vostre service. Et à fin, Sire, que nous puissions pleinement informer vostre Maiesté de ce qui concerne cette cause, nous vous supplions treshumblement de voir et entendre nostre Confession de Foy, laquelle nous vous presentons: esperans qu'elle nous sera defence suffisante contre tous les blasmes et opprobres, dont iusques icy avons esté chargez à grand tort par ceux qui ont tousiours fait mestier de nous condamner, premier que nostre cause leur fust connevë. En laquelle, Sire, nous pouvons protester qu'il n'y a aucune chose qui repugne à la

Digitized by Google

parole de Dieu, ne qui contrevienne à l'hommage que nous vous devons. Car les articles de nostre Foy qui sont descrits assez au long en nostre Confession, reviennent tous à ce poinct, que puisque Dieu nous a suffisamment declare sa volonté par ses Prophetes et Apostres, et mesmes par la bouche de son fils nostre Seigneur Iesus Christ nous devons cet honneur et reverence à la parole de Dieu de n'y rien aiouter du nostre: mais de nous conformer entierement à la reigle qui nous y est prescritte. Et pour ce que l'Eglise Romaine, laissant l'usage et coustume de la primitive Eglise, a introduit nouveaux commandemens et nouvelle forme du service de Dieu: nous estimons estre tres-raisonnable de preferer les commandemens de Dieu, qui est la verité mesme, aux commandemens des hommes: qui de leur nature sont enclins à mensonge et vanité. Et quoy que noz adversaires pretendent à l'encontre de nous, si pouvons nous dire devant Dieu et les hommes, que nous ne souffrons pour autre raison que pour maintenir nostre Seigneur Iesus Christ estre nostre Seul Sauveur et Redempteur, et sa doctrine seule doctrine de vie et de salut. Et cette est la seule cause, Sire, pour laquelle les bourreaux ont en tant de fois les mains souillees du sang de voz poures suiets, lesquels n'espargnent point leurs vies pour maintenir cette mesme confession de Foy, ont bien peu faire entendre à tous qu'ils estoyent poussez d'autre esprit que de celuy des hommes, qui naturellement ont plus de soucy de leurs repos et commoditez, que de l'honneur et gloire de Dieu. Et partant, Sire, suyvant la bonté et douceur de laquelle promettez user envers voz poures suiets, nous supplions treshumblement vostre Maiesté nous faire cette misericorde, que de prendre en main la connoissance de la cause, pour laquelle estans poursvyvis à toute heure ou de mort, ou de bannissement, nous perdons par ce moyen la puissance de vous faire le treshumble service que nous vous devons. Qu'il plaise donq à vostre Maiesté, Sire, a lieu des feus et glaives dont on a usé parcidevant, faire decider nostre confession de Foy par la parole de Dieu: donnant permission et sevreté pour ce faire. Et nous esperons que vous-mesmes serez iuge de nostre innocence, connoissant qu'il n'y a en nous ny heresie, ny rebellion aucune: mais que nous tendons seulement à ce but, de pouvoir vivre en saine conscience, servans à Dieu selon ses commandemens, et honorans vostre Maiesté en toute obeissance et servitude. Et par ce que nous avons necessairement besoin d'estre, par la predication de la parole de Dieu, retenus en nostre devoir et office tant envers luy: qu'envers vous: nous vous supplions treshumblement, Sire, qu'il nous soit permis d'estre quelquefois assemblez tant pour estre exhortez par la parole de Dieu à sa crainte, que pour estre conformez par l'administration des Sacremens que nostre Seigneur Iesus Christ a instituez en son Eglise. Et s'il plaist à vostre Maiesté nous donner lieu, auquel un cha-

Digitized by Google

cun puisse voir ce qui se fait en noz assemblees, la seule veue nous absoudra de l'accusation de tant de crimes enormes, dont nosdittes assemblees ont esté diffamees parcidevant. Car on n'y pourra veoir que toute modestie et chasteté, et on n'y pourra ovyr que louanges de Dieu, exhortations à son service, et prieres pour la conservation de vostre Maiesté et de vostre Royaume. Que s'il ne vous plaist nous faire tant de grace, au moins qu'il nous soit permis de poursvyvre particulierement entre nous avec repos l'ordre qui y est estably. Vous supplions treshumblement, Sire, de croyre, que oyant lire cette supplication qui vous est maintenant presentee, vous oyez les cris et gemissemens d'une infinité de voz poures suiets qui implorent vostre misericorde: à ce qu'elle esteigne les feus que la cruanté de voz iuges a allumez en vostre Royaume. Et ainsi qu'il nous soit loisible, servans à vostre Maiesté de servir à celuy qui vous a élevé en vostre dignité et grandeur. Et s'il ne vous plaist, Sire, d'ouyr nostre voix, qu'il vous plaise d'ouyr celle du Fils de Dieu, lequel vous ayant donné puissance sur noz biens, sur noz corps et sur nostre propre vie: vous demande que la puissance et domination sur noz ames et consciences (lesquelles il s'est acquises au pris de son sang) luy soyent reservees. Nous le supplions, Sire, qu'il vous conduise tousiours par son Esprit, accroissant avec vostre aage, vostre grandeur et puissance, vous donnant victoire contre tous voz ennemis, establissant pour iamais en toute equité et iustice le throsne de vostre Maiesté: devant laquelle aussi il luy plaise nous faire trouver grace, pour resentir quelque fruit de nostre presente supplication, à fin qu'ayons changé noz peines et afflictions à quelque repos et liberté, nous changeons aussi noz pleurs et larmes à une perpetuelle action de graces à Dieu, et à vostre Maiesté, pour avoir fait chose à luy tres-agreable, tresdigne de vostre bonté et iustice, et tres-necessaire pour la conservation de voz plus humbles et plus obeissans suiets et serviteurs.

---

## CONFESSION DE FOY,

### FAITTE D'UN COMMUN ACCORD PAR LES FRANCOIS, QUI DESIRENT VIURE SELON LA PURETÉ DE L'EUANGILE DE NOSTRE SEIG. IESUS CHRIST.

*Article I.*

Nous croyons et confessons qu'il y a un seul Dieu [1]), qui est une seule et simple essence [2]), spirituelle [3]), éternelle [4]), in-

1) Deut. IV. 35. 39. 1 Cor. VIII. 4. 6. 2) Gen. I. 3. Ex. III. 15. 16. 18. 3) Iean IV. 24. 2 Cor. III. 17. 4) Rom. I. 20.

Digitized by Google

visible [5]), immuable [6]), infinie, incompréhensible [7]), ineffable, qui peut toutes choses [8]), qui est toute sage [9]), toute bonne [10]), toute iuste [11]) et toute miséricordieuse [12]).

*Article II.*

Ce Dieu se manifeste tel aux hommes premièrement par ses oeuvres, tant par la création que par la conservation et conduite d'icelles [13]): secondement et plus clairement par sa parole [14]), laquelle au commencement révélée par oracle [15]), a esté puis après rédigée par escrit és livres que nous appellons Escriture sainte [16]).

*Article III.*

Toute cette Escriture sainte est comprinse és livres canoniques du vieil et nouveau Testament, desquels le nombre s'ensuit: Les cinq livres de Moyse, sçavoir est, Genèse, Exode, Levitique, Nombres, Deuteronome: Item Iosué, Iuges, Ruth, Les premier et second livres de Samuel, Premier et second livres des Roys: Premier et second livres des Chroniques, autrement dits Paralypomenon: Le premier livre d'Esdras: item Nehemie, le livre d'Ester, Iob, Psalmes de David, Proverbes ou sentences de Salomon, le livre de l'Ecclésiaste, dit Prescheur, Cantique de Salomon: item les livres d'Esaïe, Iérémie, Des Lamentations de Iérémie, Ezéchiel, Daniel, Ozée, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Michée, Nahum, Abacuc, Sophonie, Aggée, Zacharie, Malachie: item le saint Evangile selon saint Matthieu, selon saint Marc, selon saint Luc, et selon saint Iean: item le second livre S. Luc, autrement dit les Actes des Apostres: item les Epistres saint Paul, aux Romains une, aux Corinthiens deux, aux Galates une, aux Ephésiens une, aux Philippiens une, aux Colossiens une, aux Thessaloniciens deux, à Timothée deux, à Tite une, à Philemon une: Item l'Epistre aux Hebrieux, l'Epistre S. Iaques, la première et seconde epistres saint Pierre, la première, deuxième et troisième epistres saint Iean, l'Epistre saint Iude: item l'Apocalypse ou révélation saint Iean.

*Article IV.*

Nous connoissons ces livres estre canoniques, et reigle trescertaine de nostre Foy [17]) non tant par le commun accord et consentement de l'Eglise, que par le tesmoignage et intérieure persuasion du S. Esprit, qui les nous fait discerner d'avec les

---

5) 1 Tim. I. 17. 6) Mal. III. 6. Nombr. XXIII. 19. 24. 7) Act. VII. 48. et 17. Rom. XI. 33. 8) Ier. X. 7. 10. Luc. I. 37. 9) Rom. XVI. 29. 10) Matth. XIX. 17. 11) Ier. XII. 1. Psalm. CXIX. 90. 12) Ex. XXXIV. 6. 7. 13) Rom. I. 19. 20. 14) Rom. XV. 4. Iean V. 39. Hébr. I. 1. 15) Voyez Genese III. 15. IV. 26. XII. 7. XV. 1. XVIII. 1. 16) Ex. XXIV. 3. 4. Rom. I. 2. 17) Ps. XII. 7. XIX. 8. 9.

Digitized by Google

autres livres Ecclésiastiques. Sur lesquels (encore qu'ils soyent utiles) on ne peut fonder aucun article de Foy.

*Article V.*

Nous croyons que la parole qui est contenue en ces livres est procédée de Dieu [18]), duquel seul elle prend son autorité, et non des hommes [19]). Et d'autant qu'elle est la reigle de toute vérité, contenant tout ce qui est nécessaire pour le service de Dieu et nostre salut [20]), il n'est loysible aux hommes, ne mesmes aux Anges d'y adiouter, diminuer ou changer [21]). Dont il s'ensuit que ne l'antiquité, ne les coustumes, ne la multitude, ne la sagesse humaine, ne les iugemens, ne les arrests, ne les édits, ne les décrets, ne les conciles, ne les visions, ne les miracles, ne doyvent estre opposés à icelle Escriture sainte [22]); ains au contraire, toutes choses doyveut estre examinées, reiglées et réformées selon icelle [23]). Et suyvant cela, nous avouons les trois Symboles, à sçavoir des Apostres, de Nice et d'Athanase, pource qu'ils sont conformes à la parole de Dieu.

*Article VI.*

Cette Escriture sainte nous enseigne qu'en cette seule et simple essence divine, que nous avons confessée, il y a trois personnes, le Père, le Fils, et le S. Esprit [24]): le Père, première cause, principe et origine de toutes choses. Le Fils, sa parole et sapience éternelle. Le saint Esprit, sa vertu, puissance et efficace: le Fils éternellement engendré du Père: le saint Esprit procédant éternellement de tous deux: les trois personnes non confuses, mais distinctes, et toutesfois non divisées, mais d'une mesme essence, éternité, puissance et égalité [25]). Et en cela avouons ce qui a esté déterminé par les Conciles anciens, et détestons toutes sectes et hérésies, qui ont esté reiettées par les saints Docteurs, comme saint Hylaire, saint Athanase, saint Ambroise, saint Cyrille.

*Article VII.*

Nous croyons que Dieu en trois personnes coopérantes par sa vertu, sagesse et bonté incompréhensible a créé toutes choses: non seulement le ciel, la terre, et tout ce qui y est contenu: mais aussi les esprits invisibles [26]), desquels les uns sont

---

18) 2 Tim. III. 15. 16. 2 Pier. I. 17. 20. 21. 19) Iean III. 31. 33. et V. 33. 34. 1 Tim. I. 15. 20) Iean XV. 15. et XX. 31. Act. XX. 27. 21) Deut. IV. 2. XII. 32. Prouerb. XXX. 6. Gal. I. 8. Apoc. XXII. 18. 19. 22) Matth. XV. 9. Act. V. 28. 29. 23) 1 Cor. XI. 1. 2. 23. 24) Deut. IV. 12. X. 17. Matth. XXVIII. 19. 1 Iean V. 7. 25) Matth. XXVIII. 19. Iean I. 1. 17. 52. Act. XVII. 25. Rom. 1, I. 1 Iean V. 6. 7. 26) Gen. I. 1. III. 1. Iean I. 3. Col. I. 16. Hébr. I. 2. 14.

Digitized by Google

décheuz et trébuchez en perdition [27]): les autres ont persisté en obéissance [28]). Que les premiers s'estant corrompus en malice [29]), sont ennemis de tout bien, par conséquent de toute l'Eglise. Les seconds ayans esté préservez par la grâce de Dieu, sont Ministres pour glorifier le nom de Dieu, et servir au salut de ses éleus [30]).

### *Article VIII.*

Nous croyons que non seulement il a créé toutes choses: mais qu'il les gouverne et conduit, disposant et ordonnant selon sa volonté de tout ce qui advient au monde [31]): non pas qu'il soit auteur du mal ou que la coulpe luy en puisse estre imputée [32]), veu que sa volonté est la reigle souveraine et infaillible de toute droiture et équité [33]). Mais il a des moyens admirables de se servir tellement des diables et des méchans, qu'il sait convertir en bien le mal qu'ils font, et duquel ils sont coulpables [34]). Et ainsi en confessant que rien ne se fait sans la providence de Dieu, nous adorons en humilité les secrets qui nous sont cachés, sans nous enquérir par dessus nostre mesuree [35]): mais plustost appliquons à nostre usage ce qui nous est montré en l'Escriture sainte, pour estre en repos et seureté: d'autant que Dieu qui a toutes choses suiettes à soy, vieille sur nous d'un soin paternel, tellement qu'il ne tombera point un cheveu de nostre teste sans son vouloir [36]). Et ce pendant tient les diables, et tous noz ennemis bridés, en sorte qu'ils ne nous peuvent faire aucune nuisance sans son congé [37]).

### *Article IX.*

Nous croyons que l'homme ayant esté créé pur et entier, et conforme à l'image de Dieu [38]), est par sa propre faute descheu de sa grace qu'il avoit reçue [39]), et ainsi s'est aliéné de Dieu, qui est la fontaine de iustice et de tous biens, en sorte que sa nature est du tout corrompue: et estant aveuglé en son esprit et dépravé en son coeur, a perdu toute intégrité sans en avoir rien de residu [40]). Et combien qu'il ait encores quelque discrétion du bien et du mal [41]): non obstant nous disons que ce qu'il a de clarté, se convertit en ténèbres, quand il est

---

27) Iud. VI. 1 Pier. II. 4. 28) Ps. CIII. 20. 21. 29) Iean VIII. 44. 30) Hébr. I. 7. 14. Ps. XCI. 15. Prov. XVI. 4. Act. II. 23. et IV. 28. et XVII. 24. 26. 28. Rom. IX. 11. 31) 2 Sam. II. 6. Pseau. CXIV. et CXIX. 30. et 147. 32) Rom. IX. 11. Osée XIII. 9. 1 Iean II. 16. et III. 8. 33) 1 Iedn II. 16. Iob. I. 22. Ps. V. 56. 34) Voyez l'histoire de Ioseph Gen. XXX. 37. 39. 41. iusques à la fin. Item, l'histoire de Iob, en son livre. Act. II. 23. 35) Rom. XI. 33. 36) Matth. X. 30. Luc. XXI. 18. 37) Iob. I. 12. Iean I. 9. 11. 38) Gen. I. 26. 27. 39) Gen. III. 17. Eccl. VI. 30. Rom. V. 12. Eph. II. 2. 3. 40) Gen. VI. 5. et VIII. 21. Rom. III. 41) Rom. I. 20. 21. et II. 18. 19. 20.

Digitized by Google

question de chercher Dieu [42]), tellement qu'il n'en peut nullement approcher par son intelligence et raison [43]). Et combien qu'il ayt volonté par laquelle il est incité à faire cecy ou cela, toutesfois elle est du tout captive sous péchée [44]), en sorte qu'il n'a nulle liberté à bien, que celle que Dieu luy donne [45]).

### *Article X.*

Nous croyons que toute la lignée de Adam est infectée de telle contagion, qui est le péché originel et un vice héréditaire [46]), et non pas seulement une imitation, comme les Pélagiens ont voulu dire. Lesquels nous détestons en leurs erreurs. Et n'estimons pas qu'il soit besoin de s'enquérir comme le péché vient d'un homme à l'autre, veu que c'est bien assez que ce que Dieu luy avoit donné n'estoit pas pour luy seul, mais pour toute sa lignée. Et ainsi que en la personne d'iceluy nous avons esté dénuës de tous biens, et sommes trébuchés en toute pauvreté et malédiction [47]).

### *Article XI.*

Nous croyons aussi que ce vice est vrayement paché: qui suffit à condamner tout le genre humain, iusques aux petis enfans dès le ventre de la mère, et que pour tel il est réputé devant Dieu [48]), mesmes qu'après le Baptesme c'est tousiours péché, quant à la coulpe, combien que la condamnation en soit abolie aux enfans de Dieu, ne la leur imputant point par sa bonté gratuite [49]): outre cela, que c'est une perversité produisant tousiours fruicts de malice et rebellion [50]), tels que les plus sains, encores qu'ils y résistent, ne laissent point d'estre entachez d'infirmitez et de fautes, pendant qu'ils habitent en ce monde [51]).

### *Article XII.*

Nous croyons que de cette corruption et condamnation générale, en laquelle tous hommes sont plongez, Dieu retire ceux lesquels en son conseil éternel et immuable il a éleus [52]) par sa seule bonté et miséricorde en nostre Seigneur Iesus Christ, sans considération de leurs oeuvres [53]), laissant les autres en icelle mesme corruption et condamnation [54]), pour démontrer en eux sa iustice, comme és premiers il fait luire les richesses de sa

---

42) Rom. I. 21. 43) 1 Cor. II. 14. 44) Rom. VI. 16. 17. et VIII. 6. 7. 45) Ierem. X. 23. Iean I. 12 et III. 6. 7. 8. et XV. 5. Rom. VII. 1 Cor. III. 5. Philip. II. 13. 46) Gen. VI. 5. et VIII. 2. Rom. V. Iob. XIV. 4. Rom. III. Psal. LI. 7. 47) Gen. V. 3. Rom. V. 48) Psal. LI. 7. Rom. III. 9. 10. 11. 12. 23. Rom. V. 12. Ephes. II. 3. Rom. VII. 49) Rom. VII. 5 50) Galat. III. 19. 51) Rom. VII. 2 Cor. XII. 7. 52) Rom. IX. 30. Ephes. I. 4. 5. Ierem. I. 5. 53) Rom. VIII. 28. 29. 30. et XII. Ephes. I. 5. II. 4. 5. 9. 2 Tim. I. 9. Tite III. 4. 5. Eph. I. 4. 5. 6. 2 Tim. I. 9. Ephes. II. 54) Rom. IX. 22.

Digitized by Google

miséricorde [55]). Car les uns ne sont point meilleurs que les autres, iusques à ce que Dieu les discerne selon sont conseil immuable, qu'il a déterminé en Iesus Christ devant la création du monde [56]): et nul aussi ne se pourroit introduire à un tel bien de sa propre vertu, veu que de nature nous ne pouvons avoir un seul bon mouvement, n'y affection, ne pensée, iusques à ce que Dieu nous ayt prévenus et nous y ayt disposez [57]).

### *Article XIII.*

Nous croyons qu'en iceluy Iesus Christ tout ce qui estait requis à nostre salut nous a esté offert et communiqué. Lequel nous estant donné à salut, nous a esté quant et quant fait sapience, iustice, sanctification et rédemption [58]), en sorte qu'en déclinant de luy, on renonce à la miséricorde du Père [59]), où il nous convient avoir nostre refuge unique.

### *Article XIV.*

Nous croyons que Iesus Christ, estant la sagesse de Dieu et son Fils éternel, a vestu nostre chair à fin d'estre Dieu et homme en une personne [60]), voire homme semblable à nous [61]), paisible en corps et en ame, sinon entant qu'il a esté pur de toute macule [62]). Et quant à son humanité, qu'il a esté vraye semence d'Abraham et de David [63]), combien qu'il ayt esté conceu par la vertu du Saint Esprit [64]). En quoy nous détestons toutes les hérésies qui ont anciennement troublé les Eglises: et notamment aussi les imaginations diaboliques de Servet, lequel attribue au Seigneur Iesus une divinité fantastique, d'autant qu'il le dit estre idée et patron de toutes choses, et le nomme Fils personnel ou figuratif de Dieu: et finalement luy forge un corps de trois élémens increés, et par ainsi messe et destruit toutes les deux natures.

### *Article XV.*

Nous croyons qu'en une mesme personne, à sçavoir Iesus Christ, les deux natures sont vrayement et inséparablement conioinctes et unies [65]): demeurant néantmoins chacune nature en sa distincte propriété: tellement que comme en cette conionction la nature Divine retenant sa propriété est demeurée increée, infinie et remplissant toutes choses, aussi la nature humaine est demeurée finie, ayant sa forme, mesure et propriété: et mesme

55) Rom. IX. 17. 24. 56) Rom. IX. Ephes. I. 4. 5. 57) Ierem. X. 23. Rom. IX. 16. Eph. I. 4. 5. 2 Tim. I. 9. Philip. II. 13. Tite III. 3. 58) 1 Cor. I. 30. Eph. I. 6. 7. Col. I. 1 Tim. I. 15. Tite II. 14. 59) Iean III. 18. 36. 60) Iean I. Phil. II. 6. 61) Hébr. II. 17. 62) 2 Cor. V. 21. 63) Act. XIII. 23. Rom. I. IX. 5. Phil. II. Hébr. II. 14. 15. IV. 14. 15. 64) Matth. I. 18. Luc. I. 25. 65) Iean I. Matth. I. Luc. I. 1 Tim. III. 16.

Digitized by Google

combien que Iesus Christ en resuscitant ayt donné immortalité à son corps, toutesfois il ne luy a osté la vérité de sa nature [66]). Et ainsi nous le considérons tellement en sa divinité, que nous ne le despouillons point de son humanité.

### *Article XVI.*

Nous croyons que Dieu envoyant son Fils a voulu montrer son amour et bonté inestimable envers nous, en le livrant à la mort, et le resuscitant pour accomplir toute iustice, et pour nous acquérir la vie céleste [67]).

### *Article XVII.*

Nous croyons que par le sacrifice unique que le Seigneur Iesus a offert en la croix, nous sommes réconciliez à Dieu [68]) pour estre tenus et réputez iustes devant luy [69]): pource que nous ne luy pouvons estre aggréables, ne estre participans de son adoption, sinon d'autant qu'il nous pardonne noz fautes, et les ensevelit. Aussi nous protestons que Iesus Christ est nostre lavement entier et parfait [70]): qu'en sa mort nous avons entière satisfaction, pour nous acquiter de noz forfaits et iniquitez, dont nous sommes coulpables, et ne pouvons estre délivrez que par ce remède.

### *Article XVIII.*

Nous croyons que toute nostre Iustice est fondée en la remission de noz péchez: comme aussi c'est nostre seule félicité, comme dit David [71]). Parquoy nous reiettons tous autres moyens de nous pouvoir iustifier devant Dieu [72]), et sans présumer de nulles vertus ne mérites, nous nous tenons simplement à l'obéissance de Iesus Christ, laquelle nous est allouée tant pour couvrir toutes noz fautes, que pour nous faire trouver grâce et faveur devant Dieu. Et de fait nous croyons qu'en déclinant de ce fondement tant peu que ce soit, nous ne pourrions trouver ailleurs aucun repos, mais serions tousiours agitez d'inquiétude [73]): d'autant que iamais nous ne sommes paisiblement avec Dieu, iusques à ce que nous soyons bien résolus d'estre aymez en Iesus Christ [74]), veu que nous sommes dignes d'estre haïs en nous-mesmes.

---

66) Luc. XXIV. 38. 39. Rom. I. 4. Phil. II. 67) Iean III. 16. XV. 13. 68) 2 Cor. V. 19. Tite III. 4. 5. 6. 7. Hébr. V. 7. 8. Hébr. IX. 69) 1 Pier. II. 24. 25. 70) Eph. V. 26. Hébr. IX. 14 1 Pier. I. 18. 19. 1 Iean I. 7. Rom. III. 26. IV. et V. 71) Ps. XXXII. 1 Iean XVII. 23. Rom. IV. 7. 8. VIII. 2 Cor. V. 19. 20. 72) Rom. III. Galat. II. 73) Act. IV. 11. 74) Rom. V.

Digitized by Google

### *Article XIX.*

Nous croyons que c'est par ce moyen que nous avons liberté et privilége d'invoquer Dieu, avec pleine fiance qu'il se montrera nostre Père. Car nous n'aurions pas aucun accez au Père, si nous n'estions addressez par ce Médiatur [75]): et pour estre exaucez en son nom, il convient tenir nostre vie de luy comme de nostre chef.

### *Article XX.*

Nous croyons que nous sommes faits participans de cette iustice par la seule Foy, comme il est dit, qu'il a suffert pour nous acquérir salut, à celle fin que quicon que croira en luy ne périsse point [76]): et que cela se fait d'autant que les promesses de vie, qui nous sont données en luy, sont appropriées à nostre usage, et en sentons l'effet quand nous les acceptons, ne doutans point qu'estans essurez de la bouche de Dieu, nous ne serons point frustrez [77]). Ainsi la Iustice que nous obtenons par Foy dépend des promesses gratuites, par lesquelles Dieu nous déclare et testifie qu'il nous ayme [78]).

### *Article XXI.*

Nous croyons que nous sommes illuminez en la Foy par la grâce secrette du saint Esprit [79]), tellement que c'est un don gratuit et particulier que Dieu départ à ceux que bon luy semble: en sorte que les fidèles n'on dequoy s'en glorifier, estans obligez au double de ce qu'ils ont esté préférez aux autres [80]): mesmes que la fin n'est pas seulement baillée pour un coup aux éleus pour les introduire au bon chemin, ains pour les y faire continuer aussi iusqu'au bout [81]). Car comme c'est à Dieu de faire le commencement, aussi c'est à luy de parachever [82]).

### *Article XXII.*

Nous croyons que par cette Foy nous sommes régénérez en nouveauté de vie, estant naturellement asservis à péché [83]). Or nous recevons par Foy la grâce de vivre saintement, et en la crainte de Dieu, en recevant la promesse qui nous est donnée par l'Evangile, à sçavoir que Dieu nous donnera son saint Esprit. Ainsi la Foy non seulement ne refroidit l'affection de bien et saintement vivre, mais l'engendre et excite en nous,

---

75) Iean XV. 16. 1 Tim. II. 5. 1 Iean II. 2. 76) Iean III. 16. 77) Matth. XVII. 20. Iean I. 6. et III. 16. et XVII. 19. 20. 21. Act. X. 43. 2 Cor. V. 19. 21. Tite III. 5. et VI. 10. 13. 78) Iean XVII. 23. 24. 25. 26. Rom. I. 16. 17. III. 24. 25. 28. 30. IV. V. X. Gal. II. III. 79) 1 Cor. II. 12. Ephes. I. 80) Ephes. II. 8. Philip. I. 28. 81) 1 Cor. I. 8. 9. 82) Phil. I. 5. 6. II. 13. 83) Rom. VI. Ephes. II. Tite III. 4.

Digitized by Google

produisant nécessairement les bonnes oeuvres [84]). Au reste combien que Dieu pour accomplir nostre salut nous régénère [85]), nous réformant à bien faire: toutesfois nous confessons que les bonnes oeuvres que nous faisons par la conduitte de son Esprit, ne viennent point en conte pour nous iustifier, ou mériter que Dieu nous tienne pour ses enfans [86]), pource que serions tousiours flotans en doute et inquiétude, si noz consciences ne s'appuioyent sur la satisfaction, par laquelle Iesus Christ nous a acquitez [87]).

### *Article XXIII.*

Nous croyons que toutes les figures de la Loy ont prins fin à la venue de Iesus Christ [88]). Mais combien que les cérémonies ne soyent plus en usage, néanmoins la substance et vérité nous en est demeurée en la personne de celuy, auquel gist tout accomplissement. Au surplus, il nous faut ayder de la Loy et des Prophètes tant pour reigler nostre vie, que pour estre confermez aux promesses de l'Evangile [89]).

### *Article XIV.*

Nous croyons, puisque Iesus Christ nous est donné pour seul Avocat [90]), et qu'il nous commande de nous retirer privéement en son Nom vers son Père [91]), et mesme qu'il ne nous est pas licite de prier sinon en suyvant la forme que Dieu nous a dictée par sa parole [92]). Que tout ce que les hommes ont imaginé de l'intercession des Saints trépassez, n'est qu'abus et fallace de Satan pour faire dévoyer les hommes de bien prier [93]). Nous reiettons aussi tous autres moyens que les hommes présument avoir pour se racheter envers Dieu, comme dérogeans au sacrifice de la mort et passion de Iesus Christ. Finalement nous tenons le Purgatoire pour une illusion procédée de cette mesme boutique, de laquelle sont aussi procédez les voeux Monastiques, pélerinages, défenses du Mariage, et de l'usage des viandes, l'observation cérémonieuse des iours, la confession auriculaire, les indulgences, et toutes autres telles choses par lesquelles on pense mériter grâce et salut [94]). Lesquelles choses nous reiettons non seulement pour la fausse opinion du

---

84) Gal. V. 6. Iacq. II. 1 Iean II. 3. 4. Rom. VII. 4. 2 Pier. I. 5. 6. 7. 8. 85) Deut. XXX. 6. Iean III. 5. Rom. VIII. 86) Luc. XVII. 10. Ps. XVI. 2. Rom. III. 19. 20. Rom. IV. 3. 4. 5. 87) Rom. V. 88) Rom. X. 4. Gal. III. 4. Col. II. 17. Iean. 1. 17. 89) 2 Pier. I. 19. 1 Tim. III. 16. 2 Pier. III. 2. 19. Iaq. V. 10. 90) 1 Tim. II. 5. Act. IV. 12. 1 Iean II. 1. 2. 91) Iean XVI. 23. 24. 92) Matth. VI. Luc. XI. 93) Act. X. 25. 26. XIV. 14. Apoc. XIX. 10. XXII. 8. 9. 94) Matth. IX. XV. 11. VI. 16. 17. 18. Act. X. 14. 15. Rom. XIV. Gal. IV. 9. 10. Col. II. 18. 19. 23. 1 Tim. IV. 2—5.



Digitized by Google

mérite, qui y est attachée, mais aussi parce que ce sont inventions humaines, qui imposent ioug aux consciences [95]).

*Article XXV.*

XXV. Or pource que nous, ne iouissons de Iesus Christ que par l'Evangile [96]), nous croyons que l'ordre de l'Eglise, qui a esté estabii en son autorité, doit estre sacré et inviolable [97]). Et pourtant que l'Eglise ne peut consister sinon qu'il y ayt des pasteurs qui ayent la charge d'enseigner, lesquels on doit honorer et escouter en révérence quand ils sont devëment appelez, et exercent fidèlement leur office [98]). Non pas que Dieu soit attaché à telles aydes ou moyens inférieurs, mais pource qu'il luy plaist nous entretenir sous telle charge et bride. En quoy nous détestons tous fantastiques qui voudroyent bien, entant qu'en eux est, annéantir le ministère et prédication de la parole de Dieu et ses Secremens.

*Article XXVI.*

Nous croyons donq que nul ne se doit retirer à part, et se contenter de sa personne: mais tous ensemble doyvent garder et entretenir l'unité de l'Eglise, se soumettans à l'instrution commune et au ioug de Iesus Christ [99]): et ce en quelque lieu que Dieu aura estably un vray ordre d'Eglise, encores que les Magistrats et leurs édicts, y soyent contraires [100]), et que tous ceux qui ne s'y rangent ou s'en séparent contrarient à l'ordonnance de Dieu [1]).

*Article XXVII.*

Toutesfois, nous croyons qu'il convient discerner soigneusement et avec prudence quelle est la vraye Eglise, pource que par trop on abuse de ce tiltre [2]). Nous disons donq, suyvant la parole de Dieu, que c'est la compagnie des Fidèles, qui s'accordent à suyvre icelle parole, et la pure religion qui en dépend, et qui proufitent en icelle tout le temps de leur vie, croissans et se confermans en la crainte de Dieu, selon qu'ils ont besoin de s'avancer et marcher tousiours plus outre [3]). Mesme quoy qu'ils s'efforcent, qu'il leur convient avoir incessamment recours à la rémission de leurs péchez [4]). Néantmoins nous ne nions point que

95) Matth. XV. 3. 9. Colos. II. 18. 19. 20. 21. 23. 1 Tim. IV. 7. 96) Rom. I. 16. 17. X. 97) Matth. XVIII. 20. Eph. I. 22. 23. 98) Matth. X. 40. Iean XII. 20. Rom. X. 99) Ps. V. 8. XXII. 23. XLII. 5. Eph. IV. 12. Hebr. II. 12. 100) Act. IV. 17. 1) Hebr. X. 25. 2) Ier. VII. XXIII. 22. Matth. III. 8. 9. 10. VII. 22. XXIV. 5. 11. 1 Cor. III. 10. 11. Mich. II. 10. 21. 22. 3) Deut. XXXI. 12. Iosué I. 8. 1 Cor. I. 2. XIV. 23. 26. 27. 28. 2 Cor. I. 1. Ephes. II. IV. 1 Timot. III. 4) Rom III.

Digitized by Google

parmy les fidèles il n'y ayt des hypocrites et réprouvez, desquels la malice ne peut effacer le tiltre d'Eglise [5]).

*Article XXVIII.*

Sous cette croyance nous protestons que où la parole de Dieu c'est receüe, et qu' on ne fait nulle profession de s'assuiettir à icelle, et qu' ou il n'y a nul usage de Sacremens, à parler proprement, on ne peut iuger qu'il y ayt aucune Eglise [6]). Pourtant nous condamnons les assemblées de la Papauté, veu que la pure vérité de Dieu en est bannie: esquelles les Sacremens sont corrompus, abâtardis, falsifiez, ou anéantis du tout: et esquelles les superstitions et idolâtries ont la vogue. Nous tenons donques tous ceux qui se messent en tels actes, et y communiquent, se séparent et retranchent du corps de Iesus Christ [7]). Toutesfois pource qu'il reste encore quelque petite trace d'Eglise en la Papauté, et mesme que la substance du Baptesme y est demeurée, ioint que l'efficace et vertu du Baptesme ne dépend de celuy qui l'administre [8]), nous confessons ceux qui y sont baptisez n'avoir besoin d'un second Baptesme. Cependant à cause des corruptions qui y sont on n'y peut présenter les enfans sans se polluer.

*Article XXIX.*

Quant est de la vraye Eglise, nous croyons qu'elle doit estre gouvernée selon la police que nostre Seigneur Iesus a establie, c'est qu'il y ayt des pasteurs, des surveillans et diacres [9]), à fin que la pureté de doctrine ayt son cours: que les vices soyent corrigez et réprimez, et que les pauvres et tous autres affligés soyent secourus en leurs nécessitez, et que les assemblées se facent au nom de Dieu, esquelles grans et petits soyent édifiez.

*Article XXX.*

Nous croyons tous vrays pasteurs, en quelque lieu qu'ils soyent, avoir mesme autorité et égale puissance sous un seul chef, seul souverain, et seul universel Evesque Iesus Christ [10]). Et pour cette cause que nulle Eglise ne doit prétendre aucune domination ou seigneurie sur l'autre.

*Article XXXI.*

Nous croyons que nul ne se doit ingérer de son autorité

5) Matth. XIII. 1 Tim. II. 18. 19. 20. 6) Matth. XVIII. 19. 20. Marc. XVI. 15. 16. 17. X. 14. 15. Iean X. 1 Cor. III. Eph. II. 19. 20. 21. Coloss. II. 18. 19. 20. 7) Rom. VII. 3. 4. 1 Cor. V. 9. 10. 11. 2 Cor. VI. 14—16. 8) Matth. III. 11. XXVIII. 19. Marc. I. 8. Act. I. 5. XI. 15—17. XIX. 4. 5. 1 Cor. I. 13. 9) Matth. XVIII. 17. Act. VI. 3—5. Eph. IV. V. 24. 1 Tim. III. Tite I. 1 Cor. XII. Coloss. I. 28. 10) Matth. XVIII. 2—4. XX. 26. 27. 1 Cor. III. IV. 1. Eph. I. 21. Col. I. 18. 19.



Digitized by Google

propre pour gouverner l'Eglise: mais que cela se doit faire par election [11]), entant qu'il est possible, et que Dieu le permet. Laquelle exception nous y aiouttons notamment, pource qu'il a fallu quelque fois, et mesmes de nostre temps (auquel l'estat de l'Eglise estait interrompu), que Dieu ayt suscité gens d'une façon extraordinaire, pour dresser l'Eglise de nouveau, qui estoit en ruine et désolation. Mais quoy qu'il en soit, nous croyons qu'il se faut tousiours conformer à cette reigle, que tous pasteurs, surveillans et diacres ayent tesmoignage d'estre appelez à leur office [12]).

*Article XXXII.*

Nous croyons aussi qu'il est bon et utile que ceux qui sont éleus pour estre superintendens, advisent entr'eux quel moyen ils devront tenir pour le régime de tout le corps [13]), et toutesfois qu'ils ne déclinent nullement de ce qui nous en a esté ordonné par nostre Seigneur Iesus Christ [14]). Ce qui n'empesche point qu'il n'y ayt quelques ordonnances particulières en chacun lieu, selon que la commodité le requerra.

*Article XXXIII.*

Cependant nous excluons toutes inventions humaines et toutes lois qu'on voudroit introduire sous ombre du service de Dieu, par lesquelles on voudroit lier les consciences [15]): mais seulement recevons ce qui fait et est propre pour nourrir concorde, et tenir chacun depuis le premier iusques au dernier en obéissance. En quoy nous avons à suyvre ce que nostre Seigneur a déclaré quant à l'excommunication: laquelle nous approuvons et confessons estre nécessaire avec toutes ses appartenances [16]).

*Article XXXIV.*

Nous croyons que les Sacremens sont aiouttez à la parole pour plus ample confirmation, à fin de nous estre gages et marreaux de la grâce de Dieu, et par ce moyen aider et soulager nostre foy, à cause de l'infirmité et rudesse qui est en nous [17]): et qu'ils sont tellement signes extérieurs que Dieu besongne par iceux en la vertu de son Esprit, à fin de ne nous y rien signifier en vain [18]). Toutesfois nous tenons que toute leur substance et vérité est en Iesus Christ: et si on les en sépare, ce n'est plus rien qu'ombrage et fumée [19]).

---

11) Matth. XXVIII. 10. 19. Marc. XVI. 15. Iean XV. 16. Act. I. 21. VI. Rom. X. 15. Tit. I. 5—7. 12) Iere. I. 4. 5. 6. Gal. I. 15. 1 Tim. III. 7—10. 15. V. 4. 13) Act. XV. 6. 7. 25. 28. Rom. XII. 6. 7. 8. 1 Cor. XIV. 2 Cor. XII. 7. 8. 14) Col. II. 6. 7. 15) Rom. XVI. 16. 17. 18. 19. 1 Cor. III. 11. Gal. V. 1. Col. II. 8. 16) Matth. XVIII. 17. 1 Cor. V. 1 Tim. I. 20. 17) Ex. XII. Matth. XXVI. 26. 27. Rom. IV. 11. 1 Cor. XI. 23. 24. X. 18) Act. XXII. 16. Gal. III. 17. Eph. V. 26. 19) Iean VI. 17. III.

Digitized by Google

### *Article XXXV.*

Nous en confessons seulement deux communs à toute l'Eglise: desquels le premier (qui est le Baptême) nous est donné pour tesmoignagne de nostre adoption; pource que là nous sommes entez au corps de Christ, à fin d'estre lavez et nettoyez par son sang, et puis renouvellez en sainte vie par son Esprit [20]). Nous tenons aussi combien que nous ne soyons baptisez qu'une fois, que le prouſit qui nous est là signifié s'estend à la vie et à la mort [21]), à fin que nous ayons une signature permanente, que Iesus Christ nous sera tousiours iustice et sanctification. Or, combien que ce soit un Sacrement de foy et de pénitence [22]), néantmoins pource que Dieu reçoit en son Eglise les petits enfans avec leurs pères [23]), nous disons que par l'autorité de Iesus Christ les petits enfans engendrez des fidèles doyvent estre baptisez.

### *Article XXXVI.*

Nous confessons que la sainte Cène (qui est le second Sacrement) nous est tesmoignage de l'unité que nous avons avec Iesus Christ [24]), d'autant qu'il n'est pas seulement une fois mort et ressuscité pour nous, mais aussi nous repaist et nourrit vrayement de sa chair et de son sang, à ce que nous soyons un avec luy, et que sa vie nous soit commune [25]). Or combien qu'il soit au ciel iusques à ce qu'il vienne pour iuger tout le monde [26]), toutesfois nous croyons que par la vertu secrette et incompréhensible de son Esprit il nous nourrit et vivifie de la substance de son corps et de son sang [27]). Nous tenons bein que cela se fait spirituellement [28]): non pas pour mettre au lieu de l'effet et de la vérité imagination ne pensée, mais d'autant que ce mystère surmonte en sa hautesse la mesure de nostre sens et tout ordre de nature. Bref, pource qu'il est céleste, ne peut estre appréhendé que par foy.

### *Article XXXVII.*

Nous croyons, ainsi qu'il a esté dit, que tant en la Cène qu'au Baptesme Dieu nous donne réalement et par effet ce qu'il y figure. Et partant nous conioingnons avec les signes la vraye possession et iouissance de ce qui nous est là présenté. Et par ainsi tous ceux qui apportent à la table sacrée de Christ une pure Foy, comme un vaisseau reçoyvent vrayement ce que les signes y testifient: c'est que le corps et le sang de Iesus Christ ne ser-

---

20) Act. XXII. 16. Rom. VI. 3. Tite III. Eph. V. 26. 21) Rom. IV. VI. 22. 23. 22) Matth. III. 11. Marc. I. 4. XVI. Luc. III. 3. Actes XIX. 4. XIII. 24. 23) Matth. XIX. 14. 1 Cor. VII. 14. 24) 1 Cor. X. 16. 17. XI. 24. 25) Iean VI. 56. 57. XVII. 21. 26) Marc. XVI. 19. Luc. XXIV. 31. Act. III. 21. Act. I. 2. VII. 48. XVII. 24. 27) 1 Cor. X. 16. 28) Iean VI.

Digitized by Google

vent pas moins de manger et boire à l'ame, que le pain et le vin font au corps [29]).

*Article XXXVIII.*

Ainsi nous tenons que l'eau estant un elément caduque ne laisse pas de nous testifier en vérité le lavement intérieur de nostre ame au sang de Iésus Christ, par l'efficace de son Esprit [30]): et que le pain et le vin nous estans donnez en la Cène nous servent vrayement de nourriture spirituelle, d'autant qu'ils nous montrent comme à l'oeil la chair de Iesus Christ nous estre nostre viande, et son sang nostre bruvage [31]). Et reiettons les fantastiques et sacrementaires, qui ne veulent recevoir tels signes et marques, veu que Iesus Christ prononce, Ceey est mon corps, et ce calice est mon sang [32]).

*Article XXXIX.*

Nous croyons que Dieu veut que le monde soit gouverné par loix et polices, à fin qu'il y ait quelques brides pour reprimer les appetits desordonnez du monde [33]). Et ainsi qu'il a estably les royaumes, republiques et toutes autres sortes de principauté, soyent hereditaires ou autrement, et tout ce qui appartient à l'estat de iustice, et en veut estre reconneu auteur: à cette cause a mis le glaive en la main des Magistrats pour reprimer les pechez commis, non seulement contre la seconde table des Commandemens de Dieu, mais aussi contre la premiere. Il faut donques à cause de luy, que non seulement on endure que les Superieurs dominent, mais aussi qu'on les honnore et prise en toute reverence [34]), les tenans pour ses lieu-tenans et officiers, lesquels il a commis pour exercer une charge legitime et sainte.

*Article XL.*

Nous tenons donques qu'il faut obeïr à leurs loix et statuts, payer tributs, impos et autres devoirs, et porter le ioug de subiection d'une bonne et franche volonté, encores qu'ils fussent infideles [35]), moyennant que l'Empire souverain de Dieu demeure en son entien [36]). Par ainsi nous detestons ceux qui voudroyent reietter les superioritez, mettre communauté et confusion de biens, et renverser l'ordre de Iustice.

---

29) Iean VI. 1 Cor. XI. 30) Rom. VI. 3. 4. 1 Cor. VI. 11. 31) Iean VI. 1 Cor. XI. 32) Matth. XXVI. 1 Cor. XI. 33) Exod. XVIII. 20. 21. Matth. XVII. 24. 25. Rom. XIII. 34) 1 Timot. II. 2. 1 Pier. II. 13. 14. 35) Matth. XVII. 24. 36) Actes IV. 17. 18. 19.

Fin.

Digitized by Google

# GALLICARUM ECCLESIARUM CONFESSIO

## CHRISTIANISSIMO REGI ANNO *M.D.LXI.* EXHIBITA.

## NUNC VERO IN LATINUM CONVERSA, UT OMNINO CONSTET EAS AB OMNIBUS HAERESIBUS SIVE SECTIS ESSE PRORSUS ALIENAS.

*ANNO DOMINI M.D.LXVI.*

*Omnibus Christianarum Ecclesiarum Pastoribus et doctoribus, patribus ac symmistis in Domino plurimum observandis, Pastores et Ministri Evangelium Iesu Christi in regno Galliarum annuntiantes, gratiam et pacem a Domino.*

Etsi Dei beneficio, adversus eos a quibus, itidem ut vos, oppugnamur, partim nostrae conscientiae testimonio niti possumus, partim etiam ad eos provocare, qui nos quotidie docentes audiunt, suntque eorum omnium, quae in Ecclesiis fidei nostrae commissis geruntur idonei testes: atque adeo publica extat universae doctrinae nostrae confessio, nostro nomine aliquot abhinc annis vulgata, et Regiae Maiestati a nobis exhibita: nihilominus tamen quum hoc tempore, si unquam alias, in omnes species vetus ille noster hostis seipsum transformet, tum ut discordiam inter fratres serat, tum ut nos subinde novis calumniis oneratos magis ac magis in omnium invidiam et odium adducat: visum nobis est eandem illam confessionem Latine conversam in publicum edere, ut qui nos alioqui nonnisi ex rumoribus plerunque incertis ac nonnunquam etiam falsis, norunt, duo plane intelligant, Gallicas videlicet Ecclesias sincerum Dei Evangelium amplexas, neque inter se ulla in re, vel tantillum dissidere, neque diversum aliquod doctrinae genus ab iis Ecclesiis, quas Dominus ex regno tenebrarum ad illam admirabilem lucem nostris temporibus vocavit, profiteri: quod quidem bonis omnibus gratum ac iucundum fore speramus. Scimus tamen nonnullos nihil aeque ac communem omnium Ecclesiarum consensum reformidantes, primum omnium quaesituros si unum et idem sentimus, cur unica confessione non simus omnes contenti: deinde vero in singula etiam vocabula, nedum in confessionis capita diligentissime inquisituros, ut ubi maxima est concordia, sum-

Digitized by Google

mam esse discordiam imperitis hominibus persuadeant, nedum ut quod charitas Christiana iubet, si quae sunt dissidentia, conciliare studeant, et si quae ambigua, in meliorem partem interpretentur. Nec profecto nobis dissimulandum est (quod non sine summo dolore dicimus) neque tantam esse inter nos per omnia ὁμολογίαν, quantam optamus ac etiam speramus: neque deesse in tanto numero qui (quod sine cuiusquam Ecclesiae offensione dictum sit) dogmata quaedam sua maximis cum offendiculis defendant. Sed non deest, Dei gratia, quod communibus adversariis ista nobis obiicientibus commode et vere respondeamus. Nam si iubeantur ipsi communem aliquam confessionem proferre, quid tandem aliud proment, quam suas illas innumeras, et ne ipsis quidem notas traditiones. Nam certe si vel Apostolico illi symbolo, vel quatuor illarum Synodorum fidei expositionibus starent, nulla nobis esset cum illis controversia. Quod si Tridentinum illud suum recens concilium proferent, viderint ipsi quo iure pro communi confessione obtrudant, de quo ne milesimus quidem quisque inter ipsos quicquam unquam cogitavit, aut etiam iudicare possit: atque adeo, de quo ne nunc quidem inter ipsos conveniat. Quid plura? si haec illorum confessio est, sit etiam illis communis non tantum Propheticorum et Apostolicorum scriptorum, sed etiam omnium orthodoxorum Patrum, veterumque Synodorum, ipsorumque adeo quorundam scholasticorum, quos vocant, abnegatio. Desinant igitur ipsi nobis multitudinem confessionum obiicere, quum ipsi ne unam quidem habeant: nobis autem omnino sit gloriosum, quanvis inter nos nullo communicato consilio, in tam diversis regionibus, variis quidem linguis, nec verbis iisdem, sed uno tamen Spiritu unam prorsus et eandem Evangelii doctrinam sonare. Anabaptistas enim, Libertinos, Tritheitas et caeteros eiusmodi, non est quod nobis accenseant, quum nos potius, stertentibus ipsis, illos oppugnemus. Quod si nobis obiiciant infelix illud de Coena Domini dissidium, nihil dicent quod non optimo iure possimus in illos retorquere. Nec enim nobis difficile fuerit ostendere, ne inter ipsos quidem transsubstantiatores per omnia in hoc argumento convenire. Ad rem ipsam autem, quod attinet, quisquis hanc controversiam non ex paucorum quorundam scriptis, sed ex re ipsa aestimabit, comperiet, non esse quidem de nihilo, sed eiusmodi tamen, ut quum neque de re neque de usu Sacramenti illius, sed de solo praesentiae modo nunc quaeratur, propterea diversum doctrinae Ecclesiarum nostrarum fundamentum dici nec possit, nec debeat. Itaque etsi nos hac in doctrinae parte, ut in caeteris, plane cum Anglicis, Scoticis, Helveticis et Rheticis Ecclesiis, ipsaque adeo Genevensi idem penitus sentire ac docere non obscure profitemur, absit tamen ut nos propterea a reliquis Ecclesiis, quas ut vere sanctas et Christianas veneramur, atque adeo quarum splendore nos irradiatos fuisse coram Deo et Angelis ipsius cum gratiarum actione agnoscimus ullo modo seiunctos arbitremur.

Digitized by Google

Esset enim hoc certe nobis non minus acerbum, quam si nostra ipsorum corpora, ipsumque adeo Christum membratim laniari ac discerpi videremus ac sentiremus. Speramus autem potius confidimus vicissim fore (Patres plurimum observandi) ut perlecta nostra Confessione omnes porro eodem in nos animo sitis, nedum ut ullis adversariorum calumniis nihil aeque ac vestram a nobis abalienationem captantibus, aures nedum animos praebeatis. Quod super est, emergentes adhuc Galliae Ecclesias, nosque ipsos adeo vestris precibus commendamus, et Patrem illum, Deum pacis ac misericordiarum toto animo precamur, ut Ecclesiae suae misertus, nostram in Iesu Christi Filii sui Evangelio consensionem augeat, et confirmet: regnum suum denique potenter oris sui Spiritu prostrato Satana et mendacibus omnibus, in universo terrarum orbe stabiliat.

---

# CONFESSIO FIDEI

EDITA ET REGIAE MAIESTATI EXHIBITA COMMUNI CONSENSU OMNIUM PASTORUM, QUI ABDICATIS ROMANAE ECCLESIAE SUPERSTITIONIBUS, PURUM ET SYNCERUM EVANGELIUM DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI IN REGNO GALLIARUM ANNUNTIANT.

## *Articulus I.*

Credimus et agnoscimus unicum Deum, qui sit unica et simplex essentia spiritualis, aeterna, invisibilis, immutabilis, infinita, incomprehensibilis, inenarrabilis, omnipotens, summo sapiens, bona, iusta, et misericors.

## *Articulus II.*

Hic unicus Deus talem se patefecit hominibus, primum in operum suorum tum creatione, tum conservatione et gubernatione: deinde multo clarius in Verbo suo, quod quidem initio certis quibusdam visis et oraculis Patribus patefecit: deinde vero iis libris perscribi voluit, quos *sacram Scripturam* vocamus.

## *Articulus III.*

Tota haec sacra Scriptura Canonicis veteris et novi foederis libris comprehensa est, quorum hic est Catalogus:

Quinque libri Mosis, nempe Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Iosue. Iudices. Ruth. Samuelis libri 2. Regum libr. 2. Chronicon sive Paralipomenon libri 2. Esdrae liber unus. Nehemias. Esther. Iob. Psalmi. Proverbia Salomonis. Ecclesiastes. Canticum canticorum. Esaias. Ieremias, cum Lamentationibus. Ezechiel. Daniel. Minores Prophetae 12. nempe:

Digitized by Google

Oseas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias.

Sanctum Iesu Christi Evangelium secundum Matthaeum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Ioannem. Acta Apostolorum. Epistolae Pauli, nempe ad Romanos una, ad Corinthios duae, ad Galatas una, ad Ephesios una, ad Philippenses una, ad Colossenses una, ad Thessalonicenses duae, ad Timotheum duae, ad Titum una, ad Philemonem una. Epistola ad Hebraeos. Iacobi Epistola. Petri Epistolae duae. Ioannis Epistolae tres. Iudae Epistola una. Ioannis Apocalypsis.

*Articulus IV.*

Hos libros agnoscimus esse *Canonicos*, id est, ut fidei nostrae normam et regulam habemus, idque non tantum ex communi Ecclesiae consensu, sed etiam multo magis ex testimonio et intrinseca Spiritus sancti persuasione: quo suggerente docemur, illos ab aliis libris ecclesiasticis discernere, qui, ut sint utiles, non sunt tamen eiusmodi, ut ex iis constitui possit aliquis fidei articulus.

*Articulus V.*

Credimus Verbum his libris comprehensum ab uno Deo esse profectum, quo etiam uno, non autem hominibus, nitatur ipsius authoritas. Cumque haec sit omnis veritatis summa, complectens quicquid ad cultum Dei et salutem nostram requiritur, neque hominibus, neque ipsis etiam Angelis fas esse dicimus, quicquam ei verbo adiicere vel detrahere, vel quicquam prorsus in eo immutare. Ex hoc autem efficitur, neque antiquitatem, neque consuetudines, neque multitudinem, neque humanam sapientiam, neque iudicia, neque edicta vel decreta ulla, neque Concilia, neque visiones, neque miracula, Scripturae illi Divinae opponere licere: sed potius omnia ad eius regulam et praescriptum examinari et exigi oportere. Quamobrem etiam tria illa Symbola, nempe *Apostolicum*, *Nicaenum*, et *Athanasianum*, idcirco approbamus, quod sint illi verbo Dei scripto consentanea.

*Articulus VI.*

Haec sancta Scriptura nos docet, in illa singulari et simplici essentia divina subsistere tres personas, *Patrem*, *Filium*, et *Spiritum Sanctum*. Patrem videlicet primam ordine causam et originem rerum omnium: Filium autem eius Sapientiam et Verbum aeternum: Spiritum sanctum eiusdem virtutem, potentiam et efficaciam; Filium ab aeterno ex Patre genitum; Spiritum sanctum ab aeterno ex Patre et filio procedentem: quae tres personae non sint confusae, sed distinctae, nec tamen separatae, sed coessentiales, coaeternae, et coaequales. Denique in hoc mysterio ap-

Digitized by Google

probamus, quod vetera illa quatuor Concilia determinarunt: et omnes Sectas a vetustis illis sanctis doctoribus, veluti *Athanasio*, *Hilario*, *Cyrillo*, *Ambrosio*, et caeteris, ex Dei verbo damnatas, detestamur.

### *Articulus VII.*

Credimus, Deum, cooperantibus tribus personis, sua virtute, sapientia ac bonitate incomprehensibili, condidisse universa, id est, non tantum coelum et terram, omniaque iis contenta, sed etiam invisibiles spiritus, quorum alii in exitium praecipites ceciderunt, alii in obedientia perstiterunt. Itaque illos quidem dicimus, ut sunt suapte malitia depravati, esse omnis boni, ac proinde totius ecclesiae perpetuos hostes: hos vero mera Dei gratia conservatos, ministros esse illius gloriae, et electorum salutis.

### *Articulus VIII.*

Credimus Deum omnia non tantum creasse, sed etiam regere et gubernare, ut qui pro sua voluntate disponat et ordinet quicquid in mundo evenit. Negamus tamen illum esse authorem mali, aut eorum, quae perperam fiunt, ullam culpam in ipsum transferri posse, quum ipsius voluntas sit summa et certissima omnis iustitiae norma. Habet autem ipse admirabiles potius quam explicabiles rationes, ex quibus sic utitur Diabolis omnibus et peccantibus hominibus, tanquam instrumentis, ut quicquid illi male agunt, id ipse sicut iuste ordinavit, sic etiam in bonum convertit. Itaque dum confitemur, nihil prorsus non intervenienté ipsius providentia et ordinatione fieri, humiliter adoramus arcana nobis occulta, neque in ea, quae captum nostrum superant, inquirimus. Imo vero usui nostro applicamus, quod Scriptura quietis et tranquillitatis nostrae causa docet: Deum videlicet, cui res omnes subiectae sint, paterna sollicitudine pro nobis excubare, adeo ut ne pilus quidem capitis nostri defluat, absque eius voluntate: Satanam autem et omnes nostros adversarios sic tenere constrictos, ut nisi potestate ipsis facta, ne tantillum quidem nobis incommodare possint.

### *Articulus IX.*

Credimus hominem creatum purum et integrum, et imagini Dei conformem sua ipsius culpa excidisse a gratia quam acceperat, ac proinde seipsum a Deo omnis iustitiae et bonorum omnium fonte abalienasse, adeo ut ipsius natura sit prorsus corrupta, et spiritu excaecatus, ac corde depravatus, omnem illam integritatem, sine ulla prorsus exceptione, amiserit. Etsi enim nonnullam habet boni et mali discretionem: affirmamus tamen quicquid habet lucis mox fieri tenebras, cum de quaerendo Deo agitur, adeo ut sua intelligentia et ratione nullo modo possit ad eum accedere:

Digitized by Google

Item, quamvis voluntate sit preditus, qua ad hoc vel illud movetur, tamen quum ea sit penitus sub peccato captiva, nullam prorsus habet ad bonum appetendum libertatem, nisi quam ex gratia et Dei dono acceperit.

*Articulus X.*

Credimus totam Adami sobolem hac contagione infectam esse, quam *peccatum originale* vocamus, vitium videlicet ex propagatione manans, non autem ex imitatione duntaxat, sicut *Pelagiani* senserunt, quorum omnes errores detestamur. Nec putamus necessarium esse inquirere, quinam possit hoc peccatum ab uno ad alterum propagari. Sufficit enim, quae Deus Adamo largitus erat, non ipsi soli, sed etiam toti ipsius posteritati fuisse data: ac proinde nos in ipsius persona omnibus illis bonis spoliatos, in omnem hanc miseriam et maledictionem incidisse.

*Articulus XI.*

Credimus hoc vitium esse *vere peccatum*, quod omnes et singulos homines, ne parvulis quidem exceptis adhuc in utero matrum delitescentibus, aeternae mortis reos coram Deo peragat. Affirmamus quoque hoc vitium, etiam post baptismum, esse vere peccatum, quod ad culpam attinet, quanvis qui filii Dei sunt, minime idcirco condemnentur, quoniam videlicet Deus pro gratuita sua bonitate et misericordia, illud ipsis non imputat. Dicimus praeterea, hanc perversitatem semper edere fructus aliquos malitiae et rebellionis, adeo ut etiam qui sanctitate excellunt, quanvis ei resistant, multis tamen infirmitatibus et delictis sint contaminati quandiu in hoc mundo versantur.

*Articulus XII.*

Credimus ex hac corruptione et damnatione universali, in qua omnes homines natura sunt submersi, Deum alios quidem eripere, quos videlicet aeterno et immutabili suo consilio sola sua bonitate et misericordia, nulloque operum ipsorum respectu in Iesu Christo elegit: alios vero in ea corruptione et damnatione relinquere, in quibus nimirum iuste suo tempore damnandis iustitiam suam demonstret, sicut in aliis divitias misericordiae suae declarat. Nec enim alii aliis sunt meliores, donec illos Deus discernat ex immutabili illo consilio, quod ante seculorum creationem in Iesu Christo determinavit: neque posset quisquam sua vi sibi ad bonum illud aditum patefacere, quum ex natura nostra ne unum quidem rectum motum, vel affectum seu cogitationem habere possimus, donec nos Deus gratis praeveniat, et ad rectitudinem formet.

*Articulus XIII.*

Credimus quicquid ad salutem nostram requiritur, nobis in uno demum illo Iesu Christo offerri et communicari, ut

Digitized by Google

qui, quum nobis servandis sit datus, simul etiam sit nobis factus sapientia, iustitia, sanctificatio, et redemptio, adeo ut quicunque ab eo declinat, misericordiae patris, id est unico refugio nostro renunciet.

*Articulus XIV.*

Credimus Iesum Christum, sapientiam, et filium aeternum patris, naturam nostram assumpsisse, ita ut una sit persona *Deus* et *Homo*; homo, inquam, et corpore et anima passibilis, nobisque per omnia, excepto peccato, similis, utpote cujus caro sit vere semen Abrahae et Davidis, quanvis arcana et incomprehensibili Spiritus sancti virtute fuerit suo tempore in utero beatae illius Virginis concepta. Ac proinde omnes illas haereses quibus olim turbatae sunt ecclesiae, ut illi veritati contrarias detestamur, ac nominatim quidem diabolicas *Serveti* imaginationes, Domino nostro Iesu Christo *imaginariam deitatem* tribuentis: ut quem videlicet dicat ideam et exemplar fuisse rerum omnium, et *Filium Dei personatum* sive *figurativum* appellat: denique corpus ei fabricantis ex tribus increatis elementis compactum, ac proinde utranque naturam miscentis ac destruentis.

*Articulus XV.*

Credimus in una eademque persona, quae est Iesus Christus, vere et inseparabiliter *duas* illas *naturas* sic esse coniunctas, ut etiam sint unitae: manente tamen unaquaque illarum naturarum in sua distincta proprietate, ita ut quemadmodum in ista coniunctione, divina verbi natura proprietates suas retinens, mansit increata, infinita, et omnia replens: sic etiam natura humana manserit mansuraque sit in aeternum, finita, suam illam naturalem formam, dimensionem, atque adeo proprietatem habens, cui nimirum veritatem humanae naturae non ademerit resurrectio, et glorificatio, sive assumptio ad dexteram patris. Itaque sic Christum consideramus in sua deitate, ut ipsum sua Humanitate non spoliemus.

*Articulus XVI.*

Credimus Deum immensam suam in nos caritatem ac bonitatem in eo demonstrasse, quod filium miserit, qui moreretur et resurgeret, et iustitiam omnem impleret, ut nobis coelestem vitam acquireret.

*Articulus XVII.*

Credimus eo unico sacrificio, quod Iesus Christus in cruce obtulit, nos esse Deo reconciliatos, ut pro iustis reputemur coram ipso, quoniam non possumus ipsi esse grati, neque adoptionis nostrae fructu potiri, nisi quatenus peccata nobis ignoscit. Itaque testamur, Iesum Christum esse integram et perfectam no-

Digitized by Google

stram ablutionem, in cuius morte plenam satisfactionem nancisci mur, qua liberemur ab omnibus peccatis quorum rei sumus, et a quibus absolvi alio remedio non possumus.

*Articulus XVIII.*

Credimus totam nostram iustitiam positam esse in peccatorum nostrorum remissione, quae sit etiam, ut testatur David, unica nostra felicitas. Itaque ceteras omnes rationes quibus homines existimant se coram Deo posse iustificari, plane repudiamus: omnique virtutum et meritorum opinione abiecta, in sola Iesu Christi obedientia prorsus acquiescimus, quae quidem nobis imputatur, tum ut tegantur omnia nostra peccata, tum etiam ut gratiam coram Deo nanciscamur. Denique credimus non posse nos, si vel tantillum ab hoc fundamento declinemus, reperire ubi conquiescamus, sed potius inquietos semper fore, quoniam pacem cum Deo habere non possumus, donec certo nobis sit persuasum, nos in Iesu Christo diligi, quoniam in nobis ipsis omni odio digni sumus.

*Articulus XIX.*

Credimus nos hac una ratione libertatem obtinere Dei invocandi, certa cum fiducia futurum, ut sese nobis patrem demonstret. Nec enim ullus nobis ad patrem aditus nisi hoc Mediatore patet.

*Articulus XX.*

Credimus nos sola fide fieri huius iustitiae participes, sicut scriptum est ipsum passum esse acquirendae nobis saluti, ut quicunque crediderit in eum non pereat. Hoc autem ideo fit quod promissiones vitae, nobis in ipso oblatae, tunc usui nostro applicantur, et nobis redduntur efficaces quum eas amplectimur, nihil ambigentes nobis obventura de quibus ore Dei certiores simus. Itaque iustitia, quam fide obtinemus, pendet a gratuitis promissionibus, quibus nos a se diligi Deus declarat et testificatur.

*Articulus XXI.*

Credimus nos arcana sancti Spiritus gratia donari fidei lumine, quae sit gratuitum Dei donum, et iis unis proprium, quibus Deo libuit illud tribuere, ut non habeant fideles, de quo in seipsis glorientur, cum potius duplo sint obligatiores quod ceteris praeferantur. Sed et illud credimus, fidem electis dari, non ut semel tantum in rectam viam introducantur, quin potius, ut in ea ad extremum usque pergant, quia sicut a Deo initium est, ita etiam est complementum.

*Articulus XXII.*

Credimus nos qui natura servi sumus peccati, hac eadem fide intercedente in novam vitam regenerari. Recipimus autem

Digitized by Google

per fidem hanc sancte vivendi gratiam, dum promissionem illam evangelicam amplectimur, quod daturus sit nobis Dominus Spiritum sanctum. Tantum abest igitur, ut bene et sancte vivendi studium fides extinguat, ut etiam illud cieat, et inflammet in nobis, unde bona opera necessario consequuntur. Ceterum quanvis Deus, ut nos plene servet, regeneret nos, et ad sanctam vitam formet: tamen profitemur, bona opera, quae duce ipsius Spiritu edimus, non respici a Deo, ut per ea iustificemur, aut filii Dei censeri mereamur, quoniam perpetua dubitatione, et trepidatione, fluctuaremus, nisi satisfactione illa niteremur, per quam nos omni noxae Iesus Christus exemit.

## *Articulus XXIII.*

Credimus omnes *Legis* figuras adventu Iesu Christi sublatas esse, quanvis earum veritas et substantia nobis in eo constet in quo sunt omnes impletae. Legis tamen doctrina, et Prophetis nobis utendum est, tum ad vitam nostram formandam, tum ut eo magis in promissionibus Evangelicis confirmemur.

## *Articulus XXIV.*

Credimus, quoniam Iesus Christus datus est nobis unicus advocatus, qui etiam praecipit ut ad patrem suo nomine confidenter accedamus, neque nobis licet alia forma preces concipere, nisi ea quam nobis Deus verbo suo dictavit: quicquid homines de mortuorum sanctorum intercessione commenti sunt, nihil aliud esse quam fraudem et fallacias Satanae, ut homines a recta precandi forma abduceret. Repudiamus etiam, quaecunque alia media excogitarunt homines, ut sese irae divinae eximant, utpote quae sacrificio et morti Iesu Christi tantumdem derogent, quantum illis tribuitur. Denique *Purgatorium* arbitramur figmentum esse ex eadem officina profectum: unde etiam manarunt vota monastica, peregrinationes, interdicta matrimonii, et usus ciborum, ceremonialis certorum dierum observatio, confessio auricularis, indulgentiae, ceteraeque res omnes eiusmodi, quibus opinantur quidam se gratiam et salutem mereri. Ea vero omnia non tantum reiicimus, propter falsam meriti opinionem ipsis adiunctam, sed etiam quoniam sunt humana commenta et iugum ex hominum authoritate conscientiis impositum.

## *Articulus XXV.*

Credimus quoniam non nisi per evangelium fimus Christi compotes, oportere sacram et inviolabilem *ἐντάξιαν* eius authoritate in ecclesia sancitam conservari: ac proinde requiri in ecclesia Pastores, quibus onus docendi verbi et administrandorum sacramentorum incumbat, quos etiam honore prosequi et reverenter audire oporteat siquidem legitime vocati officio suo fungantur: minime id quidem, quasi Deus eiusmodi adminiculis et subsidiis inferioribus

Digitized by Google

egeat, sed idcirco potius, quoniam ita illi videtur nos hoc veluti fraeno adhibito regere. Itaque *Fanaticos* illos omnes detestamur, qui quantum in se est, sacrum ministerium sive praedicationem verbi et administrationem sacramentorum, abolita cupiunt.

### *Articulus XXVI.*

Credimus igitur nemini licere, sese coetibus subducere, et in seipso acquiescere, sed potius omnibus simul tuendam et conservandam esse Ecclesiae unitatem, sese communi institutioni et iugo Christi subiiciendo, ubicunque Deus veram illam disciplinam ecclesiasticam constituerit, etiamsi Magistratum edicta reclament, a quo ordine quicunque seipsos seiungunt, ordinationi Dei resistunt.

### *Articulus XXVII.*

Credimus summo studio et prudentia discernendam esse *veram Ecclesiam*, cuius nomine nimium multi abutuntur. Itaque affirmamus ex Dei verbo, Ecclesiam esse fidelium coetum, qui in verbo Dei sequendo, et pura religione colenda consentiunt, in qua etiam quotidie proficiunt, crescentes et confirmantes se mutuo in Dei timore, ut qui quotidiano progressu et profectu indigeant, quos etiam, quantuncunque promoveant, oporteat tamen assidue ad remissionem peccatorum confugere. Minime tamen inficiamur, quin fidelibus hypocritae et reprobi multi sunt permixti, sed quorum malitia ecclesiae nomen delere non possit.

### *Articulus XXVIII.*

Itaque dum hoc ita esse credimus, simul etiam palam affirmamus ubi verbum Dei non recipitur, nec ulla est professio obedientiae quae illi debetur, nec ullus sacramentorum usus, ibi proprie loquendo, non posse nos iudicare ullam esse Ecclesiam. Papisticos igitur conventus damnamus, quod pura Dei veritas ab illis exulet in quibus etiam sacramenta fidei corrupta sunt, adulterata, falsificata, vel penitus etiam abolita, in quibus denique omnes superstitiones et idolomaniae vigent. Ac proinde arbitramur, omnes eos, qui sese eiusmodi actionibus adiungunt, et iis communicant, a Christi corpore seipsos separare. Quia tamen in Papatu exigua quaedam Ecclesiae vestigia, ac praesertim *Baptismi* substantia remansit, cuius etiam efficacia ab eo non dependet a quo administratur, fatemur illic baptizatos, secundo baptismo non egere, quanvis propter admixtas corruptiones nemo baptizandos illic infantes offerre possit, quin seipsum polluat.

### *Articulus XXIX.*

Credimus veram Ecclesiam gubernari debere ea politia sive disciplina, quam Dominus noster Iesus Christus sancivit, ita videlicet ut in ea sint *pastores*, *presbyteri*, sive *seniores*, et *diaconi*,

Digitized by Google

ut doctrinae puritas retineatur, vitia cohibeantur, pauperibus et reliquis calamitosis, prout opus est, consulatur, et sacri coetus aedificandis tum parvis tum magnis habeantur.

*Articulus XXX.*

Credimus omnes veros Pastores, ubicunque locorum collocati fuerint, eadem et aequali inter se potestate esse praeditos sub unico illo capite, summoque et solo universali Episcopo Iesu Christo: ac proinde nulli Ecclesiae licere sibi in aliam imperium aut dominationem vendicare.

*Articulus XXXI.*

Credimus nulli fas esse suapte auctoritate invadere ecclesiae gubernacula, sed legitima electione quoad eius fieri potest, et quandiu Dominus eius rei potestatem facit, praeeunte, adscisci unumquemque oportere. Addimus autem nominatim illam exceptionem, quoniam interdum, ut nostris etiam temporibus, interrupto Ecclesiae statu necesse fuit nonnullos extra ordinem divinitus excitari, qui Ecclesiae collapsae ruinas instaurarent. Utcunque sit, tamen credimus, semper sequendam esse hanc normam ut omnes pastores et presbyteri suae vocationis testimonium habeant.

*Articulus XXXII.*

Credimus expedire, ut qui electi sunt, ecclesiae alicuius praefecti, inter se dispiciant, qua ratione totum corpus commode regi possit. Ita tamen, ut ab eo, quod Dominus noster Iesus Christus instituit, nusquam deflectant. Hoc autem non impedit, quominus quaedam singulis locis peculiaria sint instituta, prout commodum visum fuerit.

*Articulus XXXIII.*

Excludimus autem humana omnia commenta, et leges omnes, quae, cultus Dei praetextu, astringendis conscientiis invehuntur, et eas tantum admittimus, quae fovendae concordiae, et unicuique in obedientia debita retinendo subserviunt, qua in re sequendum nobis putamus, quod Dominus noster Iesus Christus de *Excommunicatione* statuit, quam quidem approbamus, et una cum suis appendicibus necessariam esse arbitramur.

*Articulus XXXIV.*

Credimus adiuncta esse verbo *Sacramenta*, amplioris confirmationis causa, gratiae Dei nimirum pignora et tesseras, quibus infirmae et rudi fidei nostrae subveniatur. Fatemur enim, talia esse signa haec exteriora, ut Deus per illa, sancti sui Spiritus virtute, operetur, ne quicquam ibi frustra nobis significetur. Arbitramur tamen omnem illorum substantiam et veritatem esse in Christo Iesu, a quo si separentur, nihil sint quam inanes umbrae et fumi.



Digitized by Google

### *Articulus XXXV.*

Agnoscimus duo tantum Sacramenta toti Ecclesiae communia, quorum prius est *Baptismus*, nobis testificandae nostrae adoptioni datus, quoniam in eo inserimur Christi corpori, ut eius sanguine abluti, simul etiam ipsius spiritu ad vitae sanctimoniam renovemur. Illud etiam dicimus, quanvis non nisi semel baptizemur, fructum tamen Baptismi ad totius nostrae vitae cursum pertinere, ut certo stabilique sigillo in nobis obsignetur haec promissio, Christum semper nobis fore sanctificationem et iustificationem. Praeterea quanvis Baptismus sit fidei et resipiscentiae sacramentum, tamen quum una cum parentibus posteritatem etiam illorum in Ecclesia Deus recenseat, affirmamus infantes sanctis parentibus natos, esse ex Christi authoritate baptizandos.

### *Articulus XXXVI.*

Affirmamus *sanctam Coenam Domini*, alterum videlicet Sacramentum, esse nobis testimonium nostrae cum Domino nostro Iesu Christo unitionis, quoniam non est duntaxat mortuus semel et excitatus a mortuis pro nobis, sed etiam vere nos pascit et nutrit carne sua et sanguine, ut unum cum ipso facti vitam cum ipso communem habeamus. Quanvis enim nunc sit in caelis, ibidem etiam mansurus, donec veniat mundum iudicaturus: credimus tamen eum arcana et incomprehensibili spiritus sui virtute per fidem apprehensa, nos nutrire et vivificare sui corporis et sanguinis substantia. Dicimus autem hoc *spiritualiter* fieri, non ut efficaciae et veritatis loco, imaginationem aut cogitationem supponamus, sed potius, quoniam hoc mysterium nostrae cum Christo coalitionis tam sublime est, ut omnes nostros sensus totumque adeo ordinem naturae superet: denique quoniam cum sit Divinum ac caeleste, non nisi fide percipi et apprehendi potest.

### *Articulus XXXVII.*

Credimus, sicut antea dictum est, tam in Coena quam in Baptismo, Deum nobis reipsa, id est, *vere* et *efficaciter* donare quicquid ibi sacramentaliter figurat, ac proinde cum signis coniungimus *veram possessionem ac fruitionem* eius rei, quae ita nobis offertur. Itaque affirmamus eos qui ad sacram mensam Domini puram fidem tanquam vas quoddam afferunt, vere recipere quod ibi signa testificantur, nempe corpus et sanguinem Iesu Christi, non minus esse cibum ac potum animae, quam panis et vinum sunt corporis cibus.

### *Articulus XXXVIII.*

Dicimus itaque elementum aquae, quantumvis caducum, nobis nihilominus vere testificari interiorem animi nostri ablutionem in sanguine Iesu Christi per sancti Spiritus efficaciam. Itemque pa-

Digitized by Google

nem illum, et vinum illud, quod nobis in Coena datur, vere nobis fieri spirituale alimentum, quatenus videlicet velut oculis nostris spectandum praebent carnem Christi nostrum cibum esse, et eiusdem sanguinem nobis esse potum. Itaque fanaticos illos omnes reiicimus, qui haec signa et symbola repudiant, cum Christus Dominus noster pronunciavit: *Hoc* est corpus meum, et *Hoc* poculum est sanguis meus.

### *Articulus XXXIX.*

Credimus Deum velle mundum legibus et Politia gubernari, ut aliqua sint fraena, quibus immoderatae mundi cupiditates coerceantur: ideoque constituisse Regna, Respublicas, et reliquas principatuum species, sive haereditario iure obveniant, sive minus: neque id duntaxat, sed etiam quicquid spectat ad statum Iustitiae, quam vocant, cuius author agnosci postulat. Ideo etiam gladium in Magistratuum manus tradidit, reprimendis nimirum delictis, non modo contra secundam Tabulam, sed etiam contra primam commissis. Oportet igitur propter illum huius ordinis authorem non tantum pati, ut ii dominentur, quos ille nobis praefecit, sed etiam honore et omni reverentia eos prosequi, tanquam eius legatos ac ministros, ad legitimum et sanctum munus obeundum ab ipso designatos.

### *Articulus XL.*

Affirmamus ergo parendum esse legibus et statutis, solvenda tributa, et reliqua onera perferenda, subiectionis denique iugum voluntarie tolerandum, etiam si infideles fuerint Magistratus, dummodo Dei summum imperium integrum et illibatum maneat. Itaque detestamur omnes eos, qui dominationes repudiant, communitatem et confusionem bonorum invehunt, omnes denique iuris rationem evertere moliuntur.

Finis.

---



Digitized by Google

# II.

# SCOTICANA CONFESSIO FIDEI,

## ORDINES REGNI SCOTIAE,

### OMNESQUE IN ILLO REGNO PROFITENTES IESUM CHRISTUM, SANCTUMQUE EIUS EVANGELIUM NATIVIS SUIS POPULARIBUS, ALIISQUE REGNIS ET NATIONIBUS UNA CUM IPSIS EUNDEM CHRISTUM IESUM PROFITENTIBUS, GRATIAM, MISERICORDIAM

### ET

### PACEM A DEO PATRE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI CUM SPIRITU RECTI IUDICII ET SALUTIS,

### COMPRECANTUR.

---

### [PRAEFATIO.]

*Diu sitivimus (Charissimi fratres) mundo patefacere summam illius doctrinae quam profitemur, et pro qua infamiam et periculum sustinuimus: Sed tanta fuit Satanae, contra nos et aeternam Iesu Christi nuper inter nos natam veritatem, rabies, quod in hunc usque diem non fuerit data nobis commoditas exponendi mentem nostram, sicut lubentissime voluissemus. Nam quomodo hactenus, iactati fuerimus, magnam Europae partem non latere arbitramur. Verum, quum ex infinita Dei nostri bonitate (qui nunquam sinit afflictos suos penitus confundi) supra spem, aliquam libertatem et quietem obtinuimus, noluimus non in lucem edere brevem hanc et planam Confessionem illius doctrinae, quae nobis proponitur, quamque nos credimus et profitemur: partim ut satisfiat fratribus, quorum corda procul dubio graviter fuerunt et adhuc sunt vulnerata, acerbis et malitiosis calumniis eorum, qui adhuc bene loqui non didicerunt: partim ut obturemus talium impudentium blasphematorum ora, qui temere et audacter illud damnant, quod nunquam vel audiverunt, nedum intellexerunt. Non quod putemus, virulentam eiusmodi hominum malitiam, hac nostra simplici Confessione posse curari, quum sciamus dulcem Evangelii odorem esse et futurum mortiferum filiis perditionis,*

Digitized by Google

*sed praecipue infirmorum fratrum rationem habemus, quibus cupimus intima animi nostri sensa communicare, ne diversitate rumorum quos Satan contra nos dispersit, ut sanctissimum nostrum propositum disturbet et evertat: protestantes, quod si quis in hac nostra Confessione articulum, vel sententiam repugnantem sancto Dei verbo notaverit, nosque illius scripto admonuerit, promittimus Dei gratia ex Dei ore, id est, ex sacris scripturis, nos illi satisfacturos, aut correcturos, si quis quid erroris inesse probaverit. Deum enim in conscientiis nostris testem advocamus, nos ex animo omnes sectas, haereses, omnesque falsae doctrinae doctores detestari: omnique cum animi submissione et reverentia puritatem Evangelii Christi, quod est unicum animarum nostrarum alimentum nos amplecti: ideoque tanti apud nos pretii, quod decrevimus extrema quaeque mundana pericula potius subire, quam ut nos eo fraudari patiamur. Hoc enim certissime persuasum habemus, quod quicunque Christum negaverit, illiusque coram hominibus puduerit, illum etiam Christus coram coelesti Patre et eius Angelis est negaturus. Ideoque Omnipotentis eiusdem Domini Iesu Christi auxilio freti, firmiter proponimus ad finem usque in huius nostrae fidei Confessione ad finem persistere, sicut in sequentibus articulis continetur.*

---

## SCOTICANA CONFESSIO FIDEI.

### 1. DE DEO.

Confitemur et agnoscimus unum solum Deum, cui soli nos adhaerere oportet: cui soli nos servire oportet: quem solum colere debemus, et in quo solum fiduciam nostram oportet collocare, qui est aeternus, infinitus, immensus, incomprehensibilis, omnipotens, invisibilis, unus essentia, et tamen in tres personas distinctus, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum. Per quem, confitemur, omnia in coelo et in terra, tam visibilia quam invisibilia, creata, in suo esse retineri, ipsiusque inscrutabili providentia regi et gubernari, in talem finem, qualem aeterna ipsius sapientia, bonitas et iustitia, in manifestationem gloriae suae ipsis destinavit, Deuter. 6, 4. Ies. 44, 6. Deuter. 4, 35. Matth. 28, 19. Genes. 11. et 26. Proverb. 16, 4.

### 2. DE CREATIONE HOMINIS.

Confitemur et agnoscimus hunc Dominum Deum nostrum, creasse hominem, videlicet primum nostrum parentem Adamum in imaginem et similitudinem suam, Gen. 1, 27. Cui sapientiam, domi-

Digitized by Google

nium, iustitiam, liberum arbitrium, et claram sui ipsius notitiam dedit: adeo ut in tota hominis natura nulla potuerit notari imperfectio. Ab ista perfectione et honore vir et mulier defecerunt, Gen. 3, 6.; mulier decepta a serpente, et vir aurem voci mulieris praebens, uterque conspirans contra supremam Dei maiestatem, qui disertis verbis mortem antea est interminatus, si praesumerent de arbore illa vetita edere.

## 3. DE ORIGINALI PECCATO.

Qua transgressione, quae vulgo dicitur originale peccatum, prorsus deformata est illa Dei in homine imago, ipseque et eius posteri natura facti sunt inimici Dei, mancipia Satanae, et servi peccati, adeo ut mors aeterna habuerit et habitura est potentiam et dominium in omnes, qui non fuerunt, non sunt, nec futuri sunt coelitus regeniti: quae regeneratio efficitur virtute Spiritus sancti, operantis in cordibus electorum Dei, certam fidem in Dei promissionem, eius verbo nobis revelatam: qua fide, Iesum Christum cum gratuitis eius donis et beneficiis in ipso promissis, apprehendimus, Eph. 2, 1. 2. 3. Rom. 5, 6. 8. Ioh. 3, 5. 6. item 15.

## 4. DE REVELATIONE PROMISSIONIS.

Hoc enim constanter credimus Deum, post tremendam, et horrendam hominis defectionem ab eius obedientia, Adamum quaesivisse, ad se vocasse, ipsius peccatum reprehendisse, eiusdem cum convicisse, et tandem gratuitam et iucundissimam promissionem illi fecisse, scilicet quod semen mulieris caput serpentis contereret, id est opera Diaboli destrueret, quae promissio, sicut saepius repetita fuit, et temporis successu clarior facta, sic fideles omnes, ab Adamo ad Noachum, constanter et cum gaudio eam sunt amplexi, Gen. 3, 15. ibid. 12, 3. Ies. 7, 14. Similiter etiam a Noacho ad Abrahamum, ab Abrahamo ad Davidem, et sic deinceps, ad incarnationem Iesu Christi, omnes (scilicet patres fideles sub lege) iucundissimos illos Christi dies viderunt et gavisi sunt.

## 5. CONSERVATIO, INCREMENTUM ET PRAESERVATIO ECCLESIAE.

Constantissime credimus Deum praeservasse, docuisse, multiplicasse, honorasse, decorasse, atque a morte ad vitam omnibus aetatibus Ecclesiam suam ab Adamo usque ad adventum Christi in carnem, vocasse. Abrahamum enim e patria sua evocavit, illum instituit, Semen eius multiplicavit, atque mirabiliter conservavit, et magis myrifice e servitute et tyrannide Pharaonis liberavit, illis leges, statuta et ceremonias suas dedit, terramque Ca-

Digitized by Google

naan dedit possidendam. Post Iudices et Saulem, illis dedit Davidem Regem: cui promisit fore ut ex fructu lumborum eius unus perpetuo ipsius solio insideret. Ad eundem hunc populum, continuo temporis successu, misit Prophetas, qui eum ad rectam Dei sui viam reducerent, a qua idololatria saepius deflexerunt. Et quanquam, propter pertinacem iustitiae contemptum, quasi coactus fuit, illos in hostium potestatem tradere, sicut antea per os Moysis est interminatus, adeo ut sancta civitas fuerit funditus eversa, templum igne combustum, totaque terra desolata annos 70. tamen gratuita misericordia ipsos Hierosolymam reduxit, ubi civitas et templum sunt restaurata, et illi contra omnes Satanae tentationes et insultus, usque in adventum Messiae, iuxta promissionem, manserunt. 2 Reg. c. 24. et 25. Deuter. 28. Agg. 1. 2. Zach. 3, 1. 2.

## 6. DE CHRISTI INCARNATIONE.

Cum plenitudo temporis advenit, Deus Filium suum, aeternam suam prudentiam, substantiam gloriae suae, in mundum misit, qui naturam humanam ex substantia foeminae assumpsit, nempe ex virgine, idque per operationem Spiritus sancti. Sicque natum est iustum illud Davidis semen, Angelus magni consilii Dei, ipse Messias promissus, quem nos agnoscimus et confitemur Emmanuelem, verum Deum et verum hominem, duabus naturis unitis et coniunctis, in unam personam. Qua confessione nostra damnamus damnabiles et pestilentes haereses Arrij, Marcionis, Eutichetis, Nestorii, et aliorum, qui vel negarunt aeternam illius deitatem, aut veritatem humanae naturae, vel qui eas confuderunt aut diviserunt. Gal. 4, 4. Luc. 2, 6.

## 7. CUR OPORTUERIT MEDIATOREM ESSE VERUM DEUM ET VERUM HOMINEM.

Agnoscimus et confitemur, hanc maxime admirandam coniunctionem inter deitatem et humanitatem in Iesu Christo, ab aeterno et immutabili Dei decreto processisse, unde etiam nostra salus oritur et dependet.

## 8. ELECTIO.

Nam idem aeternus Deus et Pater, qui ex mera gratia elegit nos in Iesu Christo filio suo, ante iacta mundi fundamenta, ipsum, ut nostrum esset caput, noster frater, noster pastor, et magnus animarum nostrarum Episcopus destinavit. Verum quia inimicitia inter Dei iustitiam et nostra peccata erat eiusmodi, ut nulla caro ex se, aut quiverit, aut potuerit ad Deum pervenisse, opus fuit filium Dei ad nos descendere, et sibi corpus ex nostro corpore assumere, carnem ex nostra carne, os ex ossibus nostris,

Digitized by Google

ut sic esset perfectus inter Deum et homines mediator: omnibus quotquot in Deum credunt, dans potestatem, ut fiant Dei filii, ut ipse testatur: Ego ascendo ad meum patrem et vestrum Deum. Per quam sanctissimam fraternitatem, quicquid in Adamo amisimus, rursus nobis restituitur: et hac de causa non veremur Deum patrem nostrum vocare, non tam quia nos creavit, (quod commune habemus cum ipsis reprobis) quam quia dedit nobis in fratrem filium suum unigenitum, nobisque gratiam dedit, ut illum pro nostro mediatore agnoscamus et amplectamur, ut ante dictum est. Oportuit porro Messiam, et redemptorem, verum Deum et verum hominem esse, quia poenas nostris transgressionibus debitas erat laturus, seque ipsum stiturus, quasi in nostra persona coram iudicio Patris pro nostra transgressione et inobedientia pati, morte, mortis authorem superare. Verum quia sola Deitas mortem pati nequivit, neque etiam sola humanitas eandem superare, utramque in unam personam coniunxit, ut unius imbecillitas pateretur, et morti (quam nos meriti sumus) subiiceretur, et infinita atque invincibilis potentia alterius, scilicet Deitatis, triumpharet: et vitam, libertatem et perpetuam victoriam nobis procuraret, atque sic confitemur, maximeque indubitanter credimus. Eph. 1, 4. Hebr. 2, 11. 12. 1 Petr. 2, 25. Ioh. 1, 12. ibid. 20, 17. Ies. 63, 5.

## 9. CHRISTI MORS, PASSIO ET SEPULTURA.

Quod Dominus noster Iesus Christus obtulit se voluntarium Sacrificium Patri pro nobis, quod passus sit contradictionem peccatorum, quod vulneratus et plagis affectus pro nostris transgressionibus fuit, quod cum esset purus et innocens agnus Dei, damnatus sit in praesentia iudicis terreni, ut nos coram tribunali Dei nostri, quod ipse non tantum crudelem crucis mortem sit passus (quae Dei sententiâ fuit maledicta) sed etiam quod ad tempus iram patris, quam peccatores meriti sunt, subivit. Verum nihilominus profitemur, quod permansit unice dilectus et benedictus Patris filius in medio angoris sui, et tormento, et quod animo et corpore passus est, ut pro populi peccatis plene satisfaceret, atque nunc nullum aliud sacrificium pro peccatis superesse affirmamus et profitemur. Quod si qui aliud asserant, illos in Christi mortem, aeternam purgationem et satisfactionem per eandem nobis procuratam blasphemos esse, non dubitamus profiteri. Isa. 53, 10. 12. Hebr. 7, 27. ibid. 9, 26. Hebr. 12, 3. Isa. 53, 3. 4. 5. Deuter. 21, 23. Gal. 3, 13. Hebr. 10, 1. 2. Item 9, 28.

## 10. RESURRECTIO.

Sine omni dubio credimus, quum impossibile esset, ut dolores mortis authorem vitae, captivum tenerent, quod Dominus noster Iesus Christus crucifixus, mortuus et sepultus, qui descendit

Digitized by Google

ad inferos, pro nostra iustificatione resurrexit, et destruens eum, qui erat peccati author, vitam nobis, qui morti eiusque seruituti subiiciebamur, reduxit. Scimus hanc eius resurrectionem confirmatam fuisse testimoniis ipsiusmet inimicorum, resurrectione mortuorum, quorum sepulchra aperta fuerunt, illique resurrexerunt, et multis intra civitatem Hierosolymitanam apparuerunt, id etiam testimoniis Angelorum, sensibus atque iudicio Apostolorum, et aliorum qui cum ipso conversati sunt, quique cum ipso post resurrectionem ederunt et biberunt, est confirmatum. Act. 2, 24. Rom. 6, 4. Matth. 28. Ioh. 20. et 21.

## 11. ASCENSIO.

Nequaquam dubitamus, quin ad ipsum corpus quod natum fuit ex Virgine, crucifixum, mortuum et sepultum, quod illud resurrexit et ascendit in coelos, ut omnia adimpleret: ubi nostro nomine, et ad nostram consolationem, omnem potestatem in coelo et in terra accepit, ubi ad dextram patris sui sedet, coronatus in regno suo, advocatus et solus mediator pro nobis: quam gloriam, honorem et praerogativam ipse solus inter fratres possidebit, donec omnes ipsius inimici fiant scabellum pedum ipsius. Act. 1, 9. Matth. 28, 18. 1 Ioh. 2, 1. item 2, 5. Psalm. 110, 1.

Sicut etiam sine dubio credimus, ultimum iudicium futurum, ad cuius executionem, certo confidimus, eundem Dominum Iesum visibiliter rediturum, sicut visus est ascendere, et quod tunc tempus recreationis et restitutionis rerum omnium veniet, firmiter credimus: adeo ut qui ab initio vim passi sunt et iniuriam propter iustitiam, beatam illam immortalitatem ab initio promissam possidebunt. Apoc. 20, 11. 12. etc. Ies. 66, 18. 19. etc. Sed e contra, refractarii, inobedientes, crudeles, oppressores, homines impuri, idololatrae, et omnis generis infideles, in carcerem exteriorum tenebrarum, ubi ipsorum vermis non morietur, nec ignis extinguetur, coniicientur. Cuius diei iudiciique in ipso exequendi recordatio, non tantum est nobis fraenum ad cohibendum carnales appetitus, sed etiam tanta tamque incomparabilis consolatio, quod nec minae potentissimorum huius mundi principum, nec metus mortis temporalis, et praesentis periculi, poterit nos adigere, ut renunciemus, aut abnegemus beatam illam societatem, quam nos membra habemus cum capite, et unico nostro mediatore Iesu Christo: quem esse Messiam promissum, unicum Ecclesiae caput, iustum nostrum legis latorem, unicum nostrum summum Sacerdotem, advocatum et mediatorem, confitemur et profitemur. In quos honores et munera si homo vel angelus sese ingerere praesumant, illos ut contumeliosos et blasphemos in nostrum Servatorem et supremum gubernatorem, Iesum Christum penitus detestamur, et ab illis abhorremus. Col. 1, 18. Iac. 4, 12. Hebr. c. 9. et 10.

Digitized by Google

## 12. FIDES IN SPIRITUM SANCTUM.

Fides haec eiusque certitudo, ex carne et sanguine, id est ex naturali quae in nobis est facultate, non procedit, sed est inspiratio Spiritus sancti, quem confitemur, eum aequalem Patri et Filio, qui nos sanctificat et ducit operatione sua, in omni veritate, sine quo Dei inimici, et ignari Filii eius Iesu Christi, in aeternum maneremus. Matth. 16, 17. Ioh. 14, 15. 19. Natura enim ita sumus mortui, coeci et perversi, ut nec sentiamus cum pungimur, videamus lucem, cum splendet, nec Dei voluntati, cum nobis revelatur, quimus assentiri, nisi spiritus Domini nostri, quod mortuum est, vivificet, auferat tenebras mentium nostrarum, et rebellionem cordium, in obsequium benedictae voluntatis ipsius flectat. Itaque sicut confitemur Deum Patrem cum non essemus nos creasse, et Filium eius Dominum nostrum Iesum Christum, cum eius inimici essemus, nos redemisse: ita etiam confitemur, Spiritum sanctum, sine omni meriti nostri respectu, (sive sit ante, sive post regenerationem) nos sanctificasse et regenerasse. Et ut hoc unum adhuc planius dicamus, sicut nos omni gloria et honore creationis et redemptionis nostrae spoliamus, sic etiam et regenerationis et sanctificationis: nam ex nobis ne cogitare quidquam boni sufficimus, sed qui incepit opus in nobis, is solus est, qui ad laudem et gloriam, immeritae suae gratiae, id ipsum in nobis continuat. Rom. 5, 10. 2 Cor. 3, 5.

## 13. CAUSA BONORUM OPERUM.

Itaque confitemur, causam bonorum operum esse non nostrum liberum arbitrium, sed Domini nostri Iesu spiritum, Ioh. 3, 6., qui per veram fidem habitans in nostris cordibus talia bona opera producit, qualia Deus praeparavit, ut in illis ambularemus. Eph. 2, 10. Hoc enim audentissime affirmamus, blasphemum esse dicere, Christum in talium cordibus habitare, in quibus nullus prorsus est sanctificationis spiritus. Ideoque non veremur affirmare, homicidas, oppressores, crudeles, persecutores, adulteros, fornicatores, impuros homines, idololatras, ebriosos, fures, et alios iniquitatis operarios, nec veram fidem, nec ullam Spiritus sancti portionem habere, quandiu in tali iniquitate pertinaciter perseveraverint. Nam quamprimum Spiritus Domini Iesu, quem Dei electi per veram fidem recipiunt, possessionem in alicuius corde accipit, tum statim hominem illum regenerat, et renovat: sic, ut odio habere incipiat, quod antea amaverat, et illud incipiat amare, quod antea oderat: et inde procedit continua illa inter carnem et spiritum pugna: adeo quod caro et naturalis homo, secundum suam corruptionem placentia sibi et iucunda concupiscit, murmurat in adversis, in secundis effertur, et omnibus momentis est prona et parata ad Dei maiestatem offendendum. Rom. 8, 16. Sed Dei

Digitized by Google

Spiritus, qui testatur spiritui nostro nos esse Dei filios, facit nos resistere immundis voluptatibus, et in Dei praesentia suspirare, pro liberatione ab hac servitute corruptionis. Et tandem ita de peccato triumphat, ne in mortalibus corporibus regnet. Pugnam hanc carnales homines non habent, quum sint Spiritu Dei destituti, sed sequuntur et obtemperant peccato cum aviditate sine poenitentia, prout Satan et ipsorum prava cupiditas eos stimulat. Verum Dei filii, ut ante dictum est, pugnant contra peccatum, suspirant et gemunt, cum se iniquitate sentiunt tentari: et si lapsi fuerint, non ficta poenitentia resurgunt: haec autem non sua, sed virtute Domini Iesu faciunt, sine quo nihil possunt facere. Ioh. 15, 5.

## 14. QUAE OPERA BONA CORAM DEO REPUTANTUR.

Confitemur et agnoscimus Deum sanctam suam legem homini dedisse, Exod. 20, 1. Deuter. 5, 6. in qua non solum opera, quae displicent, et offendunt divinam maiestatem prohibentur, sed etiam quaecunque ipsi placent, quaeque remunerare promisit, praecipiuntur. Atque haec opera, duorum sunt generum, quorum unum fit in Dei honorem, alterum in proximorum nostrorum commodum: utrumque autem authoritate voluntatis divinae nititur. Unum habere Deum, ipsum colere et honorare, illum in omnibus nostris adversis invocare, sanctum eius nomen revereri, verbum eius audire, ei fidem dare, sanctis eius Sacramentis communicare, sunt primae Tabulae opera. Patrem, matrem, principes, gubernatores, potestates eminentes, honorare, amare, iuvare, mandatis ipsorum (quae divinis non repugnant) obtemperare, innocentum vitas servare (Eph. 6, 1. Ierem. 22, 3. 4. Ezech. 22, 3. 4.), tyrannidem reprimere, oppressos defendere, corpora nostra munda et sancta conservare, sobrie et temperanter vivere, cum omnibus in verbo et facto iuste agere, denique omnes appetitus, quibus proximus noster laeditur, aut laedi possit, reprimere, sunt bona illa opera secundae Tabulae, quae Deo maxime grata et accepta sunt, ut quae ab ipso nobis sunt imperata. Quicquid autem his contrariatur, est peccatum maximo dignum odio, quod omni ratione illi displicet, eumque ad iram provocat. Ies. 50, 10. 11. 1 Thess. 4, 3. 4. 5. Ut ipsum solum non invocare, in nostra necessitate, eius verbum cum reverentia non audire, illud contemnere et spernere, habere vel colere idola, idololatriam fovere vel defendere, parvi pendere reverendum illud Dei nomen, sancta Iesu Christi Sacramenta prophanare, abuti aut contemnere, illis quos Deus in authoritate collocavit (dum se intra vocationis suae limites continent) non parere, aut resistere, (Roman. 13, 1.) homicidium committere aut ei consentire, odio proximum habere, sanguinem innocentem fundi permittere, si illud quominus fiat possis impedire: et tandem transgressionem cuiusvis mandati in prima

Digitized by Google

vel secunda Tabula, quo Dei ira adversus superbum et ingratum mundum accenditur. Itaque illa tantum bona opera esse affirmamus, quae fide secundum Dei mandatum fiunt, qui in lege sua, quid sibi placet exposuit. Mala autem opera dicimus esse, non solum illa, quae expresse contra Dei mandatum fiunt, sed etiam quaecunque in religione et Dei cultu, non aliam habent certitudinem, quam inventionem et opinionem hominis, quae Deus ab initio semper reiecit, sicut per Prophetam Esaiam et Dominum nostrum Iesum Christum istis verbis docemur, Frustra colunt me, doctrinas et mandata hominum docentes. Iesa. 29, 13. Matth. 15, 8.

## 15. PERFECTIO LEGIS ET HOMINIS IMPERFECTIO.

Legem Dei iustissimam, aequissimam, sanctissimam esse confitemur et agnoscimus, quodque ea praecipit, quae si perfecte efficerentur, illuminarent, et hominem ad aeternam felicitatem perducere possent, verum natura nostra adeo est corrupta, infirma et imperfecta, ut nunquam opera Legis perfecte implere valeamus. Rom. 7, 18. Psalm. 19, 12. Deuter. 5, 25. Rom. 10, 3. 1 Ioh. 1, 8. Imo si postquam regenerati sumus, peccatum nos non habere dixerimus, nosmetipsos decipimus, et veritas Dei in nobis non est, et ideo oportet nos Christum cum ipsius iustitia et satisfactione apprehendere, qui est finis et complementum Legis, per quem hac libertate donamur, ut quamvis nos Legem in omnibus non impleamus, tamen ab execratione Dei sumus immunes. Rom. 10, 4. et 9. Gal. 3, 24. Deuter. 26, 13. Nam Deus Pater nos in corpore Iesu Christi Filii sui intuetur, imperfectam nostram obedientiam quasi perfectam acceptat, omniaque opera nostra quae in se multis maculis foedantur, perfecta iustitia Filii sui tegit, Ephes. cap. 1. vers. 5. 11. Roman. cap. 4. vers. 2. non existimamus nos ita libertate donatos, quasi nullam Legi obedientiam debeamus (contrarium enim ante confessi sumus:) sed hoc affirmamus, neminem in terra (Christo solo excepto) opere et revera ita praestitisse, praestare aut praestiturum, eam in opere obedientiam legi, quam lex requirit: sed quum omnia fecerimus, oportet procumbere et ingenue confiteri, nos esse servos inutiles. Luc. 17, 10. Itaque quicunque merita operum suorum iactitant, aut operibus supererogationis confidunt, de vanitate se iactitant, et damnandae idololatriae confidunt.

## 16. DE ECCLESIA.

Sicut in unum Deum Patrem, Filium et Spiritum sanctum credimus, ita etiam ab initio fuisse et nunc esse, Matth. 3, 9. et in consummationem usque mundi futuram unam Ecclesiam constanter credimus, id est, societatem et multitudinem hominum a Deo electorum, qui illum recte per veram fidem in Iesum Chri-

Digitized by Google

stum colunt et amplectuntur, qui eiusdem Ecclesiae solus est caput, quae etiam est corpus et sponsa Christi Iesu, quae ecclesia est Catholica, id est, universalis, quia electos omnium seculorum, regnorum, nationum et linguarum continet, sive sint ex Iudaeis, sive ex Gentibus, qui communionem cum Deo Patre et Filio eius Iesu Christo, per sancti Spiritus sanctificationem habent. Ephes. 1, 22. ibid. 5, 23. Coloss. 1, 18. Apocal. 7, 9. Ideo vocatur communio, non prophanorum, sed sanctorum, qui tanquam cives coelestis Hierosolymae beneficiis, omnem aestimationem superantibus fruuntur, videlicet uno Deo, uno Domino Iesu Christo, una fide unoque Baptismo: extra quam Ecclesiam nec est vita, nec aeterna felicitas. Itaque prorsus detestamur illorum blasphemiam, qui dicunt homines viventes secundum aequitatem et iustitiam, quamcunque religionem professi fuerint, servatum iri. Nam ut sine Christo nec est vita nec salus, ita nemo eius erit particeps, nisi quem Pater Filio Iesu Christo tradidit, illosque opportuno tempore ad illum venire, eius doctrinam profiteri, in illum credere (liberos. n. cum parentib. fidelibus comprehendimus) oportet. Haec Ecclesia est invisibilis, soli Deo nota, qui solus novit, quos elegit: comprehenditque, sicut dictum est, tam electos defunctos, qui vulgo Ecclesia triumphans vocantur, quam eos qui adhuc in hac vita supersunt, militantes contra peccatum et Satanam, et posthac sunt victuri. Ioh. 6, v. 37. 39. et 65.

## 17. ANIMARUM IMMORTALITAS.

Electi defuncti, sunt qui in pace et quiete a laboribus suis Apoc. 14, 3. non quod dormiunt, et in quandam oblivionem veniunt, ut phantastici quidam affirmant: sed quod ab omni metu et tormentis omnique tentatione liberantur, quibus nos et omnes Dei electi in hac vita subiicimur, Apoc. 7, 14. Ideoque Ecclesia militans appellatur, ut contra reprobi et infideles defuncti, angorem, tormenta et poenam supra quam exprimi potest patiuntur: adeo ut neque hi neque illi ita dormiunt, quin sentiunt in qua conditione versentur, sicut parabola Iesu Christi, Lucae 16. eius verba in cruce ad latronem et clamor animarum sub altare (Domine qui es iustus et aequus, quousque sanguinem nostrum inultum in habitatores terrae relinques) manifeste attestantur Luc. 23, 43. et Apoc. 6, 10.

## 18. DE NOTIS, QUIBUS ECCLESIA VERA, A FALSA DISCERNITUR, ET QUIS DOCTRINAE IUDEX CONSTITUENDUS.

Quia Satan ab initio operam navavit, pestiferam suam Synagogam Ecclesiae Dei titulo ornare, et inflammavit corda crudelissimorum homicidarum, persequi, turbare et molestia afficere veram Ecclesiam, eiusque membra, ut in Caino et Abele, Ismaele et

Digitized by Google

Isaaco, Esauo et Iacobo, omnibusque Iudaeorum sacerdotibus, et Iesu Christo, et eius Apostolis, qui eum secuti sunt, Gen. 4, 8. 21. 9, 27. 41. Matth. 23, 29. Ioh. 11, 53. Act. 4, 1. Imprimis necesse est, ut vera Ecclesia ab eiusmodi sordidis synagogis, perspicuis et perfectis notis discernatur, ne decepti, ad nostram damnationem, falsam pro vera, recipiamus et amplectamur; notae, signa et certa indicia, quibus immaculata Iesu Christi sponsa ab impuro et horribili scorto, Ecclesia malignantium dignoscitur, nec esse antiquitatem, usurpatum titulum, linealem descensum, nec multitudinem hominum, approbantium errorem, affirmamus. Cain enim, aetate et titulo Abeli et Setho praeferebatur. Ierusalem etiam praerogativam supra omnia terrae loca habebat: ubi etiam Sacerdotes per lineam ab Aarone descenderunt: maior etiam numerus, Scribas, Pharisaeos et Sacerdotes sequebatur, quam qui vere in Christum Iesum crediderunt, eiusque doctrinam approbarunt: et tamen neminem sani iudicii arbitramur fassurum, aliquem praedictorum Dei Ecclesiam fuisse. Notas ergo verae Ecclesiae Dei credimus, confitemur, et profitemur, primum et ante omnia, veram praedicationem Verbi Dei, in quo Deus seipsum nobis patefecit, sicut Prophetarum et Apostolorum scripta nobis declarant. Ioh. 1, 23. 45. 5, 39. 1 Cor. 3, 10. 11. Eph. 2, 20. Rom. 4, 11. 1 Cor. 5, 3. Deinde recta Sacramentorum Iesu Christi administratio, quae verbo et promissioni Dei annecti debent, ut illud in cordibus nostris confirment et obsignent. Postremo loco est disciplina Ecclesiastica recte administrata, sicut Dei verbum praescribit ad reprimendum vitium et virtutem fovendam. Ubicunque praedictae hae notae videntur, et tempore aliquo continuantur (etsi numerus duo vel tres non excedat) illic proculdubio esse Ecclesiam Christi, in cuius medio ipse (prout est pollicitus) praesens adest, non in universali, de qua diximus antea, sed particulari, qualis erat Corinthi in Galatis, Ephesi et in aliis locis, in quibus ministerium fuit a Paulo plantatum, et ab Apostolo, Ecclesiae Dei nominatae fuerunt. Tales nos qui in Scotia habitamus in Scotiae regno, Iesu Christi professores, in urbibus et pagis et locis *reformatis* habere nos profitemur. Doctrina enim quae in Ecclesiis nostris docetur, verbo Dei scripto continetur, videlicet in libris Veteris et Novi Testamenti, de libris enim illis loquimur, qui a veteribus Canonici habiti fuerunt. In quib. omnia credenda ad hominum salutem sufficienter expressa affirmamus. Cuius interpretationem, neque ad privatam aliquam aut publicam personam pertinere confitemur, neque ad Ecclesiam aliquam, propter praeeminentiam aut praerogativam quancunque vel personalem vel localem, quam una supra aliam habet: sed ius et authoritas haec esse solius Spiritus Dei, per quem S. Scripturae literis sunt mandatae. Cum ergo contingit quod contravertitur pro recto sensu alicuius loci, vel sententiae Scripturae aut pro reformatione alicuius abusus in Ecclesia Dei, non tam viden-

Digitized by Google

dum nobis est, quid homines ante nos vel dixerunt, vel fecerunt, quam quid Spiritus sanctus uniformiter, in corpore Sacrae Scripturae dicat, et quid Iesus Christus ipse fecit, et faciendum praecepit. Hoc enim omnes sine controversia fatentur Spiritum Dei, qui est unitatis Spiritus, nullibi sibi contrarium esse, 1 Cor. 12, 4. Si itaque interpretatio, determinatio, vel sententia cuiusvis doctoris Ecclesiae vel concilii, expresso Dei verbo, in quovis alio Scripturae loco repugnet: certum est illam interpretationem, non esse mentem et sensum Sancti spiritus, quamvis Concilia, Regna et nationes eam admiserint et approbaverint: nullam enim interpretationem admittere audemus, quae alicui principali articulo fidei, aut alicui plano textui Scripturae aut charitatis regulae repugnant.

## 19. SCRIPTURARUM AUTHORITAS.

Sicut credimus et confitemur Scripturas Dei sufficienter instruere, et hominem Dei perfectum reddere: ita eius authoritatem a Deo esse, et nec ab homine vel Angelo pendere affirmamus et profitemur, 1 Timoth. 3, 26. Asserimus itaque quod qui dicunt Scripturas non aliam habere authoritatem, sed eam quam ab Ecclesia accepit, sunt in Deum blasphemi, et verae Ecclesiae iniuriam faciunt quae semper audit, et voci sponsi et pastoris sui obsequitur, nunquam autem magistram agere sibi arrogat, Iohann. 10, 3. et 14.

## 20. DE CONCILIIS GENERALIBUS, EORUM POTESTATE, AUTHORITATE, ET CAUSIS CUR CONVENIUNT.

Quemadmodum non temere damnamus illud quod viri pii, congregati in generali Concilio legitime convocato, nobis proposuerunt; ita sine iusto examine non admittimus quicquid hominibus, generalis concilii nomine obtruditur: manifestum enim est, quod sicut fuerunt homines, ita etiam eorum quidam manifeste erraverunt, idque in rebus maximi ponderis et momenti. Quatenus ergo concilium, sententiam et mandatum quod dat, probat plano Dei verbo, eatenus statim idipsum reveremur et amplectimur. Verum si qui Concilii nomine novos fidei nostrae articulos nobis cudere aut constitutiones verbo Dei repugnantes facere praetendant: tamen oportet omne illud quod animas nostras a voce soliùs Dei nostri avocat, ut hominum doctrinas et constitutiones sequamur, tanquam doctrinas daemoniorum penitus reiicere, 1 Timoth. 4, 1. Causa igitur, cur generalia Concilia convenerunt, non fuit, ut aliquam perpetuam non antea a Deo latam legem conderent, neque ut novos fidei nostrae articulos fabricarent, vel ut Dei verbo ullam authoritatem tribuerent: multo minus, ut facerent illud esse verbum Dei, aut veram ipsius interpretationem, quae antea non fuerit, sancta eius voluntas verbo ipsius expressa. Verum causa

Digitized by Google

conciliorum (loquimur enim de illis quae conciliorum nomina merentur) partim fuit ad haereses confutandum, et ut publicam fidei confessionem posteris sequendam darent, quod utrunque authoritate verbi Dei scripti fecerunt, idque sine opinione cuiusvis praerogativae, quod quia in generali concilio essent, ideo non poterant errare. Haec fuit prima et principalis generalium conciliorum ex nostra sententia, causa. Altera fuit propter bonam politiam constituendam et observandam in Ecclesia, in qua (ut in Dei domo) omnia decenter et ordine fieri convenit. Non quod eandem in omnibus politiam, eundemque prorsus, in singulis caeremoniis ordinem pro omnibus aetatibus, temporibus et locis constitui posse arbitremur: nam ut caeremoniae ab hominibus inventae tantum sunt temporales: ita et possunt et debent mutari, cum potius superstitionem pati vel fovere, quam ipsarum usu, Ecclesiam Dei aedificare, inveniuntur.

## 21. DE SACRAMENTIS.

Sicut Patres sub Lege, duo praecipua, praeter veritatem sacrificiorum, habuerunt Sacramenta, scilicet Circuncisionem, et Pascha, quae qui despexerunt aut contempserunt, pro Dei populo non sunt habiti, (1 Cor. 10, 2. 3. 4.) ita etiam nunc tempore Evangelii, nos duo solum habere praecipua a Christo instituta Sacramenta, agnoscimus et confitemur, quae ab omnibus illis utenda praecipiuntur, qui volunt corporis ipsius membra haberi, scilicet Baptismus et Coena vel mensa Domini, quae vulgo communio corporis et Sanguinis eius vocatur. Atque Sacramenta illa tam Veteris quam Novi Testamenti nunc a Deo instituta, non tantum visibiliter inter populum eius et eos qui extra foedus sunt distinguere, sed etiam fidem suorum filiorum exercere, et participationem eorundem Sacramentorum in illorum cordibus, certitudinem promissionis eius, et felicissimae illius coniunctionis, unionis et societatis, quam electi cum capite suo Iesu Christo habent, obsignare. Itaque vanitatem eorum, qui affirmant, Sacramenta nil aliud quam mera et nuda signa esse, omnino damnamus. Quin potius, certo credimus, per baptismum, nos in Christo Iesu inseri: iustitiaeque eius per quam omnia nostra peccata teguntur et remittuntur, participes fieri: atque etiam quod in Coena Domini rite usurpata, Christus ita nobis coniungitur, quod sit ipsissimum animarum nostrarum nutrimentum et pabulum: non quod panis in naturale Christi corpus, et vini in naturalem eius sanguinem transubstantiationem ullam imaginemur, sicut Pontificii perniciose docuerunt, et in damnationem credunt: Sed unio haec et coniunctio, quam habemus cum corpore et sanguine Iesu Christi in recto Sacramenti usu, operatione Spiritus sancti efficitur, qui nos vera fide, supra omnia quae videntur, quaeque carnalia et terrestria sunt, vehit, et ut vescamur corpore et sanguine Iesu Christi

Digitized by Google

semel pro nobis effusi et fracti, efficit, quodque nunc est in coelo, et in praesentia Patris pro nobis apparet. Et quamvis magna sit loci distantia inter corpus ipsius nunc in coelis glorificatum, et nos nunc in his terris mortales: nihilominus tamen firmiter credimus, panem quem frangimus esse communionem corporis, et poculum cui benedicimus esse communionem sanguinis eius, sic quod fideles in recto usu Coenae Dominicae ita edere corpus et bibere sanguinem Iesu Christi confitemur, et certo credimus quod ipse in illis et illi in ipso manent, imo ita fiunt caro de carne et os de ossibus eius, quod sicut aeterna deitas carni Iesu Christi vitam et immortalitatem tribuit, ita etiam caro et sanguis eius, dum a nobis editur et bibitur, easdem nobis praerogativas confert. Quae quanquam confitemur, neque nobis dantur eodem tempore solum, neque propria facultate et virtute Sacramentorum solum: nihilominus fideles in recto usu Coenae Dominicae, talem habere coniunctionem cum Christo Iesu, qualem naturalis homo non potest apprehendere, affirmamus. Imo et insuper utcunque fideles, negligentia et humana infirmitate oppressi, non quantum velint proficiunt, in ipso tempore dum Coena celebratur, tamen postea velut semen vivificum bonae terrae commissum, fructum producturum asserimus. Nam Sp. S. qui nunquam potest ab Institutionis Christi recto usu dividi fideles, fructu illius mysticae actionis non frustrabitur. Verum totum hoc ex vera fide Iesum Christum apprehendente, qui solus facit Sacramenta nobis efficacia provenire dicimus. Itaque quicunque nobis detrahunt, quasi nos affirmaremus vel crederemus Sacramenta nil aliud esse, quam nuda et vacua signa: iniuriam nobis faciunt, et contra manifestam veritatem loquuntur. Verum hoc libere et ultro confitemur, nos inter Christum in aeterna ipsius substantia et elementa in signis Sacramentalibus distinguere, adeo quod nec signa loco rei signatae adoramus, nec adoranda putamus, nec despicimus, aut tanquam inutilia et vana interpretamur, verum cum omni reverentia illis utimur. Et antequam illis utimur, quam possumus diligentissime nos examinamus. Quia hoc nobis est persuasum ex ore Apostoli, quod qui edunt ex illo pane, et ex calice illo bibunt indigne, rei sunt corporis et sanguinis Iesu Christi.

## 22. DE RECTA SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE.

Ut Sacramenta recte administrentur, duo necessario requiri arbitramur. Unum ut per legitimos ministros administrentur: tales autem solum dicimus illos, qui ad verbi praedicationem designantur, in quorum ore Deus aliquem posuit exhortationis sermonem, quique sunt tales, qui per aliquam Ecclesiam sunt ad illud legitime electi: Alterum est ut in eiusmodi elementis, et tali forma administrentur, sicut Deus constituit, alioqui desinere recta esse Iesu Christi sacramenta affirmamus. Hinc est quod socie-



Digitized by Google

tatem cum Ecclesia pontificia in suorum Sacramentorum participatione fugimus. Primo quod illorum ministri, non sunt ministri Iesu Christi, (imo quod magis est horrendum, foeminis baptizare permittunt, quas Spiritus S. in congregatione docere non patitur.) Secundo quia unum et alterum Sacramentum, suis inventionibus ita adulterarunt quod nulla pars actionis Christi in prima sua originali puritate permaneat: nam oleum, sal, sputum, et alia in Baptismo, sunt tantum inventiones humanae, adoratio, veneratio, circumgestatio per plateas urbium, conservatio panis in pixide, vel capsula non sunt legitimus usus Sacramenti corporis Christi, sed mera eiusdem profanatio. Nam Iesus Christus dixit accipite, edite, facite hoc in mei recordationem, quibus verbis et mandato, sanctificavit panem et vinum in Sacramentum corporis et sanguinis sui, idcirco ut unum comederetur, et ex altero omnes biberent: et non ut serventur et tanquam Deus adorentur et honorentur sicut Pontificii hactenus fecerunt, qui etiam suffurando a populo, poculum illud benedictionis horrendum sacrilegium commiserunt. Insuper ad rectum Sacramentorum usum requiritur, ut finis et causa, propter quem Sacramenta sunt instituta, non minus a communicantibus, quam administris intelligatur et observetur. Nam si intentio in participante mutetur, rectus usus cessat, quod evidentissimum est in sacrificiorum reiectione (sicut etiam si Minister plane falsam doctrinam docuerit, quod esset coram Deo odiosum et detestandum) etsi ipsius essent instituta, quia homines impii in alium finem illis utuntur, quam a Deo sunt ordinata. Idem affirmamus de Sacramentis in Ecclesia Pontificia, in qua totam Iesu Christi actionem adulterari affirmamus, tam in externa forma, quam in fine et opinione. Quid Iesus Christus fecit, et faciendum praecepit, ex Evangelistis et D. Paulo est manifestum, quid Sacerdos Pontificius ad altare suum faciat, non est necesse repetere. Finis et causa institutionis Christi, et cur illud quod instituit, a nobis fieri debet, illis verbis exprimitur, hoc facite in mei recordationem, quotiescunque ex isto pane ederitis, et ex isto poculo biberitis, annunciate, id est extollite, praedicate, magnificate et laudate mortem Domini donec venerit. Verum in quem finem, quave opinione, Sacerdotes Missam suam dicant, eorum verba in Missa testentur: videlicet quod illi, velut mediatores inter Christum et ipsius Ecclesiam, Deo Patri sacrificium propitiatorium, pro peccatis vivorum et mortuorum offerunt, quam doctrinam, velut sufficientiae unius sacrificii Christi semel oblati ad purgationem omnium qui sanctificantur derogantem, atque in ipsum Iesum Christum blasphemam nos penitus abhorremus, detestamur et repudiamus.

## 23. AD QUOS SACRAMENTA PERTINENT.

Baptismum pertinere, tam ad infantes fidelium quam ad ipsos fideles adultos et intellectu praeditos agnoscimus et confitemur,

Digitized by Google

atque ita errorem Anabaptistarum damnamus, qui negant Baptismum infantibus usque dum cognitionem et fidem habuerint. Coena vero Domini, tantum domesticis fidei, qui se examinare et probare possunt, tam in fide quam in fidei officiis erga proximos pertinere confitemur. Qui sine fide, aut qui cum fratribus suis in dissensione manent, in sacra illa mensa edunt et bibunt, indigne edunt. Hinc est quod in Ecclesia nostra pastores publicum et particulare examen, tum cognitionis tum conversationis et vitae ineunt, eorum qui ad Coenam Domini Iesu sunt admittendi.

## 24. DE CIVILI MAGISTRATU.

Confitemur et agnoscimus, Imperia, Regna, Dominia et Civitates a Deo distincta et ordinata esse. Potestatem et authoritatem in iisdem sive imperatorum in imperia, regum in sua regna, Ducum et Principum in sua dominia, aliorumque magistratuum in civitates suas, sanctam esse Dei ordinationem, ad manifestationem gloriae ipsius et singularem utilitatem humani generis destinatam: adeo ut quicunque quaerant tollere vel confundere totum civilis politiae statum, iamdiu stabilitum, illos non tantum humani generis hostes, sed impie contra manifestam Dei voluntatem pugnare affirmamus. Praeterea confitemur et agnoscimus, omnes illos, qui in authoritate collocati sunt, esse amandos, honorandos, timendos, atque in maxime reverenda aestimatione habendos esse: propterea quod vicem Dei gerunt, in quorum subselliis Deus ipse sedet et iudicat, imo ipsi ludices et Principes sunt ii, quibus a Deo datur gladius in laudem et protectionem bonorum, et in maleficorum iustam poenam et vindictam. Insuper Regum, Principum, Gubernatorum et Magistratuum esse potissimum et imprimis Religionis purgationem et conservationem, affirmamus. Adeo ut non tantum propter civilem politiam, sed etiam propter conservationem verae religionis, et ut idololatria et superstitio quaevis supprimatur, a Deo sunt ordinati: ut in Davide, Iosaphato, Iosia, Ezechia et aliis summis laudibus propter singularem zelum ornatis est videre. Ideo confitemur et profitemur quod qui supremae authoritati resistunt, usurpantes quod ad illius munus pertinet, illi Dei ordinationi resistunt, ideoque coram illo innocentes esse non possunt. Et praeterea affirmamus, quod quicunque auxilium, consilium et consolationem principibus et gubernatoribus fideliter in executione muneris incumbentibus, negant iidem auxilium consilium et suppetias Deo, qui haec per praesentiam sui vicem gerentis petit, recusant.

## 25. PRIVILEGIA ECCLESIAE GRATIS DATA.

Quanquam Dei verbum vere praedicatum, et Sacramenta recte administrata, atque disciplina secundum Dei verbum in executione



Digitized by Google

missa, certa sint et indubitata verae Ecclesiae signa, non tamen propterea singulas talium societatum personas, electa esse Christi membra arbitramur. Agnoscimus enim et confitemur, zizania et paleas cum bono tritico, et posse seminari, crescere, et in magna copia in medio tritici latere, id est, quod reprobi possunt iungi coetibus electorum, et cum illis in externis verbi et Sacramentorum beneficiis possunt communicare. Sed cum tales tantum oretenus ad tempus profitentur, et non ex animo, deficiunt, et non perseverant usque ad finem. Ideo ex Christi morte, resurrectione et ascensione nullum fructum percipiunt. Sed qui corde sine simulatione credunt, et ore audenter Iesum Christum confitentur, ut antea diximus, dona illa certissime percipient, primo, in hac vita, remissionem peccatorum, idque sola fide in Christi sanguine: adeo ut quamvis peccatum maneat et continuo insit in mortalibus istis nostris corporibus, tamen non imputatur nobis, sed remittitur, et tegitur Christi iustitia. Secundo in generali iudicio, dabitur unicuique viro et feminae resurrectio carnis: mare enim suos mortuos, terra eos qui in ipsa inclusi sunt reddet: imo aeternus Deus manum suam super pulverem terrae extendet, et mortui incorruptibiles resurgent, idque in eiusdem carnis substantia, quam unusquisque nunc gerit, secundum opera, vel gloriam vel poenam reportare. Nam qui nunc in vanitate, crudelitate, impuritate, superstitione vel idololatria delectantur, igni qui nunquam extinguetur, adiudicabuntur, in quo tam corporibus quam animis, quae nunc diabolo ad omnem abominationem committendam mancipant, cruciabuntur. Qui autem bene agendo perseverant audenter Dominum Iesum profitentes, constanter credimus eos gloriam, honorem et immortalitatem possessuros, ut perpetuo in aeterna vita cum Christo Iesu regnent, cuius glorificato corpori, omnes electi conformes reddentur, cum ipse rursus in iudicio apparebit, et regnum Deo Patri suo tradet, qui tunc erit et in perpetuo manebit, omnia in omnibus Deus benedictus in seculum, cui cum Filio et Spiritu sancto, sit omnis honor et gloria, nunc et in aevum. Amen.

Digitized by Google

# 12.

# GENERALIS CONFESSIO VERAE ET CHRISTIANAE FIDEI ET RELIGIONIS

## SECUNDUM DEI VERBUM, ET ACTA NOSTRORUM PARLAMENTORUM, CUI REGIA MAIESTAS EIUSQUE FAMILIA, ALIIQUE VARII AD DEI GLORIAM, BONUMQUE OMNIUM EXEMPLUM SUBSCRIPSERUNT.

### APUD EDIMBURGUM 28. IANUARII ANNO DOMINI 1581. ANNOQUE REGNI MAIESTATIS REGIAE 14.

---

Nos omnes, nostrumque unusquisque qui infra subscripsimus, protestamur post longam et debitam examinationem conscientiarum nostrarum in rebus verae et falsae religionis, nunc ex Dei verbo et ipsius Spiritu, de veritate plene persuasi sumus. Ideoque cordibus nostris credimus, ore nostro confitemur, manibusque nostris subscribimus, et constanter coram Deo et toto mundo affirmamus, hanc solam esse veram Christianam fidem, Deo placentem, hominique salutem afferentem, quae nunc ex Dei misericordia, benedicti Evangelii praedicatione est mundo patefacta, quaeque a multis et diversis insignibus Ecclesiis et regnis recipitur, creditur et defenditur, et praecipue ab Ecclesia Scoticana, Maiestate Regia, et tribus huius regni ordinibus, tanquam aeterna Dei veritas, et unicum nostrae salutis fundamentum, ut particularius exprimitur in Confessione fidei nostrae stabilitae et publice confirmatae, diversis actis Parlamentorum, et iam a longo tempore Regis nostri Maiestas, totumque regni Scotiae corpus, cum in urbibus, tum rure, publice professi sunt. Cui Confessioni, et Religionis formae nos libenter in omnib. articulis in conscientiis nostris assentimur, tanquam indubitatae Dei veritati, quae verbo ipsius scripto tantummodo innititur. Ideoque ab omni contraria religione et doctrina abhorremus, eamque detestamur, praesertim vero, omne genus Papismi in genere, et particularia eius capita, sicut a Dei verbo et Ecclesia Scoticana damnantur et confutantur: nominatim autem detestamur, et repudiamus usurpatam illam Rom. Antichristi authoritatem in Scripturas Dei, in Ecclesiam, in civilem

Digitized by Google

Magistratum et conscientias hominum: omnes ipsius leges tyrannicas, de rebus adiaphoris contra Christianam nostram libertatem: erroneam eius doctrinam, contra sufficientiam verbi scripti, perfectionem Legis, officium Christi, et benedictum Evangelium. Corruptam eius doctrinam, de peccato originali, nostra naturali impotentia, et rebellione contra Dei legem, nostram iustificationem per solam fidem, imperfectam nostram sanctificationem et obedientiam legi naturae, ministerium, et usum sacrosanctorum Sacramentorum: quinque spuria eius Sacramenta, cum omnibus eius ritibus, ceremoniis et falsa doctrina, administrationi verorum Sacramentorum addita sine Dei verbo: crudele ipsius iudicium contra infantes sine baptismo morientes, baptismi, absolutam ipsius quam asserit necessitatem: blasphemam ipsius opinionem transubstantiationis sive realis praesentiae corporis Christi in elementis, et de receptione eiusdem ab impiis vel hominum corporibus, eius dispensationes cum solennibus iuramentis, periuriis et gradibus in matrimonio prohibitis a verbo Dei: ipsius crudelitatem contra innocentem in divortio repudiatum, Missam eius diabolicam, Sacerdotium eius blasphemum, prophanum ipsius pro peccatis viventium et mortuorum sacrificium: canonizationem hominum, invocationem Angelorum, aut Sanctorum defunctorum: imaginum, reliquiarum, et imaginum crucis cultum: dedicationem templorum, altarium, dierum, vota quae fiunt creaturis: ipsius purgatorium, preces pro mortuis, orationes et sermones lingua peregrina cum ipsius processionibus et blasphemam eius litaniam, et multitudinem advocatorum et mediatorum: multiplices ordines, auricularem confessionem, dispersam et incertam eius poenitentiam, generalem eius et dubitantem fidem, eius satisfactiones hominum pro suis peccatis, ipsius iustificationem ex operibus, opus operatum, opera supererogationis, merita, indulgentias, peregrinationes et stationes, aquam sanctam, baptismum campanarum, spirituum coniurationem, crucis formationem, benedictionem, unctiones, exorcizationes, consecrationes bonarum Dei creaturarum, una cum superstitiosa de his adiuncta opinione: terrenam eius monarchiam, cum impia hierarchia, tria eius solennia vota cum omnibus ipsius diversarum sectarum rasis. Erronea et sanguinolenta ipsius Concilii Tridentini decreta, cum omnibus subscriptoribus et approbatoribus crudelis et sanguinei illius foederis coniurati contra Dei Ecclesiam. Et tandem omnes eius vanas allegorias, ritus, signa et traditiones in Ecclesiam Dei praeter, vel contra Dei verbum et doctrinam huius vere reformatae Ecclesiae introducta, cui nosmetipsos in doctrina, fide, religione, disciplina et usu sacrorum Sacramentorum, tanquam viva membra, eiusdem corporis sub Christo capite libenter adiungimus. Promittentes et solenniter iurantes per magnum illud nomen Domini Dei nostri nos perseveraturos in doctrina et disciplina huius Ecclesiae, quodque pro vocatione et facultate nostra eadem defendemus omnibus diebus vitae nostrae,

Digitized by Google

sub poena omnium maledictionum in lege contentarum, et periculo corporis et animae, in die tremendi illius iudicii Dei. Quumque multi a Satana et Romano illo Antichristo incitentur promittere, iurare, subscribere, et ad tempus sanctis Sacramentis fraudulenter contra ipsorummet conscientias uti, hac ratione intendentes, sub externo religionis praetextu, primum, veram Dei religionem in Ecclesia corrumpere et subvertere, et postea commodam opportunitatem nacti, apertos hostes se profiteri, et eandem persequi, lactati vana spe indulgentiarum pontificis, quas contra Dei verbum excogitavit, ad maiorem ipsiusmet confusionem, et ipsorum in die Domini Iesu, duplicem condemnationem. Nos igitur, omnem talis hypocrisis et fraudis, in hoc cum Deo et Ecclesia negotio suspicionem removere cupientes, protestamur et invocamus scrutatorem cordium et renum in testem, quod mentes et corda nostra plene huic confessioni, promissioni, iuramento et subscriptioni assentiuntur: adeo quod non moveamur ullo mundano respectu, sed tantum persuasi sumus in nostra conscientia, cognitione et amore verae religionis Dei nostri, per sanctum Spiritum cordibus nostris impressae, sicut illi respondebimus in die illo, cum secreta omnium cordium fient manifesta. Et quia percipimus, quietem et stabilitatem religionis et Ecclesiae nostrae proxime sub Deo a salute, et bona dispositione, et gestu Maiestatis regiae pendere, tanquam ab instrumento consolationis pleno, ex Dei misericordia huic regno indulto ad Ecclesiae suae conservationem et iustitiae inter nos administrationem, protestamur et ex animis promittimus, sub eodem iureiurando, chirographo, et poenis, nos eius personam et authoritatem, nostris bonis corporibus et vitiis, in Evangelii Christi defensione, patriae libertate, iustitiae administratione et iniquitatis ultione contra omnes hostes, intus vel extra regnum, defensuros, quemadmodum optamus Deum esse nobis potentem et propitium protectorem in die nostrae mortis, et adventus Domini nostri Iesu Christi: cui cum Patre, et sancto Spiritu, sit omnis honos et gloria in aeternum. Amen.

Digitized by Google

# 13.

# CONFESSIO

## VERE CHRISTIANA ECCLESIARUM REFORMATARUM BELGICAE,

## CONTINENS SUMMAM DOCTRINAE DE *DEO* ET DE AETERNA ANIMARUM SALUTE.

### *Articulus I.*

### DE NATURA DEI.

Corde credimus, et ore confitemur, unicam esse et simplicem Essentiam spiritualem, quam *Deum* vocamus, aeternum, incomprehensibilem, invisibilem [1]), immutabilem, infinitum, qui perfectissime [2]) est sapiens, iustus, et bonus, ac fons [3]) omnium bonorum uberrimus [4]).

1) *invis.*] Synt. 1612. *inconspicuum.* 2) *perf.*] Synt. 1612. *totus.* 3) *iustus ... fons*] Synt. 1612. nil habet nisi *fonsque.* 4) Synt. 1612. add. testimonia S. S.: Eph. 4, 8. (6?) 2. Deuter. 6, 4. 1 Tim. 2, 5. 2 Cor. 8, 6. (?) Ioan. 4, 24. Esa. 40, 28. et 44, 6.

### *Articulus II.*

### DE COGNITIONE *DEI.*

Duobus autem modis *Deum* cognoscimus: primo per ipsam creationem, conservationem, et gubernationem universi huius mundi [1]). Is enim oculis nostris est instar Libri [2]) pulcherrimi, in quo creaturae omnes, a minimis usque ad maximas, veluti literae quaedam inscriptae, ex quibus [3]) invisibilia *Dei* conspici et cognosci [4]) possunt; nempe aeterna ipsius potentia et divinitas, ut Apostolus Paulus [5]) loquitur Rom. 1, 20. Quae omnia sufficiunt ad homines convincendos et inexcusabiles reddendos [6]). Secundo seipsum multo clarius et manifestius in sacro suo et divino verbo nobis cognoscendum praebet ac patefacit, quantum scilicet nobis in hac vita ad ipsius gloriam et ad suorum salutem necessarium est [7]).

1) *et .... mundi*] Synt. 1612. *atque universi huius mundi gubernationem.* 2) *Libri*] Synt. 1612. *Codicis.* 3) *literae .... ex quibus*] Synt.

Digitized by Google

1612. *characteres et elementa quaedam insculptae sunt: per quae.* 4) *et cognosci*] Synt. 1612. *cognoscique a nobis.* 5) *Ap. Paulus*] Synt. 1612. habet ordinem hunc: *Paulus Apostolus.* 6) *Quae omnia ... reddendos*] Synt. 1612. *Quae cognitio sufficit ad conv. et inexc. reddendos quosvis homines.* 7) *Secundo seipsum .... necessarium est*] Synt. 1612. *At multo clarius et manifestius deinceps se ipsum nobis ille in sacro suo et divino verbo patefacit: quantum quidem id ad gloriam ipsius suorumque salutem, in hac vita expedit.* Psalm. 19. Ephes. 4, 6. 2 Cor. 2, 6.

## *Articulus III.*

## DE SACRA SCRIPTURA.

Confitemur hoc *Dei* verbum non fuisse ulla humana voluntate aut allatum aut traditum: sed sanctos *Dei* viros divino afflatos Spiritu illud ellocutos esse, ut testatur divus Petrus [1]). Postea vero *Deus* ipse pro immensa sua [2]) cura et sollicitudine, quam de suis suorumque salute gerit, servis suis Prophetis et Apostolis [3]) mandavit, ut sua illa [4]) oracula scriptis committerent: ipseque adeo duas tabulas Legis digito suo exaravit: quae caussa est cur eiusmodi scripta sacram et divinam Scripturam appellamus.

1) Synt. 1612. add. 2 Pet. 1, 21. 2) *sua*] Synt. 1612. *illa.* 3) Synt. 1612. *Apostolis et Prophetis* hoc ord. 4) Homm. ex mendo *ille.*

## *Articulus IV.*

## DE CANONICIS LIBRIS VET. ET NOVI TESTAMENTI.

Complectimur autem sacram Scripturam duobus illis voluminibus Veteris et Novi Testamenti, qui libri *Canonici* vocantur, de quibus nulla est [1]) controversia. Eorum [2]) hic est tum numerus, tum ordo in Ecclesia Dei receptus. *Quinque libri Mosis*, liber *Iosuae*, *Iudicum*, *Ruth*, duo libri *Samuelis*, duo *Regum*, duo *Chronicorum*, qui et [3]) *Paralipomenon* vocantur, primus *Esdrae*, *Nehemias*, *Esther*, *Iob*: item *Psalmi Davidis*, tres libri *Salomonis*, nempe *Proverbia*, *Ecclesiastes* et *Canticum Canticorum*: *quatuor Prophetae maiores*, *Esaias*, *Ieremias*, *Ezechiel* et *Daniel*: adhaec duodecim etiam *minores Prophetae.* Novi porro Testamenti libri Canonici sunt: *Evangelistae quatuor*, divus scilicet *Matthaeus*, *Marcus*, *Lucas* et *Iohannes*: *Acta Apostolorum*: *quatuordecim Epistolae divi Pauli*, et *septem reliquorum Apostolorum*: *Apocalypsis divi Iohannis Apostoli.*

1) *est*] Synt. 1612. *unquam fuit.* 2) Synt. 1612. *Eorumque.* 3) *qui et*] Synt. 1612. *quae.*

## *Articulus V.*

## DE AUCTORITATE S. SCRIPTURAE.

Hosce [1]) libros solos recipimus tanquam sacros et Canonicos, quibus fides nostra inniti, confirmari et stabiliri possit. Et credimus absque ulla dubitatione ea omnia [2]), quae in illis contiaen-

Digitized by Google

tur, idque non tam quod Ecclesia illos pro Canonicis recipiat et comprobet, quam quod Spiritus Sanctus nostris conscientiis testetur illos a Deo emanasse: et eo etiam [3]) quod ipsi hanc suam autoritatem per se satis testentur ac comprobent [4]): quum et ipsi caeci rerum omnium, quae in illis [5]) praedictae fuerunt, impletionem et executionem clare conspicere, et veluti sensibus percipere possint.

1) Synt. 1612. *Hos.* 2) *Et cred. absque .... omnia*] Synt. 1612. *Itaque absque ..... omnia credimus.* 3) *etiam*] Synt. 1612. *maxime.* 4) *ipsi hanc ..... comprobent*] Synt. 1612. *ipsi etiam per se sacram hanc suam authoritatem, et sanctitatem testentur, atque comprobent.* 5) *illis*] Synt. 1612. add. *scriptis.*

## *Articulus VI.*

## DE DISCRIMINE LIBRORUM CANONICORUM ET APOCRYPHORUM.

Differentiam porro constituimus inter libros hosce [1]) Sacros et eos, quos Apocryphos vocant: utpote quod Apocryphos legere quidem Ecclesia possit, et documenta ex iis desumere in rebus, quae consentiunt cum libris Canonicis [2]): at nequaquam ea est ipsorum autoritas et firmitudo, ut ex illorum testimonio aliquod dogma de Fide et Religione Christiana certo constitui possit: tantum abest, ut aliorum autoritatem infringere vel minuere valeant.

1) *hosce*] Synt. 1612. *istos.* 2) *Apocryphos legere .... Canonicis*] Synt. 1612. *Apocryphi legi quidem in Ecclesia possint, et fas sit ex illis eatenus etiam sumere documenta, quatenus cum libris Canonicis consonant.*

## *Articulus VII.*

## DE PERFECTIONE S. SCRIPTURAE.

Credimus etiam [1]) sacram hanc Scripturam perfectissime omnem *Dei* voluntatem complecti, et in illa abunde ea omnia doceri, quaecunque ab hominibus credi necesse est, ut salutem consequantur. Itaque cum illic exactissime et fuse descripta sit omnis divini cultus ratio, quam Deus a fidelibus exigit: nulli hominum (quamvis Apostolica dignitate praedito, ac ne ulli quidem Angelo e coelo demisso [2]), ut divus Paulus loquitur) fas est aliter docere, quam iam pridem in sacris Scripturis edocti sumus. Quum enim vetitum sit, ne quis Dei verbo quidquam aut addat aut detrahat, satis eo ipso declaratur sacram hanc doctrinam omnibus suis numeris et partibus perfectam ac absolutam esse. [Unusquisque itaque diligenter cavere debet, ne quid illi addat aut detrahat, quo sapientia humana cum sapientia divina commisceri possit.] [3]) Ideoque cum hisce divinis Scripturis atque hac Dei veritate [4]) nulla alia hominum, quantavis sanctitate praeditorum, Scripta, nulla consuetudo, nec multitudo ulla, nec antiquitas, neque temporum praescriptio, nec [5]) personarum successio, neque concilia ulla, nulla

Digitized by Google

denique hominum decreta aut statuta conferenda aut comparanda [6]) sunt, utpote quod Dei veritas rebus omnibus antecellat. Omnes enim homines [7]) sunt mendaces, [et illorum sapientia *Deo* subiici non potest] sunt ipsa [8]) vanitate vaniores. Idcirco toto animo reiicimus quaecunque cum certissima hac regula non conveniunt, uti [9]) ab Apostolis edocti [10]), quum dicunt: *Probate spiritus, an ex Deo sint:* et, *si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non adfert, ne recipite eum* [11]) *domum* etc. [12])

1) *etiam*] Synt. 1612. *autem.* 2) Hommius: *dimisso.* 3) *Unusquisque ... possit*] Synt. 1612. om. haec. 4) *atque ... veritate*] Synt. 1612. *atque Dei nuda veritate.* 5) *nec*] Synt. 1612. *neque.* 6) *aut comparanda*] Synt. 1612. *comparandave.* 7) *homines*] Synt. 1612. add. *naturâ suâ.* 8) *mendaces ..... ipsa*] Synt. 1612. *mendaces, et ipsa.* 9) *uti*] Synt. 1612. *ut.* 10) *edocti*] Synt. 1612. add. *fuimus.* 11) Synt. 1612. *illum* pro *eum.* 12) Synt. 1612. add. testimonia S.S. sqq.: 2 Tim. 3, 14. 17. 1 Pet. 1, 1. Prov. 30, 5. Gal. 3, 15. Apoc. 22, 18. Ioan. 15, 15. Act. 20, 27. 1 Tim. 1, 3. 2 Ioan. 1. 10. Gal. 1, 8. 1 Cor. 15, 2. Act. 26, 22. Rom. 15, 4. 1 Petri 4, 11. Ioan. 4, 25. Es. 1, 12. 1 Cor. 2, 4. Rom. 3, 4. 1 Cor. 3, 11. Deut. 12, 32. Matth. 15, 3. et 17, 5. Marc. 7, 7. 1 Thess. 2, 2. 1 Ioan. 4, 1.

## *Articulus VIII.*

## DE SS. TRINITATE PERSONARUM IN UNICA ESSENTIA DIVINA.

Iuxta hanc veritatem et verbum hoc *Dei*, credimus in unicum solum Deum (qui unica atque aeterna est essentia, distincta reipsa, vere, et ab aeterno in tres Personas, quarum quaeque suas habet proprietates incommunicabiles [1])) nempe in Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum [2]). Pater caussa et origo et initium est omnium rerum tam visibilium quam invisibilium [3]). Filius est Verbum, Sapientia et Imago Patris: Spiritus Sanctus est aeterna [atque essentialis] potentia et virtus procedens a Patre et a Filio [4]). Ita tamen ut haec distinctio non efficiat ut Deus sit veluti in tres partes divisus: quandoquidem Scriptura nos docet, Patrem [5]), et Filium, et Spiritum Sanctum suam quidem singulos [6]) habere hypostasin seu [7]) subsistentiam proprietatibus suis distinctam: ita tamen ut tres hae Personae sint tantum unus et solus Deus. Certum igitur est Patrem non esse Filium [8]) nec Filium esse Patrem, neque Spiritum Sanctum esse [9]) aut Patrem aut Filium. Interim tamen Personae illae sic distinctae, neque sunt divisae, neque confusae, neque permixtae. Neque [10]) enim Pater carnem humanam assumpsit, nec Spiritus Sanctus [11]) sed solus Filius. Pater nunquam sine Filio suo fuit, nec sine Spiritu suo sancto, quia singuli in una [12]) eademque essentia eiusdem sunt aeternitatis. Nullus [13]) ex his aut primus aut ultimus est, quia omnes tres unum sunt in veritate et potentia, in [14]) bonitate et misericordia.

1) *Iuxta hanc veritatem ..... incommunicabiles*] Synt. 1612. *Iuxta*

Digitized by Google

*hanc veritatem et Dei verbum in unicum solum Deum credimus (qui est unica essentia, incommunicabilibus proprietatibus in tres personas re vera ab aeterno distincta).* 2) Synt. 1612. addit testimonia S.S. sqq.: 1 Ioan. 2, 10. Esa. 43, 11. Ioan. 1, 12. 1. 1 Ioan. 1, 1. Apoc. 19, 13. Prov. 8, 22. Ioan. 1, 14. 3) *Pater caussa .... invisibilium*] Synt. 1612. *Nam Pater quidem visibilium omnium et invisibilium causa, origo, ac initium existit.* 4) *Spiritus S. est ..... Filio*] Synt. 1612. *Spiritus s. vero potentia est, et virtus quae a Patre et Filio emanat.* 5) Synt. 1612. *et Patrem.* 6) *suam quidem sing.* om. Synt. 1612. 7) Synt. 1612. *sive* pro *seu.* 8) *Certum ... non esse Filium*] Synt. 1612. *Igitur certum est nec Patrem, Filium.* 9) *esse* om. Synt. 1612. 10) Synt. 1612. *non* pro *Neque.* 11) *Pater carnem .... Sanctus*] Synt. 1612. *Pater aut Spiritus sanctus carnem hum. assumpserunt.* 12) *in una* om. Synt. 1612. 13) *Nullus*] Synt. 1612. add. *enim.* 14) *in veritate .... in*] Synt. 1612. *tum veritate ac potentia, tum.*

## *Articulus IX.*

## DE SS. TRINITATE.

Haec vero omnia cognoscimus tam ex Sacrae Scripturae testimoniis, quam ex effectis [1]) iis [2]) potissimum, quae nos in nobismet ipsis sentimus. Et sacrae quidem Scripturae testimonia, quae nos docent sacram hanc Trinitatem credere, passim in Veteri Testamento occurrunt; quae non tam numeranda, quam certo iudicio seligenda sunt. Qualia haec sunt, Geneseos primo dicit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,* etc. Et mox, *creavit itaque Deus hominem ad imaginem et similitudinem* [3]) *suam, marem, inquam, et foeminam creavit eos.* Item, *Ecce Adam tanquam unus nostrûm factus est* [4]). Ex eo enim quod dicitur, *Faciamus hominem ad similitudinem nostram,* apparet pluralitatem esse Personarum [5]) in Deitate. Quum autem dicitur, *Deus creavit* etc., indicatur unitas Divinitatis. Verum quidem est hic non exprimi [6]), quot sint personae: tamen quod in Veteri Testamento obscure traditum est, id in Novo nobis clare admodum [7]) exponitur. Quum enim Dominus noster Iesus Christus in Iordane baptizaretur [8]), *Patris* vox audita est dicentis, *Hic est Filius meus dilectus:* et *Filius* ipse in aquis est visus: *Spiritus* vero *Sanctus* sub specie columbae apparuit. [An non igitur tres sunt?] [9]). In communi omnium fidelium baptismo haec formula a Christo instituta est [10]): Baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti [11]). Sic etiam in Evangelio Lucae [12]) Angelus Gabriel Mariam, Domini nostri matrem, alloquitur: *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi inumbrabit te, propterea id quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* [Videmus hic nominari *Patrem* Altissimum, postea *Filium Dei* qui ex Virgine natus est, et Spiritum Sanctum, qui Virginem inumbravit [13]).] Item, *Gratia Domini nostri Iesu Christi et charitas Dei, et communicatio Spiritus Sancti sit vobiscum* [14]) [Atque hic videmus clare tres nominari [15])]. Item, *Tres sunt qui testificantur in coelo, Pater, Sermo et Spiritus Sanctus,*

Digitized by Google

et hi [16]) tres unum sunt [17]). Quibus omnibus locis plenissime [18]) docemur, in unico Deo tres esse Personas. Etsi autem haec doctrina omnem humani ingenii captum superet, illam tamen nunc ex verbo Dei firmiter credimus, expectantes, donec in coelo plena [19]) illius cognitione fruamur. Notanda porro [20]) sunt etiam harum trium Personarum singularia [21]) officia et effecta, quae erga nos singulae [22]) exerunt. Pater enim vocatur Creator noster per [23]) virtutem ipsius, Filius noster Servator per sanguinem ipsius; Spiritus sanctus est sanctificator noster per inhabitationem ipsius in cordibus nostris. Atque hanc de SS. Trinitate doctrinam [24]) iam inde ab Apostolorum aetate ad haec usque tempora semper vera retinuit Ecclesia, et adversus *Iudaeos*, *Mahumetanos*, aliosque pseudochristianos et haereticos defendit, quales fuerunt *Marcion*, *Manes*, *Praxeas*, *Sabellius Samosatenus* [*Arius*] et similes, qui omnes iure meritoque [25]) ab orthodoxis Patribus condemnati sunt. Recipimus itaque libenter hic tria illa *Symbola*, nempe *Apostolorum*, *Nicenum* et *Athanasii*, et quaecunque de hoc dogmate iuxta illorum Symbolorum sententiam [sacra Concilia] [26]) statuerunt.

1) Synt. 1612. *ex ipsis effectis.* 2) Synt. 1612. *iisque.* 3) *nostram ..... similitudinem* om. Synt. 1612. 4) Synt. 1612. add. Gen. 3. 5) *pluralitatem esse Personarum*] Synt. 1612. *plures esse Personas.* 6) *Verum .... exprimi*] Synt. 1612. *Etsi autem hic non exprimitur.* 7) *clare admodum*] Synt. 1612. *luce clarius.* 8) Synt. 1612. add. Matth. 3, 16. 9) *An non ... In*] Synt. 1612. *Ideo et in.* 10) *a Chr. inst. est*] Synt. 1612. *uti praecipimur.* 11) Synt. 1612. add. Matt. 28, 19. 12) *in Ev. Lucae*] Synt. 1612. *apud Lucam* Luc. 1, 35. 13) *Videmus ..... inumbravit*] Synt. 1612. om. haec. 14) Synt. 1612. add. 2 Cor. 13, 13. 15) *Atque hic* etc. om. Synt. 1612. 16) *et hi*] Synt. 1612. *qui.* 17) Synt. 1612. add. 1 Ioan. 5, 7. 18) *plenissime*] Synt. 1612. *amplissime.* 19) Homm. *plene.* 20) *porro* om. Synt. 1612. 21) *singularia* om. Synt. 1612. 22) Synt. 1612. *singuli.* 23) *per*] Synt. 1612. *ob.* 24) *Filius noster Servator ... doctrinam*] Synt. 1612. *Filius vero Salvator, ac redemptor noster vocatur, quod sanguine suo nos redemerit. Spiritus sanctus sanctificator noster, quod in cordibus nostris habitet,* Mal. 2, 10. 1 Pet. 1, 2. 1 Ioan. 4, 14. Gal. 4, 6. Tit. 3, 5. Rom. 8, 9. Rom. 14, 16. *Atque sanctam hanc sacrae Trinitatis doctrinam.* 25) *iure meritoque*] Synt. 1612. *merito.* 26) *sacra Concilia*] Synt. 1612. om. haec.

## *Articulus X.*

## DE AETERNA DEITATE FILII DEI, DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI.

Credimus *Iesum Christum* respectu naturae ipsius divinae esse unicum Dei filium ab aeterno genitum, non factum aut creatum [1]), (sic enim esset [2]) creatura) sed Patri ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον seu [3]) eiusdem cum Patre essentiae, eique [4]) coaeternum, characterem, seu veram imaginem ὑποστάσεως Patris, et Splendorem gloriae eius in omnibus [et per omnia] ei aequalem [5]). Est autem is Filius Dei non tantum ab eo tempore quo naturam nostram humanam induit, sed ab aeterno, uti [6]) haec testimonia

Digitized by Google

inter se [7]) collata nos docent. Moses ait [8]) *Deum creasse mundum:* At divus Iohannes *per Sermonem*, quem *Deum* vocat, *omnia facta fuisse* dicit; [Et quem D. Ioannes *Sermonem* vocat, eundem D. Paulus *Filium* vocat] asserens, *Deum per Filium suum secula seu mundum condidisse.* [Praeterea docet D. Paulus *Deum* omnia per *Iesum* Christum creasse.] [9]) Sequitur itaque eum, qui et Deus et Sermo et Filius et Iesus Christus dicitur, iam tum extitisse, quum ab ipso omnia condita fuerunt. Idcirco Michaeas cap. 5, 2. Propheta inquit, *Exitus eius ab initio, a diebus aeternitatis.* Item, [*Est primogenitus omnis creaturae*, et [10])] *Est absque initio dierum, et absque fine vitae.* [Psalmo secundo, *Filius meus es, ego hodie genui te: Osculamini Filium.*] [11]) Est igitur ille verus et aeternus *Deus*, omnipotens ille, quem invocamus, adoramus, et colimus [omnibus diebus vitae nostrae] [12]).

1) Synt. 1612. add. Ioan. 1, 18. 49. 2) *Sic enim esset*] Synt. 1612. *esset enim.* 3) *Patri ... seu* om. Synt. 1612. 4) Synt. 1612. *illique.* 5) *characterem, seu ... aequalem*] Synt. 1612. *quique est vera imago substantiae Patris, et splendor gloriae ipsius, in omnibus illi aequalis*, Col. 1, 15. Ioan. 10, 30. Phil. 2, 6. Hebr. 1, 3. Ioan. 8, 23. et 9, 36. Act. 8, 37. Rom. 9, 5, 6) *uti*] Synt. 1612. *ut.* 7) *inter se*] Synt. 1612. *invicem.* 8) Synt. 1612. add. Gen. 1. 9) *Et quem D. Ioannes ... creasse*] Synt. 1612. *Sic Apostolus ad Hebraeos, asserit Deum per Filium Iesum Christum omnia creasse*, Colos. 1, 16. 10) *Est primog.* etc. om. Synt. 1612. 11) *Psalmo* etc. om. Synt. 1612. 12) *verus et aeternus ... nostrae*] Synt. 1612. *verus Deus, aeternus, omnipotens, quem invoc. ador. et colimus.*

## *Articulus XI.*

## DE PERSONA ET AETERNA DEITATE SPIRITUS SANCTI.

Credimus etiam et confitemur Spiritum Sanctum a Patre et Filio ab aeterno procedere: itaque nec factum, nec creatum, nec genitum fuisse, sed ab utroque tantum procedentem, qui ordine tertia est Trinitatis Persona, eiusdem essentiae, gloriae et maiestatis cum Patre et Filio. Ideoque et ipse verus et aeternus Deus est [1]).

1) Synt. 1612. add.: *ut nos sacrae Scripturae docent.* Heb. 7, 3. Ioan. 14, 6. et 15, 26.

## *Articulus XII.*

## DE CREATIONE MUNDI, ET DE ANGELIS.

Credimus Patrem per Verbum suum, hoc est, per Filium, coelum, terram, et reliquas naturas omnes ex nihilo creasse, quum illi visum fuit [1]) opportunum, singulisque suum esse, formam, et varia officia tribuisse, ut Creatori suo inservirent. Eumque nunc illas [2]) fovere, sustentare, et regere, secundum aeternam suam Providentiam, et per immensam virtutem suam [3]). Idque ut illae quidem homini, homo vero Deo suo inserviat. Creavit etiam An-

Digitized by Google

gelos, omnes natura bonos, ut ministri ipsius essent, et electis etiam inservirent: quorum tamen nonnulli [4]) ab excellenti illa natura, in qua eos Deus crearat, in perditionem aeternam decide-runt: alii vero singulari Dei gratia in primo illo statu suo perstiterunt. Diaboli quidem et cacodaemones illi, ita corrupti et depravati sunt, ut et Dei et omnis boni coniurati sint hostes, qui Ecclesiae et singulis ipsius [5]) membris tanquam praedones e specula omnibus viribus [6]) insidiantur, ut imposturis suis ac deceptionibus omnia destruant atque [7]) pessundent: [atque adeo quidem ut se adorari ab omnibus velint, quem in finem multa hominibus pollicentur: neque mirum hoc est, quum Diabolus Christum ausus fuerit aggredi, eumque permovere ut ipsum adoraret [8]).] Idcirco propria sua malitia perpetuae condemnationi addicti, expectant indies horrenda suorum facinorum supplicia ac tormenta [9]). Respuimus itaque atque execramur [10]) hoc loco *Saducaeorum* errorem, qui Spiritus ullos aut Angelos esse negarunt. Item et *Manichaeorum* errorem, qui asserunt Diabolos ex seipsis originem ducere et ex propria sua natura malos esse, non autem corruptos per inobedientiam voluntariam [11]).

1) Synt. 1612. *est* pro *fuit*. 2) Synt. 1612. add. *omnes etiam*. 3) *secundum .... suam*] Synt. 1612. *pro aeterna sua providentia, et immensa virtute*. 4) *nonnulli*] Synt. 1612. *alii*. 5) Synt. 1612. *illius*. 6) *omn. vir.* om. Synt. 1612. 7) Synt. 1612. *et*. 8) Synt. 1612. om. *atque adeo quidem* etc. 9) *ac tormenta* om. Synt. 1612. 10) *atque execramur* om. Synt. 1612. 11) Synt. 1612. add. S.S. testimonia sqq.: Ioan. 15, 26. Gen. 1, 1. Isai. 40, 26. Heb. 3, 4. Apo. 4, 11. 1 Tim. 4, 3. 1. Col. 1, 16. Heb. 3, 14. et 1, 3. Psal. 103, 21. et 4, 3. 8. Ioan. 8, 44. 2 Pet. 2, 4. Luc. 8, 31. 1 Pet. 5, 8. Matt. 25, 40. Act. 23, 8.

## *Articulus XIII.*

## DE PROVIDENTIA DEI.

Credimus Deum hunc Opt. Max. postquam res omnes creasset, eas minime sortis aut fortunae arbitrio [1]) commisisse, sed ipsummet illas ex praescripto sacrosanctae suae voluntatis ita assidue, regere et gubernare, ut nihil in hoc mundo absque illius decreto atque [2]) ordinatione contingat: quanquam tamen [3]) Deus malorum, quae in hoc mundo accidunt, neque auctor, neque reus dici possit. Tam late [4]) patet infinita et incomprehensibilis illius tum potentia tum bonitas, ut [5]) tunc etiam opera et actiones suas sancte et iuste decernat atque [6]) exequatur, quum et Diabolus et impii iniuste agunt. Quaecunque vero ille agit humanum captum excedentia, de iis nolumus curiose et supra nostrum captum inquirere: quinimo secreta et [7]) iusta tamen Dei iudicia humiliter et reverenter adoramus. Sufficit enim nobis, quod Christi discipuli esse possimus, et ea duntaxat discamus [8]) quae ipse [9]) verbo suo nos docet, neque hos fines transilire volumus [10]). Haec vero doctrina immensam nobis adfert consolationem. Ex illa enim

Digitized by Google

cognoscimus [11]) nihil nobis fortuito contingere, sed omnia Patris nostri coelestis voluntate, qui pro nobis vera [12]) paterna cura excubat, omnia sibi subdita habens, ita ut ne pilus quidem capitis nostri (qui omnes ad unum numerati sunt) evelli, nec minimus passerculus humi cadere, sine Patris nostri voluntate, possit. His [13]) itaque penitus acquiescimus, agnoscentes Deum diabolos et inimicos nostros omnes veluti habenis ita fraenatos continere, ut, sine ipsius voluntate et bona venia, nemini nostrum nocere valeant. Itaque [14]) hoc loco detestandam *Epicureorum* opinionem reiicimus, qui Deum otiosum, et nihil agentem, omniaque fortunae et casui [15]) committentem finxerunt [16]).

1) *arbitrio*] Synt. 1612. add. *regendas.* 2) Synt. 1612. *et.* 3) *tamen* om. Synt. 1612. 4) Synt. 1612. add. *enim.* 5) Synt. 1612. *et* pro *ut.* 6) Synt. 1612. *et.* 7) *et* om. Synt. 1612. 8) *quod Christi .... discamus*] Synt. 1612.: (*ut Christi discipulis*) *ea duntaxat discere.* 9) Synt. 1612. *ipse.* 10) *volumus*] Synt. 1612. *fas esse ducimus.* 11) Homm. *agnoscimus.* 12) Synt. 1612. *vere.* 13) Synt. 1612. *Istis* pro *His.* 14) Synt. 1612. *Et.* 15) *fortunae et casui*] Synt. 1612. *sorti.* 16) Synt. 1612. add. S.S. testimonia sqq.: Act. 23, 8. Ioan. 5, 17. Heb. 1, 3. Prover. 16, 4. Iacob. 4, 15. Iob. 1, 21. 2 Reg. 22, 20. Act. 4, 28. 1 Sam. 8, 25. Psal. 115, 3. Isa. 45, 7. Amos 3, 6. Deut. 19, 5. Prover. 21, 1. Ps. 105, 25. Isa. 10, 5. 2 Thess. 2, 11. Ezech. 41, 9. Rom. 1, 28. 1 Reg. 11, 23. Gen. 45, 8. et 50, 20. 2 Sam. 16, 10. Matt. 8, 31. 1 Ioan. 3, 8.

## *Articulus XIV.*

## DE HOMINIS CREATIONE, LAPSU ET CORRUPTIONE.

Credimus Deum ex limo terrae hominem ad imaginem suam creasse bonum [1]), iustum et [2]) sanctum [atque in omnibus plane perfectum [3]),] qui proprio arbitrio suam voluntatem ad Dei voluntatem componere et conformem reddere possit [4]). [Deus itaque eum creavit constantem duabus partibus, corpore et anima: corpus e terra conditum fuit, Spiritum vero et vitam Deus ei inspiravit: adeo ut in homine tanta conspiciatur excellentia, ut humanum ingenium illi exprimendae par non sit. Eiusmodi eum fuisse David testatur, ut nihil illi amplius deesset, quam quod Deus non esset. *Gloria et honore coronatus fuit* [5]).] Verum quum in honore esset, nescivit, et excellentiam suam non cognovit [iumentis similis factus est [6]):] sed seipsum sciens et volens peccato, et per consequens morti ac maledictioni subiecit: dum Diaboli verbis et imposturis aurem praebens mandatum vitae transgressus est, quod a Domino acceperat, seque a Deo (vera ipsius vita) per peccatum [7]) subduxit atque abalienavit, et totam ipsius naturam corrupit ac vitiavit [8]). Quo factum est, ut morti tum corporali [9]) tum spirituali sese obnoxium reddiderit, improbus [10]) atque perversus effectus fuerit, atque in omnibus viis et studiis suis corruptus, et praeclara illa dona omnia amiserit, quae a Deo acceperat: adeo ut non nisi exiguae illorum scintillae et vestigia exilia illi relicta

Digitized by Google

sint, quae sufficiant ad homines reddendos inexcusabiles, [sed nequaquam ad nos bonos ac Deo probatos efficiendos,] quoniam quidquid in nobis est lucis in caecas tenebras est [11]) conversum, ut et Scriptura ipsa docet dicens: *Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.* Ibi enim Iohannes manifeste homines tenebras vocat. [Atque in Psalmo dicitur: *Penes te Domine est fons vitae, et in luce tua clare videmus lucem* [12]).] Idcirco quaecunque de libero hominis arbitrio [adversus haec [13])] traduntur, ea nos merito reiicimus, quum homo [14]) sit *servus peccati*, nihilque boni ex se possit [15]), *nisi datum sit illi de coelo.* Quis enim iactare audeat se quaecunque voluerit praestare posse, quum Christus ipse dicat: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui misit me, traxerit eum;* [D. Paulus testatur naturalem hominem talem esse, qualem Adamus in lapsu suo produxit [16]).] Quis voluntatem suam ostentet, qui intelligat [17]) *omnes carnis affectus inimicitias esse adversus Deum?* Quis de intelligentia sua gloriabitur, qui sciat *animalem hominem non esse capacem eorum quae sunt spiritus Dei?* In summa, quis vel ullam suam cogitationem in medium proferat, qui intelligat nos non esse idoneos ex nobis ipsis ad cogitandum quidquam, sed quod idonei sumus, id omne ex Deo esse? [Cogitare minus est quam facere [18]).] Certum ergo et firmum manere oportet, quod Apostolus dixit, *Deum esse qui efficit in nobis et ipsum velle et ipsum efficere* [19]) *pro gratuita sua benevolentia.* Nulla enim intelligentia, nulla voluntas est menti et voluntati Dei conformis, quam Christus in homine non sit operatus [20]): quod et ipse nos docet dicens: *Sine me nihil potestis facere.* [Christus etiam et hoc dicit: *Qui peccatum facit, servus est peccati.* Ubi ergo est liberum eius arbitrium? [21])]

1) Synt. 1612. add. *scilicet.* 2) Synt. 1612. *ac.* 3) *atque in* etc. om. Synt. 1612. 4) Synt. 1612. *posset.* 5) *Deus itaque eum* etc. om. Synt. 1612. 6) *iumentis* etc. om. Synt. 1612. 7) *per peccatum*] Synt. 1612. *penitus.* 8) *et totam .... vitiavit*] Synt. 1612. *vitiata omnino, atque corrupta per peccatum ipsius natura.* 9) *corporeae* Synt. 1612. 10) *improbus*] Synt. 1612. *Itaque improbus.* 11) *effectus fuerit, atque in omnibus .... tenebras est*] Synt. 1612. *effectus, in viisque suis omnibus et studiis corruptus praeclara illa dona omnia amisit, quibus illum ornaverat: adeo ut non nisi exig. ill. scint. et vest. exil. illi relicta sunt, quae tamen suff. ad inexc. redd. homines, quia quicquid in nobis est lucis in caecas tenebras sit.* 12) *Atque* etc. om. Synt. 1612. 13) *adversus haec* om. Synt. 1612. 14) Synt. 1612. *is* pro *homo.* 15) *boni ex se possit*] Synt. 1612. *ex se possit homo.* 16) *D. Paulus* etc. om. Synt. 1612. 17) *intelligat*] Synt. 1612. *audiat.* 18) *Cogitare* etc. om. Synt. 1612. 19) *et ipsum velle et ipsum efficere*] Synt. 1612. *et ut velimus et ut efficiamus.* 20) *Nulla enim intelligentia ... operatus*] Synt. 1612. *Nulla enim mens, nulla voluntas Dei voluntati acquiescit, in qua Christus ipse non sit prius operatus.* 21) *Christus etiam* etc. om. Synt. 1612. sed add. testimonia S.S. sqq.: Matt. 20, 29. et 30. Gen. 1, 26. Eccle. 7, 30. Eph. 4, 24. Psal. 49. Isa. 59, 2. Gen. 8, 17. Rom. 5, 12. Rom. 3, 10. Acto. 4, 16. 1 Reg. 1, 20. et 21. Act. 17, 27. Eph. 5, 8. Ioan. 1, 5. Isa. 26, 12. Psal. 94, 11. Ioan. 3, 27. Ioan. 6, 44. Rom. 8, 7. 1 Cor. 2, 14. 2 Cor. 3, 5. Philip. 2, 13. Ioan. 15, 5.



Digitized by Google

## *Articulus XV.*

## DE PECCATO ORIGINALI.

Credimus Adami inobedientiâ peccatum, quod vocant Originis, in totum genus humanum diffusum esse [1]). Est autem peccatum originis corruptio totius naturae, et vitium haereditarium, quo et ipsi infantes in matris utero polluti sunt: quodque velut noxia quaedam radix genus omne peccatorum in homine producit [2]), estque tam foedum atque [3]) execrabile coram Deo, ut ad universi generis humani condemnationem sufficiat. Neque vero per Baptismum penitus aboletur aut radicitus evellitur [4]) quandoquidem ex illo, tanquam ex infausta ac [5]) corrupta scaturigine perpetui [6]) rivuli assidue exoriuntur atque [7]) effluunt: quamvis filiis Dei in condemnationem non cedat aut imputetur, sed ex pura Dei gratia et misericordia illis remittatur: non ut huic remissioni confidentes obdormiant, sed ut sensus [8]) huius corruptionis crebriores gemitus in fidelibus excitet, utque eo ardentius optent se [9]) ab hoc corpore mortis liberari. Hinc ergo *Pelagianorum* errorem damnamus, qui hoc peccatum originis nihil aliud esse asserunt, quam imitationem [10]).

1) *diffusum esse*] Synt. 1612. *sparsum et effusum fuisse.* 2) *producit*] Synt. 1612. *progerminat.* 3) *foedum atque*] Synt. 1612. *turpe et.* 4) *penitus .... evellitur*] Synt. 1612. *illud penitus extingui aut radicitus evelli credendum est.* 5) *infausta ac* om. Synt. 1612. 6) *perpetui*] Synt. 1612. add. *fluctus, atque.* 7) Synt. 1612. *et* pro *atque.* 8) Synt. 1612. *sensu.* 9) *se* om. Homm. 10) Synt. 1612. add. testimonia S.S. sqq.: Phil. 2, 13. Ioan. 15. 5. Psal. 51, 7. Rom. 3, 10. Gen. 6, 3. Ioan. 3, 6. Rom. 5, 14. Eph. 1, 5. Rom. 7, 18. 24.

## *Articulus XVI.*

## DE PRAEDESTINATIONE DIVINA.

Credimus Deum (postquam [1]) tota Adami soboles, sic in perditionem et exitium, primi hominis culpa, praecipitata fuit) seipsum talem demonstrasse ac praestitisse qualis est revera, nimirum [2]) misericordem et iustum. Misericordem quidem eos damnatione et interitu liberando et servando, quos in aeterno et immutabili consilio suo pro mera et gratuita [3]) sua bonitate per *Iesum Christum* Dominum nostrum elegit, sine ullo [bonorum] operum [4]) ipsorum respectu. Iustum vero, alios in illo suo lapsu et perditione relinquendo, in quam sese ipsi praecipites dederunt. [Hac ratione declarat se esse misericordem et clementem Deum iis quos salvos facit, quibus nihil debebat: uti quoque se declarat iustum iudicem ostensione iustae severitatis suae erga reliquos. Atque interim illis nullam facit iniuriam. Nam quod nonnullos salvos facit, non propterea fit, quod isti aliis sint meliores, cum omnes in exitium certum prolapsi sint, donec Deus eos discernat, et liberet secundum aeternum atque immutabile propositum suum, quod

Digitized by Google

in Iesu Christo fundatum est, antequam mundus creatus fuit. Nemo itaque secundum hanc sententiam ad hanc gloriam pervenire per se ipsum potest, quoniam a nobis ipsis non sumus idonei ad cogitandum aliquid boni, nisi Deus per gratiam ac meram bonitatem suam nos praeveniat: adeo natura nostra est corrupta [5]).]

1) Synt. 1612. *posteaquam.* 2) *nimirum*] Synt. 1612. add. *et.* 3) *in aeterno et .... gratuita*] Synt. 1612. *in aeterno suo consilio pro gratuita.* 4) *sine ..... operum*] Synt. 1612. *absque ullo operum.* 5) *Hac ratione* etc. om. Synt. 1612.

## *Articulus XVII.*

## DE REPARATIONE GENERIS HUMANI PER FILIUM DEI.

Credimus etiam Deum nostrum Opt. Max. (quum eerneret hominem sese ita in mortis et corporeae et spiritualis damnationem coniecisse, et prorsus miserum atque maledictum effectum esse) mirabili sua tum sapientia tum bonitate adductum, ut illum abs se prae timore fugientem et quaereret et benigne consolaretur: promisso illi Filio suo ex muliere nascituro, qui serpentis caput contereret et illum [1]) beatum redderet.

1) *illum*] Synt. 1612. add. *felicem atque.*

## *Articulus XVIII.*

## DE INCARNATIONE FILII DEI.

Confitemur itaque Deum [1]) promissionem (Patribus per os sanctorum Prophetarum factam) implevisse, quum constituto ab [2]) se tempore Filium illum [3]) suum unicum et aeternum in hunc mundum misit: *qui formam servi assumpsit* [4]), *similis hominibus factus*, et veram naturam humanam cum omnibus ipsius infirmitatibus (excepto peccato) vere assumpsit, dum conceptus est in utero beatae Virginis Mariae, virtute Spiritus Sancti absque ullà maris [5]) opera. Eam porro naturam humanam non quoad corpus tantum induit, sed etiam quoad animam: fuit enim vera anima humana praeditus, ut verus esset homo. Etenim quum anima non minus quam ipsum corpus damnationi esset obnoxia, necesse fuit illum et hoc et illam assumere, ut utrumque simul servaret. Idcirco contra Anabaptistarum haeresin qui negant Christum carnem humanam assumpsisse, confitemur Christum *participem eiusdem* [6]) *carnis et sanguinis fuisse, sicut et pueri* [7]) *ex lumbis Davidis secundum carnem*: factum [8]) *ex semine Davidis secundum eandem carnem, fructumque ex utero virginis Mariae, natum ex muliere: germen Davidis: surculum e* [9]) *radice Iesse: e tribu Iuda, atque a Iudaeis ipsis ortum secundum carnem*, et in summa, *verum semen Abrahae et Davidis*, quandoquidem *Abrahae semen assumpsit, et fratribus suis per omnia similis factus est, excepto peccato* [*genitus ex Maria*], *adeo ut* (*hac ratione*) *factus sit* [10]) *revera noster Emmanuel*, id est, Deus nobiscum.



Digitized by Google

1) *itaque Deum*] Synt. 1612. *vero Deum tum demum.* 2) Synt. 1612. *abs.* 3) *illum* om. Homm. 4) Synt. 1612. *accepit* pro *assumpsit.* 5) Synt. 1612. *hominis* pro *maris.* 6) *eiusdem* om. Synt. 1612. 7) *pueri*] Synt. 1612. add. *fratres ipsius.* 8) Synt. 1612. add. *inquam.* 9) *surculum e*] Synt. 1612. *florem de.* 10) *Davidis, quandoquidem ..... factus sit*] Synt. 1612. *Davidi, quod scilicet semen Abrahae assumpserit, excepto peccato, ut dictum est, fratribus suis similis per omnia factus, adeo ut sit revera...*

## *Articulus XIX.*

## DE UNIONE HYPOSTATICA, SEU PERSONALI, DUARUM NATURARUM IN CHRISTO.

Credimus etiam per hanc conceptionem, Personam Filii coniunctam atque unitam fuisse inseparabiliter cum humana natura, ita ut non sint duo Filii Dei, nec duae Personae, sed duae Naturae in una eademque persona unitae [1]), quarum utraque proprietates suas retineat, adeo ut sicut Divina natura semper increata et absque initio dierum et [2]) sine fine vitae remansit, coelumque et terram implens: sic natura Humana proprietates suas non amiserit, sed creatura remanserit, initium dierum et finem vitae habens, finitae ac circumscriptae naturae existens, atque omnia, quae vero corpori competunt, retinens. Et [3]) quamvis illi immortalitatem resurrectione sua dederit, veritatem tamen humanae naturae illi neque ademit neque commutavit. Salus enim et resurrectio nostra a veritate corporis ipsius dependet. Caeterum, duae istae naturae ita sunt simul unitae et coniunctae in unam personam, ut ne morte quidem ipsius separari potuerint. Quod igitur Patri suo moriendo commendavit, id vere erat spiritus humanus, a corpore ipsius egrediens: at interim Divina natura semper Humanae (etiam in sepulcro iacenti) coniuncta remansit: adeo ut Deitas ipsa non minus in ipso tunc fuerit, quam cum adhuc infans esset, etsi exiguum ad tempus sese non exereret [4]). Quapropter confitemur ipsum esse verum Deum, et verum hominem: verum quidem Deum, ut mortem sua potentia vinceret; et verum hominem, ut in carnis suae infirmitate pro nobis mortem obiret.

1) *in una .... unitae*] Synt. 1612. *in unica persona coniunctae.* 2) *et* om. Synt. 1612. 3) *et finem vitae .... retinens. Et*] Synt. 1612. *et naturam finitam habens. Omnia enim illa quae vero corpori conveniunt retinuit, et...* 4) *sese non exercret*] Synt. 1612. *non sese exerceret.*

## *Articulus XX.*

## DE MODO REDEMPTIONIS, PER DECLARATIONEM IUSTITIAE ET MISERICORDIAE *DEI* IN *CHRISTO.*

Credimus *Deum*, qui summe et perfectissime est tum misericors tum iustus, Filium suum misisse, ut naturam illam assumeret, quae per inobedientiam peccarat, ut in ea ipsa natura satisfaceret, atque ut Deus de peccato per acerbissimam mortem ac passionem Filii sui iustas [1]) poenas sumeret. *Deus* igitur iusti-

Digitized by Google

tiam suam in proprio Filio, in quem peccata nostra coniecerat [2]), ostendit et exeruit: bonitatem vero et misericordiam suam in nos nocentes et condemnatione dignos benigne effudit et exeruit, dum Filium suum pro nobis, ex perfectissimo suo erga nos amore, morti tradidit [3]) et eum rursus propter iustificationem nostram e mortuis excitavit, ut immortalitatem et vitam aeternam per illum consequeremur.

1) *satisfaceret atque .... Filii sui iustas*] Synt. 1612. *et satisfaceret, et de peccato, per acerbam ipsius mortem et passionem, iustas...* 2) *in quem .... coniecerat*] Synt. 1612. *nostris peccatis onusto.* 3) *pro nobis ..... tradidit*] Synt. 1612. *morti propter offensas nostras pro immenso suo ergo nos amore tradidit.*

## *Articulus XXI.*

## DE SATISFACTIONE CHRISTI PRO PECCATIS NOSTRIS.

Credimus *Iesum Christum* summum illum Sacerdotem esse, in aeternum cum iureiurando constitutum, secundum ordinem Melchisedeci [1]), qui se [2]) nostro nomine coram Patre ad placandam ipsius iram cum plena satisfactione obtulit, sistens seipsum super altare crucis, et sanguinem suum pretiosum [3]) ad purgationem peccatorum nostrorum profudit, sicuti id Prophetae futurum praedixerant. Scriptum enim est, *castigationem pacis nostrae super Filium Dei positam, et livore eius nos sanatos esse.* Item, *ipsum tanquam ovem ad mactationem ductum*, atque *inter peccatores et iniquos deputatum*, condemnatumque a Pontio Pilato tanquam maleficum, etsi illum prius innocentem pronuntiasset. *Quae igitur non rapuerat*, persolvit, et iustus pro iniustis passus est, idque [4]) tum in anima sua tum in corpore: adeo ut sentiens horribilem illam poenam, quam nos peccatis nostris commeriti eramus [5]), aquam et sanguinem sudaverit: et tandem etiam exclamaverit, *Deus meus, Deus meus, cur deseruisti me?* Ea vero omnia pro remissione peccatorum nostrorum pertulit. Quamobrem merito cum divo Paulo dicimus, *nos nihil quidquam scire, nisi Iesum Christum eumque crucifixum*: quinetiam *omnia pro stercoribus ducimus propter excellentiam cognitionis Domini nostri Iesu Christi*, ut qui in eius vulneribus omnis generis consolationem capiamus [6]). Itaque nihil necesse est ut alias ullas rationes vel optemus, vel ipsi cogitemus, quibus Deo reconciliari possimus, praeter hanc solam et semel peractam oblationem, qua consecrati sunt et perfecti in perpetuum fideles omnes, qui sanctificantur. Atque haec est causa cur ipse ab Angelo *Iesus* vocatus sit, id est, *Servator*, *quod servaturus esset populum suum a peccatis ipsius.*

1) Synt. 1612. *Melchisedech.* 2) Synt. 1612. *sese.* 3) *pretiosum* om. Synt. 1612. 4) *idque* om. Synt. 1612. 5) *adeo ut ..... commeriti eramus*] Synt. 1612. *ita ut horrorem peccatis nostris debitum sentiens.* 6) Synt. 1612. *comperiamus.*

Digitized by Google

## *Articulus XXII.*

## DE FIDE IUSTIFICANTE, ET DE IUSTIFICATIONE FIDEI.

Credimus Spiritum Sanctum per veram magni huius mysterii cognitionem in cordibus nostris veram Fidem accendere, quae [1]) Iesum Christum cum omnibus suis meritis amplectitur, eumque sibi proprium [2]) vindicat, nihilque deinceps extra illum quaerit. Necesse enim est aut omnia quae ad salutem nostram requiruntur in Christo non esse: aut si sint in eo omnia, eum, qui fide Iesum Christum possidet, simul etiam perfectam habere salutem. Itaque horrenda est omnino in Deum blasphemia, asserere Christum minime sufficere, sed aliis quoque rebus opus esse. Inde enim sequeretur, Christum ex parte tantum esse Servatorem. Merito igitur iureque dicimus cum D. Paulo, *Nos sola fide iustificari, seu Fide absque operibus legis.* Caeterum nequaquam intelligimus esse fidem ipsam proprie loquendo quae nos iustificet, [seu propter fidem nos iustificari,] nam illa tantum est velut [3]) instrumentum, quo Christum iustitiam nostram apprehendimus. Christus igitur ipse nobis imputans omnia sua merita, et tam multa sanctissima opera, quae pro nobis praestitit, est iustitia nostra [4]): Fides vero est instrumentum, quo illi in [4]) communionem omnium bonorum ipsius copulamur, atque in eadem retinemur: adeo ut illa omnia, postquam nostra facta sunt, nobis plus quam sufficiant ad nostri a peccatis absolutionem [6]).

1) *Sanctum per veram .... quae*] Synt. 1612. *Sanctum in cordibus nostris habitantem veram nobis fidem impartiri, ut huius tanti mysterii veram cognitionem adipiscamur. Quae fides.* 2) *eumque sibi proprium*] Synt. 1612. *illumque ceu proprium effectum.* 3) *Caeterum, nequaquam .... velut*] Synt. 1612. *Caeterum, proprie loquendo, nequaquam intelligimus ipsam fidem per se, seu ex se, nos iustificare, ut quae sit duntaxat veluti...* 4) *nobis imputans .... nostra*] Synt. 1612. *est nostra iustitia, qui omnis sua nobis merita imputat.* 5) *in*] Synt. 1612. add. *societatem seu.* 6) *postquam nostra .... absolutionem*] Synt. 1612. *nostra effecta, plus quam satis nobis sint ad nostri absolutionem a peccatis.*

## *Articulus XXIII.*

## DE IUSTITIA NOSTRA QUA CORAM DEO CONSISTIMUS.

Credimus beatitudinem [1]) nostram sitam esse in peccatorum nostrorum remissione, quae fit propter Iesum Christum: atque in ea contineri iustitiam nostram coram Deo: uti nos D. Paulus docet ex Davide, quum pronuntiat *Beatum eum hominem, cui Deus imputat iustitiam absque operibus;* idem [2]) Apostolus ait: *Nos gratis iustificari per redemptionem factam in Christo Iesu.* Ac propterea hoc fundamentum [in aeternum] firmum retinemus, et Deo gloriam omnem [3]) tribuimus, de nobis ipsis perquam [4]) humiliter sentientes, ut qui probe noverimus qui, qualesque simus revera. Ideoque de nobis ullisve nostris meritis nihil quidquam praesumimus, sed soli Iesu Christi crucifixi obedientiae innixi [5]), in

Digitized by Google

ea prorsus acquiescimus, quae nostra fit, quando in [6]) eum credimus. Haec porro una abunde sufficit, tum ad omnes nostras iniquitates obtegendas, tum etiam ad nos tutos securosque reddendos adversus omnes tentationes. Illa enim [7]) procul a conscientia abigit omnem metum, omnem horrorem, omnem denique formidinem, quo propius ad Deum accedamus, nec primi illius nostri parentis exemplum imitemur, qui prae metu fugiens ficulneis sese foliis obtegere et occultare conatus est. Et sane si nobis ipsis, aut ulli alteri creaturae vel tantillum nitentes coram Deo nos sistere oporteret, certum est nos statim absorptum iri. Idcirco cum Davide nobis singulis potius est exclamandum, *Domine ne intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo ullus vivens.*

1) *beatitudinem*] Synt. 1612. *omnem felicitatem.* 2) *quae fit propter .... idem*] Synt. 1612. *quae est in Christo Iesu: eaque unica totam nostram iustitiam coram Deo contineri: ut nos divus Paulus ex Davide docet, Beatitudinem eorum praedicante, quibus Deus iustitiam absque operibus imputat. Sed et idem...* 3) *Ac propterea .... gloriam omnem*] Synt. 1612. *Hoc igitur ceu firmo fundamento innitentes, omnem gloriam Deo.* 4) Homm. *quam.* 5) *soli .... innixi*] Synt. 1612. *sola ... obedientia suffulti* 6) *quae nostra fit, quando in*] Synt. 1612. *utque illa nostra fiat, in...* 7) Synt. 1612. *etenim* pro *enim.*

## *Articulus XXIV.*

## DE SANCTIFICATIONE, ET DE BONIS OPERIBUS.

Credimus veram hanc fidem per auditum verbi Dei et Spiritus Sancti operationem in nobis productam nos regenerare ac [1]) veluti novos homines efficere, ut quos ad novam vitam vivendam excitet, et a peccati servitute liberos reddat. Tantum abest igitur ut fides haec iustificans [2]) a recta sanctaque vivendi ratione avocet aut tepidiores efficiat, ut contra absque illa nemo unquam quidquam boni ex amore Dei agere atque operari possit, sed tantum ex amore sui ipsius et ex metu condemnationis [3]). Fieri itaque non potest, ut haec fides sancta in homine sit otiosa. Neque enim loquimur de fide inani [4]), sed de ea tantum, quae in Scriptura dicitur *per charitatem operari,* quaeque impellit hominem ut in illis sese operibus exerceat, quae Deus ipse in verbo suo praecepit. Haec vero opera a sincera fidei huius radice emanantia, ideo demum bona et Deo grata sunt, quia per illius gratiam sanctificantur: ad nos autem iustificandos nullius prorsus sunt momenti. Fide enim in Iesum Christum [5]) iustificamur, et quidem priusquam bona ulla opera ediderimus. Neque enim magis ante fidem opera nostra bona esse possunt, quam fructus arboris esse possunt boni, priusquam arbor ipsa bona fuerit. Facimus igitur bona quidem opera, sed non ut aliquid iis promereamur. Quid enim promereri nos possimus? [6]) Quinimo Deo magis magisque ad bona opera (si quae facimus) sumus obstricti, non Deus nobis. Deus enim

Digitized by Google

is est, *qui efficit in nobis, et ut velimus, et ut efficiamus* [7]), *pro gratuita sua benevolentia.* Unde ad illud nobis semper est respiciendum, quod scriptum est: Quum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus; nam quod debuimus facere, hoc fecimus. Interea non [8]) negamus Deum bona opera in suis remunerari; sed [9]) id mera sua gratia fieri dicimus, ut qui dona sua in nobis coronet. Caeterum quamvis bona opera faciamus, nequaquam tamen ullam salutis nostrae spem in illis collocamus [10]). Nulla enim opera edere possumus quae non sint carnis nostrae vitio polluta, ac proinde supplicio poenisque digna. Quod si etiam aliquod eiusmodi opus proferre quiremus, sola tamen peccati recordatio sufficeret ad illud e conspectu Dei removendum. Itaque semper in dubio essemus, hinc inde fluctuantes, absque ulla certitudine [11]), et miserae nostrae conscientiae semper vexarentur, nisi unico merito mortis et passionis Servatoris nostri niterentur, et in illo acquiescerent.

1) *in nobis productam nos regen. ac*] Synt. 1612. *propter Deum (sed omnia vel propter seipsum, vel ob metum iustae condemnationis) agere atque operari possit.* 2) Synt. 1612. add. *homines.* 3) *ex amore Dei agere ... condemnationis*] Synt. 1612. *propter Deum (sed omnia vel propter seipsum, vel ob metum iustae condemnationis) agere atque operari possit.* 4) *inani*] Synt. 1612. *vana atque mortua.* 5) Synt. 1612. *in Christo.* 6) *nos possimus*] Synt. 1612. *possemus.* 7) Synt. 1612. *faciamus.* 8) *Interea non*] Synt. 1612. *Porro non ideo.* 9) Synt. 1612. *verum* pro *sed.* 10) Synt. 1612. *ponimus.* 11) *essemus ..... certitudine*] Synt. 1612. *atque hinc inde fluctuantes essemus.*

## *Articulus XXV.*

## DE ABROGATIONE LEGIS CEREMONIALIS, ET DE CONVENIENTIA V. ET N. TESTAMENTI.

Credimus omnes ceremonias et figuras Legis, omnes denique umbras cessasse adventu Christi; adeo ut earum quoque usus inter Christianos iam tolli atque aboleri [1]) debeat. Interim tamen manet nobis illarum veritas et substantia in Christo, in quo omnes impletae fuerunt. Legis vero [2]) et Prophetarum testimoniis adhuc utimur, ut nos ipsos in Evangelii doctrina confirmemus; et omnem vitam nostram honeste ad Dei gloriam iuxta ipsius voluntatem componamus.

1) *atque aboleri*] Synt. 1612. *abolerique.* 2) *Legis vero*] Synt. 1612. *Ideoque Legis.*

## *Articulus XXVI.*

## DE INTERCESSIONE CHRISTI [1]).

Credimus nos nullum ad Deum accessum habere, nisi tantum per unicum Mediatorem atque Advocatum Iesum Christum iustum, qui hanc ob caussam homo factus est et cum divina natura personaliter unitus, ut nos homines per ipsum ad divinam Maiestatem

Digitized by Google

accessum haberemus: alioquin nobis hic aditus erat praeclusus, [haud secus uti spinae ad ignem accedere non possunt. Nos sola ipsius voce absorpti fuissemus, sicuti in Adamo apparet, qui tremebundus a Domino profugiebat: atque in Israelitis ad montem Sinai, qui mediatorem postulabant, ex metu ne propter vocem Domini morerentur.] Hic Mediator, quem Pater inter ipsum et nos ordinavit, non debet nos propter maiestatem suam deterrere, ut alium mediatorem, prout nobis visum fuerit, quaeramus: nemo enim est ex omnibus creaturis in coelo aut in terris, quae nos impensius amet, quam Iesus Christus, *qui tametsi esset in forma Dei, seipsum tamen exinanivit, forma servi accepta, similis factus hominibus ac fratribus suis per omnia.* [*Ipse qui dives erat, nostra caussa pauper factus est.*] At vero si alius nobis Mediator esset quaerendus, qui bene erga nos esset affectus, quem invenire possemus, qui nos magis diligat, quam qui vitam suam pro nobis posuit, etiam tunc quum essemus ipsius inimici? Sin autem nobis quaerendus aliquis est, qui potentia atque autoritate valeat, quis est qui tanta polleat, quanta is qui *ad dextram Dei Patris sui consedit*, atque *omnem autoritatem habet in coelo et in terra?* Quis est qui facilius exaudietur, quam proprius et unice dilectus filius? Sola itaque diffidentia hanc consuetudinem invexit, quod Sancti ignominia afficiantur, dum illos honorare volunt, eiusmodi illis exhibentes honorem, quem illi ipsi nunquam desiderarunt, sed semper constantissime, prout officium etiam eorum exigebat, respuerunt, uti ex scriptis eorum patet. Neque hic proferendum illud est, quod nos non simus digni: hic enim non quaeritur de precibus nostris propter dignitatem nostram Deo offerendis, sed tantum propter excellentiam et dignitatem Iesu Christi, cuius iustitia est nostra per fidem. Quapropter Apostolus hunc stultum metum seu potius diffidentiam nobis eximere volens merito nobis dicit, *Iesum Christum fratribus suis per omnia similem esse factum, ut misericors esset et fidelis Pontifex in iis quae apud Deum agenda forent, ad expiandum peccata populi. Nam ex eo quod perpessus fuit, cum tentatus est, potest et iis, qui tentantur, succurrere.* Et paulo post, ut in nobis tanto maiorem [ad ipsum accedendi] fiduciam accendat, addit: *Habentes igitur Pontificem magnum, qui penetravit coelos, Iesum Filium Dei, teneamus hanc professionem: non enim habemus Pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter absque peccato. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiae, ut consequamur misericordiam et gratiam inveniamus ad opportunum auxilium.* [Commutat hic tremendum gloriae thronum in thronum gratiae, ut nos faciat ad ipsum accedere.] Idem Apostolus docet, *nos habere libertatem ingrediendi sacrarium per sanguinem Iesu. Accedamus itaque*, ait, *cum certa persuasione fidei*, etc. Item, *Christus habet perpetuum sacerdotium: unde et servare prorsus potest eos qui per ipsum accedunt ad Deum, semper*

Digitized by Google

*vivens ut interpellet pro iis.* Quid amplius desiderari poterit, cum Christus ipse palam testetur, *Ego sum via, veritas et vita: Nemo potest ad Patrem venire, nisi per me?* Quem in finem quaeremus alium advocatum, [cum per ipsum solum accessum habeamus ad Patrem?] Quumque Deo placuerit nobis Filium suum dare, ut esset advocatus noster, ne illum relinquamus, ut nobis alium sumamus, vel potius ut alium quaeramus, et nunquam iuveniamus. Quum enim Deus cum nobis donaret, probe sciebat nos esse peccatores. Quare praeceptum Christi sequentes, Patrem coelestem invocamus per Christum unicum Mediatorem nostrum, quemadmodum ipse nos docuit in Oratione Dominica, certo persuasi, quidquid Patrem petierimus in ipsius nomine, nos esse idipsum impetraturos.

1) Hic articulus magna ex parte aliam formam habet in Synt. 1612., hoc modo: *Credimus etiam nos nullum accessum habere ad Deum, nisi per unicum illum Mediatorem et Advocatum Iesum Christum iustum, qui ideo factus est homo (humanae naturae divinam uniens) ut nobis miseris hominibus aditus ad Dei maiestatem pateret: qui nobis alias in perpetuum fuisset occlusus. Huius tamen Mediatoris (quem Pater inter se et nos constituit) Maiestas et potentia minime nos eousque terrere debet, ut ideo nobis alium pro arbitrio quaerendum putemus. Nullus est enim, neque inter coelestes, neque inter terrenas creaturas, qui nos maiori dilectione amplectatur, quam Christus ipse: qui quum esset in forma Dei seipsum exinanivit, forma servi hominis accepta: et propter nos per omnia similis factus fratribus suis: quod si nobis alius Mediator quaerendus esset, qui aliqua nos benevolentia dignaretur, quem quaeso invenire possimus, qui nos ardentius diligat, quam eum ipsum, qui pro nobis quum adhuc inimici eius essemus, vitam propriam volens exposuit? Si porro alius nobis quaerendus est, qui summa tum auctoritate, tum potentia excellat: quis tantam unquam adeptus est, quam ille ipse qui ad Dei Patris dextram sedet, cuique omnis potestas data est in coelo et in terra? Quis denique potius exaudiendus fuerit a Deo, quam unigenitus ille, et unice dilectus Dei Filius? Sola igitur diffidentia morem hunc induxit, quo Sanctos (quos colere putamus) dedecore potius afficimus, dum ea patramus, quae tantum abest ut illi unquam viventes fecerint, ut potius ea constanter, et pro officio suo, reiecerint, sicuti scripta eorum testantur. Neque hic nostra indignitas proferenda est ad tantae impietatis excusationem. Minime etiam nostra fulti dignitate preces offerimus, sed sola domini nostri Iesu Christi dignitate et excellentia, cuius iustitia nostra est per fidem, unde merito Apostolus ut a nobis inanem hunc timorem (seu potius diffidentiam) excutiat, Christum ait, per omnia similem factum fuisse fratribus suis, ut misericors esset et fidelis Pontifex, in iis quae apud Deum agenda forent ad expianda peccata populi. Nam ex eo quod perpessus fuit, quum tentatus est, potest et iis qui tentantur succurrere. Praeterea ut animos nobis addat, quo confidentius ad hunc Pontificem accedamus, addit idem Apostolus, habentes igitur Pontificem magnum, qui penetravit coelos, Iesum Filium Dei, teneamus hanc professionem. Non enim habemus Pontificem qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum in omnibus similiter absque peccato. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiae, ut consequamur misericordiam et gratiam inveniamus, ad opportunum auxilium. Idem Apostolus ait, nos habere libertatem ingrediendi sacrarium per sanguinem Iesu. Accedamus igitur cum certa persuasione fidei, etc. Item, Christus perpetuum habet sacerdotium: unde et servare potest eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens, ut interpellet pro eis. Quid pluribus*

Digitized by Google

*opus est? quum Christus ipse dicat, Ego sum via, veritas et vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me: cur alium nobis advocatum quaeremus? Quinimo quum Deo ipsi placuerit proprium nobis Filium advocatum dare, non est quod eo derelicto alium quaeramus, ne forte semper quaerendo nunquam quemquam alium inveniamus. Sciebat enim haud dubie Deus, quum illum nobis daret, nos esse miseros peccatores. Quo fit, ut iuxta mandatum ipsius Christi, Patrem coelestem per eum ipsum Iesum Christum unicum mediatorem nostrum duntaxat invocemus, quemadmodum etiam in oratione Dominica ipsemet nos docuit. Sumus enim certi nos ea omnia consequuturos, quae a Patre in nomine ipsius petierimus.*

## *Articulus XXVII.*

## DE ECCLESIA CATHOLICA.

Credimus et confitemur unicam Ecclesiam Catholicam seu universalem, quae est sancta [1]) congregatio seu coetus omnium fidelium Christianorum, qui totam suam salutem ab uno Iesu Christo expectant abluti ipsius sanguine [2]) et per Spiritum eius sanctificati atque obsignati. Haec porro Ecclesia [3]) ab initio mundi fuit, et [4]) usque ad finem eius est perduratura: quemadmodum hoc [5]) vel ex eo apparet, quod Christus Rex aeternus est, qui nunquam sine subditis esse potest. Caeterum hanc Sanctam [6]) Ecclesiam Deus contra omnem mundi furorem et impetum tuetur: quamvis ad aliquod tempus parva admodum et quasi extincta in conspectu hominum appareat: quemadmodum tempore illo periculosissimo Achabi Deus sibi septem millia virorum reservasse dicitur, qui non flexerant genua [7]) coram Baal. Denique haec Ecclesia sancta nullo est aut certo loco sita et circumscripta, aut ullis certis [8]) personis astricta aut alligata: sed per omnem orbem terrarum sparsa atque diffusa est [9]), quamvis animo ac voluntate in uno eodemque spiritu, virtute fidei, tota sit simul coniuncta atque unita.

1) Synt. 1612. *vera* pro *sancta*. 2) *abluti ipsius sanguine*] Synt. 1612. *quatenus videlicet ipsius sanguine sunt abluti*. 3) Synt. 1612. add. *ut*. 4) Synt. 1612. *ita et*. 5) *quemadmodum hoc*] Synt. 1612. *Id*... 6) *Sanctam* om. Synt. 1612. 7) Synt. 1612. *genu*. 8) *certis*] Synt. 1612. add. *ac singularibus*. 9) *est* om. Synt. 1612.

## *Articulus XXVIII.*

## DE COMMUNIONE SANCTORUM CUM VERA ECCLESIA.

Credimus quod quum sanctus [1]) hic coetus et congregatio sit eorum qui servari debent: et salus nulla sit extra eam; neminem (cuiuscunque dignitatis aut nominis is fuerit) sese ab ea subducere aut segregare debere, ut sua tantum consuetudine contentus, solus ac separatim vivat. Sed [2]) omnes ac singulos teneri huic coetui se adiungere atque uniri Ecclesiae [3]) unitatem sollicite conservare, seseque illius tum doctrinae tum disciplinae subiicere, collum denique Christi iugo sponte subiicere, ac [4]) tanquam communia eiusdem corporis membra aedificationi fratrum inservire, prout Deus

Digitized by Google

unicuique sua dona fuerit largitus. Porro ut haec melius observentur, omnium fidelium partes sunt, sese iuxta Dei verbum ab iis [5]) omnibus disiungere, qui sunt extra Ecclesiam constituti: huicque fidelium coetui ac congregationi se [6]) adiungere, ubicunque illam Deus constituerit: etsi id contraria Principum vel Magistratuum edicta prohibeant, indicta etiam in eos capitis et mortis corporeae poena, qui id fecerint. Quicunque igitur a vera illa Ecclesia recedunt, aut se [7]) illi aggregare recusant, aperte Dei mandato repugnant.

1) Synt. 1612. *sacer.* 2) Synt. 1612. *Sed contra.* 3) Synt. 1612. *adiungere, et Ecclesiae.* 4) *subiicere, ac*] Synt. 1612. *submittere, ac.* 5) Synt. 1612. *ab eis.* 6) Synt. 1612. *sese.* 7) Synt. 1612. *sese.*

## *Articulus XXIX.*
## DE NOTIS VERAE ECCLESIAE.

Credimus summa tum diligentia tum prudentia ex verbo Dei esse inquirendum ac discernendum, quaenam sit illa vera Ecclesia: quandoquidem omnes sectae [1]) quotquot hodie in mundo vigent, Ecclesiae titulum nomenque usurpant atque praetexunt. Nequaquam vero de hypocritarum coetu nunc loquimur, qui bonis in Ecclesia sunt permisti [et simul hoc Ecclesiae titulo sunt tecti,] sed [2]) ad Ecclesiam proprie non pertineant, licet in ea corpore praesentes sint [3]): sed de distinguenda verae Ecclesiae [4]) congregatione ab omnibus aliis sectis, quae se Ecclesiae membra esse falso gloriantur. Notae, quibus vera Ecclesia a falsa discernitur, hae sunt: Si Ecclesia utatur pura Evangelii praedicatione, et sincera Sacramentorum administratione, secundum Christi institutionem: si disciplina Ecclesiastica recte utatur ad corrigenda vitia [5]): si denique (ut uno verbo cuncta complectamur) ad normam verbi Dei omnia exigat, et quaecunque huic adversantur, repudiet: Christumque unicum caput agnoscat. Hisce [6]) notis certum est veram Ecclesiam dignosci posse, a qua fas non sit quemquam disiungi. Quae autem sint verae huius Ecclesiae vera membra, ex communibus Christianorum omnium notis poterit iudicari: qualis est Fides; atque hinc cognoscuntur, quod Christum unicum Servatorem fide apprehendant, peccatum fugiant, et iustitiam consectentur [7]): verum etiam [8]) Deum et proximum diligant [9]), neque ad dextram neque ad sinistram deflectentes, carnemque suam cum ipsius operibus [10]) crucifigentes [11]): quod quidem ita minime est intelligendum [12]), quasi nulla amplius in illis sit infirmitas, sed quod adversus eam [13]) per omne vitae tempus virtute Spiritus pugnent, confugientes semper ad sanguinem, mortem, passionem et obedientiam Domini nostri Iesu Christi in quo solo remissionem peccatorum suorum habent, per fidem in ipsum [14]). Quod ad falsam vero attinet Ecclesiam illa sibi suisque institutis et traditionibus plus semper autoritatis tribuit, quam verbo Dei [15]): illa Christi iugo se subiici recusat [16]); illa Sacramenta non admini-

Digitized by Google

strat prout Christus in verbo suo praescripsit [17]): sed illis pro arbitrio modo addit aliquid, modo detrahit. Praeterea hominibus illa semper plus quam Christo nititur, eosque qui sacnte ex praescripto verbi Dei vitam suam componere student, quique [18]) vitia illius, atque imprimis [19]) avaritiam et idolomanias taxant, ac reprehendunt, hostiliter persequuntur [20]). Ex his igitur facile est utramque Ecclesiam agnoscere atque a se invicem discernere [21]).

1) Synt. 1612. inepte: *sanctae* pro *sectae*. 2) Synt. 1612. om. *et simul ... tecti*, et habet *licet* pro *sed*. 3) *licet .... sint*] Synt. 1612. *in qua corpore sunt praesentes*. 4) *de distinguenda verae Ecclesiae*] Synt. 1612. *de distinguendo duntaxat verae Ecclesiae corpore ac...* 5) *Notae quibus vera Ecclesia .... corrigenda vitia*] Synt. 1612. *His igitur notis vera Ecclesia a falsa discernetur. Si in illa pura Evangelii praedicatio, legitimaque Sacramentorum ex Christi praescripto, administratio vigeat: si item recta disciplina Ecclesiastica utatur ad coercenda vitia.* 6) Synt. 1612. *His, inquam*, pro *hisce*. 7) *atque hinc cognoscuntnr .... consectentur*) Synt. 1612. *qua semel Christo ceu unico suo Salvatore, apprehenso, fugiunt peccatum, et sequuntur iustitiam.* 8) *etiam*] Synt. 1612. *item*. 9) *et proximum diligant*] Synt. 1612. *ac proximos suos diligunt*. 10) Synt. 1612. *effectis*. 11) Synt. 1612. *crucifigunt*. 12) *quod quidem .... intelligendum*] Synt. 1612. *minime id quidem*. 13) Synt. 1612. *illam*. 14) *confugientes semper .... per fidem in ipsum*] Synt. 1612. *et subinde ad sanguinem, mortem, passionemque et obedientiam Christi Domini nostri, tanquam ad tutissimum praesidium, refugiant: ut in quo solo sciant se habere redemptionem peccatorum, per fidem in illum.* 15) *Quod ad falsam vero attinet .... verbo Dei:*) Synt. 1612. *Falsa vero Ecclesia contra sibi ipsi suisque institutis et traditionibus plus semper quam Dei verbo tribuit:* 16) *illa Christi iugo se subiici recusat;*] Synt. 1612. *Christi vero iugo subiici se non patitur:* 17) *illa Sacramenta non administrat prout .... praescripsit:*] Synt. 1612. *nec Sacramenta ex Christi praescripto administrat:* 18) Synt. 1612. *quive*. 19) *atque imprimis*] Synt. 1612. *veluti*. 20) Synt. 1612. *persequitur*. 21) *agnoscere atque a se invicem discernere*] Synt. 1612. *ab invicem discernere et agnoscere*.

## *Articulus XXX.*

## DE REGIMINE ECCLESIAE.

Credimus veram hanc Ecclesiam debere regi ac gubernari spirituali illa politia, quam nos Deus ipso verbo suo [1]) edocuit: nimirum ut sint [2]) in ea Pastores ac Ministri, qui pure et concionentur et Sacramenta administrent. Sint quoque Seniores et Diaconi, qui Presbyterium, *seu* Ecclesiae Senatum constituant [3]), ut his veluti mediis vera Religio conservari, veraque doctrina passim propagari et retineri [4]) possit: hominesque vitiis dediti spiritualiter corripi et emendari, ac veluti fraeno quodam Disciplinae cohiberi: pauperes item et afflicti auxilio et consolatione pro cuiusque necessitate sublevari possint [5]). Tunc enim omnia rite [6]) et ordine fient in Ecclesia, cum [7]) viri fideles ac pii ad eius gubernationem deligentur, iuxta D. Pauli [8]) praescriptum, quod habetur [9]) 1 Tim. 3. et Tit. 1.

1) *Ipso verbo suo*] Synt. 1612. *ipse suo verbo*. 2) *nimirum ut sint*] Synt. 1612. *ita ut sint*. 3) *qui Presbyterium, seu Ecclesiae Senatum con-*

Digitized by Google

*stituant*] Synt. 1612. *qui Ecclesiae Senatum constituant.* 4) *propagari et retineri*] Synt. 1612. *retineri et propagari.* 5) *possint* Synt. 1612. om. 6) *Tunc enim omnia rite*] Synt. 1612. *Tunc enim rite omnia.* 7) *cum*] Synt. 1612. *quum.* 8) *D. Pauli*] Synt. 1612. *divi Pauli.* 9) *quod habetur 1 Tim. 3. et Tit. 1.*] Synt. 1612. *quod habetur prima ad Timotheum 3. et Tit. 1.*

## *Articulus XXXI.*

## DE VOCATIONE MINISTRORUM ECCLESIAE.

Credimus Ministros, Seniores, et Diaconos debere ad functiones illas suas vocari et promoveri legitima Ecclesiae vocatione [1]) adhibita ad eam seria Dei invocatione, [atque adhibitis Ecclesiae suffragiis, ac postea confirmari in muneribus suis per impositionem manuum [2])] eo ordine et modo, qui nobis in verbo Dei praescribitur [3]). Debent autem imprimis singuli cavere, ne illicitis mediis sese ad haec munia ingerant. Expectandum est enim omnibus, donec a Deo ipso vocentur, ut certum habeant vocationis suae testimonium, sciantque eam esse a Domino. Caeterum omnes verbi Dei Ministri, ubicunque sint locorum, eandem habent omnes atque aequalem [4]) tum potestatem, tum autoritatem, ut qui sint aeque omnes Christi unici illius Episcopi universalis et capitis Ecclesiae, Ministri. [Ac proinde nulla Ecclesia habet autoritatem ullam, sive dominium in alteram, ut illi dominetur.] [5]) Porro ne sancta haec Dei ordinatio, aut violetur aut abeat in contemptum, debent omnes de verbi Ministris et Senioribus Ecclesiae, propter opus cui incumbunt, honorifice sentire, atque cum iis pacem colere [6]): et a rixis ac contentionibus, quantum fieri potest, invicem abstinere.

1) *vocatione*] Synt. 1612. *electione.* 2) *adhibitis ..... manuum*] Synt. 1612. om. pergit tamen *atque eo ordine et modo.* 3) *qui nobis in verbo Dei praescribitur*] Synt. 1612. *qui nobis Dei verbo praescribitur.* 4) *Caeterum omnes verbi Dei Ministri, ubicunque sint locorum, eandem habent omnes atque aequalem tum* etc.] Synt. 1612. *Caeterum ubi sint locorum verbi Dei Ministri, eandem illi atque aequalem omnes habent tum* etc. 5) [*Ac proinde nulla Ecclesia habet autoritatem ullam, sive dominium in alteram, ut illi dominetur.*] Synt. 1612. om. haec verba. 6) *propter opus, cui incumbunt, honorifice sentire, atque cum iis pacem colere*] Synt. 1612. *honorifice propter opus cui incumbunt, sentire, atque cum illis pacem colere.*

## *Articulus XXXII.*

## DE POTESTATE ECCLESIAE IN CONDENDIS LEGIBUS ECCLESIASTICIS, ET IN ADMINISTRANDA DISCIPLINA.

Interim credimus quamvis utile quidem sit, ut Gubernatores [1]), qui Ecclesiis praesunt, aliquem inter se ordinem constituant, ad conservationem corporis Ecclesiae, tamen studiose cavere eos debere [2]), ne quo pacto ab iis deflectant, declinentve, quae Christus ipse, unicus Magister noster semel constituit. Quapropter reiicimus omnia humana inventa, omnesque leges [3]), quae ad Dei

Digitized by Google

cultum sunt introductae, ut iis conscientiae ullo modo illaqueentur [4]), aut obstringantur. Recipimus itaque eas solas [5]), quae idoneae sunt vel ad fovendam, alendamque concordiam, vel ad nos in Dei obedientia retinendos. Ad id vero imprimis necessaria est Excommunicatio, ex praecepto verbi Dei usurpata: et aliae illi annexae disciplinae Ecclesiasticae appendices.

1) *Interim credimus quamvis utile quidem sit, ut Gubernatores*] Synt. 1612. *Interim credimus quidem utile esse, ut Seniores* etc. 2) *tamen studiose cavere eos debere*] Synt. 1612. *modo studiose caveant.* 3) *Quapropter reiicimus omnia humana inventa, omnesque leges*] Synt. 1612. *Nos itaque omnia humana inventa, omnesque leges reiicimus.* 4) *illaqueentur*] Synt. 1612. *illaquentur.* 5) *Recipimus itaque eas solas*] Synt. 1612. *Easque solas suscipimus.*

## *Articulus XXXIII.*

## DE SACRAMENTIS.

Credimus Deum habita nostrae habitudinis [1]) atque infirmitatis ratione, Sacramenta nobis instituisse, ut promissa sua in nobis obsignaret, et ut essent Divinae erga nos benevolentiae, gratiae [2]), donorumque eius certissima nobis pignora, ad fidem nostram fovendam, et sustentandam comparata. Addidit vero illa ad verbum Evangelii, ut tam ea ipsa quae nobis externe [3]) verbo suo declarat, tum ea etiam quae ille ipse in cordibus nostris interne operatur, efficacius sensibus nostris [4]) proponeret: ac denique ut salutem, quam nobis communicare dignatur, magis magisque in nobis confirmaret. Sunt enim Sacramenta signa, ac symbola visibilia rerum internarum et invisibilium, per quae, ceu per media, Deus ipse virtute Spiritus Sancti in nobis operatur [5]). Itaque signa illa minime vana sunt, aut vacua: nec ad nos decipiendos aut frustrandos instituta. Ipsorum enim veritas est ipse Iesus Christus, sine quo nullius prorsus essent momenti [6]). Praeterea [7]) sufficit nobis is Sacramentorum numerus, quem Christus ipse verus et unicus Doctor noster instituit. Sunt vero illa duo duntaxat, nimirum Sacramentum Baptismi, et sacrae Coenae Domini nostri Iesu Christi.

1) *habitudinis*] Synt. 1612. *hebetudinis.* 2) *gratiae* in Synt. 1612. deest. 3) *ut tam ea ipsa quae nobis externe* etc.] Synt. 1612. *ut tum ea ipsa quae nobis rem* etc. 4) *efficacius sensibus nostris proponeret*] Synt. 1612. *efficacius sensibus nostris externis proponeret.* 5) *in nobis operatur*] Synt. 1612. *in nobis agit.* 6) *sine quo nullius prorsus essent momenti*] Synt. 1612. *sine quo nullius essent prorsus momenti.* 7) *Praeterea*] Synt. 1612. *caeterum.*

## *Articulus XXXIV.*

## DE BAPTISMO.

Credimus et confitemur Iesum Christum (qui finis legis est) omni alii Sanguinis effusioni ad propitiationem peccatorum adhi-

Digitized by Google

bendae finem proprio suo sanguine effuso iam imposuisse: et abolita Circumcisione, quae fiebat per Sanguinem, Baptismum illius loco instituisse, quo in Ecclesiam Dei [1]) recipimur, et a cunctis aliis gentibus et peregrinis aliis religionibus [2]) segregamur, utpote illi soli consecrati, cuius symbolum et insignia gestamus. Est denique Baptismus nobis testimonio [3]), illum ipsum nobis fore Deum in aeternum [4]), qui et Pater nobis est propitius. Omnes igitur, qui sui sunt, iussit Dominus aqua pura Baptizari in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti [5]): ut significaret sanguinem Christi per Spiritum Sanctum idem praestare et efficere interne in anima, quod aqua externe operatur in corporibus. Sicut enim aqua in nos effusa et super corpus baptizati eminens ipsumque [6]) irrigans, sordes corporis abluit: sic et Sanguis Christi animam abluens, a peccatis illum [7]) emundat, nosque filios irae in filios Dei regenerat. Non quod aqua haec materialis ista efficiat, sed aspersio ipsa pretiosissimi Sanguinis Filii Dei, qui nobis est ceu mare illud rubrum, per quod transeundum est, ut e tyrannide Pharaonis, id est, Diaboli, egredi, et in spiritualem terram Chanaan introire possimus. Itaque Ministri quidem praebent nobis Sacramentum, et rem visibilem: at Dominus ipse exhibet quod Sacramento significatur, nimirum dona et gratias invisibiles, abluens, purificans, et mundans animas nostras a cunctis sordibus et iniquitatibus suis: renovans item, et replens corda nostra omni consolatione: largiens denique nobis veram paternae suae bonitatis certitudinem novo homine [8]) nos induens, et vetere exuens [9]) cum omnibus operibus [10]) eius. Praeterea credimus [11]) omnem hominem, qui vitam aeternam consequi cupiat, debere semel Baptizari, [atque unico hoc Baptismo contentum esse [12])] qui nunquam postea sit iterandus, cum ne nasci quidem [13]) bis possimus. Neque tamen hic Baptismus eo duntaxat momento prodest, quo aqua nobis inhaeret, aut quo ea tingimur [14]): sed per totum vitae nostrae tempus: [alioquin necesse foret nos caput nostrum semper aqua tinctum habere. [15])] Anabaptistarum itaque errorem hic detestamur, qui non modo unico et semel suscepto Baptismo contenti non sunt: sed et Baptismum infantium e fidelibus parentibus natorum [16]) damnant. Nos vero eos eadem ratione baptizandos et signo foederis obsignandos esse credimus, qua olim in Israële parvuli circumcidebantur, nimirum propter easdem promissiones infantibus nostris factas. Et revera Christus non minus sanguinem suum effudit, ut fidelium infantes, quam ut adultos ablueret. Ideoque signum seu Sacramentum rei, quam Christus eorum caussa est operatus, illos recipere convenit: quemadmodum in Lege iubet Dominus Sacramentum mortis et passionis Christi communicari pueris recens natis, offerendo pro ipsis agnum, qui Sacramentum erat Christi venturi. Praeterea quod Circumcisio praestabat populo Iudaico, idem infantibus fidelium nunc praestat Baptismus [17]). Atque haec caussa est [18]), cur Paulus Baptismum vocet Circumcisionem Christi.

Digitized by Google

1) *in Ecclesiam Dei*] Synt. 1612. *in Dei ecclesiam.* 2) *aliis religionibus*] Synt. 1612. *omnibus religionibus.* 3) *Est denique Baptismus nobis testimonio*] Synt. 1612. *Est denique nobis testimonio Baptismus.* 4) *illum ipsum nobis fore Deum in aeternum*] Synt. 1612. *illum ipsum Deum nostrum fore in aeternum.* 5) *Omnes igitur, qui sui sunt, iussit Dominus aqua pura Baptizari in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti:*] Synt. 1612. *Suos igitur omnes iussit Dominus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti pura aqua baptisari.* 6) *super corpus baptizati eminens ipsumque* etc.] Synt. 1612. *super corpus Baptizati eminens, ac conspicua, ipsumque* etc. 7) *illum*] Synt. 1612. *illam.* 8) *certitudinem, novo homine*] Synt. 1612. *certitudinem, et novo homine.* 9) *et vetere exuens*] Synt. 1612. *atque vetere exuens.* 10) *operibus*] Synt. 1612. *factis.* 11) *Praeterea credimus* etc.] Synt. 1612. *His de caussis credimus* etc. 12) *debere semel Baptizari, [atque unico hoc Baptismo contentum esse]* Synt. 1612. *debere unico Baptismo (id est semel tantum) baptizari.* 13) *cum ne nasci quidem*] Synt. 1612. *quum ne nasci quidem.* 14) *quo aqua nobis inhaeret, aut quo ea tingimur*] Synt. 1612. *quo aqua nobis insidet, quove ea tingimur.* 15) *[alioquin necesse foret nos caput nostrum semper aqua tinctum habere]* quae verba in Synt. 1612. desunt. 16) *e fidelibus parentibus natorum*] Synt. 1612. *e fidelibus natorum.* 17) *idem infantibus fidelium nunc praestat Baptismus*] Synt. 1612. *idem pueris fidelium praestat Baptismus.* 18) *Atque haec caussa est*] Synt. 1612. *Et haec caussa est.*

## *Articulus XXXV.*

## DE COENA DOMINI.

Credimus etiam et confitemur D. Iesum Christum Servatorem nostrum, sacrosanctum Coenae suae Sacramentum instituisse, ut in ea nutriat, ac sustentet eos, quos iam regeneravit, et in familiam suam, nempe Ecclesiam insevit. Qui vero regenerati sunt, duplicem in se vitam habent: unam quidem carnalem et temporariam, quam secum a prima nativitate sua [1]) attulerunt, et haec communis est omnibus hominibus [2]): alteram spiritualem et coelestem, quae illis donatur in secunda illa nativitate, quae fit per verbum Evangelii in unione corporis Christi, et haec vita non est communis nisi solis Electis Dei [3]). Sicuti vero Deus panem terrenum et materialem ad huius vitae carnalis et terrenae sustentationem [4]) idoneum constituit, qui ut et ipsa vita, omnibus est communis; ita et [5]) ad conservationem illius vitae spiritualis, et coelestis, quae fidelium propria est, Deus panem vivificum misit, qui de [6]) coelo descendit, nempe Iesum Christum: is nutrit et sustentat vitam fidelium spiritualem, si comedatur, id est, applicetur et recipiatur spiritu per fidem. Ut autem panem hunc spiritualem et coelestem Christus nobis figuraret, sive [7]) repraesentaret; instituit Panem et Vinum terrenum et visibilem in Corporis et Sanguinis sui Sacramentum: ut iis nobis testificetur [8]), quam vere accipimus et tenemus manibus nostris hoc Sacramentum, illudque oré comedimus (unde et postmodum vita haec nostra sustentatur), tam vere etiam nos fide (quae animae nostrae est instar et manus et oris) recipere verum corpus et verum sanguinem Christi, in animis [9]) nostris, ad vitam spiritualem in nobis fovendam. Cer-



Digitized by Google

tissimum vero est, Christum non sine caussa tam solicite [10]) hoc suum Sacramentum nobis commendare, utpote qui perficiat in nobis revera, quaecunque ipse nobis his sacris signis repraesentat: quamvis modus ipse ingenii nostri captum superet, nec percipi a quoquam possit: quod videlicet operatio Spiritus Sancti occulta sit et incomprehensibilis [11]): [interim nequaquam erraverimus si dicamus fieri per fidem [12]).] Dicimus itaque [13]) id quod comeditur esse ipsissimum Christi corpus naturale, et id quod bibitur verum ipsius sanguinem: at instrumentum seu medium quo haec comedimus et bibimus non est os corporeum, sed spiritus ipse noster, idque per fidem.

Christus itaque semper ad dextram Patris in coelis residet, nec ideo minus se nobis per fidem communicat. Porro haec Coena mensa est spiritualis, in qua Christus seipsum nobis cum omnibus bonis suis participandum offert, efficitque ut nos in illa [14]), tam illo ipso, quam merito passionis mortisque ipsius fruamur [15]). Animam enim nostram miseram et afflictam, omnique consolatione destitutam, carnis suae esu ipsemet nutrit, roborat [16]) et consolatur: sanguinis item sui potu eam sustentat et recreat. Praeterea quamvis Sacramenta sint coniuncta rei ipsi significatae, ambae tamen res istae non ab omnibus recipiuntur. Impius [17]) enim recipit quidem Sacramentum in suam condemnationem, at rem seu veritatem Sacramenti non recipit. Verbi gratia, Iudas et Simon Magus receperunt quidem ambo Sacramentum: Christum vero ipsum, qui illo significabatur, minime, quoniam solis ille fidelibus [18]) communicatur. Postremo huic nos Sacramento sacrosancto in coetu populi Dei cum summa humilitate et reverentia communicamus, memoriam mortis Christi Servatoris nostri cum gratiarum actione sancte celebrantes, et fidei Religionisque Christianae confessionem publice ibi profitentes. Nemo itaque ad hanc mensam se sistere debet, qui prius se non probaverit [19]), ne de hoc pane edens, et de hoc poculo bibens iudicium ipse sibi et damnationem manducet, ac bibat. Usu porro huius Sacramenti accenditur in nobis flagrantissimus amor tum in Deum ipsum, tum in proximum. Itaque nos hic quidem merito omnes hominum ludificationes, et damnanda commenta (quae illi Sacramentis addiderunt et admiscuerunt) tanquam veram profanationem reiicimus: affirmamusque omnes pios unico illo ordine, et ritu, quem Christus et Apostoli nobis tradiderunt, contentos esse, atque de mysteriis eodem modo loqui debere, quo et illi locuti sunt.

1) *a prima nativ. sua*] Synt. 1612. *a prima sua nativitate.* 2) *et haec com. est omnibus hominibus*] Synt. 1612. *et h. c. est omnibus.* 3) *et haec vita non est communis nisi solis Electis Dei*] Synt. 1612. *et haec solis Electis Dei peculiaris est.* 4) *sustentationem*] Synt. 1612. *conservationem.* 5) *ita et ad*] Synt. 1612. *ita ad.* 6) *de coelo*] Synt. 1612. *e coelo.* 7) *sive*] Synt. 1612. *seu.* 8) *ut iis nobis testificetur*] Synt. 1612. *Iis vero testificatur nos.* 9) *sanguinem Christi, in animis* etc.] Synt. 1612. *s. Ch. unici Servatoris nostri in animis* etc. 10) *solicite*] Synt. 1612.

Digitized by Google

*sollicite.* 11) *quod videlicet operatio — incomprehensibilis*] Synt. 1612. *quod videlicet omnes Spiritus S. operationes occultae sint et incomprehensibiles.* 12) [*interim — per fidem*] Synt. 1612. om. 13) *Dicimus itaque*] Synt. 1612. *Caeterum nequaquam erraverimus dicentes.* 14) *ut nos in illa*] Synt. 1612. *ut in illa.* 15) *quam m. p. m. ip. fr.*] Synt. 1612. *quam passionis, mortisque ipsius merito fruamur.* 16) *roborat*] Synt. 1612. *corroborat.* 17) *Impius*] Synt. 1612. *Malus.* 18) *quoniam solis ille fidelibus*] Synt. 1612. *Solis enim fidelibus Christus.* 19) *se sistere... se non prob.*] Synt. 1612. *sese sistere... non se prob.*

## *Articulus XXXVI.*

## DE MAGISTRATU.

Credimus Deum Optimum Maximum ob generis humani corruptelam ac [1]) depravationem, Reges, Principes et Magistratus constituisse: velleque ut Mundus hic legibus ac certa politia gubernetur, ad coercenda hominum vitia, et ut omnia inter homines recto ordine gerantur. Idcirco Magistratus ipsos gladio armavit, ut malos quidem plectant poenis, probos vero tueantur. Horum porro est non modo de civili politia conservanda esse sollicitos, verum etiam dare operam ut sacrum Ministerium conservetur, omnis idololatria et adulterinus Dei cultus e medio tollatur, Regnum Antichristi diruatur, Christi vero Regnum propagetur. Denique horum est efficere, ut sacrum Evangelii verbum ubique [2]) praedicetur, ut singuli pure Deum colere et venerari ex praescripto verbi ipsius libere possint. Caeterum cuncti homines, cuiuscunque sint vel dignitatis, vel conditionis, ac status, legitimis Magistratibus subiici debent, illisque vectigalia ac tributa pendere, et iis [3]) in omnibus obsequi ac obedire, quae verbo Dei non repugnant: preces etiam pro iis fundere, ut eos Deus in omnibus ipsorum actionibus dirigere dignetur, nos vero vitam tranquillam ac [4]) quietam sub ipsis, cum omni pietate et honestate, ducere possimus. Quamobrem Anabaptistas et turbulentos omnes detestamur, qui superiores Dominationes et Magistratus abiiciunt, iura ac iudicia pervertunt, bona omnia communia faciunt, ac denique ordines ac gradus [5]), quos Deus honestatis gratia [6]) inter homines constituit, abolent ac [7]) confundunt.

1) *ac*] Synt. 1612. *atque.* 2) *ubique*] Synt. 1612. *undique.* 3) *iis*] Synt. 1612. *eis.* 4) *ac*] Synt. 1612. *et.* 5) *ordines ac gradus*] Synt. 1612. *ordines omnes ac gradus.* 6) *quos Deus honest. gr.*] Synt. 1612. *quos honestatis gratia Deus.* 7) *ac*] Synt. 1612. *aut.*

## *Articulus XXXVII.*

## DE IUDICIO EXTREMO, RESURRECTIONE CARNIS, ET VITA AETERNA.

Postremo credimus ex Dei verbo, Dominum nostrum Iesum Christum, quando tempus a Deo praestitutum, quod omnibus creaturis est ignotum, advenerit, et numerus Electorum completus



Digitized by Google

fuerit [1]), e coelo rursus venturum, idque corporaliter et visibiliter, sicuti olim illuc asscendit [2]), cum summa gloria et Maiestate [3]), ut se declaret iudicem vivorum et mortuorum [4]): vetere hoc mundo igne et flamma succenso, ut illum purificet. Tunc vero omnes creaturae [5]), tam viri [6]) quam mulieres et infantes, quotquot inde ab initio usque ad finem mundi extiterint, coram summo hoc iudice comparebunt, eo nimirum voce [et tremendo clamore Angelorum] et Archangeli, et tuba Dei evocati [7]). Omnes enim antea mortui e terra tunc resurgent, anima singulorum coniuncta atque unita [8]) proprio suo corpori, in quo vixerat. Qui porro ultimo illo die [9]) superstites erunt, nequaquam morientur more reliquorum, sed in momento et iactu oculi, immutabuntur, a corruptione videlicet in incorruptam naturam. Tunc aperientur libri (nimirum conscientiae) et mortui iudicabuntur secundum ea, quae in hoc mundo egerint, sive bona sive mala. Quin etiam tunc reddituri sunt homines rationem de omni verbo otioso, quod locuti fuerint, etsi id mundus nunc pro ludo et ioco reputet. In summa omnis tunc hominum hypocrisis et abstrusa quaeque cordis eorum palam coram omnibus detegentur. Ac propterea sola [10]) iudicii istius memoria impiis et reprobis merito est horrenda [11]) et formidabilis: piis [12]) vero et electis summe exoptanda, et ingentis consolationis. Tunc enim redemptio ipsorum plane perficietur, et suavissimos laborum et dolorum suorum, quos in hac vita pertulerunt [13]), fructus consequentur: innocentia ipsorum tunc aperte [14]) ab omnibus agnoscetur, ipsique vicissim horrendam vindictam conspecturi sunt, quam Dominus de iis sumet, qui eos variis tormentis et molestiis in hoc mundo tyrannice afflixerunt. Impii porro proprio conscientiae suae testimonio convicti erunt, et immortales quidem reddentur, sed ea conditione ut in igne aeterno, qui Diabolo et angelis eius [15]) paratus est, in sempiternum crucientur. Contra vero fideles et Electi corona gloriae et honoris donabuntur: et Filius Dei eorum nomina coram Deo Patre et [sanctis eius atque electis] [16]) Angelis confitebitur: et abstergetur omnis lachryma ab oculis eorum. Caussa itaque eorum, quae non haereseως et impietatis a Magistratibus et iudicibus damnatur, caussa Filii Dei esse tunc agnoscetur. Et Dominus eos tanta gloria gratis remunerabitur, quantam nullus hominum animo concipere unquam possit. Magnum ergo illum Domini diem [retributionis] summo cum desiderio [17]) expectamus, ut rebus omnibus [18]) a Deo promissis plenissime in Christo Iesu Domino nostro laeti potiamur, et in aeternum perfruamur [19]). Apocal. 22, 20. *Etiam veni Domine Iesu.*

1) *quando tempus a Deo ..... completus fuerit,*] Synt. 1612. (*ubi tempus a Deo praestitutum: at omnibus creaturis ignotum, advenerit, et numerus electorum fuerit completus*). 2) *asscendit*] Synt. 1612. *ascendit.* 3) *cum summa gloria et M.*] Synt. 1612. *summa ornatum gloria et M.* 4) *ut se declaret iudicem v. et m.*] Synt. 1612. *ut iudex v. et m. ap-*

Digitized by Google

*pareat.* 5) *Tunc vero omnes creaturae*] Synt. 1612. *Tunc vero creaturae omnes* 6) *tam viri*] Synt. 1612. *et tam viri.* 7) *eo nimirum voce — tuba D. evocati*] Synt. 1612. *eo nimirum voce Archangelorum et tuba Dei evocati.* 8) *resurgent — atque unita*] Synt. 1612. *resurgent, Spiritu et anima singulorum rursus coniuncta et unita.* 9) *Qui porro ultimo illo die*] Synt. 1612. *Qui porro illo ultimo die.* 10) *Ac propterea sola*] Synt. 1612. *ut merito sola.* 11) *reprobis merito est h.*] Synt. 1612. *reprobis sit h.* 12) *piis*] Synt. 1612. *bonis.* 13) Synt. 1612. *pertulerint.* 14) *innocentia ipsorum tunc aperte*] Synt. 1612. *Tunc, inquam, innocentia ipsorum aperte.* 15) Synt. 1612. om. *et angelis eius.* 16) [*sanctis eius atque electis*] om. Synt. 1612. 17) *diem ... desiderio*] Synt. 1612. *diem summo desiderio.* 18) Synt. 1612. add. *nobis.* 19) *potiamur ..... perfruamur*] Synt. 1612. *potienur .... perfruemur.*

Digitized by Google

# 14.

# Catechismus

Oder

## Christlicher Vnderricht,

wie der in Kirchen vnd Schulen der Churfürstlichen Pfaltz getrieben wirdt.

---

Gedruckt in der Churfürstlichen Stad Heydelberg,
durch Johannem Mayer. 1563.

---

Wir Friderich von Gottes Genaden Pfalzgrafe bey Rhein, des heiligen Römischen Reichs Ertztruchses vnd Churfürst, Hertzog in Bayern, ꝛc. Entbieten allen vnd jeden vnsern Superintendenten, Pfarherrn, Predigern, Kirchen vnd Schuldienern Vnsers Churfürstenthumbs der Pfaltzgrafeschafft bey Rhein, vnser genad vnd gruß, Vnd fügen euch hiemit zu wissen,

Nachdem wir vns auß erinnerung Göttlichs Worts, auch natürlicher pflicht vñ verwandnuß schuldig erkennen, Vnd endlich fürgenommen, Vnser von Gott befohlen Ampt, beruff vnd regierung, nicht allein zu friedlichen, rüigem wesen, auch zu erhaltung züchtigen auffrichtigen vnd Tugentsamen wandels vnd lebens Vnserer vnderthanen, zurichten vnd anzustellen: Sonder auch vnd fürnemlich dieselbige zu rechtschaffener erkañtnuß vnd forcht des Almechtigen, vnd seines seligmachenden Worts, als dem einigen fundament aller Tugenten vñ gehorsams, je lenger je mehr anzuweisen vñ zu bringen. Auch also sie zur ewigen vnd zeitlichen wolfart vngesparts vleiß von grund vnsers hertzens gern befürdern, vñ so viel an vns, darbey erhalten helffen wolten.

Vnd aber gleich anfangs in eintrettung Vnserer regierung erfaren: Wiewol von Vnsern lieben Vettern vnd Vorfarn, Pfaltzgrafen, Churfürsten, ꝛc. löblicher seliger Gedechtnuß, allerhand Christliche vnd nützliche ordnungen vñ vorbereitungen, zu befürderung solcher ehre Gottes, vñ erhaltung Bürgerlicher zucht vnd polizey auffgericht und fürgenommen:

Digitized by Google

Daß doch demselbigen nicht mit dem ernst, wie es sich wol gebüret, allenthalben nachgesetzt, viel weniger die verhoffte vnd begerte frucht darauß gefolgt vnd gespürt worden. Welches vns denn verursacht, nicht allein dieselbige widerum̃ zu ernewern: sonder auch, da es die nothwendigkeit erfordert, in verbesserung zu richten, zu erleutern, vnd weitere fürsehung zu thun. Also wir auch in dem nicht den geringsten mangel befunden, daß die blüende jugend allenthalben, beides in Schulen vnd Kirchen Vnsers Churfürstenthumbs in Christlicher Lehre sehr fahrlessig, vnd zum theil gar nit, zum theil aber vngleich, vnd zu keinem bestendigen, gewissen vnd einhelligen Catechismo, sonder nach eines jeden fürnemen vnd gutdüncken angehalten vnd underwiesen worden. Darauß denn neben andern vielfaltigen grossen vnrichtigkeiten erfolgt, daß sie offtermalen ohne Gottes furcht vnd erkañtnuß seines Worts auffgewachsen, keine eintrechtige vnderweisung gehabt, oder sonst mit weitleufftigen vnnotdürfftigen fragen, auch bißweilen mit widerwertiger lehre beschweret worden ist.

Weñ nun beid Christliche vñ weltliche ämpter, Regiment vñ haußhaltungē, anderst nicht bestendiglichen erhalten werden, auch zucht vñ erbarkeit vnd alle andere gute tugentē bey den vnderthanen zunemen vnd auffwachssen mügen, Denn da die jugendt gleich anfangs, vñ vor allen dingen zu reiner, auch gleichförmiger lehr des heiligē Evangelii vnd rechtschaffener erkañtnuß Gottes angehalten, vnd darinnen stetigs geübt wird:

So haben wir ein hohe notdurfft geachtet, auch hierinnen, als dem vornemsten stück eins Vnsers Regiments, gebürlichs einsehens zu thun, die vnrichtigkeit vnd vngleichheit abzuschaffen, vñ notwendige verbesserung anzustellen.

Vnd demnach mit rhat vnd zuthun Vnserer gantzen Theologischen Facultet allhie, auch aller Superintendenten vnd fürnemsten Kirchendienern, einen Summarischen vnderricht od. Catechismum vnserer Christlichen Religion auß dem Wort Gottes, beides in Deutscher vñ Lateinischer Sprach verfassen vnd stellē lassen. Damit fürbaß nicht allein die jugendt in Kirchen vnd Schulen, in solcher christlicher Lehre, Gottseliglichen vnderwiesen, vnd darzu einhelliglichen angehalten: sond. auch die Prediger vnd Schulmeister selbs ein gewisse vnd bestendige form vnd maß haben mögen, wie sie sich in vnderweisung der jugendt verhalten sollen, vnd nicht jres gefallens tegliche enderungē fürnemen, oder widerwertige lehre einfüren.

Euch hiemit alle vnd einem jeden besonder gnedigliche vnd ernstlichen ermanend vñ befehlende, jr wollet angeregten Catechismum od. Vnderricht, vmb der ehre Gottes, vnd Vnserer vnderthanen, auch ewerer seelen selbs nutz vnd bestem willē, danckbarlich annemē, auch denselbigen nach jrem rechten verstand der jugend in schulen vnd Kirchen, auch sonst auff der Cantzel dem gemeinen Man vleissig vnd wol einbilden, darnach lehren, thun

Digitized by Google

vñ leben: Vngezweiffelter hoffnung vnd zuversicht, wenn die jugendt anfangs im wort Gottes also mit ernst vnderwiesen vnd aufferzogen: es werde der Almechtig auch besserung des lebens, zeitliche vnd ewige wolfart verleihen vnd widerfaren lassen. Das wollen wir Vns, wie oblaut, zu geschehen zu euch endlichen versehen.

Datum Heydelberg auff dinstag den neuntzehenden Monats tag Januarij, Nach Christi vnsers lieben Herrn vnd Seligmachers geburt, im Jar, tausend, fünffhundert drey vnd sechtzig.

---

# Catechismus.

## Frag.

Was ist dein einiger trost in leben vnd in sterben?

## Antwort.

Daß ich mit Leib vnd Seel, beyde in leben vnd in sterben [a]), nicht mein [b]), sonder meines getrewen Heilands Jesu Christi eigen bin [c]), der mit seinem thewren blut [d]), für alle meine sünden volkomlich bezalet [e]), vñ mich auß allem gwalt des Teufels erlöset hat [f]), vnd also bewaret [g]), daß ohne den willen meines Vaters im Himmels, kein haar von meinem haupt kan fallen [h]), ja auch mir alles zu meiner seligkeit dienen muß [i]). Darumb er mich auch durch seinen heiligē Geist des ewigen lebens versichert [k]), vnd jm forthin zu leben von hertzen willig vnd bereit macht [l]).

*a*) Rom. 14. *b*) 1 Cor. 6. *c*) 1 Cor. 3. *d*) 1 Pet. 1. *e*) 1 Ioh. 1. et 2. *f*) 1 Ioh. 3. *g*) Ioh. 6. *h*) Matt. 10. Luc. 21. *i*) Rom. 8. *k*) 2 Cor. 1. Ephes. 1. Rom. 8. *l*) Rom. 8.

## Frag.

Wieuiel stück seind dir nötig zu wissen, daß du in diesem trost seliglich leben vnd sterben mögest?

## Antwort.

Drey stück [a]). Erstlich wie groß meine sünde vnd elend seyen [b]). Zum andern, wie ich von allen meinen sünden vnd elend erlöset werde [c]). Vnd zum dritten, wie ich Gott für solche erlösung soll danckbar sein [d]).

*a*) Luc. 24. 1 Cor. 6. Tit. 3. *b*) Ioh. 6. et 15. *c*) Ioh. 17. *d*) Eph. 5.

# Der erste Theil.

## Von des menschen elend.

## Frag.

Woher erkennestu dein elend?

Digitized by Google

Antwort.

Auß dem Gesetz Gottes [a]).

*a*) Rom. 3.

Frag.

Was erfordert denn das Göttlich gesetz von vns?

Antwort.

Diß lehret vns Christus in einer summa, Matth. am 22. Du solt lieben Gott deinen Herren, von gantzem hertzen, von gantzer seelen, von gantzem gemüth vnd allen krefften. Diß ist das fürnembste vnd das gröste Gebot: Das ander aber ist dem gleich, Du solt deinen Nechsten lieben als dich selbs. In diesen zweyen Gebotten hanget das gantze Gesetz vnd die Propheten.

Frag.

Kanstu diß alles volkomlich halten?

Antwort.

Nein [a]): Denn ich bin von Natur geneigt Gott vnd meinen Nechsten zu hassen [b]).

*a*) Rom. 3. 1 Ioh. 1. *b*) Rom. 8. Ephes. 2.

Frag.

Hat deñ Gott den menschen also böß vnd verkert erschaffen?

Antwort.

Nein [a]): sonder Gott hat den menschen gut, vnd nach seinem ebenbild erschaffen [b]), das ist, in warhafftiger gerechtigkeit vñ heiligkeit, auff dz er Gott seinen schöpffer recht erkeñte, vnd von hertzen liebte, vnd in ewiger seligkeit mit jm lebte, jm zu loben vnd zu preisen [c]).

*a*) Gen. 1. *b*) Gen. 1. *c*) 2 Cor. 3. Colos. 3. Ephes. 4.

Frag.

Woher kompt denn solche verderbte art des menschen?

Antwort.

Auß dem fall vnd vngehorsam vnser ersten Eltern Adams vnd Euen im Paradeis [a]), da vnser Natur also vergifftet worden, daß wir alle in sünden empfangen vnd geboren worden [b]).

*a*) Gen. 3. Rom. 5. *b*) Psal. 51.

Frag.

Seind wir aber dermassen verderbt, daß wir gantz vnd gar vntüchtig seind zu einigem gutem, vnd geneigt zu allem bösen?

Digitized by Google

### Antwort.

Ja [a]): Es sei deñ, daß wir durch den Geist Gottes widergeboren werden [b]).

*a*) Iohan. 3. Iob. 14. et 15. Esai. 53. *b*) Iohan. 3.

### Frag.

Thut denn Gott dem menschen nicht vnrecht, daß er in seinem gesetz von jm fordert, das er nicht kan thun?

### Antwort.

Nein [a]): Denn Gott hat den menschen also erschaffen, daß er es kondte thun: der Mensch aber hat sich vnd alle seine nachkommen, auß anstifftung des Teufels, durch mutwilligen vngehorsam derselbigen gaben beraubt.

*a*) Ephes. 4.

### Frag.

Wil Gott solchen vngehorsam vnd abfall vngestrafft lassen hingehen?

### Antwort.

Mit nichten [a]): sonder er zürnet schrecklich, beyde vber angeborne vnd würckliche sünden, vnd wil sie auß gerechtem vrtheil zeitlich vnd ewig straffen, wie er gesprochen hat: Verflucht sey jederman, der nicht bleibet in allem dem, das geschrieben stehet in dem buch des Gesetzes, daß ers thue [b]).

*a*) Rom. 5. Heb. 9. *b*) Deut. 27. Gal. 3.

### Frag.

Ist denn Gott nicht auch barmhertzig?

### Antwort.

Gott ist wol barmhertzig [a]), er ist aber auch gerecht [b]), derhalben erfordert seine gerechtigkeit, daß die sünde, welche wider die allerhöchste maiestet Gottes begangen ist, auch mit der höchste, das ist, der ewigen straff an leib vñ seel gestrafft werde.

*a*) Exo. 34. *b*) Exo. 20. Psal. 5. 2 Cor. 6.

## Der ander Theil.

### Von des Menschen Erlösung.

### Frag.

Dieweil wir denn nach dem gerechten vrtheil Gottes zeitliche vnd ewige straff verdient haben: wie möchten wir dieser straff entgehen, vnd widerumb zu gnaden kommen?

Digitized by Google

### Antwort.

Gott wil daß seiner gerechtigkeit genug geschehe [a]), derwegen müssen wir derselben entweder durch vns selbst, oder durch einen andern volkomene bezalung thun [b]).

*a*) Exo. 20. et 23. *b*) Rom. 8.

### Frag.

Können wir aber durch vns selbst bezalung thun?

### Antwort.

Nit nichtē: sonder wir machen auch die schuldt noch teglich gröſſer [a]).

*a*) Iob. 5. et 15. Matt. 6.

### Frag.

Kan aber jrgendt eine blosse Creatur für vns bezalen?

### Antwort.

Keine: Denn erstlich wil Gott an keiner andern Creatur straffen, das der mensch verschuldet hat [a]). Zum andern, so kan auch keine blosse Creatur den last des ewigen zorns Gottes wider die sünde ertragen, vnd andere daruon erlösen [b]).

*a*) Heb. 2. *b*) Psal. 138.

### Frag.

Was müssen wir deñ für ein Mittler vnd Erlöser suchen?

### Antwort.

Einen solchen, der ein warer [a]), vnd gerechter mensch [b]), vñ doch sterker deñ alle Creaturen, das ist, zugleich warer Gott sey [c]).

*a*) 1 Cor. 15. *b*) Iere. 33. Psal. 53. 2 Cor. 5. Heb. 7. *c*) Esai. 7. Rom. 8. Iere. 23.

### Frag.

Warumb muß er ein warer vnd gerechter mensch sein?

### Antwort.

Darumb, daß die gerechtigkeit Gottes erfordert [a]), daß die menschliche natur, die gesündiget hat, für die sünde bezale: vnd aber einer, der selbst ein sünder were, nicht köndte für andere bezalen [b]).

*a*) Rom. 5. *b*) 1 Pet. 3. Esai. 53.

### Frag.

Warumñ muß er zugleich warer Gott sein?

### Antwort.

Daß er auß krafft seiner Gottheit, den laßt des zorns Gottes, an

Digitized by Google

seiner menschheit ertragen [a]), vñ vns die gerechtigkeit, vnd daß leben erwerben [b]), vnd widergeben möchte [c]).

*a*) Esai. 53. Act. 2. 1 Petr. 3. *b*) Ioh. 3. Act. 20. *c*) Iohan. 1.

## Frag.

Wer ist aber derselbe mittler, der zugleich warer Gott, vnd ein warer gerechter mensch ist?

## Antwort.

Vnser Herr Jesus Christus [a]) der vns zur vollkomenen erlösung vnd gerechtigkeit geschenkt ist [b]).

*a*) Matt. 1. 1 Tim. 3. Luc. 2. *b*) 1 Cor. 1.

## Frag.

Woher weistu das?

## Antwort.

Auß dem heiligen Euangelio, welchs Gott selbst anfenglich im Paradeis [a]) hat offenbaret: folgends durch die heilige Ertzueter [b]) vnd Propheten lassen verkündigen, vnd durch die opffer vnd andere ceremonien des gesetzes fürgebildet [c]), Endlich aber durch seinen eingeliebten Son erfüllet [d]).

*a*) Gen. 3. *b*) Gen. 22. et 49. Rom. 1. Heb. 1. Act. 3. et 10. *c*) Ioh. 5. Heb. 10. *d*) Rom. 10. Gala. 4.

## Frag.

Werden denn alle menschen widerum̃ durch Christum selig, wie sie durch Adam sind verloren worden?

## Antwort.

Nein: sonder allein diejenigen, die durch waren glauben jm werden eingeleibet, vnd alle seine wohlthaten annemen [a]).

*a*) Ioh. 1. Isai. 53. Psal. 2. Rom. 11. Heb. 4. et 10.

## Frag.

Was ist warer glaub?

## Antwort.

Es ist nicht allein ein gewisse erkañtnuß, dardurch ich alles für war halte, was vns Gott in seinem wort hat offenbaret [a]): sonder auch ein hertzliches vertrawen [b]), welches der heilige Geist [c]) durchs Euangelium in mir würcket [d]), daß nicht allein andern, sonder auch mir vergebung der Sünden, ewige gerechtigkeit vnd seligkeit von Gott geschenckt sei [e]), auß lauter gnaden, allein vmb des verdiensts Christi willen [f]).

*a*) Heb. 11. Iacob. 2. *b*) Rom. 5. et 10. *c*) 2 Cor. 4. Ephes. 2. *d*) Rom. 1. *e*) Heb. 2. Rom. 1. *f*) Ephes. 2. Rom. 3.

Digitized by Google

Frag.

Was ist aber einem Christen noth zu glauben?

Antwort.

Alles was vns im Euangelio verheissen wirt [a]), welchs vns die Artickel vnsers algemeinen vngezweiffelte Christliche Glaubens in einer summa lehren.

*a*) Ioh. 20. Matt. 28.

Frag.

Wie lauten dieselben?

Antwort.

Ich glaub in Gott Vater, den allmechtigen, Schöpfer himmels vnd der erden.

Vnd in Jesum Christum, seinen eingebornen Son vnsern HERRN, der empfangē ist von dem heiligen Geist, geborē auß Maria der Jungfrawen, gelitten vnder Pontio Pilato, gecreutziget, gestorben vnd begraben, abgestiegen zu der Hellen, am dritten tage widerauffersta̅den von den todten, auffgefaren gen Himmel, sitzet zu der Rechten Gottes des allmechtigen Vaters, von dannen er komen wird, zu richten die lebendigen vnd die todten.

Ich glaub in den heiligen Geist, eine heilige allgemeine Christliche Kirche, die gemeinschafft der Heiligen, vergebung der sünden, aufferstehung des fleisches vnd ein ewigs leben.

Frag.

Wie werden diese Artickel abgetheilt?

Antwort.

In drey theil. Der erste ist von Gott dem Vater, vnd vnser erschöpffung. Der ander von Gott dem Son, vnd vnser erlösung. Der dritt von Gott dem heiligen Geist, vnd vnser Heiligung.

Frag.

Dieweil nur ein einig Göttlich wesen ist [a]): warumb nennestu drey, den Vater, Son vnd heiligen Geist?

Antwort.

Darumb daß sich Gott also in seinem wort geoffenbaret hat [b]), daß diese drey vnderschiedliche Personen, der einig wahrhafftig ewig Gott seind.

*a*) Deut. 6. *b*) Esai. 61. Psal. 10. Matt. 3. et 28. 1 Ioh. 5.

Digitized by Google

## Von Gott dem Vater.

### Frag.

Was glaubestu, wenn du sprichst, Ich glaub in Gott Vater, den allmechtigē, Schöpffer himēls vnd der erden?

### Antwort.

Daß der ewig Vater vnsers Herrn Jesu Christi, der Himēl vnd Erden sampt allem, was drinnen ist, auß nichts erschaffen [a]), auch dieselbigen noch durch seinen ewigen rhat vnd fürsehung erhelt vnd regieret [b]): umb seines Sons Christi willen, mein Gott vñ mein Vater sey [c]), auff welchen ich also vertrawe, daß ich nicht zweiffel, er werde mich mit aller notdurfft leibs vnd der seelen versorgen [d]), auch alles vbel, so er mir in diesem jamerthal zuschicket, mir zu gut wenden [e]): dieweil ers thun kan, als ein almechtiger Gott [f]): vnd auch thun wil als ein getrewer Vater [g]).

*a*) Gen. 1. Psal. 33. *b*) Psal. 104. Matt. 10. Heb. 1. Psal. 115. *c*) Ioh. 1. Rom. 8. Gal. 4. Ephes. 1. *d*) Psal. 55. Matt. 6. Luc. 12. *e*) Rom. 8. *f*) Rom. 10. *g*) Matt. 6. et 7.

### Frag.

Was verstehestu durch die fürsehung Gottes?

### Antwort.

Die allmechtige vnd gegenwertige krafft Gottes [a]), durch welche er himēl vnd erde, sampt allen Creaturen, gleich als mit seiner hand noch erhelt [b]), vnd also regiert, daß laub vnd graß, regen vnd dürre, fruchtbare vñ vnfruchtbare jar, essen vnd trincken [c]), gesundheit vnd kranckheit [d]) reichthumb vnd armuth [e]) vnd alles, nicht ohne gefehr, sonder von seiner väterlichen hand vns zukomme.

*a*) Act. 17. *b*) Heb. 1. *c*) Iere. 5. Act. 14. *d*) Ioh. 9. *e*) Prou. 22.

### Frag.

Was für nutz bekommen wir auß erkañtnuß der schöpffung vnd fürsehung Gottes?

### Antwort.

Daß wir in aller widerwertigkeit gedultig [a]), in glückseligkeit danckbar [b]) vnd auffs zukünftig guter zuuersicht zu vnserm getrewen Gott vñ Vater sein sollen, daß vns keine Creatur von seiner liebe scheiden wird [c]), dieweil alle Creaturē also in seiner hand sind, daß sie sich one seinen willen auch nicht regen noch bewegen können [d]).

*a*) Rom. 5. Iacob. 1. Iob. 1. *b*) Deut. 8. 1 Thess. 5. *c*) Rom. 8. *d*) Iob. 1. Act. 17. Prou. 21.

## Von Gott dem Son.

### Frag.

Warumb wirdt der Son Gottes Jesus, das ist, seligmacher genañt?

Digitized by Google

## Antwort.

Darumb daß er vns selig macht von vnsern sünden [a]) vnd daß bey keinem andern einige seligkeit zu suchen noch zu finden ist [b]).

*a*) Matt. 1. *b*) Act. 4.

## Frag.

Glauben denn die auch an den einigen seligmacher Jesum, die jre seligkeit vnd heil bey heiligen, bei jnen selbst, oder anderstwo suchen?

## Antwort.

Nein: sonder sie verleugnen mit der that den einigen Seligmacher vnd Heiland Jesum, ob sie sich sein gleich rhümen [a]). Denn entweder Jesus nit ein volkomner Heiland sein muß: oder die diesen Heiland mit warem glauben annemen, müssen alles in jm haben, daß zu jrer seligkeit vonnöten ist [b]).

*a*) 1 Cor. 1. Gala. 3. *b*) Esai. 9. Col. 1. 2. Ioh. 1.

## Frag.

Warumb ist er Christus, das ist, ein gesalbter genañt?

## Antwort.

Daß er von Gott dem Vater verordnet, vnd mit dem heiligen Geist [a]) gesalbet ist, zu vnserm obersten Propheten vnd Lehrer, der vns den heimlichen rhat vnd willen Gottes von vnser erlösung volkomlich offenbaret [b]): Vnd zu vnserem einigen hohen Priester, der vns mit dem einigē opffer seines leibs erlöset hat, vnd jmerdar mit seiner fürbit für dem Vater vertrit [c]): Vnd zu vnserm ewigen König, der vns mit seinē wort vñ Geist regiert [d]), vnd bey der erworbenen erlösung schützet und erhelt.

*a*) Hebr. 1. *b*) Psal. 110. Hebr. 7. Rom. 8. *c*) Psa. 2. Luc. 1. *d*) Rom. 5. Matt. 28.

## Frag.

Warumb wirst aber du ein Christ genenñt?

## Antwort.

Daß ich durch den glauben ein glied Christi [a]) vnd also seiner salbung theilhafftig bin [b]), auff daß auch ich seinen Namen bekenne [c]), mich jm zu einem lebendigen danckopffer darstelle [d]), vnd mit freyem gewissen in diesem leben wider die sünde vnd Teufel streite, und her nach in ewigkeit mit jm vber alle Creaturen herrsche.

*a*) Act. 11. 1 Ioh. 2. *b*) Act. 2. Ioel. 2. Mar. 8. *c*) Rom. 12. Apoc. 5. *d*) Rom. 6. Apoc. 1.

## Frag.

Warumb heist er Gottes eingeborner Son, so doch wir auch kinder Gottes sind?

Digitized by Google

## Antwort.

Darumb daß Christus allein der ewig natürlich Son Gottes ist [a]: wir aber vmb seinet willē auß gnaden zu kindern Gottes angenommen sind [b].

*a*) Ioh. 1. Heb. 1. *b*) Rom. 8. Ephes. 1.

## Frag.

Warumb nennestu jn vnsern Herrn?

## Antwort.

Daß er vns mit leib vnd seel von der sünden, vnd auß allem gewalt des Teufels, nicht mit golt oder silber, sonder mit seinem thewern Blut, jhm zum eigenthumb erlöset vnd erkaufft hat [a]:

*a*) 1 Pet. 1. et 2. 1 Cor. 6.

## Frag.

Was heist, daß er empfangen ist von dem heiligen Geist, geboren auß Maria der Jungfrawen?

## Antwort.

Daß der ewige Son Gottes, der warer vnd ewiger Gott ist [a] vnd bleibet [b], ware mēschliche natur, auß dem fleisch vnd blut der Jungfrawen Maria [c], durch würckung des heiligen Geists an sich genomen hat [d], auff daß er auch der ware samen Dauids sey [e] seinen brüdern in allem gleich [f], außgenommen die sünde [g].

*a*) Ioh. 1. Rom. 1. *b*) Rom. 9. Gal. 4. *c*) Iohan. 1. *d*) Matt. 1. Luc. 1. Ephes. 1. *e*) Psal. 132. Rom. 1. *f*) Phil. 2. *g*) Heb. 4.

## Frag.

Waß nutz bekomestu auß der heiligen empfengnuß vnd geburt Christi?

## Antwort.

Daß er vnser mittler ist, vñ mit seiner vnschuld vnd volkommenen heiligkeit meine sünde, darin ich bin empfangen, für Gottes angesicht bedecket [a].

*a*) Psal. 32. 1 Cor. 1.

## Frag.

Was verstehestu durch das wörtlein gelitten?

## Antwort.

Daß er an leib vnd seel, die gantze zeit seines lebens auff erden, sonderlich aber am ende desselben, den zorn Gottes wider die sünde des gantzen menschlichen geschlechts getragen hat [a], auff daß er mit seinem leiden, als mit dem einigen Sönopffer [b], vnser leib vnd seel von der ewigen verdamnuß erlösete, vñ vns Gottes gnade, gerechtigkeit vñ ewiges leben erwürbe.

*a*) 1 Pet. 2. Esai. 53. *b*) 1 Ioh. 2. et 4. Rom. 3.

Digitized by Google

Frag.

Warumb hat er vnder dem Richter Pontio Pilato gelitten?

Antwort.

Auff daß er vnschuldig vnder dem weltlichen Richter verdamt würde a), vnd vns damit von dem strengen vrtheil Gottes, das vber vns gehen solte, erlediget b).

a) Luc. 23. Ioh. 19. b) Psal. 69. Esai. 53. 2 Cor. 5. Gal. 3.

Frag.

Ist es etwas mehr, daß er ist gecreutziget worden, denn so er eines andern todts gestorben were?

Antwort.

Ja, Denn darburch bin ich gewiß, daß er die vermaledeyung die auff mir lage, auff sich geladen habe a). Dieweil der tod des Creutzes von Gott verflucht war b).

a) Galat. 3. b) Deut. 21. Galat. 3.

Frag.

Warumb hat Christus den tod müssen leiden?

Antwort.

Darumb, daß von wegen der gerechtigkeit vnd warheit a) Gottes, nicht anderst für vnsere sünden möchte bezalet werden, denn durch den todt des Sons Gottes b).

a) Gen. 2. b) Heb. 2.

Frag.

Warumb ist er begraben worden?

Antwort.

Damit zu bezeugen, daß er warhafftig gestorben sey a).

a) Mat. 27. Luc. 23. Ioh. 19. Act. 13.

Frag.

Weil denn Christus für vns gestorben ist, wie kompts daß wir auch sterben müssen?

Antwort.

Vnser tod ist nit ein bezalung für vnsere sünd: sonder nur ein absterbūg der sünden, vnd eingang zum ewigen leben a).

a) Ioh. 5. Phil. 1. Rom. 7.

Frag.

Was bekommen wir mehr für nutz auß dem opffer vnd todt Christi am Creutz?



Digitized by Google

### Antwort.

Daß durch seine krafft vnser alter mensch mit jm gecreutzget, getödtet vñ begraben wird [a]), auff daß die bösen lüste des fleisches nicht mehr in vns regieren [b]), sonder daß wir vns selbst ihm zur danckſagung auffopffern [c]).

*a*) Rom. 6. Coloss. 2. *b*) Rom. 6. *c*) Rom. 12.

### Frag.

Warumb̃ folget abgeſtiegē zu der hellē?

### Antwort.

Daß ich in meinen höchſten anfechtungē verſichert ſey, mein HERR Chriſtus habe mich durch ſeine vnaußſprechliche angſt, ſchmertzen vnd ſchrecken, die er auch an ſeiner ſeelē, am Creutz vnd zuuor erlitten, von der helliſchen angſt vnd pein erlöſet [a]).

*a*) Esai. 53. Mat. 27.

### Frag.

Was nützet vns die Aufferſtehung Chriſti?

### Antwort.

Erſtlich hat er durch ſeine Aufferſtehung den tod vberwunden, daß er vns der gerechtigkeit, die er vns durch ſeinen todt erworben hat, köndte theilhafftig machen [a]). Zum andern werden auch wir jetzunder durch ſeine krafft erwecket zu einem newen leben [b]). Zum dritten iſt vns die Aufferſtehung Chriſti ein gewiſſes pfand vnſerer ſeligen aufferſtehung [c]).

*a*) 1 Cor. 15. Rom. 4. 1 Pet. 1. *b*) Rom. 6. Coloss. 3. Ephes. 2. *c*) 1 Cor. 15. Rom. 8.

### Frag.

Wie verſteheſtu daß er iſt gen himmel gefaren?

### Antwort.

Daß Chriſtus für den augen ſeiner Jünger, iſt von der erdē auffgehabē gen himmel [a]), vnd vns zu gut daſelbſt iſt [b]), bis daß er widerkompt zu richten die lebendigen vnd die todten [c]).

*a*) Act. 1. Mat. 26. Mar. 16. Luc. 24. *b*) Hebr. 4. 7. et 9. Rom. 8. Ephes. 4. Coloss. 3. *c*) Act. 1. Mat. 24.

### Frag.

Iſt denn Chriſtus nit bey vns biß ans ende der welt, wie er vns verheiſſen hat? [a])

### Antwort.

Chriſtus iſt warer Menſch vñ warer Gott: Nach ſeiner menſchlichen natur, iſt er jetzunder nicht auff erden [b]): aber nach ſeiner Gottheit, Maieſtet, genad vnd Geiſt, weicht er nimmer von vns [c]).

*a*) Mat. 28. *b*) Mat. 26. Ioh. 16. et 17. Act. 3. *c*) Ioh. 14. et 16. Mat. 28. Ephes. 4.

Digitized by Google

## Frag.

Werden aber mit der weiß die zwo naturen in Christo nit von einander getrennet, so die menschheit nicht vberal ist, da die Gottheit ist?

## Antwort.

Mit nichten: Denn weil die Gottheit vnbegreiflich vnd allenthalben gegenwertig ist [a]): so muß folgen, daß sie wol ausserhalb jrer angenommenen menschheit, vnd dennoch nichts desto weniger auch in derselben ist, vnd personlich mit jr vereiniget bleibt [b]).

*a*) Act. 7. Iere. 23. *b*) Coloss. 2. Ioh. 3. et 11. Mat. 28.

## Frag.

Was nützet vns die Himmelfart Christi?

## Antwort.

Erstlich, daß er im himmel für dem angesicht seines Vaters, vnser fürsprecher ist [a]). Zum andern, daß wir vnser fleisch im himel zu einem sichern pfand haben, daß er als das haupt, vns seine glieder auch zu sich werde hinauff nemen [b]). Zum dritten, daß er vns seinen Geist zum gegenpfandt herab sendet [c]), durch welches krafft wir suchen was droben ist, da Christus ist, sitzend zu der rechten Gottes, vnd nicht das auff erden ist [d]).

*a*) 1 Ioh. 2. Rom. 8. *b*) Ioh. 14. et 20. Ephes. 2. *c*) Ioh. 14. Act. 2. 2 Cor. 1. et 5. *d*) Coloss. 3. Phil. 3.

## Frag.

Warumb wird hinzu gesetzt, daß er sitze zur rechten Gottes?

## Antwort.

Daß Christus darumb gen himel gefaren ist, daß er sich daselbst erzeige, als das haubt seiner Christlichen kirchen [a]), durch welches der Vater alles regiert [b]).

*a*) Ephes. 1. Coloss. 1. *b*) Mat. 28. Ioh. 5.

## Frag.

Was nützet vns diese herrligkeit vnsers haupts Christi?

## Antwort.

Erstlich daß er durch seinen heiligen Geist, in vns seine glieder, die himlischē gaben außgeust [a]). Darnach, daß er vns mit seinem gewalt wider alle feind schützet vnd erhelt [b]).

*a*) Ephes. 4. *b*) Psal. 2. Ioh. 10. Ephes. 4.

## Frag.

Was tröstet dich die widerkunfft Christi zu richten die lebendigen vnd die todten?



Digitized by Google

### Antwort.

Daß in allem trübsal vnd verfolgung mit auffgerichtem haupt, ebē des Richters der sich zuuor dem gericht Gottes für mich dargestelt, vnd alle vermaledeiung von mir hinweg genomen hat, auß dem himel gewertig bin [a]), daß er alle seine vnd meine feinde, in die ewige verdamnuß werffe [b]): mich aber sampt allen außerwelten zu jhm in die himlische freud vnd herrligkeit neme [c]).

*a*) Luc. 21. Rom. 8. Phil. 3. Tit. 2. *b*) 2 Thess. 1. 1 Thess. 4. Mat. 25. *c*) Mat. 25.

## Von Gott dem heiligen Geist.

### Frag.

Was glaubstu vom heiligen Geist?

### Antwort.

Erstlich daß er gleich ewiger Gott mit dem Vater vnd dem Son ist [a]). Zum andern, daß er auch mir gegeben ist [b]), mich durch ein waren glauben, Christi vnd aller seiner wolthaten theilhafftig machet [c]), mich tröstet [d]), vnd bey mir bleibē wird biß in ewigkeit [e]).

*a*) Gen. 1. Esai. 43. 1 Cor. 3. 1 Cor. 6. Act. 5. *b*) Matt. 28. 2 Cor. 1. *c*) Galat. 3. 1 Pet. 1. 1 Cor. 6. *d*) Act. 9. *e*) Ioh. 14. 1 Pet. 4.

### Frag.

Was glaubstu von der heiligen allgemeinen Christlichen Kirchen?

### Antwort.

Daß der Son Gottes [a]) auß dem gantzen menschlichen geschlecht [b]), jhm ein außerwelte gemein zum ewigen leben [c]), durch sein Geist vnd wort [d]) in einigkeit des waren glaubens [e]), von anbegin der welt, biß aus end [f]) versamle, schütze vnd erhalte [g]), vñ daß ich derselben ein lebendiges glied bin [h]), vñ ewig bleiben werde [i]).

*a*) Ioh. 10. *b*) Gen. 26. *c*) Rom. 8. Ephes. 1. *d*) Esai. 59. Rom. 1. et 10. *e*) Ephes. 5. *f*) Psal. 71. 1 Cor. 11. *g*) Mat. 16. Ioh. 10. 1 Cor. 1. *h*) 1 Ioh. 3. *i*) 1 Ioh. 2.

### Frag.

Was verstehestu durch die gemeinschafft der Heiligen?

### Antwort.

Erstlich, daß alle vnd jede glaubigen, als glieder an dem HERRN Christo, vnd allen seinen schetzen vnd gaben, gemeinschafft haben [a]). Zum andern, daß ein jeder seine gaben zu nutz vnd heil der andern glieder, willig vnd mit freuden anzulegen sich schuldig wissen sol [b]).

*a*) 1 Ioh. 1. 1 Cor. 1. Rom. 8. *b*) 1 Cor. 12. et 13. Phil. 2.

### Frag.

Was glaubstu von vergebung der Sünden?

Digitized by Google

## Antwort.

Daß Gott vmb der gnugthuung Christi willen [a]) aller meiner sünden, auch der sündlichen art, mit der ich mein lebenlang zu streiten habe [b]) nimmermehr gedencken wil: sonder mir die gerechtigkeit Christi auß gnaden schencket, daß ich ins gericht nimmermehr soll kommen [c]).

*a*) 1 Ioh. 2. 2 Cor. 5. *b*) Iere. 31. Psal. 103. Rom. 7. et 8. *c*) Ioh. 3.

## Frag.

Was tröst dich die aufferstehung des fleisches?

## Antwort.

Daß nicht allein meine seel nach diesem lebt als bald zu Christo jrem haupt genommen wird [a]): sonder auch daß diß mein fleisch, durch die krafft Christi auff erweckt, wider mit meiner seelen vereiniget, vnd dem heiligen leib Christi gleichformig werden sol [b]).

*a*) Luc. 23. Phil. 1. *b*) 1 Cor. 15. Iob. 19. 1 Ioh. 3. Phil. 3.

## Frag.

Was tröst dich der Artickel vom ewigen leben?

## Antwort.

Daß, nachdem ich jetzunder den anfang der ewigen freude in meinem hertzen empfinde [a]), ich nach diesem leben volkommene seligkeit besitzen werde, die kein aug gesehen, kein ohr gehöret, vnd in keines menschen hertz nie komen ist [b]), Gott ewiglich darin zu preisen [c]).

*a*) 2 Cor. 5. *b*) 1 Cor. 2. *c*) Ioh. 17.

## Frag.

Was hilfft es dich aber nun, wenn du diß alles glaubest?

## Antwort.

Daß ich in Christo für Gott gerecht, vnd ein Erb des ewigen lebens bin [a]).

*a*) Habac. 2. Rom. 1. Ioh. 3.

## Frag.

Wie bistu gerecht für Gott?

## Antwort.

Allein durch waren glauben in Jesum Christum [a]). Also: daß ob mich schon mein gewissen anklagt, daß ich wider alle Gebot Gottes schwerlich gesündiget, vnd derselben keines nie gehalten hab [b]), auch noch jmerdar zu allem bösen geneigt bin [c]): doch Got ohn alle meine verdienst [d]), auß lauter gnaden [e]), mir die volkomme gnugthuung [f]), gerechtigkeit vnd heiligkeit Christi schencket [g]) vñ zurechnet [h]), als hette ich nie keine sünde begangen noch gehabt, vnd selbst allen den gehorsam

Digitized by Google

vollbracht, den Christus für mich hat geleistet [i]), wenn ich allein solche wolthat mit glaubigen hertzen anneme [k]).

*a*) Rom. 3. Galat. 2. Ephes. 2. Phil. 3. *b*) Rom. 3. *c*) Rom. 7. *d*) 2 Tim. 3. *e*) Rom. 3. Ephes. 2. *f*) 1 Ioh. 2. *g*) 1 Ioh. 2. *h*) Rom. 4. 2 Cor. 5. *i*) 2 Cor. 5. *k*) Rom. 3. Ioh. 3.

### Frag.

Warumb sagstu daß du allein durch den glauben gerecht seyest?

### Antwort.

Nicht daß ich von wegen der wirdigkeit meines glaubens Gott gefalle: sonder darum̃, daß allein die gnugthuung, gerechtigkeit vnd heiligkeit Christi, meine gerechtigkeit für Gott ist [a]), vnd ich dieselbe nicht anderst, denn allein durch den glauben annemen, vnd mir zueigen kan [b]).

*a*) 1 Cor. 1. et 2. *b*) 1 Ioh. 5.

### Frag.

Warumb können aber vnsere gute werck nit die gerechtigkeit für Gott, oder ein stück derselben sein?

### Antwort.

Darumb, daß die gerechtigkeit, so für Gottes gericht bestehen sol, durchauß volkomen, vnd dem Göttlichen Gesetz gantz gleichformig sein muß [a]), vnd aber auch vnsere beste werck in diesem lebē alle vnuolkomen, vñ mit sünden befleckt sind [b]).

*a*) Galat. 3. Deut. 27. *b*) Esai. 64.

### Frag.

Verdienen aber vnsere gute werck nichts, so sie doch Gott in diesem vnd zukünfftigen leben wil belohnen?

### Antwort.

Die belohnung geschicht nit auß verdienst, sonder auß gnaden [a]).

*a*) Luc. 17.

### Frag.

Macht aber diese lehre nicht sorgloſe vnd verruchte leut?

### Antwort.

Nein, Denn es vnmöglich ist, daß die, so Christo durch waren glauben sind eingepflantzt, nit frucht der danckbarkeit sollen bringen [a]).

*a*) Matt. 7.

## Von den heiligen Sacramenten.

### Frag.

Dieweil deñ allein der glaub vns Christi, vnd aller seiner wolthaten theilhafftig macht: woher kompt solcher glaube?

Digitized by Google

### Antwort.

Der heilig Geist würcket denselben in vnsern hertzen [a]), durch die predig des heiligen Euangelions, vñ bestetiget den durch den brauch der heiligen Sacramenten [b]).

*a*) Ephes. 2. Ioh. 3. *b*) Mat. 28. 1 Pet. 1.

### Frag.

Was seind die Sacrament?

### Antwort.

Es seind sichtbare heilige warzeichen vnd Sigill, von Gott darzu eingesetzt, daß er vns durch den brauch derselben, die verheissung des Euangelions desto besser zuuerstehen gebe, vnd versiegele: Nemlich, daß er vns von wegen des einigen opffers Christi, am Creutz volbracht, vergebung der sünden, vnd ewiges leben auß gnaden schencke [a]).

*a*) Gen. 17. Rom. 4. Deut. 30. Leuit. 6. Heb. 9. Ezech. 20.

### Frag.

Seind denn beyde das wort vnd die Sacrament dahin gericht, daß sie vnsern glauben auff das opffer Jesu Christi am Creutz, als auff den einigē grund vnserer seligkeit weisen?

### Antwort.

Ja freylich: Deñ der heilig Geist lehret im Euangelio, vnd bestetiget durch die heiligē Sacrament, daß vnsere gantze seligkeit stehe in dem einigen opffer Christi, für vns am Creutz geschehen [a]).

*a*) Rom. 6. Galat. 3.

### Frag.

Wieuiel Sacrament hat Christus im newen Testament eingesetzt?

### Antwort.

Zwey: den heiligen Tauff, vnd das heilig Abendmal.

## Vom heiligen Tauff.

### Frag.

Wie wirstu im heiligen Tauff erinnert vñ versichert, daß das einege opffer Christi am Creutz dir zu gut komme?

### Antwort.

Also: daß Christus diß eusserlich wasserbad eingesetzt, vnd darbey verheissen hat, daß ich so gewiß mit seinem blut vnd geist, von der vnreinigkeit meiner seelen, das ist, allen meinen sünden gewaschen sey, so gewiß ich eusserlich mit dem wasser, welches die vnsauberkeit des leibs pflegt hinzunemen, gewaschen bin [a]).

) Mar. 1. Luc. 3.

Digitized by Google

## Frag.

Was heist mit dem Blut vnd Geist Christi gewasschen sein?

## Antwort,

Es heist vergebung der sünden von Gott auß gnaden haben, vmb des bluts Christi willen, welchs er in seinem opffer am Creutz für vns vergossen hat [a]): Darnach auch durch den heiligen Geist ernewert, vnd zu einem glied Christi geheiliget sein, daß wir je lenger je mehr der sünden absterben, vñ in einem Gottseligen, vnstreflichen leben wandlen [b]).

*a*) Hebr. 12. 1 Pet. 1. Apoc. 1. Zach. 13. Ezech. 36. *b*) Ioh. 1. Ioh. 3. 1 Cor. 6. et 12. Rom. 6. Coloss. 2.

## Frag.

Wo hat Christus verheissen, daß wir so gewiß mit seinem blut vnd geist als mit dem tauffwasser gewasschen seind?

## Antwort.

In der einsetzung des Tauffs, welche also lautet. Gehet hin, vnd lehret alle Völcker, vnd tauffet sie, im namen des Vaters vnd des Sons, vñ des heiligen Geists [a]): wer da glaubet vnd getauffet wird, der wird selig werden: wer aber nicht glaubt, der wird verdampt werden [b]). Diese verheissung wirdt auch widerholet, da die schrifft den Tauff das bad der widergeburt [c]), vnd abwasschung der sünden nennet [d]).

*a*) Matt. 28. *b*) Mar. 16. *c*) Tim. 3. *d*) Act. 22.

## Frag.

Ist denn das eusserlich wasserbad, die abwasschung der sünden selbst?

## Antwort.

Nein [e]), Denn allein das blut Jesu Christi, vnd der heilige Geist einiget vns von allen sünden [b]).

*a*) Mat. 3. 1 Pet. 3. Ephes. 5. *b*) 1 Ioh. 1. 1 Cor. 6.

## Frag.

Warumb nennet denn der heilige Geist den Tauff das bad der widergeburt, vnd die abwasschung der sünden?

## Antwort.

Gott redet also nit one grosse vrsach: Nemlich, nit allein dz er vns damit lehren, daß, gleich wie vnsauberkeit des leibs durch wasser, also vnsere sündē durchs blut vnd geist Christi hinweg genomen werden [a]): sonder vielmehr, dz er vns durch diß Göttlich pfand vnd warzeichē wil versichern, dz wir so warhafftig von vnsern sünden geistlich gewaschē sind, als wir mit dem leiblichen wasser gewaschen werden [b]).

*a*) Apoc. 1. et 7. 1 Cor. 6. *b*) Marc. 16. Galat. 3.

Digitized by Google

### Frag.

Sol man auch die jungē kinder tauffen?

### Antwort.

Ja: Denn dieweil sie so wol als die alten in den Bundt Gottes vnd seine gemein gehören [a]), vnd jhnen in dem blut Christi die erlösung von sünden [b]), vnd der heilig Geist, welcher den glauben würcket, nit weniger denn den alten zugesagt wird [c]): so sollē sie auch durch den tauff, als des Bunds zeichē, der Christlichen Kirchen eingeleibt, vnd von der vnglaubigen kinder vnderscheiden werden [d]), wie im alten Testament durch die beschneidung geschehen ist [e]), an welcher stat im newen Testament der Tauff ist eingesetzt [f]).

*a*) Gen. 17. *b*) Matt. 19. *c*) Luc. 1. Psal. 22. Esai. 46. Act. 2. *d*) Act. 10. *e*) Gen. 17. *f*) Coloss. 2.

## Vom heiligen Abendmal Jesu Christi.

### Frag.

Wie wirstu im heiligen Abendmal erinnert vnd versichert, daß du an dem einigen opffer Christi am Creutz, vñ allen seinen gütern gemeinshafft habest?

### Antwort.

Also, daß Christus mir vñ allen glaubigen von diesem gebrochnen brod zu essen, vnd von diesem Kelch zu trincken befohlen hat, vnd darbey verheissen, Erstlich daß sein leib so gewiß für mich am Creutz geopffert vnd gebrochen, vnd sein blut für mich vergossen sey, so gewiß ich mit augen sehe, daß das brod des HERRN mir gebrochen, vnd der Kelch mir mitgetheilet wird. Vnd zum andern, daß er selbst meine seel mit seinem gecreutzigten leib vnd vergossnen blut so gewiß zum ewigen leben speise vñ trencke, als ich auß der hand des Dieners empfange, vnd leiblich niesse das brod vnd den Kelch des HERRN, welche mir als gewisse warzeichen des leibs vnd bluts Christi gegeben werden.

### Frag.

Was heist den gecreutzigten leib Christi essen, vñ sein vergossen blut trincken?

### Antwort.

Es heist nit allein mit glaubigem hertzen das gantze leiden vnd sterben Christi annemen, vnd dardurch vergebung der sünden vnd ewiges leben bekomen [a]): Sonder auch darneben durch den heiligen Geist, der zugleich in Christo vnd in vns wonet, also mit seinem gebenedeyten leib je mehr vnd mehr vereiniget werden [b]): daß wir, obgleich er im himmel [c]), vñ wir auff erden sind: dennoch fleisch von seinem fleisch, vnd bein von seinen beinē sind [d]), vñ von einē geist (wie die glieder vnsers leibs von einer seelen) ewig leben vnd regieret werden [e]).

Digitized by Google

*a*) Ioh. 6. *b*) Ioh. 6. *c*) Act. 3. 1 Cor. 11. *d*) Ephes. 3. et 5. 1 Cor. 6. 1 Ioh. 3. et 4. Ioh. 14. *e*) Ioh. 6. et 15. Ephes. 4.

## Frag.

Wo hat Christus verheissen, daß er die glaubigen so gewiß also mit seinem leib vnd blut speise vnd trencke, als sie von diesem gebrochnen brod essen, vnd von diesem Kelch trinken?

## Antwort.

In der einsatzung des Abendmals, welche also lautet [a]): Vnser HERR Jesus, in d. nacht da er verrhaten ward, nam er das brodt, dancket vñ brachs vnd sprach, Nemet, esset, das ist mein leib, der für euch gebrochen wirdt, Solchs thut zu meiner gedechtnuß. Desselben gleichen auch den Kelch, nach dem Abendtmal, vnd sprach: Dieser Kelch ist das newe Testament in meinem blut, solches thut, so offt jrs trincket, zu meiner gedechtnuß: Deñ so offt jr von diesem brod esset, vñ von diesem Kelch trincket, solt jr des HERRN todt verkündigen, biß daß er kompt. Vnd diese verheissung wirdt auch widerholet durch S. Paulum [b]), da er spricht: Der Kelch der danckſagung, damit wir danckſagē, ist er nit die gemeinschafft des bluts Christi? Das brodt das wir brechen, ist das nicht die gemeinschafft des leibs Christi? Deñ ein brod ists, so seind wir viel ein leib, dieweil wir alle eines brods theilhafftig seind.

*a*) 1 Cor. 11. Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. *b*) 1 Cor. 10.

## Frag.

Wird deñ auß brod vnd wein der wesentlich leib vnd blut Christi?

## Antwort.

Nein: sonder wie das wasser in dem Tauff, nit in dz blut Christi verwādlet, oder die abwasschung der sünden selbst wird, deren es allein ein Göttlich warzeichen vnd versicherung ist [a]): also wirdt auch dz heilig brod im Abendmal nit d. leib Christi selbst [b]), wiewol es nach art vnd brauch der Sacramenten [c]), der leib Christi genennet wird.

*a*) Mat. 26. Mar. 24. *b*) 1 Cor. 10. et 11. *c*) Gen. 17. Exod. 12. Tit. 3. 1 Pet. 4. 1 Cor. 10.

## Frag.

Warumb nennet denn Christus das brod seinen leib, vñ den Kelch sein blut, oder das newe Testamēt in seinem blut, vnd S. Paulus, die gemeinshafft des leibs vnd bluts Jesu Christi?

## Antwort.

Christus redet also nit one grosse vrsach. Nemlich, daß er vns nit allein damit wil lehren, daß, gleich wie brod vñ wein das zeitliche leben erhalten, also sey auch sein gecreutzigter leib vnd vergossen blut,

Digitized by Google

die ware speiß vñ tranck vnserer seelen, zum ewigen leben [a]): sonder viel mehr daß er vns durch diß sichtbare zeichen vnd pfand wil versichern, daß wir so warhafftig seines waren leibs vnd bluts durch wirckung des heiligē Geists teilhafftig werden, als wir diese heilige warzeichen, mit dem leiblichē mund zu seiner gedechtnuß enpfangen [b]): vñ daß all sein leiden vñ gehorsam so gewiß vnser eigē sey, als hettē wir selbst in vnser eigē person alles gelitten vñ gnuggethan.

*a*) Ioh. 6. *b*) 1 Cor. 10.

## Frag.

Was ist für ein vnderscheid zwischen dem Abendmal des HERRN, vnd der Bäbstlichen Meß?

## Antwort.

Das Abendmal bezeuget vns, daß wir volkomene vergebung aller vnser sünden haben, durch das einige opffer Jesu Christi, so er selbst einmal am creutz volbracht hat [a]). Vnd daß wir durch den H. Geist Christo werdē eingeleibt [b]), d. jetzūd mit seinē waren leib im himel zur Rechten des Vaters ist [c]), vnd daselbst wil angebettet werden [d]). Die Meß aber lehret, daß die lebendigen vnd die todten nicht durch das leiden Christi vergebung der sünden haben, es sey denn daß Christus noch täglich für sie von den Meßpriestern geopffert werde. Vnd dz Christus leiblich vnd. der gestalt brods vñ weins sey, vnd derhalben darin sol angebettet werdē [e]). Vnd ist also die Meß im grund nichts anders, denn ein verleugnung des einigen opffers vñ leidens Jesu Christi, vnd ein vermaledeite Abgötterey.

*a*) Heb. 7. 9. et 10. Ioh. 19. Matt. 26. Luc. 22. *b*) 1 Cor. 6. et 10. *c*) Heb. 1. et 8. *d*) Ioh. 4. et 20. Luc. 24. Act. 7. Coloss. 3. Phil. 3. 1 Thess. 1. *e*) In Can: de Missa. Item. De cōsecr: distinct: 2.

## Frag.

Welche sollē zu dem Tisch des HERREN kommen?

## Antwort.

Die jnen selbst vmb jrer sünden willen mißfallen, vñ doch vertrawen, daß dieselbige jhnen verziehen vnd die vbrige schwachheit mit dem leiden vnd sterben Christi bedeckt sey, begeren auch je mehr vnd mehr jhren glauben zu stercken vnd jr leben zu bessern. Die vnbußfertigē aber vñ heuchler, essen vñ trincken jnen selbst das gericht [a]).

*a*) 1 Cor. 10. et 11.

## Frag.

Sollen aber zu diesem Abendmal auch zugelassen werden, die sich mit jrer bekañtnuß vnd leben, als vnglaubige vnd Gottlose erzeigen?

## Antwort.

Nein: denn es wirdt also der Bundt Gottes geschmecht, vnd sein zorn vber die gantze gemein gereitzet [a]). Derhalben die Christliche Kirch

Digitized by Google

schuldig ist, nach der ordnung Christi vñ seiner Aposteln, solche, biß zu besserung jres lebens, durch dz ampt der Schlüssel auszuschliessen.

*a*) 1 Cor. 11. Esai. 1. et 66. Ierem. 7. Psal. 50.

## Frag.

Was ist das ampt der Schlüssel?

## Antwort.

Die Predig des heiligē Euangelions, vnd die Christliche Bußzucht, durch welche beyde stück, dz Himmelreich den glaubigen auffgeschlossen, vnd den vnglaubigen zugeschlossen wird.

## Frag.

Wie wird das Himmelreich durch die predig des heiligen Euangelions auff vnd zugeschlossen?

## Antwort.

Also: daß nach dem befelch Christi allen vnd jeden glaubigen verkündigt vnd offentlich bezeuget wird jnē so offt sie die verheissung des Euangelions mit warem glauben annemen, warhafftig alle jre sünden von Gott, vmb des verdiensts Christi willē, vergebē sind. Vnd herwiderumb, allen vnglaubigen vnd heuchlern, daß der zorn Gottes vñ die ewige verdamnuß auff jnen ligt, so lang sie sich nit bekeren *a*): Nach welchē zeugnuß des Euangelij, Gott beide in diesem vnd zukünfftigen leben vrtheilen wil.

*a*) Ioh. 20. Matt. 16.

## Frag.

Wie wirdt das Himmelreich zu vnd auffgeschlossen, durch die Christliche Bußzucht?

## Antwort.

Also: daß nach dem befelch Christi, diejenigē so vnder dem Christlichē namen, vnchristliche lehr od. wandel fürē, nach dem sie etlich mal brüderlich vermanet sein, vnd jren jrthumen oder lastern nit abstehen, der kirchen, oder denen so von der kirchē darzu verordnet sind, angezeigt, vñ so sie sich an derselbē vermanung auch nit keren, von jnen durch verbietung der heiligē Sacrament auß der Christlichē gemein, vñ von Gott selbst, auß dem Reich Christi werden außgeschlossen: vñ widerumb als glieder Christi vnd der kirchen, angenomen, weñ sie ware besserung verheissen vñ erzeigen *a*).

*a*) Matt. 18. 1 Cor. 3. 2 Thess. 3. Ioh. 2.

Digitized by Google

# Der dritte Teil.

## Von der danckbarkeit.

### Frag.

Dieweil wir denn auß vnserm elendt one alle vnsere verdienst, auß gnaden durch Christum erlöset seind, warumb sollen wir gute werck thun?

### Antwort.

Darumb, daß Christus, nach dem er vns mit seinem blut erkaufft hat, vns auch durch seinē heiligē Geist ernewert zu seinem ebenbildt, daß wir mit vnserm gantzen leben vns danckbar gegen Gott für seine wolthat erzeigen [a]), vñ er durch vns gepriesen werde [b]), Darnach auch, daß wir bey vns selbst vnsers glaubens auß seinen früchten gewiß sein [c]), vnd mit vnserm Gottseligē wandel, vnsere nechsten auch Christo gewinnen [d]).

*a*) Rom. 6. et 12. 1 Pet. 2. 1 Cor. 6. *b*) Matt. 5. 1 Pet. 2. *c*) 1 Pet. 1. Matt. 7. Galat. 5. *d*) 1 Pet. 3. Rom. 14.

### Frag.

Können denn die nicht selig werden, die sich von jrem vndanckbaren vnbußfertigen wandel zu Gott nicht bekeren?

### Antwort.

Keineswegs: denn, wie die schrifft saget: Kein Vnkeuscher, Abgöttischer, Ehebrecher, Dieb, Geitziger, Trunckenpoltz, Lesterer, Rauber vnd dergleichen, wird das reich Gottes erben [a]).

*a*) 1 Cor. 6. Ephes. 5. 1 Ioh. 3.

### In wieviel stücken stehet die warhafftige Buß oder bekerung des menschen?

### Antwort.

In zweyen stücken: In absterbung des alten [a]), vñ aufferstehung des newen menschen.

*a*) Rom. 6. Ephes. 4. Coloss. 3. 1 Cor. 5.

### Frag.

Waß ist die Absterbung des alten menschen?

### Antwort.

Jm die sünde von hertzen lassen leidt sein, vnd dieselbige je lenger je mehr hassen vnd fliehen [a]).

*a*) Rom. 8. Ioel. 2.

### Frag.

Was ist die aufferstehung des newen menschen?

Digitized by Google

Antwort.

Hertzliche freud in Gott [a]), vnd luſt vñ lieb haben nach dem willen Gottes, in allen guten wercken zu leben [b]).

*a*) Rom. 5. et 14. Esai. 27. *b*) Rom. 6. Galat. 2.

Frag.

Welches ſeind aber gute werck?

Antwort.

Allein die auß warem Glauben [a]), nach dem Geſetz Gottes [b]) jhm zu ehren geſchehen [c]): vnd nicht die auff vnſer gutdüncken oder menſchen ſatzung gegründet ſein [d]).

*a*) Rom. 14. *b*) 1 Sam. 11. Ephes. 2. *c*) 1 Cor. 10. *d*) Deut. 12. Ezech. 20. Esai. 29. Matt. 15.

Frag.

Wie laut das Geſetz des HERRN?

Antwort.

Gott redet alle diſe wort.

Das Erſte Gebot.

Ich bin der HERR dein Gott, der ich dich auß Egyptenland, auß dem Dienſthauß gefüret habe. Du ſolt kein ander Götter für mir haben.

Das Ander.

Du ſolt dir kein Bildnuß noch jrgendt ein gleichnuß machen, weder deß, das oben im Himel, noch deß, das vnden auff Erden, oder deß, das im waſſer vnder der erden iſt, Du ſolt ſie nicht anbeten, noch jnen dienen. Denn ich der HERR dein Gott, bin ein ſtarcker eyueriger Gott, der die miſſethat der Väter heimſucht an den Kindern, biß ins dritte vñ veirde glied, deren die mich haſſen: vñ thue barmhertzigkeit an viel tauſenden die mich lieben, vnd meine Gebot halten.

Das dritte.

Du ſolt den Namen des HERREN deines Gottes nicht mißbrauchen, Denn der HERR wird den nicht vngeſtrafft laſſen, der ſeinen Namen mißbraucht.

Das vierde.

Gedenck des Sabbaht tags, das du jhn heiligeſt. Sechs tag ſoltu arbeiten, vnd alle deine werck thun, aber am ſibenden tage iſt d. Sabbath des HERREN deines Gottes, da ſolt du keine arbeit thun, noch dien

Digitized by Google

Son, noch deine Tochter, noch dein Knecht, noch deine magt, noch dein Vieh, noch der frēbling der in deinē thoren ist. Deñ in sechs tagen hat der HERR himēl vnd erden gemacht, vnd das mehr, vnd alles was drinnen ist, vnd rhuete am sibenden tage, darū segnete der HERR dē Sabbath tag, vñ heiliget jn.

Das Fünffte.

Du solt dein Vater vnd deine Mutter ehren, auff das du lang lebest im Land, das dir der HERR dein Gott gibt.

Das Sechste.

Du solt nit tödten.

Das Sibente.

Du solt nit Ehebrechen.

Das Achte.

Du solt nit stelen.

Das Neünde.

Du solt kein falsch zeugnuß reden wider deinen nechsten.

Das Zehende.

Laß dich nit gelüsten deines nechsten Hauß, Laß dich nit gelüsten deines nechsten weibs, noch seines Knechts, noch seiner Magd, noch seines Ochsen, noch seines Esels, noch alles das dein Nechster hat.

Frag.

Wie werden diese Gebot geteilt?

Antwort.

In zwo Tafeln [a]), deren die erste in vier gebotten lehret, wie wir vns gegen Gott sollen halten. Die ander in sechs gebotten, was wir vnserm nechsten schuldig sein [b]).

*a*) Exo. 34. Deut. 4. et 10. *b*) Mat. 22.

Frag.

Was erfordert der HERR im ersten Gebot?

Antwort.

Daß ich bey verlierung meiner seelen heil vnd seligkeit alle abgötterey [a]), zauberey, aberglaubische segen [b]), anruffung der Heiligen oder anderer Creaturen [c]), meiden vñ fliehen sol, Vnd den einigen waren Gott recht erkennen [d]), jm allein vertrawen [e]), In aller demut [f]) vnd gedult [g]), von jm allein alles guts gewarten [h]), vñ jn von gantzem

Digitized by Google

hertzen lieben [i]), fürchten [k]) vñ ehren [l]): Also daß ich ehe alle creaturen vbergebe, deñ in dem geringsten wider seinen willen thue [m]).

*a*) 1 Cor. 6. et 10. *b*) Leuit. 19. Deut. 18. *c*) Matt. 4. Apoc. 19. et 22. *d*) Ioh. 17. *e*) Iere. 17. *f*) 1 Pet. 5. *g*) Hebr. 10. Coloss. 1. Rom. 5. 1 Cor. 10. Phil. 2. *h*) Psal. 104. Esai. 45. Iac. 1. *i*) Deut. 6. Matt. 22. *k*) Deut. 6. Psal. 111. Prou. 1. et 9. Mat. 10. *l*) Mat. 4. Deut. 10. *m*) Mat. 5. et 10. Act. 5.

## Frag.

Was ist Abgötterey?

## Antwort.

An stat des einigen waren Gottes, der sich in seinem wort hat offenbaret, oder neben demselbigen etwas anderst dichtē oder habē, darauff der mensch sein vertrawen setzt [a]).

*a*) Ephes. 5. 1 Par. 16. Phil. 3. Gala. 4. Ephes. 2. 1 Ioh. 2. 2 Ioh. 1. Ioh. 5.

## Frag.

Was wil Gott im andern Gebot?

## Antwort.

Daß wir Gott in keinen weg verbilden [a]), noch auff jrgend eine andere weise, denn er in seinem wort befohlen hat, verehren sollen [b]).

*a*) Deut. 4. Esai. 40. Rom. 1. Act. 17. *b*) 1 Sam. 15. Deut. 12. Mat. 15.

## Frag.

Sol man deñ gar kein bildnuß machē?

## Antwort.

Gott kan vnd sol keines wegs abgebildet werden; die Creaturen aber, ob sie schon mögen abgebildet werden: so verbeut doch Gott derselbigen bildnuß zu machen vnd zu haben, daß man sie verehre oder jm damit diene [a]).

*a*) Exod. 23. et 34. Num. 33. Deut. 7. et 12. 16. 2 Reg. 18.

## Frag.

Mögen aber nicht die bilder als der Leyen bücher, in den Kirchen geduldet werden?

## Antwort.

Nein: Denn wir nit sollen weiser sein denn Gott, welcher seine Christenheit nie durch stumme götzen [a]), sonder durch die lebendige predig seines worts, wil vnderwiesen haben [b]).

*a*) Iere. 10. Haba. 2. *b*) 2 Pet. 1. 2 Tim. 3.

## Frag.

Was wil das dritt Gebot?

Digitized by Google

## Antwort.

Daß wir nicht allein mit fluchen [a]), oder mit falschem ayde [b]): sonder auch mit vnnötigem schweren [c]) den Namen Gottes nicht lestern oder mißbrauchen, noch vns mit vnserm stilschweigen vnd zusehen solcher schrecklichen sünden theilhafftig machen, Vnd in summa, daß wir den heiligē Namen Gottes anderst nicht, denn mit forcht vnd ehrerbietung gebrauchen [d]), auff daß er von vns recht bekent [e]), angeruffen [f]), vnd in all vnsern worten vnd wercken [g]) gepriesen werde.

*a*) Esai. 45. *b*) Matt. 10. *c*) 1 Tim. 2. *d*) Rom. 2. 1 Tim. 6. Coloss. 3.

## Frag.

Ist denn mit schweren vnd fluchen Gottes Namen lestern, so eine schwere sünd, daß Gott auch vber die zürnet, die, souiel an jnen ist, dieselbe nicht helffen wehren vnd verbieten?

## Antwort.

Ja freylich [a]), Denn keine sünde gröſſer ist, noch Gott hefftiger erzürnet, deñ lesterung seines Namens. Darumb er sie auch mit dem todt zu straffen befohlen hat [b]).

*a*) Leuit. 5. *b*) Leui. 24.

## Frag.

Mag man aber auch Gottselig bey dem Namen Gottes einen Ayd schweren?

## Antwort.

Ja: Wenn es die Oberkeit von jhren vnderthanen, oder sonst die noth erfordert, trewe vnd warheit zu Gottes ehre vnd des nechsten heil dardurch zuerhalten vnd zu fürdern. Denn solches aydschwerē ist in Gottes wort gegründet [a]), vnd derhalben von den Heiligen im alten vnd newen Testament recht gebrauchet worden [b]).

*a*) Deut. 6. et 10. Esai. 48. Heb. 6. *b*) Gen. 21. et 31. Esai. 9. 1 Sam. 24. 2 Sam. 3. 1 Reg. 1. Rom. 1. 2 Cor. 1.

## Frag.

Mag man auch bey den Heiligen oder andern Creaturen ayd schweren?

## Antwort.

Nein: Denn ein rechtmessiger ayd ist ein anruffung Gottes, daß er als der einig hertzkündiger, der warheit zeugnuß wölle geben, vnd mich straffen, so ich falsch schwere [a]), welche ehre denn keiner creaturen gebüret [b]).

*a*) 2 Cor. 1. *b*) Mat. 5. Iacob. 5.

## Frag.

Was wil Gott im vierdten Gebot?



Digitized by Google

### Antwort.

Got wil erſtlich, daß das Predigampt vnd ſchulen erhalten werden [a]), vñ ich ſonderlich am feiertag zu d. gemeine Gottes vleiſſig kom̃e [b]), dz wort Gottes zu lernen [c]), die heilig̃e Sacrament zu gebrauchen [d]), den HERRN offentlich anzuruffen [e]), vñ das Chriſtlich almoß zugeben [f]). Zum andern, daß ich alle tage meines lebens von meinen böſen werck̃ feyere, den HERRN durch ſeinen Geiſt in mir würcken laſſe, vnd alſo den ewigen Sabbath in dieſem leben anfange [g]).

*a*) Tit. 1. 1 Tim. 3. 4. et 5. 1 Cor. 9. 2 Tim. 2. et 3. *b*) Psal. 40. et 68. Act. 3. *c*) 1 Cor. 14. *d*) 1 Cor. 11. *e*) 1 Tim. 2. 1 Cor. 14. *f*) 1 Cor. 16. *g*) Esai. 66.

### Frag.

Was wil Gott im fünfften Gebot?

### Antwort.

Daß ich meinem Vater vnd Mutter, vnd allen die mir fürgeſetzt ſein, alle ehre, liebe vnd trewe beweiſen, vnd mich aller guten lehr vnd ſtraff, mit gebürlichem gehorſam vnderwerffen [a]), vnd auch mit jren gebrechen gedult haben ſol [b]), dieweil vns Gott durch jhre hand regieren wil [c]).

*a*) Ephes. 5. et 6. Coloss. 3. Prou. 1. 4. 15. et 20. Exod. 21. Rom. 13. *b*) Prou. 23. Gen. 9. 1 Pet. 2. *c*) Ephes. 6. Coloss. 3. Rom. 13. Mat. 22.

### Frag.

Was wil Gott im ſechſten gebot?

### Antwort.

Daß ich meinem nechſten weder mit gedancken, noch mit worten oder geberden, viel weniger mit der that, durch mich ſelbſt oder andere ſchmehen, haſſen, beleidigen, oder tödten [a]): ſonder alle raachgirigkeit ablegen [b]), auch mich ſelbſt nit beſchedigen, oder mutwillig in gefahr begeben ſol [c]). Darumb auch die Oberkeit, dem todſchlag zu weren, das Schwert tregt [d]).

*a*) Matt. 5. et 26. Gen. 9. *b*) Ephes. 4. Rom. 12. Matt. 5. et 18. *c*) Rom. 13. Coloss. 2. Syr. 3. Mat. 4. *d*) Gen. 9. Exo. 21. Mat. 26. Rom. 13.

### Frag.

Redet doch diß gebot allein vō tödtē?

### Antwort.

Es wil vns aber Gott durch verbietung des Todtſchlags lehren, daß er die wurtzel des todſchlags, als neid [a]), haß [b]), zorn [c]), Rachgirigkeit, haſſet, vñ daß ſolches alles für jhm ein heimlicher todtſchlag ſey [d]).

*a*) Rom. 1. *b*) 1 Ioh. 2. *c*) Iac. 2. Galat. 5. *d*) 1 Ioh. 3.

### Frag.

Iſts aber damit gnug, daß wir vnſern nechſten, wie gemelt, nit tödten?

Digitized by Google

### Antwort.

Nein. Denn in dem Gott neid, haß vnd zorn verdampt: wil er von vns haben, daß wir vnsern nechsten lieben als vns selbst [a]), gegen jhm gedult, friede, sanfftmuth [b]), barmhertzigkeit [c]) vnd freundligkeit [d]) erzeigen, seinen schaden, souiel vns möglich, abwenden [e]), vnd auch vnsern feinden guts thun [f]).

*a*) Matt. 7. et 22. *b*) Ephes. 4. Galat. 6. Matt. 5. Rom. 12. *c*) Matt. 5. Luc. 6. *d*) Rom. 12. *e*) Exod. 23. *f*) Matt. 5. Rom. 12.

### Frag.

Was wil das siebende Gebot?

### Antwort.

Daß alle vnkeuschheit von Gott vermaledeyet sey [a]), vnd daß wir darumb jhr von hertzen feind sein [b]), vnd keusch vnd züchtig leben sollen [c]), es sey im heiligen Ehestandt oder ausserhalb desselben [d]).

*a*) Leuit. 18. *b*) Iudae 1. *c*) 1 Thess. 4. *d*) Heb. 13. 1 Cor. 7.

### Frag.

Verbeut Gott in diesem gebot nichts mehr denn Ehebruch vnd dergleichen schanden?

### Antwort.

Dieweil beyde vnser leib vnd seel tempel des heiligen Geists sein, so wil er, daß wir sie beyde sauber vnd heilig bewaren. Verbeut derhalbē alle vnkeusche thaten, geberden, wort [a]), gedancken, lust [b]), vnd was den menschen darzu reitzen mag [c]).

*a*) Ephes. 5. 1 Cor. 6. *b*) Mat. 5. *c*) Ephes. 5. 1 Cor. 15.

### Frag.

Was verbeut Gott im achten Gebot?

### Antwort.

Er verbeut nicht allein den diebstal [a]) vnd rauberey [b]), welche die Oberkeit strafft: sonder Gott nennet auch diebstal alle böse stück vnd anschlege, damit wir vnsers nechsten gut gedencken an vns zu bringen, es sey mit gewalt oder schein des rechtens [c]): als vnrechtem gewicht [d]), Elln, maß [e]), wahre, müntz, wucher [f]), oder durch einiges mittel, das von Gott verbotten ist: Darzu auch allen geitz [g]), vnd vnnütze verschwendung seiner gaben [h]).

*a*) 1 Cor. 6. *b*) 1 Cor. 5. *c*) Luc. 3. 1 Thess. 4. *d*) Prou. 11. et 16. *e*) Eze. 45. Deut. 25. *f*) Psal. 15. Luc. 6. *g*) 1 Cor. 6. *h*) Prou. 5.

### Frag.

Was gebeut dir aber Gott in diesem Gebot?

### Antwort.

Daß ich meines nechsten nutz, wo ich kan vnd mag, fürdere, gegen



Digitized by Google

jhm also handle, wie ich wolte, daß man mit mir handlete [a]), vñ trewlich arbeite, auff daß ich dem dürfftigen in seiner noth helffen mög [b]).

*a*) Mat. 7. *b*) Ephes. 4.

## Frag.

Was wil das neund gebot?

## Antwort.

Daß ich wider niemand falsche zeugnuß gebe [a]), niemand seine wort verkere [b]), kein affterreder vnd lesterer seye [c]), Niemand vnuerhört, vñ leichtlich verdammen helffe [d]): sonder allerley liegen vnd triegē, als eigene werck des Teufels [e]), bey schwerem Gotteszorn vermeide [f]), In gerichts vnd allen andern handlungen die warheit liebe, auffrichtig sage vñ bekenne [g]), auch meines nechsten ehre vnd glimpff nach meinem vermögen rette vnd fürdere [h]).

*a*) Prou. 19. et 21. *b*) Psal. 15. *c*) Rom. 1. *d*) Mat. 7. Luc. 6. *e*) Ioh. 8. *f*) Prou. 12. et 13. *g*) 1 Cor. 13. Ephes. 4. *h*) 1 Pet. 4.

## Frag.

Was wil das zehend Gebot?

## Antwort.

Daß auch die geringste lust od. gedancken wider jrgend ein gebot Gottes, in vnser hertz nimmermehr komen: sonder wir für vnd für von gantzem hertzen aller sünde feind sein, vnd lust zu aller gerechtigkeit haben sollen [a]).

*a*) Rom. 7.

## Frag.

Können aber die zu Gott bekert sind, solche gebot volkömlich halten?

## Antwort.

Nein: sonder es haben auch die aller heiligsten, so lang sie in diesem leben sind, nur einen geringen anfang dieses gehorsams [a]): doch also, daß sie mit ernstlichem fürsatz, nicht allein nach etlichen, sonder nach allen gebotten Gottes anfangen zu leben [b]).

*a*) 1 Ioh. 1. Rom. 7. Eccl. 7. *b*) Rom. 7. Iac. 2.

## Frag.

Warumb leit vns denn Gott also scharff die zehen Gebot predigen, weil sie in diesem leben niemand halten kan?

## Antwort.

Erstlich auff dz wir vnser gantzes lebenlang vnser sündliche art je lenger je mehr erkennen [a]), vnd souiel desto begiriger vergebung der sünden vnd gerechtigkeit in Christo suchen [b]). Darnach daß wir ohne vnderlaß vns befleissen, vnd Gott bitten umb die gnade des heiligen Geists,

Digitized by Google

daß wir je lenger je mehr zu dem ebenbild Gottes ernewert werden, biß wir das ziel der volkomenheit nach diesem leben erreichen c).

a) 1 Ioh. 1. Psal. 32. b) Rom. 7. c) 1 Cor. 9. Phil. 3.

## Vom Gebet.

### Frag.

Warumb ist den Christen das Gebet nötig?

### Antwort.

Darumb, daß es das fürnembste stück der danckbarkeit ist, welche Gott von vns erfordert a), Vnd daß Gott seine genade vnd heiligē Geist allein denen wil geben, die jhn mit hertzlichem seufftzen ohne vnderlaß darumb bitten, vnd jm darfür dancken b).

a) Psal. 50. b) Matt. 7. et 13. Luc. 11.

### Frag.

Was gehöret zu einem solchen gebett das Gott gefalle, vnd von jm erhöret werde?

### Antwort.

Erstlich daß wir allein den einigē waren Gott, der sich vns in seinem wort hat offenbaret a), vmb alles daß er vns zu bitten befohlen hat b), von hertzē anruffen c). Zum andern, daß wir vnsere noth vnd elend recht gründlich erkennen d), vns für dem angesicht seiner Maiestet zu demütigen e). Zum dritten, daß wir diesen festen grund haben f), daß er vnser gebett, vnangesehen daß wirs vnwirdig seind, doch vmb des HERRN Christi willen gewißlich wölle erhören g), wie er vns in seinem wort verheissen hat h).

a) Ioh. 4. b) Rom. 8. 1 Ioh. 5. c) Ioh. 4. d) 2 Pa. 20. e) Psal. 2. et 34. Esai. 66. f) Rom. 10. Iac. 1. g) Ioh. 14. Dan. 9. h) Mat. 2. Psal. 143.

### Frag.

Was hat vns Gott befohlen von jm zu bitten?

### Antwort.

Alle geistliche vñ leibliche notdurfft a), welche der HERR Christus begriffen hat in dem Gebett, das er vns selbst gelehret.

a) Iacob. 1. Mat. 6.

### Frag.

Wie lautet dasselbe?

### Antwort.

Vnser a) Vater der du bist in himeln. Geheiliget werde dein Name. Dein Reich kom̃e. Dein wil geschehe, auff erden wie im himmel. Vnser teglich brod gib vns heut. Vnd vergib vns vnser schult, als auch wir vergeben

Digitized by Google

vnsern schuldigern. Vnd füre vns nicht in versuchung, sonder erlöse vns vom bösem. Denn dein ist das reich, vnd die krafft, vnd die herrligkeit in ewigkeit, Amen.

a) Matt. 6. Luc. 11.

## Frag.

Warumb hat vns Christus befohlen Gott also anzureden, Vnser Vater?

## Antwort.

Daß er gleich im anfang vnsers gebetts in vns erwecke die kindliche furcht vnd zuuersicht gegen Gott, welche der grund vnsers gebets sol sein: Nemlich, daß Gott vnser Vater durch Christum worden sey, vnd wölle vns viel weniger versagen, warumb wir jhn im glauben bitten, denn vnsere Väter vns jrdische ding abschlagen a).

a) Matt. 7. Luc. 11.

## Frag.

Warumb wird hinzugethan, Der du bist in himmeln?

## Antwort.

Auff daß wir von der himlischen Maiestet Gottes, nichts jrdisch gedencken a), vnd von seiner allmechtigkeit alle notdurfft leibs vnd der seelen gewarten b).

a) Iere. 23. Act. 17. b) Rom. 10.

## Frag.

Was ist die erste Bitt?

## Antwort.

Geheiliget werde dein Name, das ist, gib vns erstlich daß wir dich recht erkennen a), vnd dich in allen deinen wercken, in welchen leuchtet deine allmechtigkeit, weißheit, güte, gerechtigkeit, barmhertzigkeit vnd warheit, heiligen, rhümen vnd preisen b). Darnach auch daß wir vnser gantzes leben, gedancken, wort vnd werck dahin richten, daß dein Name vmb vnsert willen nit gelestert, sonder geehret vnd gepriesen werde c).

a) Ioh. 17. Mat. 16, Iac. 1. Psal. 119. b) Psal. 119. Rom. 11. c) Psal. 71. et 115.

## Frag.

Was ist die ander Bitt?

## Antwort.

Zukom dein Reich, das ist, Regiere vns also durch dein wort vnd geist, daß wir vns dir je lenger je mehr vnderwerffen a): erhalt vnd mehre deine kirchen b), vnd zerstöre die werck des Teuffels, vnd allen gewalt der sich wider dich erhebt, vnd alle böse rahtschlege, die wider dein heiliges wort erdacht werden c), biß die volkomenheit deines Reichs hertzu kome d), darin du wirst alles in allem sein e).

Digitized by Google

1) Matt. 6. Psal. 119. et 143. *b*) Psal. 51. et 122. *c*) 1 Ioh. 3. Rom. 16. *d*) Apoc. 22. Rom. 8. *e*) 1 Cor. 15.

## Frag.

Was iſt die dritte Bitt?

## Antwort.

Dein Wil geſchehe auff erden wie im himmel, das iſt, verleihe daß wir vnd alle menſchen vnſerm eigenen willen abſagen [a]), vnd deinem allein guten willen one alles widerſprechen gehorchen [b]), daß alſo jederman ſein ampt vnd beruff ſo willig vnd trewlich außrichte [c]), wie die Engel im himmel [d]).

*a*) Matt. 16. Tit. 2. *b*) Luc. 22. *c*) 1 Cor. 7. *d*) Psal. 103.

## Frag.

Was iſt die vierde Bitt?

## Antwort.

Gib vns heut vnſer teglich brod, das iſt, wolleſt vns mit aller leiblichen notdurfft verſorgē [a]), auff daß wir dardurch erkennen, daß du der einig vrſprung alles guten biſt [b]), vnd daß one deinen ſegen, weder vnſere ſorgen vnd arbeit, noch deine gaben vns gedeien [c]), vnd wir derhalbē vnſer vertrawen von allen Creaturen abziehen, vñ allein auff dich ſetzen [d]).

*a*) Psal. 104. et 145. Matt. 6. *b*) Act. 14. et 17. *c*) 1 Cor. 15. Deut. 8. Psal. 37. *d*) Psal. 55. et 62.

## Frag.

Was iſt die fünffte Bitt?

## Antwort.

Vergib vns vnſere ſchuld, als auch wir vergeben vnſern ſchuldigern, das iſt, wolleſt vns armen ſündern alle vnſere miſſethat, auch das böſe, ſo vns noch jñerdar anhenget umb des bluts Chriſti willen nit zurechnen [a]), wie auch wir diß zeugnuß deiner gnad in vns befinden, daß vnſer gantzer fürſatz iſt, vnſerm nechſten von hertzē zuuerzeihen [b]).

*a*) Psal. 51. et 143. 1 Ioh. 2. *b*) Mat. 6.

## Frag.

Was iſt die ſechſte Bitt?

## Antwort.

Vñ für vns nit in verſuchūg, ſonder erlöſe vns vom böſen, das iſt, dieweil wir auß vns ſelbſt ſo ſchwach ſein, daß wir nit einen augenblick beſtehen können [a]), vnd darzu vnſere abgeſagte feind, d. Teufel [b]), die welt [c]), vnd vnſer eigen fleiſch [d]), nit auffhören vns anzufechten: ſo wolleſt vns erhalten vnd ſtercken durch die krafft deines

Digitized by Google

heiligen Geistes, auff dz wir jnen mögē festē widerstand thun, vñ in diesem geistlichē streit nit vnden ligen [c]), biß daß wir entlich den sieg volkomlich behalten [f]).

*a*) Ioh. 15. Psal. 103. *b*) 1 Pet. 5. Ephes. 6. *c*) Ioh. 15. *d*) Rom. 7. Galat. 5. *e*) Mat. 26. Mar. 13. *f*) 1 Thess. 3. et 5.

### Frag.

Wie beschleust du diß Gebet?

### Antwort.

Denn dein ist das Reich, die krafft, vnd die herrligkeit in ewigkeit, das ist, Solchs alles bitten wir darumb von dir, daß du als vnser König, vnd aller ding mechtig, vns alles guts geben wilst, vnd kanst [a]), vnd daß dadurch nicht wir, sonder dein heiliger Name ewig sol gepriesen werdē [b]).

*a*) Rom. 10. 2 Pet. 2. *b*) Ioh. 14. Psal. 115.

### Frag.

Was bedeut das wörtlein, Amen.

### Antwort.

Amen heist, das sol war vnd gewiß sein. Denn mein gebet viel gewisser von Gott erhöret ist, denn ich in meinem hertzen füle, daß ich solches von jhm begere [a]).

*a*) 2 Cor. 1. 2 Tim. 2.

---

## Verzeichnis der fürnemsten Text,

wie die ordentlich im vorgehenden Catechismo erkleret sein.

### I.

### Summa des Göttlichen Gesetzes,

Darauß wir vnser Sünd vnd elendt erkennen.

Du solt lieben Gott deinen HERREN von gantzem hertzen, von gantzer seelen, von gantzem gemüth vñ allen krefftē, diß ist das fürnembste vnd das gröste gebot. Das ander aber ist dem gleich: Du solt deinen nechsten liebē als dich selbst. In diesen zweyen Geboten hanget das gantze Gesetz vnd die Propheten. Matt. 22.

Verflucht sey jederman, der nicht bleibt in allem dem, das geschrieben stehet, in dem buch des Gesetzes, das ers thue. Deut. 27.

Digitized by Google

## II.

### Die Artickel vnsers Christlichen glaubens, Oder summa des Euangelions,

Auß dem wir lernen vnser erlösung:

Ich glaub in Gott Vater, den Almechtigen, Schöpffer himmels vnd der erden.

Vnd in Jesum Christum, seinen eingebornen Son, vnsern HERREN, der empfangen ist von dem heiligen Geist, geborē auß Maria der Jungfrawen, gelittē vnder Pontio Pilato, gecreutziget, gestorben vñ begraben, abgestiegē zu der Hellen, am dritten tag wider aufferstanden von den todten, auffgefaren gen himēl, sitzet zu der rechten Gottes, des allmechtigen Vaters, von dannen er kōmen wird, zu richten die lebendigen vnd die todten.

Ich glaub in den heiligen Geist, eine heilige allgemeine Christliche Kirch, die gemeinschafft der Heiligen, vergebung der Sünden, aufferstehung des fleisches, vnd ein ewiges leben.

### Einsatzung der heiligen Sacrament,

Durch welche der heilige Geist vns diese erlösung versiegelt vnd versichert.

### Einsatzung des heiligen Tauffs.

Gehet hin, vnd lehret alle Völcker, vnd tauffet sie im namen des Vaters, vñ des Sons, vnd des heiligen Geists. Wer da glaubt vnd getaufft wirdt, der wird selig werden: wer aber nicht glaubt, der wird verdampt werden.

### Einsatzung des heiligen Abendmals Christi.

Vnser HERR Jesus in der nacht da er verrhaten ward, nam er das brod, dancket vnd brachs vñ sprach: Nemet esset, das ist mein leib, der für euch gebrochen wird, Solchs thut, zu meiner gedechtnuß. Desselben gleichen auch den Kelch, nach dem Abendmal, vnd sprach: Dieser Kelch ist das newe Testament in meinem blut, solchs thut, so oft jrs trinckt, zu meiner gedechtnuß: Denn so offt jr von diesem brod esset, vnd von diesem Kelch trinckt, solt jr des HERRN todt verkündigen, biß das er kompt. Vnd der heilige Paulus in der ersten an die Corinther im 10. cap. spricht also: Der kelch der danckſagung, damit wir danck sagē, ist er nit die gemeinschafft des bluts Christi? Das brodt das wir brechen, ist das nit die gemeinschafft des leibs Christi? denn ein brod ists,

Digitized by Google

so seind wir viel ein leib, dieweil wir alle eines brods theilhafftig seind.

III.

Das Gesetz oder die zehen Gebot Gottes.

Auß welchen wir lernē, wie wir Gott für solche wolthat sollen in vnserm gantzen leben danckbar sein.

Gott redet alle dise wort.

Das erste Gebot.

Ich bin der HERR dein Gott, der ich dich auß Egyptenland, auß dem Diensthauß gefüret habe.

Du solt kein ander Götter für mir haben.

Das ander Gebot.

Du solt dir kein Bildnuß noch jrgendt ein gleichnuß machen, weder deß, das oben im Himel, noch deß, dz vndē auff Erden, oder deß, das im wasser vnder der erden ist, du solt sie nicht anbeten, noch jnen dienen, deñ ich der HERR dein Gott, bin ein starcker eyueriger Gott, der die missethat der Väter heimsucht an den Kindern biß ins dritt vnd vierd glied, deren die mich hassen, vnd thue barmhertzigkeit an viel tausenden die mich lieben, vnd meine Gebot halten.

Das dritte Gebot.

Du solt den Namen des HERREN deines Gottes nicht mißbrauchen, Denn der HERR wird den nicht vngestrafft lassen, der seinen Namē mißbraucht.

Das vierde Gebot.

Gedenk des Sabbath tags, das du jhn heiligest. Sechs tag soltu arbeiten, vnd alle deine werck thun, aber am siebenden tage ist der Sabbath des HERREN deines Gottes, da solt du keine arbeit thū, noch dein Son, noch deine Tochter, noch dein Knecht, noch deine magt, noch dein Vieh, noch der frembdling der in deinē thoren ist. Deñ in sechs tagen hat der HERR himel vnd erden gemacht, vnd das Meer, vnd alles was drinnen ist, vnd rhuete am sibenden tage, darumb segnete der HERR den Sabbath tag, vnd heiligte jn.

Das fünfft Gebot.

Du solt dein Vater vnd deine Mutter ehren, auff daß du lang lebest im Land, das dir der HERR dein Gott gibt.

Das sechst Gebot.

Du solt nit tödten.

Digitized by Google

Das siebend Gebot.

Du solt nit Ehebrechen.

Das acht Gebot.

Du solt nit stelen.

Das neunde Gebot.

Du solt kein falsch zeugnuß reden wider dienen nechsten.

Das zehende Gebot.

Laß dich nit gelüsten deines nechsten Hauß, Laß dich nit gelüsten deines nechsten weibs, noch seines Knechts, noch seiner Magd, noch seines Ochsen, noch seines Esels, noch alles das dein nechster hat.

Das Christliche Gebet,

Welchs vns Christus selbst gelehret, vnser danckbarkeit fürnemlich damit gegen Gott zuerzeigen, vnd alle notdurfft Leibs vnd der Seelen von jhm zuerlangen.

Vnser Vater der du bist in himmeln.

Geheiliget werde dein Name.

Dein Reich komme.

Dein will geschehe, auff erden wie im himmel.

Vnser teglich brod gieb vns heut.

Vnd vergieb vns vnser schult, als wir vergeben vnsern schuldigern.

Vnd füre vns nicht in versuchung: sonder erlöse vns vom böesem.

Denn dein ist das Reich, vñ die krafft, vnd die herrligkeit in ewigkeit, Amen.

An den Christlichen Leser.

Was im ersten truck vbersehen, als fürnemlich folio 55. Ist jetzunder auß befelch Churfürstlicher Gnaden addiert worden.

1563.

Digitized by Google

# CATECHESIS

## SIVE

## BREVIS INSTITUTIO CHRISTIANAE DOCTRINAE

### QUO MODO ILLA IN ECCLESIIS ET SCHOLIS PALATINATUS TUM ELECTORALIS TUM DUCALIS TRADITUR.

---

*FRIDERICUS Dei gratia Palatinus Rheni, ac Sacri Imperii Romani Elector, Dux Bavariae, etc. omnibus quibus commissa est cura Ecclesiarum et Scholarum, quae sunt in Palatinatu, S. D.*

Postquam, quid nostri sit muneris, ex verbo *Dei*, atque ex natura ipsa cognovimus, nosque in eo, ipsi potissimum qui id nobis imposuit, Deo Opt. Max. parère oportere: statuimus ut nihil esset, in quo tam in universa vita laboraremus [1]), quam ut et nostrae conscientiae satisfaceremus, et nostrorum saluti, quantum in nobis esset, consuleremus.

Cum autem non satis esse existimaremus, nos ita consilio et ratione iustitiam administrare, ut nostrae fidei commissi populi [2]), ius et honestatem colentes, placide tranquilleque viverent, nisi eo etiam perducerentur [3]), ut Deum creatorem suum ac redemtorem ex verbo ipsius recte cognoscerent: (nam id unicum et firmum est fundamentum cum ceterarum virtutum, tum vel maxime omnis obedientiae et verae erga Deum pietatis) coepimus toto animo de ista re cogitare, nihil cupientes praetermittere, quod ad eam beatitudinem, tum parandam, tum conservandam pertineret [4]). Et si autem et ab iis, qui nos proxime antecesserunt, cognatis nostris Palatinis et Electoribus (quorum memoriam cum amore ac reverentia usurpamus) varia utiliter et pie instituta sunt, ad gloriam Dei illustrandam, et populum in officio retinendum: tamen ut ipsi in principio gubernationis nostrae experti sumus, non

---

1) *ut nihil esset, in quo tam in universa vita laboraremus*] Augusti: *nihil esse debere, in quo tota vita tam laboraremus.* 2) *fidei commissi populi*] Aug. *fidei commissus populus.* 3) *etiam perducerentur*] Augusti: *etiam placide tranquilleque viverent, nisi eo etiam perducerentur.* 4) *pertineret*] Augusti: *faceret.*

Digitized by Google

ea adhibita est diligentia in illis exequendis, et ad utilitatem publicam accommodandis, quam par fuerit [1]) in re tanta adhiberi. Quocirca minime mirum est, si ii, qui sperati erant fructus, percipi non potuerunt. His rebus permoti sumus, ut non solum, quae ab ipsis recte instituta essent, revocaremus ac restitueremus: verum etiam, ut quae minus firma essent, fulciremus: quae vero corrupta et depravata essent, ea [2]) emendaremus et corrigeremus. Iacebant Scholae, tenera iuventus negligebatur, nulla erat in religione Christiana certa et consentiens institutio. Itaque vel male, vel ad nullam certam normam, sed ad cuiusque arbitrium iuventus erudiebatur, vel omnino non informabatur, sed rudis prorsus et impolita relinquebatur. Ex quo, proh dolor [3]), cum alia infinita mala extiterunt, tum illud inprimis, ut aut vera religione non instructi, aut variis erroribus implicati, aut non necessariis quaestionibus onerati infeliciter cum summa inscitia adolescerent. Cum has tantas calamitates intueremur, et id quod res est cogitaremus, videlicet nec Ecclesiam, nec Rempublicam, atque adeo ne familias quidem constitui, nec ullum honestati aut disciplinae inter cives locum esse posse, nisi rudis iuventus a primis annis, una et consentienti voce ad veram sinceramque religionem instrueretur, assidueque in ea exercitaretur: rei necessitas fecit, ut huic malo, qua possemus ratione, quam celerrime occurreremus: ne in hac non postrema nostri muneris parte, debitum officium merito a nobis desiderari posset. Quapropter Theologis nostris, et quibus in nostra ditione praecipua Ecclesiarum cura est commendata, negotium dedimus, ut Catechesin religionis Christianae, ex verbo Dei, Germanice et Latine conscriberent, quo in posterum non iuventuti solum rectius prospiciatur: sed quo concionatores etiam et ludimagistri [4]), certam habeant et definitam formam, ad quam iuventutem in templis et scholis informent, ne pro suo arbitrio nova subinde instituant aut ea tradant quae verbo Dei non sint consentanea. Vestrum nunc porro erit, cum ob gloriam Dei, tum ob vestram, eorumque, qui et nostrae et vestrae fidei concrediti sunt, salutem, hanc Catechesin grato animo excipere, eam pueris, cum in Scholis, tum in Ecclesiis proponere, eorumque auribus et animis assidue ac diligenter inculcare, quo eam vita et factis paulatim exprimere assuescant. Quod si a vobis, ut et fides vestra et munus divinitus impositum postulat, praestitum fuerit: optimam spem habemus fore, ut Deus Opt. Max. per Christum nostri misertus, poenas quas meriti sumus remittat, et pro paterna sua bonitate vestros labores secundet: totique regioni benefaciat. Quod ut ab eo toto

---

1) *fuerit*] Augusti: *fuerat*. 2) *ea* om. Augusti. 3) *proh dolor*, om. Augusti. 4) *non iuventuti solum rectius prospiciatur: sed quo concionatores etiam et ludimagistri*] pro his Augusti habet verba sequentia: *et concionatores et ludi magistri*.

Digitized by Google

pectore contendimus, ita vos etiam atque etiam [1]) monemus, ut nostram de vobis spem magis magisque confirmare et augere studeatis.

## CATECHESIS RELIGIONIS CHRISTIANAE.

### I.

*Quae est unica tua consolatio in vita et in morte?*

Quod animo pariter et corpore [a]), sive vivam sive moriar [b]), non meus, sed fidissimi Domini et servatoris mei Iesu Christi sum proprius [c]), qui precioso sanguine suo, pro omnibus peccatis meis plenissime satisfaciens [d]), me ab omni potestate Diaboli liberavit [e]), meque ita conservat [f]), ut sine voluntate patris mei coelestis [2]), ne pilus quidem de méo capite possit cadere [g]): imo vero etiam omnia saluti meae servire oporteat [h]): Quocirca me quoque suo Spiritu de vita aeterna certum facit [i]), utque ipsi deinceps vivam promptum ac paratum reddit [k]).

*a*) 1 Corinth. 6, 19. 20. 1 Thessal. 5, 9. et 10. *b*) Rom. 14, 7. 8. 9. *c*) 1 Cor. 3, 22. 23. *d*) 1 Petr. 1, 18. 19. 1 Ioh. 1, 7. 1 Ioh. 2, 1. 2. *e*) 1 Ioh. 3, 8. Hebr. 2, 14. 15. *f*) Ioh. 6, 38. 39. 40. Ioh. 10, 27—30. *g*) Matth. 10, 29—31. Luc. 21, 18. 19. *h*) Rom. 8, 28. *i*) 2 Cor. 1, 21. 22. 2 Cor. 5, 5. Ephes. 1, 13. 14. Rom. 8, 15. 16. *k*) Rom. 8, 14.

### II.

*Quot sunt tibi scitu necessaria ut ista consolatione fruens, beate vivas et moriaris.*

Tria [a]). Primum, quanta sit peccati mei et miseriae meae magnitudo [b]). Secundum, quo pacto ab omni peccato et miseria liberer [c]). Tertium, quam gratiam Deo pro ea liberatione debeam [d]).

*a*) Luc. 24, 46. 47. 1 Cor. 6, 11. Tit. 3, 3—7. *b*) Ioh. 9, 41. *c*) Ioh. 17, 3. *d*) Eph. 5, 8. 9. 10. 11. Psal. 50, 14. 15. Psal. 116, 12. 13. Matth. 5, 10. 1 Petr. 2, 9. 10. Rom. 6, 11—14. Matth. 5, 16. 2 Timoth. 2, 15. 16.

## PRIMA PARS.
## DE HOMINIS MISERIA.

### III.

*Unde tuam miseriam cognoscis?*

Ex Lege Dei [a]).

*a*) Rom. 3, 20.

1) *atque etiam* om. Augusti. 2) *meque ita conservat, ut sine voluntate patris mei coelestis*] haec verba om. Augusti.

Digitized by Google

## IV.

*Quid a nobis postulat lex Dei?*

Id docet nos Christus summatim Matthaei 22: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota cogitatione tua, et ex omnibus viribus tuis. Istud est primum et maximum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum* [a]. *Ab istis duobus mandatis tota lex et Prophetae pendent.*

*a*) Luc. 10, 27. Deut. 6, 5.

## V.

*Num haec omnia perfecte servare potes?*

Minime [a]: Natura enim propensus sum ad odium Dei et proximi [b].

*a*) Rom. 3, 10. 12. 13. 23. 1 Ioh. 1, 8. 10. *b*) Rom. 8, 7. Eph. 2, 3. Tit. 3, 3.

## VI.

*Num ergo Deus hominem ita pravum et perversum condidit?*

Nequaquam [a]: Imo vero bonum et ad imaginem sui condidit eum [b], hoc est, vera iustitia et sanctitate praeditum, ut Deum creatorem suum recte cognosceret, ex animo diligeret, cum eo beatus in aeternum viveret, idque ad eum laudandum et celebrandum [c].

*a*) Gen. 1, 31. *b*) Gen. 1, 26. 27. Col. 3, 9. 10. Eph. 4, 24. *c*) 2 Cor. 3, 18.

## VII.

*Unde igitur existit haec naturae humanae pravitas?*

Ex lapsu et inobedientia primorum parentum Adami et Evae [a]. Hinc natura nostra ita est depravata, ut omnes in peccatis concipiamur et nascamur [b].

*a*) Gen. 3. Rom. 5, 12. 18. 19. *b*) Psal. 51, 7. Gen. 5, 3.

## VIII.

*An vero adeo corrupti sumus, ut ad bene agendum prorsus non simus idonei, et ad omne vitium proclives?*

Certe [a]: nisi per Spiritum sanctum regeneremur [b].

*a*) Gen. 6, 5. 6. Iob. 14, 4. et 15, 14. 15. 16. 35. Ies. 53, 6. *b*) Ioh. 3, 15.

## IX.

*An non igitur Deus homini iniuriam facit, qui ab eo in lege sua flagitat, quae praestare non queat?*

Minime [a]. Nam Deus hominem talem condiderat, ut ea praestare posset: verum homo, impulsore Diabolo, sua ipsius

Digitized by Google

contumacia, se et omnem posteritatem divinis illis donis orbavit [b]).

*a*) Ephes. 4, 24. Luc. 10, 30. *b*) Rom. 5, 12.

X.

*Num Deus hanc contumaciam et defectionem hominis dimittit impunitam?*

Imo vero horrendis modis irascitur [a]), tum ob innata nobis peccata, tum ob ea, quae ipsi committimus, eaque iustissimo iudicio praesentibus et aeternis suppliciis punit, quemadmodum ipse pronunciat: *Maledictus omnis qui non permanet in omnibus quae scripta sunt in libro legis, ut ea faciat* [b]).

*a*) Rom. 5, 12. Hebr. 9, 27. *b*) Deuter. 27, 26. Gal. 3, 10.

XI.

*An non igitur Deus etiam est misericors?*

Est ille quidem misericors [a]), verum ita ut etiam sit iustus [b]). Qua propter postulat eius iustitia, quod adversus summam Dei maiestatem commissum est, id quoque ut summis, hoc est, sempiternis cum animi tum corporis suppliciis luatur.

*a*) Exod. 34, 6. *b*) Exod. 20, 5. Psal. 5, 5. 6. 2 Cor. 6, 14. 15. 16.

## SECUNDA PARS.

## DE LIBERATIONE HOMINIS.

XII.

*Quoniam igitur iusto Dei iudicio, temporalibus et aeternis poenis obnoxii sumus: estne reliqua ulla ratio aut via, qua his poenis liberemur et Deo reconciliemur?*

Vult Deus iustitiae suae satisfieri [a]): quocirca necesse est, vel per nos, vel per alium satisfaciamus [b]).

*a*) Exod. 20, 5. *b*) Rom. 8, 3. 4.

XIII.

*Possumusne ipsi per nos satisfacere?*

Nulla ex parte: quin etiam debitum in singulos dies augemus [a]).

*a*) Iob. 9, 2. 3. et 15, 15. Matth. 6, 12.

XIV.

*Potestne ulla creaturarum in coelo vel in terra, quae tantum creatura sit, pro nobis satisfacere?*

Nulla: Nam principio non vult Deus, quod homo peccavit, id in ulla alia creatura plectere [a]). Deinde, nec potest quidem,

Digitized by Google

quod nihil nisi creatura sit, iram Dei adversus peccatum sustinere, et alios ab ea liberare [b]).

*a*) Heb. 2, 14—18. Psalm. 130, 3. *b*) Iob 4, 18. et 15, 15. 16. et 25, 5. 6.

## XV.

*Qualis ergo quaerendus est mediator et liberator?*

Qui verus quidem homo sit, ac perfecte iustus [a]), et tamen omnibus creaturis potentior, hoc est, qui simul etiam sit verus Deus [b]).

*a*) 1 Cor. 15, 21. 22. 25. 26. Ierem. 23, 6. et 33, 16. Ies. 53, 11. 2 Cor. 5, 14. 15. 16. *b*) Heb. 7, 15. 16. 17. Ies. 7, 14. Rom. 8, 3. 4.

## XVI.

*Cur necesse est, eum verum hominem, et quidem perfecte iustum esse?*

Quia iustitia Dei postulat, ut eadem natura humana, quae peccavit, ipsa pro peccato dependat [a]): qui vero ipse peccator esset, pro aliis dependere non posset [b]).

*a*) Rom. 5, 12—15. 1 Pet. 3, 18. Ies. 53, 3. 4. 5. *b*) Ierem. 33, 15.

## XVII.

*Quare oportet eum simul etiam vere Deum esse?*

Ut potentia suae divinitatis, onus irae divinae carne sua sustinere [a]), nobisque amissam iustitiam et vitam reparare ac restituere possit [b]).

*a*) Ies. 53, 8. Actor. 2, 24. 1 Petr. 3. 18. *b*) 1 Ioh. 1. 2. et 4, 9. Acto. 20, 28. Ioh. 3, 16.

## XVIII.

*Quis autem est ille Mediator, qui simul est vere Deus ac verus ac perfecte iustus homo?*

Dominus noster Iesus Christus [a]), qui factus est nobis sapientia a Deo, iustitia, sanctificatio et redemptio [b]).

*a*) Matth. 1, 23. et Ies. 7, 14. 1 Tim. 3, 16. Luc. 2, 11. Ioh. 14, 6. 1 Tim. 2. 5. *b*) 1 Cor. 1, 30.

## XIX.

*Unde id scis?*

Ex Evangelio, quod Deus primum in paradiso [a]) patefecit, ac deinceps per patriarchas et prophetas propagavit [b]): sacrificiis reliquisque ceremoniis legis adumbravit [c]): ad extremum vero per filium suum unigenitum complevit [d]).

*a*) Genes. 3, 15. *b*) Genes. 49, 10. 11. et 22, 18. et 26, 4. Rom. 1, 1—4. Hebr. 1, 1. 2. Actor. 3, 22. 23. 24. et 10, 43. *c*) Ioh.



Digitized by Google

5, 46. Hebr. 10, 7. *d*) Rom. 10, 4. Gal. 4, 4. 5. et 3, 24. 25. Hebr. 13, 8.

## XX.

*Num igitur omnibus hominibus qui in Adamo perierant, per Christum salus redditur?*

Non omnibus, verum iis tantum, qui vera fide ipsi inseruntur, eiusque beneficia amplectuntur [a]).

*a*) Ioh. 1, 12. 13. et 3, 36. Iesai. 53, 11. Psal. 2, 12. Roman. 11, 20. Hebr. 4, 2, 3. et 10, 39.

## XXI.

*Quid est fides?* [1])

Est non tantum notitia [2]), qua firmiter assentior omnibus, quae Deus nobis in verbo suo patefecit [a]), sed etiam certa fiducia [b]), a Spiritu sancto [c]) per Evangelium [d]) in corde meo accensa, qua in Deo acquiesco, certo statuens, non solum aliis, sed mihi quoque remissionem peccatorum, aeternam iustitiam et vitam donatam esse [e]) idque gratis, ex Dei misericordia, propter unius Christi meritum [f]).

*a*) Hebr. 11, 1—4. Iacob. 2, 19. 20. *b*) Rom. 4, 16. 17. 18. et 5, 1. et 10, 10. Luc. 1, 68. et 2, 14. 29. 30. *c*) Matth. 16, 17. Ioh. 3, 5. Gal. 5, 22. Phil. 1, 19. 29. *d*) Rom. 1, 16. et 10, 17. 1 Cor. 1, 21. Marc. 16, 15. 16. Act. 16, 14. *e*) Habac. 2, 4. et Rom. 1, 17. et Gal. 3, 11. et Hebr. 10, 38. Matth. 9, 2. Eph. 2, 7. 8. 9. Rom. 5, 1. *f*) Rom. 3, 24. 25. 26. Gal. 2, 16. Luc. 1, 70—78. Ioh. 20, 31. Actor. 10, 43.

## XXII.

*Quaenam sunt illa, quae necesse est hominem Christianum credere?*

Omnia, quae nobis in Evangelio promittuntur [a]), quorum summa in Symbolo Apostolico, seu in capitibus catholicae et indubitatae omnium Christianorum fidei, breviter comprehenditur.

*a*) Ioh. 20, 31. Matth. 28, 20.

## XXIII.

*Quod est illud Symbolum?*

*Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae. Et in Iesum Christum Filium eius unigenitum, Dominum nostrum, qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus, descendit ad inferna, tertio die resurrexit a mortuis, ascendit*

---

1) *Quid est fides?*] Augusti: *Quid est [vera] fides?* 2) *Est non tantum fiducia*] Augusti: *Est non tantum [certa] notitia;* Edit. Neostad. a. 1585: *Est non tantum certa fiducia.*

Digitized by Google

*ad coelos, sedet ad dextram Dei patris omnipotentis, inde venturus est iudicatum vivos et mortuos. Credo in Spiritum sanctum* [1]). *Credo sanctam Ecclesiam, Catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam aeternam.*

## XXIV.

### *In quot partes distribuitur hoc Symbolum?*

In tres partes. Prima est de aeterno Patre, et nostri creatione. Altera est de Filio et nostri redemtione. Tertia est de Spiritu sancto, et nostri sanctificatione.

## XXV.

### *Cum una sit tantum essentia divina* [a]*: cur tres istos nominas, Patrem, Filium et Spiritum sanctum?*

Quia Deus ita se in suo verbo patefecit [b]), quod tres hae distinctae personae sint unus ille, verus et aeternus Deus.

*a*) Deut. 6, 4. Ephes. 4, 5. 6. Ies. 44, 6. et 45, 5. 1 Cor. 8, 4. *b*) Ies. 61, 1. et Luc. 4, 18. Psal. 110, 1. Matth. 3, 16. 17. et 28, 19. Ioh. 14, 26. Ioh. 15, 26. 1 Ioh. 5, 7. Tit. 3, 5. 6. Eph. 2, 18. 2 Cor. 13, 13. Gal. 4, 6.

# DE PATRE.

## XXVI.

### *Quid credis cum dicis: Credo in Deum Patrem, omnipotentem, creatorem coeli et terrae?*

Credo aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, qui coelum et terram, cum omnibus, quae in iis sunt, ex nihilo creavit [a]), quique eadem aeterno suo consilio et providentia sustentat ac gubernat [b]): propter Christum Deum meum et patrem meum esse [c]): itaque sic ei confido, sic in eo acquiesco, ut non dubitem, quin provisurus sit omnibus, tum animo, tum corpori meo necessariis [d]). Quin etiam, quae mihi mala in hac aerumnosa vita immittit, ea in meam salutem sit conversurus [e]), cum et facere id possit, ut omnipotens Deus [f]), et facere id velit, ut benignus Pater [g]).

*a*) Psal. 33, 6. Gen. 1. et 2. Iob. 33, 4. et 38. et 39. Psal. 36. Actor. 4, 24. Exod. 20, 11. Actor. 14, 15. Esa. 45, 7. Ioh. 1, 3. *b*) Psal. 104, 2—5. et 115, 3. Matth. 10, 29. 30. Hebr. 1, 3. Rom. 11, 36. *c*) Ioh. 1, 12. Rom. 8, 15. Gal. 4, 5. 6. Eph. 1, 5. *d*) Psalm. 55, 23. Matth. 6, 26. Luc. 12, 22. 23. 24. *e*) Rom. 8, 28. *f*) Esai. 46, 4. Rom. 8, 38. 39. et 10, 12. *g*) Matth. 6. Matth. 7, 9. 10. 11.

---

1) *Credo in Spiritum sanctum*] haec verba om. Augusti.



Digitized by Google

## XXVII.

### *Quid est providentia Dei?*

Omnipotens et ubique praesens Dei vis [a]), qua coelum et terram, cum omnibus creaturis, tanquam manu sustinet ac gubernat [b]): ut quae terra nascuntur, pluvia item et siccitas, fertilitas et sterilitas, cibus et potus [c]), bona et adversa valetudo, divitiae et paupertas [d]), omnia denique non temere aut fortuito [e]), sed paterno eius consilio et voluntate contingant.

*a*) Matth. 17, 27. Actor. 17, 25. Psalm. 94, 9. 10. Ies. 29, 15. 16. Ezech. 8, 12. *b*) Hebr. 1, 2. 3. *c*) Ier. 5, 23. 24. Act. 14, 17. *d*) Ioh. 9, 3. *e*) Prov. 22, 2.

## XXVIII.

### *Quid nobis prodest haec cognitio creationis et providentiae divinae?*

Ut in adversis patientes [a]), in secundis grati simus [b]), in futurum vero optimam in Deo fidissimo Patre spem repositam habeamus [c]), certo scientes, nihil esse, quod nos ab eius amore abstrahat [d]), quandoquidem omnes creaturae ita sunt in eius potestate, ut sine eius arbitrio, non modo nihil agere sed ne moveri quidem possint [e]).

*a*) Rom. 5, 3. 4. Iac. 1, 3. Iob. 1, 21. 22. *b*) Deuter. 8, 10. 1 Thess. 5, 18. *c*) Rom. 5, 4. 5. 6. *d*) Rom. 8, 38. 39. *e*) Iob. 1, 12. et 2, 6. Prov. 21, 1. Actor. 17, 25–28.

# DE FILIO.

## XXIX.

### *Quare Filius Dei appellatur Iesus, hoc est, Salvator?*

Quia nos salvat ab omnibus peccatis nostris [a]): nec ulla salus aliunde peti debet, nec alibi reperiri potest [b]).

*a*) Matth. 1, 21. Hebr. 7, 24. 25. *b*) Act. 4, 11. 12.

## XXX.

### *Creduntne igitur illi in unicum Servatorem Iesum, qui a sanctis, aut a se, aut aliunde felicitatem aut salutem quaerunt?*

Non: Etsi enim verbo quidem eo Servatore gloriantur, re ipsa tamen abnegant unicum Servatorem Iesum [a]). Necesse est enim, aut Iesum non esse perfectum Servatorem, aut qui eum Servatorem fide amplectuntur vera, eos omnia in ipso possidere, quae ad salutem requiruntur [b]).

*a*) 1 Cor. 1, 13. 30. 31. Gal. 4, 5. *b*) Hebr. 12, 2. Ies. 9, 6. Coloss. 1, 19. 20. et 2, 10. Ioh. 1, 16. Ies. 43, 11. 25.

Digitized by Google

## XXXI.

*Quare appellatur Christus, hoc est, unctus?*

Quod a Patre ordinatus, et Spiritu Sancto unctus sit [a]) summus Propheta ac Doctor [b]), qui nobis arcanum consilium et omnem voluntatem Patris, de redemtione nostri patefecit [c]): et summus Pontifex [d]), qui nos unico sacrificio sui corporis redemit, assidueque pro nobis apud Patrem intercedit [e]): et Rex, qui nos suo verbo et Spiritu gubernat, et partam nobis salutem tuetur ac conservat [f]).

*a*) Psal. 45, 8. Hebr. 1, 9. Deut. 18, 15. et Act. 3, 22. et 7, 37. *b*) Ioh. 1, 18. et 15, 15. Matth. 11, 27. *c*) Psal. 110, 4. Hebr. 7, 21. et 10, 12. *d*) Rom. 8, 34. Rom. 5, 9. 10. *e*) Psal. 2, 6. Luc. 1, 33. *f*) Matth. 28, 18. Ioh. 10, 28.

## XXXII.

*Cur vero tu Christianus appellaris?*

Quod per fidem membrum sum Iesu Christi [a]), et unctionis ipsius particeps [b]), ut et nomen eius confitear [c]), meque sistam ipsi vivam gratitudinis hostiam [d]), et in hac vita, contra peccatum et Satanam, libera et bona conscientia pugnem [e]), et postea aeternum cum Christo regnum in omnes creaturas teneam [f]).

*a*) Acto. 1, 25. 26. 1 Cor. 6, 15. *b*) 1 Ioh. 2, 27. Ies. 59, 21. Ioel. 2, 28. et Act. 2, 17. *c*) Matth. 10, 32. 33. *d*) Rom. 12, 1. Apoc. 5, 8. 10. 1 Petr. 2, 9. et Exod. 19, 6. *e*) 1 Tim. 1, 18. 19. *f*) Matth. 25, 34. 2 Tim. 2, 12. Apoc. 1, 6.

## XXXIII.

*Quam ob causam Christus vocatur Filius Dei unigenitus, cum nos quoque simus filii Dei?*

Quia solus Christus est coaeternus, et naturalis aeterni Patris Filius [a]): nos autem propter eum, ex gratia, a Patre adoptati sumus [b]).

*a*) Ioh. 1, 14. 18. Hebr. 1, 1. 2. Ioh. 3, 16. 1 Ioh. 4, 9. *b*) Rom. 8, 15. 16. 17. Eph. 1, 5. 6. Ioh. 1, 12. 1 Ioh. 1, 3.

## XXXIV.

*Qua de causa appellas eum Dominum nostrum?*

Quia corpus et animam nostram a peccatis, non auro, nec argento, sed pretioso suo sanguine redimens, et ab omni potestate Diaboli liberans nos sibi proprios vindicavit [a]).

*a*) 1 Petr. 1, 18. 19. 1 Cor. 6, 20. et 7, 23. Ephes. 1, 7. 1 Tim. 2, 5. 6.

Digitized by Google

## XXXV.

*Quid credis cum dicis: Conceptus est per Spiritum Sanctum, natus ex Maria virgine?*

Quod ipse Filius Dei, qui est [a]), et permanet verus ac aeternus Deus [b]), naturam vere humanam ex carne et sanguine virginis Mariae [c]), operatione Spiritus Sancti assumpsit [d]), ut simul sit verum semen Davidis [e]), fratribus suis per omnia similis [f]), excepto peccato [g]).

*a*) Ioh. 1, 1. et 17, 3. 4. 5. Rom. 1, 3. 4. Col. 1, 15. 16. 17. Psal. 2, 7. 8. et Actor. 13, 33. et Hebr. 1, 5. et 5, 5. Matth. 3, 17. et 17, 5. et Marc. 1, 11. Matth. 16, 16. et Luc. 9, 20. *b*) Rom. 9, 5. Ies. 7, 14. et Matth. 1, 23. Ies. 9, 6. 1 Ioh. 5, 20. Ioh. 20, 28. *c*) Ioh. 1, 14. Gal. 4, 4. 5. *d*) Matth. 1, 18. 19. 20. Luc. 1, 35. *e*) Psalm. 132, 11. et 2 Sam. 7, 12. et Luc. 1, 32. Actor. 2, 30. 31. *f*) Phil. 2, 7. *g*) Hebr. 4, 15. et 7, 26. 27.

## XXXVI.

*Quem fructum percipis ex sancta conceptione et nativitate Christi?*

Quod is noster sit Mediator [a]), et sua innocentia, ac perfecta sanctitate, mea peccata, in quibus conceptus sum, tegat, ne in conspectum Dei veniant [b]).

*a*) Hebr. 2, 16. 17. 18. *b*) Psal. 32, 1. 1 Cor. 1, 30. Rom. 8, 3. 4. Gal. 4, 4. 5.

## XXXVII.

*Quid credis cum dicis: Passus est?*

Eum toto quidem vitae suae tempore, quo in terris egit, praecipue vero in eius extremo, iram Dei adversus peccatum universi generis humani, corpore et anima sustinuisse [a]): ut sua passione, tanquam unico sacrificio propitiatorio [b]), corpus et animam nostram ab aeterna damnatione liberaret, et nobis gratiam Dei, iustitiam ac vitam aeternam acquireret.

*a*) 1 Petr. 2, 24. 1 Petr. 3, 18. Ies. 53, 12. *b*) 1 Ioh. 2, 2. et 4, 10. Rom. 3, 25. 26.

## XXXVIII.

*Quid causae fuit, cur sub iudice Pilato pateretur?*

Ut innocens coram iudice politico damnatus [a]), nos a severo Dei iudicio, quod omnes manebat, eximeret [b]).

*a*) Luc. 23, 13. 14. 15. Ioh. 19, 4. *b*) Psal. 69, 5. Ies. 53, 4. 5. 2 Cor. 5, 21. Gal. 3, 13. 14.

## XXXIX.

*Est vero quiddam amplius, quod affixus sit cruci, quam si alio genere mortis affectus esset?*

Sane amplius: Ex hac enim re sum certus, eum maledictio-

Digitized by Google

nem, quae mihi incumbebat, in se recepisse: nam mors crucis a Deo erat maledicta [a]).

*a*) Deut. 21, 23. Gal. 3, 13. Gen. 2, 17.

## XL.

### *Cur necesse fuit, ut Christus ad mortem usque se demitteret?*

Propterea quod iustitiae et veritati *Dei* [a]) nullo alio pacto pro nostris peccatis potuit satisfieri, quam ipsa morte filii Dei [b]).

*a*) Hebr. 2, 9. 14. 15. *b*) Phil. 2, 8.

## XLI.

### *Quare etiam sepultus est?*

Ut eo testatum faceret, se vere mortuum esse [a]).

*a*) Act. 13, 29. Matth. 27, 59. 60. Luc. 23, 52. 53. Ioh. 19, 38—42.

## XLII.

### *At cum Christus pro nobis mortem oppetierit, cur nobis quoque moriendum est?*

Mors nostra non est pro peccatis nostris satisfactio, sed peccati abolitio, et transitus in vitam aeternam [a]).

*a*) Ioh. 5, 24. Phil. 1, 23. Rom. 7, 24. 25.

## XLIII.

### *Quid praeterea capimus commodi ex sacrificio et morte Christi?*

Quod virtute eius mortis vetus noster homo, una cum eo crucifigitur, interimitur, ac sepelitur [a]), ne pravae cupiditates et desideria carnis posthac in nobis regnent [b]), sed nos ipsos ei hostiam gratitudinis offeramus [c]).

*a*) Rom. 6, 6. 7. 8. 11. *b*) Rom. 6. 12. *c*) Rom. 12, 1.

## XLIV.

### *Cur additur: Descendit ad inferna?*

Ut in summis doloribus et gravissimis tentationibus, me consolatione hac sustentem, quod Dominus meus Iesus Christus inenarrabilibus animi sui angustiis, cruciatibus et terroribus, in quos cum antea, tum maxime in cruce pendens, fuerat demersus, me ab angustiis et cruciatibus inferni liberaverit [a]).

*a*) Ies. 53, 10. Matt. 27, 46.

## XLV.

### *Quid nobis prodest resurrectio Christi?*

Primum sua resurrectione mortem devicit, ut nos posset eius

Digitized by Google

iustitiae, quam nobis sua morte pepererat, participes facere [a]). Deinde, nos iam quoque eius potentia ad novam vitam excitamur [b]). Postremo, resurrectio capitis nostri Christi, nobis gloriosae resurrectionis nostrae pignus est [c]).

*a*) 1 Cor. 15, 16. 17. 18. 54. 55. Rom. 4, 25. 1 Petr. 1, 3. 4. 5. 21. *b*) Rom. 6, 4. Coloss. 3, 1—4. Eph. 2, 5. 6. *c*) 1 Cor. 15, 12. 13. 14. Rom. 8, 11.

## XLVI.

*Quomodo intelligis illud: Ascendit ad coelos?*

Quod aspicientibus discipulis, Christus de terra in coelum sublatus est [a]), atque etiamnum nostra causa ibidem est [b]), et erit, donec redeat ad iudicandum vivos et mortuos [c]).

*a*) Act. 1, 9. Marc. 16, 19. Luc. 24, 51. *b*) Hebr. 4, 14. et 7, 24. 25. et 9, 11. Rom. 8, 34. Eph. 4, 10. Coloss. 3, 1. 2. *c*) Act. 1, 11. Matth. 24, 30.

## XLVII.

*An ergo Christus non est nobiscum usque ad finem mundi, quemadmodum promisit [a])?*

Christus est verus Deus, et verus homo; itaque secundum naturam humanam, iam non est in terra [b]): at secundum divinitatem suam, maiestatem, gratiam et spiritum, nullo unquam tempore a nobis abest [c]).

*a*) Matth. 28, 20. *b*) Matth. 26, 11. Ioh. 16, 28. et Ioh. 17, 11. Actor. 3. 21. *c*) Ioh. 14, 16. 17. Ioh. 16, 13. Ephes. 4, 8. Augustin. tract. 50. in Ioan.

## XLVIII.

*An vero isto pacto duae naturae in Christo, non divelluntur, si non sit natura humana, ubicunque est divina?*

Minime: Nam cum divinitas comprehendi non queat, et omni loco praesens sit [a]), necessario consequitur, esse eam quidem extra naturam humanam, quam assumsit, sed nihilo minus tamen esse in eadem, eique personaliter unitam permanere [b]).

*a*) Ies. 66, 1. et Actor. 7, 49. Actor. 17, 27. 28. Ierem. 23, 23. 24. *b*) Coloss. 2, 9. Ioh. 3, 13. et 11, 15. Matth. 28, 6.

## XLIX.

*Quem fructum nobis adfert ascensio Christi in coelum?*

Primum quod in coelo apud patrem pro nobis intercedit [a]). Deinde quod carnem nostram in coelo habemus, ut eo tanquam certo pignore confirmemur, fore, ut ipse qui caput nostrum est, nos sua membra ad se extollat [b]). Tertio, quod nobis suum Spiritum mutui pignoris loco mittit [c]), cuius efficacia non terrena sed superna quaerimus, ubi ipse est ad dextram Dei sedens [d]).

*a*) 1 Ioh. 2, 1. Rom. 8, 34. *b*) Ioh. 14, 2. et 20, 17. Ephes. 2, 6.

Digitized by Google

c) Ioh. 14, 16. et 16, 7. 2 Cor. 1, 21. et 5, 5. d) Col. 3, 1. Phil. 3, 20. 21.

## L.

### *Cur additur: Sedet ad dextram Dei?*

Quia Christus ideo in coelum ascendit, ut se ibi caput suae Ecclesiae declaret [a]), per quod Pater omnia gubernat [b]).

a) Eph. 1, 20. 21. 22. 23. et 5, 23. Col. 1, 18. b) Matth. 28, 18. Ioh. 5, 22. 23.

## LI.

### *Quid nobis prodest haec gloria nostri capitis Christi?*

Primum, quod per Spiritum sanctum in nos sua membra, coelestia dona effundit [a]). Deinde, quod nos sua potentia contra omnes hostes protegit ac defendit [b]).

a) Eph. 4, 10. 11. 12. b) Psal. 2, 9. 110, 1. 2. Ioh. 10, 28. 29. Eph. 4, 8.

## LII.

### *Quid te consolatur reditus Christi ad iudicandum vivos et mortuos?*

Quod in omnibus miseriis et persecutionibus, erecto capite, eundem illum, qui se prius pro me iudicio dei statuit, et maledictionem omnem a me abstulit, iudicem e coelo exspecto [a]), qui omnes suos et meos hostes, in aeternas poenas abiiciat [b]); me vero cum omnibus electis ad se in coelestia gaudia, et sempiternam gloriam traducat [c]).

a) Luc. 21, 28. Rom. 8, 23. 24. Phil. 3, 20. 21. Tit. 2, 13. 2 Thess. 1, 6. 10. Matth. 25, 41. 42. 43. b) 1 Thess. 4, 16. 17. c) Matth. 25, 34. 35. 36.

# DE SPIRITU SANCTO.

## LIII.

### *Quid credis de Spiritu Sancto?*

Primum, quod sit verus et coaeternus Deus, cum aeterno Patre et Filio [a]): deinde, quod mihi quoque datus sit [b]), ut me per veram fidem, Christi et omnium eius beneficiorum participem faciat [c]), me consoletur [d]), et mecum in aeternum maneat [e]).

a) Gen. 1, 2. Ies. 48, 16. 1 Cor. 3, 6. et 6, 19. Act. 5, 3. 4. b) Matth. 28, 19. 20. 2 Cor. 1, 21. 22. c) Gal. 3, 14. 1 Petr. 1, 1. 2. 1 Cor. 6, 17. d) Act. 9, 31. e) Ioh. 14, 16. 1 Petr. 4, 14.

## LIV.

### *Quid credis de sancta et catholica Christi Ecclesia?*

Credo Filium Dei [a]), ab initio mundi ad finem usque [b]), sibi ex universo genere humano [c]) coetum ad vitam aeternam electum [d]),

Digitized by Google

per Spiritum suum et verbum [e]), in vera fide consentientem [f]), colligere, tueri, ac servare [g]): meque vivum eius coetus membrum esse [h]), et perpetuo mansurum [i]).

*a*) Ioh. 10, 11. *b*) Gen. 26, 4. *c*) Rom. 8, 29. 30. Eph. 1, 10. 11. 12. 13. 1 Petr. 1, 20. 21. *d*) Ies. 59, 21. Rom. 1, 16. et 10, 14. 15. 16. 17. Eph. 5, 26. *e*) Act. 2, 42. Eph. 4, 3. 4. 5. 6. *f*) Matth. 16, 18. Ioh. 10, 28. 29. *g*) 1 Ioh. 3, 21. 2 Cor. 13, 5. *h*) 1 Ioh. 2, 19. *i*) 1 Cor. 1, 8. 9. Rom. 8, 35, 36. 37. Psalm. 71, 9. 18.

## LV.

### *Quid sibi vult Communio Sanctorum?*

Primum, quod universi et singuli credentes, Christi et omnium eius bonorum, tamquam ipsius membra communionem habeant [a]). Deinde, quod singuli, quae acceperunt dona, in commune commodum et universorum salutem prompte et alacriter conferre debeant [b]).

*a*) 1 Ioh. 1, 3. Rom. 8, 32. 1 Cor. 12, 12. 13. 21. 1 Cor. 6, 17. *b*) 1 Cor. 13, 5. 6. Phil. 2, 4. 5. 6.

## LVI.

### *Quid credis de remissione peccatorum?*

Deum propter satisfactionem Christi [a]), meorum peccatorum, atque illius etiam pravitatis, cum qua mihi per omnem vitam puguandum est [b]), memoriam omnem deposuisse, et me iustitia Christi gratis donare, ne unquam in iudicium veniam [c]).

*a*) 1 Ioh. 2, 2. 2 Cor. 5, 19. 21. *b*) Ierem. 31, 34. Psalm. 103, 3. 4. 10. 12. Rom. 7, 24. 25. et 8, 1—4. *c*) Ioh. 3, 18.

## LVII.

### *Quid te consolatur Resurrectio carnis?*

Quod non tantum anima mea, postquam e corpore excesserit, e vestigio ad Christum suum caput assumetur [a]): verum quod haec quoque caro mea, potentia Christi excitata, rursus animae meae unietur, et glorioso Christi corpori conformabitur [b]).

*a*) Luc. 23, 43. Phil. 1, 21. 22. 23. *b*) 1 Cor. 15, 53. 54. Iob. 19, 25. 26. 27. 1 Ioh. 3, 2. Phil. 3, 21.

## LVIII.

### *Quam consolationem capis ex articulo de vita aeterna?*

Quod, quoniam in praesentia vitae aeternae initia in meo corde praesentisco [a]), futurum sit, ut post hanc vitam plena perfectaque beatitudine potiar, in qua Deum in aeternum celebrem [b]): quam quidem beatitudinem nec oculus vidit, nec auris audivit, nec ullus homo cogitatione comprehendit [c]).

*a*) 2 Cor. 5, 2. 3. *b*) 1 Cor. 2, 9. *c*) Ioh. 17, 3.

Digitized by Google

## LIX.

*At cum haec omnia credis, quid utilitatis inde ad te redit?*

Quod in Christo iustus sum coram Deo, et haeres vitae aeternae [a]).

*a*) Hab. 2, 4. Rom. 1, 17. Ioh. 3, 36.

## LX.

*Quomodo iustus es coram Deo?*

Sola fide in Iesum Christum [a]), adeo ut licet mea me conscientia accuset, quod adversus omnia mandata Dei graviter peccaverim, nec ullum eorum servaverim [b]), adhaec etiamnum ad omne malum propensus sim [c]), nihilominus tamen, (modo haec beneficia vera animi fiducia amplectar [d])), sine ullo meo merito [e]), ex mera Dei misericordia [f]), mihi perfecta satisfactio [g]), iustitia et sanctitas Christi [h]), imputetur ac donetur [i]); perinde ac si nec ullum ipse peccatum admisissem, nec ulla mihi labes inhaereret: imo vero quasi eam obedientiam, quam pro me Christus praestitit, ipse perfecte praestitissem [k]).

*a*) Rom. 3, 21—28. et 5, 1. 2. Gal. 2, 16. Ephes. 2, 8. 9. Phil. 3, 9. *b*) Rom. 3, 9. *c*) Rom. 7, 23. *d*) Rom. 3, 22. Ioh. 3, 18. *e*) Rom. 3, 24. Deut. 9, 6. Ezech. 36, 22. *f*) Tit. 3, 5. Eph. 2, 8. 9. *g*) 1 Ioh. 2, 2. *h*) 1 Ioh. 2, 1. *i*) Rom. 4, 4. 5. 2 Cor. 5, 19. 2 Cor. 5, 21.

## LXI.

*Cur sola fide te iustum esse affirmas?*

Non quod dignitate meae fidei Deo placeam, sed quod sola satisfactio, iustitia ac sanctitas Christi, mea iustitia sit coram Deo [a]). Ego vero eam non alia ratione, quam fide amplecti, et mihi applicare queam [b]).

*a*) 1 Cor. 1, 30. 31. et 2, 2. *b*) 1 Ioh. 5, 10. 11.

## LXII.

*Cur nostra bona opera non possunt esse iustitia, vel pars aliqua iustitiae coram Deo?*

Propterea quod oporteat eam iustitiam, quae in iudicio Dei consistat, perfecte absolutam esse, et omni ex parte divinae legi congruentem [a]): nostra vero etiam praestantissima quaeque opera, in hac vita sunt imperfecta, atque adeo peccatis inquinata [b]).

*a*) Gal. 3, 10. Deut. 27, 26. *b*) Ies. 64, 6.

## LXIII.

*Quomodo bona opera nostra nihil promereantur, cum Deus et in praesenti et in futura vita mercedem pro his se daturum promittat?*

Merces ea non datur ex merito, sed ex gratia [a]).

*a*) Luc. 17, 10.

Digitized by Google

## LXIV.

*An autem haec doctrina non reddit homines securos et prophanos?*

Non: neque enim fieri potest, quin ii qui Christo per fidem insiti sunt, fructus proferant gratitudinis [a]).

*a*) Matth. 7, 18. Ioh. 15, 5.

# DE SACRAMENTIS.

## LXV.

*Quoniam igitur sola fides nos Christi atque omnium eius beneficiorum participes facit: unde haec fides proficiscitur?*

A Spiritu Sancto, qui eam per praedicationem Evangelii in cordibus nostris accendit [a]), et per usum Sacramentorum confirmat [b]).

*a*) Eph. 2, 8. 9. Eph. 3, 23. Ioh. 3, 5. Phil. 1, 29. *b*) Matth. 28, 19. 20. 1 Petr. 1, 22. 23.

## LXVI.

*Quid sunt Sacramenta?*

Sunt Sacra et in oculos incurrentia signa, ac sigilla, ob eam causam a Deo instituta, ut per ea nobis promissionem Evangelii magis declaret et obsignet: quod scilicet non universis tantum, verum etiam singulis credentibus, propter unicum illud Christi sacrificium in cruce peractum, gratis donet remissionem peccatorum, et vitam aeternam [a]).

*a*) Gen. 17, 11. Rom. 4, 11. Deut. 30, 6. Lev. 6, 25. Hebr. 9, 8. 9. 24. Ezech. 20, 12. 1 Sam. 17, 36. Ies. 6, 6. 7. et 54, 9.

## LXVII.

*Num utraque igitur, et verbum et Sacramenta eo spectant, ut fidem nostram ad sacrificium Christi in cruce peractum, tanquam ad unicum nostrae salutis fundamentum deducant?*

Ita est. Nam Spiritus sanctus docet Evangelio, et confirmat Sacramentis, omnem nostram salutem positam esse in unico sacrificio Christi, pro nobis in cruce oblati [a]).

*a*) Rom. 6, 3. Gal. 3, 26. 27.

## LXVIII.

*Quot Sacramenta instituit Christus in novo foedere?*

Duo, Baptismum et sacram Coenam.

Digitized by Google

## DE BAPTISMO.

### LXIX.

*Qua ratione in Baptismo admoneris et confirmaris, te unici illius sacrificii Christi participem esse?*

Quod Christus externum aquae lavacrum mandavit [a]), addita hac promissione [b]), me non minus certo, ipsius sanguine et Spiritu a sordibus animae, hoc est, ab omnibus meis peccatis lavari: quam aqua extrinsecus ablutus sum [c]), qua sordes corporis expurgari solent.

*a*) Matth. 28, 19. 20. Act. 2, 38. *b*) Matth. 3, 11. Marc. 16, 16. Rom. 6, 3. 4. *c*) Marc. 1, 4. Luc. 3, 3.

### LXX.

*Quid est sanguine et Spiritu Christi ablui?*

Est accipere a Deo remissionem peccatorum gratis, propter sanguinem Christi, quem is pro nobis in suo sacrificio in cruce profudit [a]). Deinde etiam per Spiritum sanctum renovari, et ipso sanctificante membrum Christi fieri, quo magis ac magis peccatis moriamur, et sancte inculpateque vivamus [b]).

*a*) Hebr. 12, 24. 1 Petr. 1, 1. 2. Apoc. 1, 5. et 22, 14. Zachar. 13, 1. Ezech. 36, 25. 26. 27. *b*) Ioh. 1, 33. et 3. 5. 1 Cor. 6, 11. et 12, 13. Rom. 6, 4. Col. 2, 11. 12.

### LXXI.

*Ubi promisit Christus, se nos tam certo sanguine et Spiritu suo abluturum, quam aqua Baptismi abluti sumus?*

In institutione Baptismi, cuius haec sunt verba: *Ite et docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* [a]): *Qui crediderit et baptizatus fuerit, servabitur: qui non crediderit, condemnabitur* [b]). Haec promissio repetitur, cum scriptura Baptismum nominat *lavacrum regenerationis* [c]), et *ablutionem peccatorum* [d]).

*a*) Matth. 28, 19. *b*) Marc. 16, 16. *c*) Tit. 3, 5. *d*) Act. 22, 16.

### LXXII.

*Estne ergo externus Baptismus aquae, ipsa peccatorum ablutio?*

Non est [a]): Nam solus sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato [b]).

*a*) Matth. 3, 11. *b*) 1 Petr. 3, 21. Ephes. 5, 26. 27. 1 Ioh. 1, 7. 1 Cor. 6, 11.

Digitized by Google

## LXXIII.

*Cur ergo Spiritus sanctus Baptismum appellat lavacrum regenerationis et ablutionem peccatorum?*

Deus non sine gravi causa sic loquitur, videlicet non solum ut nos doceat, quemadmodum sordes corporis aqua purgantur, sic peccata nostra sanguine et Spiritu Christi expiari [a]): verum multo magis, ut nobis hoc divino symbolo ac pignore certum faciat, nos non minus vere a peccatis nostris interna lotione ablui, quam externa et visibili aqua abluti sumus [b]) [1]).

*a*) Apoc. 1, 5. et 7, 14. 1 Corinth. 6, 11. *b*) Marc. 16, 16. Gal. 3, 17.

## LXXIV.

*Suntne etiam infantes baptizandi?*

Omnino. Nam cum aeque ac adulti ad foedus et Ecclesiam Dei pertineant [a]): cumque eis per sanguinem Christi, remissio peccatorum [b]), et Spiritus sanctus fidei effector, non minus quam adultis promittatur [c]): per Baptismum Ecclesiae Dei inserendi sunt, et ab infidelium liberis discernendi [d]), itidem ut in Veteri foedere, per *circumcisionem* fiebat [e]), cui in Novo foedere substitutus est Baptismus [f]).

*a*) Gen. 17, 7. *b*) Matth. 19, 14. *c*) Luc. 1, 14. 15. Psal. 22, 11. Ies. 44, 1. 2. 3. Act. 2, 39. *d*) Act. 10, 47. *e*) Gen. 17, 14. *f*) Col. 2, 11, 12. 13.

# DE COENA DOMINI.

## LXXV.

*Qua ratione in Coena Domini admoneris et confirmaris, te unici illius sacrificii Christi in cruce oblati, atque omnium eius bonorum participem esse?*

Quod Christus me atque omnes fideles de hoc fracto pane edere, et de poculo distributo bibere iussit, in sui memoriam, addita hac promissione [a]): Primum corpus suum non minus certo pro me in cruce oblatum ac fractum, et sanguinem suum pro me fusum esse: quam oculis cerno, panem Domini mihi frangi, et poculum mihi communicari. Deinde animam meam non minus certo ipsius corpore, quod pro nobis crucifixum, et sanguine qui pro nobis fusus est, ad vitam aeternam ab ipso pasci: quam panem et vinum, Symbola corporis et sanguinis Domini, e manu ministri accepta, ore corporis percipio.

*a*) Matth. 26, 26. 27. 28. Marc. 14, 22. 23. 24. Luc. 22, 19. 20. 1 Cor. 10, 16. 17. et 11, 23. 24. 25. et 12, 13.

---

1) *lotione ablui, quam ..... sumus*] pro his legimus in edit. Augusti tantummodo verba haec: *et visibili aqua abluti sumus.*

Digitized by Google

## LXXVI.

*Quid est crucifixum corpus Christi edere, et fusum eius sanguinem bibere?*

Est non tantum totam passionem et mortem Christi certa animi fiducia amplecti, ac per id remissionem peccatorum et vitam aeternam adipisci [a]: sed etiam per Spiritum sanctum, qui simul in Christo et in nobis habitat, ita sacrosancto eius corpori magis ac magis uniri [b], ut quamvis ipse in coelo [c], nos vero in terra simus, nihilominus tamen caro simus de carne eius et os de ossibus eius [d]: utque omnia corporis membra ab una anima, sic nos uno eodemque Spiritu vivificemur et gubernemur [e].

*a*) Ioh. 6, 35. 40. 47. 48. 50. 51. 53. 54. *b*) Ioh. 6, 55. 56. *c*) Act. 3, 21. et 1, 9. 10. 11. 1 Cor. 11, 26. *d*) Eph. 3, 16. 17. 5, 29. 30. 1 Corinth. 6, 15. 17. 19. 1 Ioh. 3, 24. et 4, 13. Ioh. 14, 23. *e*) Ioh. 6, 56. 57. 58. et 15, 1. 2. 3. 4. 5. 6. Eph. 4, 15. 16.

## LXXVII.

*Quo loco promisit Christus, sé credentibus tam certo corpus et sanguinem suum sic edendum et bibendum daturum, quam fractum hunc panem edunt, et poculum hoc bibunt?*

In institutione Coenae, cuius haec sunt verba [a]: *Dominus noster Iesus Christus, ea nocte qua proditus est, accepit panem: et gratiis actis, fregit ac dixit: accipite, (comedite,) hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur: hoc facite in mei recordationem. Itidem et poculum, postquam coenassent, dicens: hoc poculum est novum foedus per meum sanguinem* [b]*: Hoc facite, quotiescunque biberitis, in mei recordationem* [c]*. Quotiescumque enim ederitis panem hunc, et poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate, donec venerit.* Haec promissio a Paulo repetitur, cum inquit: *Poculum gratiarum actionis, pro gratias agimus, nonne communio est sanguinis Christi? Panis, quem frangimus, nonne communio est corporis Christi? quoniam unus panis, unum corpus multi sumus: Nam omnes unius panis participes sumus* [d].

*a*) 1 Corinth. 11, 23. 24. 25. Matth. 26, 26. 27. 28. Marc. 14, 22. 23. 24. Luc. 22, 19. 20. *b*) Exod. 24, 8. Hebr. 9, 20. *c*) Exod. 13, 9. *d*) 1 Cor. 10, 16. 17.

## LXXVIII.

*Num ergo panis et vinum fiunt ipsum corpus et sanguis Christi?*

Nequaquam: verum, ut aqua Baptismi in sanguinem Christi non convertitur, nec est ipsa peccatorum ablutio, sed Symbolum tantum et pignus earum rerum, quae nobis in Baptismo obsignantur: ita nec panis coenae Dominicae, est ipsum corpus Christi [a]: quanquam pro ratione Sacramentorum, et usitata Spiritui Sancto de his loquendi forma [b], panis *Christi corpus* appellatur [c].

Digitized by Google

*a*) Matth. 26, 29. Marc. 14, 24. *b*) 1 Cor. 10, 16. 17. et 11, 26. 27. 28. *c*) Gen. 17, 10. 11. 14. 19. Exod. 12, 26. 27. 43. 48. et 13, 9. Actor. 7, 8. Exod. 24, 8. Lev. 16, 10. et 17, 11. Ies. 6, 6. 7. Tit. 3, 5. Actor. 22, 16. 1 Petr. 3, 21. 1 Cor. 10, 1—4.

## LXXIX.

*Cur ergo Christus panem appellat suum corpus, calicem vero suum sanguinem, seu novum foedus per suum sanguinem: Paulus item panem et vinum, communionem corporis et sanguinis Christi?*

Christus non sine gravi causa sic loquitur: videlicet, non solum ut nos doceat, quemadmodum panis et vinum corporis vitam sustentant: sic etiam crucifixum suum corpus et effusum suum sanguinem, vere esse animae nostrae cibum ac potum, quo ad vitam aeternam nutriatur [a]): Verum multo magis, ut hoc visibili signo ac pignore nobis certum faciat, nos non minus vere, corporis et sanguinis sui, per operationem Spiritus sancti, participes esse, quam sacra ista Symbola, in eius memoriam, ore corporis percipimus [b]): Tum etiam, quod eius passio et obedientia, tam certo nostra sit, quam si ipsimet pro nostris peccatis poenas dedissemus, et Deo satisfecissemus.

*a*) Ioh. 6, 51. 55. 56. *b*) 1 Cor. 10, 16. 17.

## LXXX.

*Quid interest inter Coenam Domini, et Missam Papisticam?*

Coena Domini nobis testatur, nos perfectam remissionem omnium nostrorum peccatorum habere, propter unicum illud Christi sacrificium, quod ipsemet semel in cruce peregit [a]): tum etiam nos per Spiritum sanctum inseri Christo [b]), qui iam secundum naturam suam humanam tantum in coelis est ad dexteram Patris [c]), ibique vult a nobis adorari [d]).

In Missa autem negatur, vivos et mortuos habere remissionem peccatorum, propter unicam Christi passionem, nisi etiamnum quotidie Christus pro ipsis a Sacrificulis offeratur: tum etiam docetur, Christum corporaliter sub speciebus Panis et Vini esse ideoque in illis adorandum esse [e]). Atque ita ipsum Missae fundamentum, nihil aliud est, quam abnegatio unici illius sacrificii et passionis Iesu Christi, et execranda idololatria.

*a*) Hebr. 7, 26. 27. et 9, 12. 25—28. et 10, 10. 12. 13. 14. Ioh. 19, 30. Matth. 26, 28. Luc. 22, 19. 20. *b*) 1 Cor. 6, 17. et 10, 16. 17. et 12, 13. *c*) Hebr. 1, 3. et 8, 1. 2. *d*) Ioh. 4, 21—24. et 20, 17. Luc. 24, 52. 53. Act. 7, 55. 56. Coloss. 3, 1. Phil. 3, 20. 21. 1 Thess. 1, 9. 10. *e*) In canone Missae. Item de consecratione. distinct. 2.

## LXXXI.

*Quibus accedendum est ad mensam Domini?*

Tantum iis, qui vere dolent, se suis peccatis Deum offendisse: confidunt autem sibi ea propter Christum remissa esse: et

Digitized by Google

quas reliquas habent infirmitates, eas passione et morte illius obtectas esse, quique desiderant magis ac magis in fide et integritate vitae proficere. Hypocritae autem, et qui non vere resipiscunt, damnationem sibi edunt et bibunt a).

a) 1 Cor. 10, 19. 20. 21. 22. et 11, 28.

## LXXXII.

*Suntne illi etiam ad hanc Coenam admittendi, qui confessione et vita, se infideles et impios esse declarant?*

Nequaquam: Nam eo pacto foedus Dei profanatur, et ira Dei in universum coetum concitatur a). Quocirca Ecclesia, ex praescripto Christi et Apostolorum, hos, clavibus regni coelorum utens, a coena arcere debet, quoad resipuerint, et mores mutaverint.

a) 1 Cor. 11, 20. 34. Ies. 1, 11—15. et 66, 3. Ier. 7, 21. 22. 23. Psal. 50, 15. 23.

## LXXXIII.

*Quid sunt claves regni coelorum?*

Praedicatio evangelii, et Ecclesiastica disciplina: quibus coelum credentibus aperitur: infidelibus autem clauditur a).

a) Matth. 16, 18. 19. et 18, 18.

## LXXXIV.

*Quo pacto aperitur et clauditur regnum coelorum praedicatione Evangelii?*

Cum ex mandato Christi credentibus universis et singulis, publice annunciatur, omnia peccata ipsis divinitus propter meritum Christi condonari, quoties promissionem evangelii vera fide amplectuntur: contra vero omnibus infidelibus et hypocritis denuntiatur, tantisper ipsis iram Dei et aeternam condemnationem incumbere, dum in suis sceleribus perseverant a): secundum quod Evangelii testimonium, Deus tam in praesenti, quam in futura vita iudicaturus est.

a) Ioh. 20, 21. 22. 23. Matth. 16, 19.

## LXXXV.

*Quo pacto clauditur et aperitur regnum coelorum per disciplinam Ecclesiasticam?*

Cum ex mandato Christi, ii qui nomine quidem sunt Christiani, verum doctrina aut vita se ostendunt a Christo alienos a), postquam aliquoties fraterne admoniti, ab erroribus aut flagitiis discedere nolunt, Ecclesiae indicantur, aut iis, qui ab Ecclesia ad eam rem sunt constituti, ac si ne horum quidem admonitioni pareant: ab iisdem interdictione Sacramentorum, ex coetu Eccle-



Digitized by Google

siae, et ab ipso Deo, ex regno Christi excluduntur: ac rursum, si emendationem profiteantur, et reipsa declarent, tanquam Christi et Ecclesiae membra recipiuntur [b]).

*a*) Rom. 12, 7. 8. 9. 1 Cor. 12, 28. *b*) Matth. 18, 15. 16. 17. 1 Tim. 5, 17. 2 Thess. 3, 14. 15. 2 Ioh. 2, 10. 11. 1 Cor. 5, 3. 4. 5. 2 Cor. 2, 6—11.

## TERTIA PARS.

## DE GRATITUDINE.

### LXXXVI.

*Cum ab omnibus peccatis et miseriis, sine ullo nostro merito, sola Dei misericordia, propter Christum liberati simus, quid est cur bona opera faciamus?*

Quia postquam nos Christus suo sanguine redemit, renovat nos quoque suo Spiritu ad imaginem sui, ut tantis beneficiis affecti, in omni vita nos erga Deum gratos declaremus [a]), et ipse per nos celebretur [b]). Deinde, ut nos quoque ex fructibus, de sua quisque fide certi simus [c]). Postremo, ut vitae nostrae integritate alios Christo lucrifaciamus [d]).

*a*) Rom. 6, 13. 12, 1. 2. 1 Petr. 2, 5. 9. 10. 1 Cor. 6, 19. 20. *b*) Matth. 5, 16. 1 Petr. 2, 11. 12. *c*) 2 Petr. 1, 10. 11. Matth. 7, 17. 18. Gal. 5, 5. 6. 22—25. *d*) 1 Petr. 3, 1. 2. Matth. 5, 16. Rom. 14, 19.

### LXXXVII.

*Non possunt igitur illi servari, qui ingrati, et in peccatis secure persistentes, a sua pravitate ad Deum non convertuntur?*

Nullo modo. Nam, ut scriptura testatur, nec impudici, nec idololatrae, nec adulteri, nec fures, nec avari, nec ebriosi, nec convitiatores, nec raptores, haereditatem regni Dei consequentur [a]).

*a*) 1 Cor. 6, 9. 10. Eph. 5, 5. 6. 1 Ioh. 3, 14. 15.

### LXXXVIII.

*Quibus partibus constat conversio hominis ad Deum?*

Mortificatione veteris [a]), et vivificatione novi hominis.

*a*) Rom. 6, 4. 5. 6. Eph. 4, 22. 23. 24. Col. 3, 5. 6. 7. 8. 9. 10. 1 Cor. 5, 7. 2 Cor. 7, 11.

### LXXXIX.

*Quid est mortificatio veteris hominis?*

Vere et ex animo dolere, quod peccatis tuis Deum offenderis, eaque magis ac magis odisse et fugere [a]).

*a*) Rom. 8, 13. Ioel. 2, 13. Hos. 5, 15. et 6, 1.

Digitized by Google

## XC.

*Quid est vivificatio novi hominis?*

Vera laetitia in Deo per Christum [a]), et serium ac promptum studium instituendi vitam ex voluntate Dei, omniaque bona opera exercendi [b]).

*a*) Rom. 5, 1. et 14, 17. Ies. 57, 15. *b*) Rom. 6, 10. 11. Gal. 2, 19. 20.

## XCI.

*Quae sunt bona opera?*

Tantum ea, quae ex vera fide [a]), secundum legem Dei fiunt [b]), et ad eius solius gloriam referuntur [c]): non ea autem quae a nobis opinione recti conficta, aut ab hominibus tradita sunt [d]).

*a*) Rom. 14, 23. *b*) 1 Sam. 15, 22. Eph. 2, 10. *c*) 1 Cor. 10, 31. *d*) Deut. 11, 32. Ezech. 20, 18. 19. Ies. 29, 13. 14. Matth. 15, 7. 8. 9.

## XCII.

*Quae est Lex Dei?*

Loquutus est Deus omnia verba haec [a]):

*a*) Deut. 5, 4. 5. Exod. 20, 1.

Primum praeceptum.

*Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Aegypto, domo servitutis. Non habebis Deos alienos in conspectu meo* [b]).

*b*) Exod. 20, 2. 3. Deut. 5, 6. 7.

Secundum (praeceptum).

*Ne sculpas tibi simulacrum, nec ullam imaginem effingas eorum, quae aut supra sunt in coelo, aut infra in terra, aut in aquis sub terra: neque incurves te illis, neque colas ea. Ego enim sum Dominus, Deus tuus, fortis, Zelotes, vindicans peccata patrum in filiis, idque in tertia et quarta progenie eorum qui oderunt me: et misericordia utens in millesimam eorum, qui diligunt me, et observant praecepta mea* [c]).

*c*) Exod. 20, 4. 5. 6. Deut. 5, 8. 9. 10.

Tertium (praeceptum).

*Ne usurpes nomen Domini Dei tui temere. Neque enim Dominus dimittet eum impunitum, qui nomen eius vane usurpaverit* [d]).

*d*) Exod. 20, 7. Deut. 5, 11.

Quartum (praeceptum).

*Memento ut diem Sabbathi sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omne opus tuum: At septimo die Sabbathum erit*



Digitized by Google

*Domino Deo tuo. Non facies ullum opus, nec tu, nec filius tuus, nec filia tua, nec servus tuus, nec ancilla tua, nec iumentum tuum, nec advena, qui est intra portas tuas. Nam sex diebus fecit Deus coelum, terram, mare, et quaecunque in iis sunt, et requievit die septimo, ideoque benedixit diei Sabbathi, et sanctificavit eum* [e]).

e) Exod. 20, 8—11. Deut. 5, 12—15.

Quintum (praeceptum).

*Honora Patrem tuum et Matrem tuam, ut diu vivas in terra, quam tibi Dominus Deus tuus daturus est* [f]).

f) Exod. 20, 12. Deut. 5, 16.

Sextum (praeceptum).

*Non occides* [g]).

g) Exod. 20, 13. Deut. 5, 17.

Septimum (praeceptum).

*Non committes adulterium* [h]).

h) Exod. 20, 14. Deut. 5, 18.

Octavum (praeceptum).

*Non furaberis* [i]),

i) Exod. 20, 15. Deut. 5, 19.

Nonum (praeceptum).

*Non dices contra proximum tuum falsum testimonium* [k]).

k) Exod. 20, 16. Deut. 5, 20.

Decimum (praeceptum).

*Non concupisces domum proximi tui, nec concupisces uxorem proximi tui, nec servum eius, nec ancillam, nec bovem, nec asinum, nec quicquam eorum, quae sunt proximi tui* [l]).

l) Exod. 20, 17. Deut. 5, 21.

## XCIII.

### *Quomodo dividuntur haec praecepta?*

In duas tabulas [a]), quarum prior quatuor praeceptis tradit, quo pacto nos erga Deum geramus: Posterior sex praeceptis, quae officia proximo debeamus [b]).

a) Exod. 34, 28. Deut. 4, 13. Deuter. 10, 3. 4. b) Matth. 22, 37—40.

Digitized by Google

## XCIV.

### *Quid postulat Deus in primo praecepto?*

Ut, quam mihi chara est salus animae meae, tam studiose vitem et fugiam omnem idololatriam [a]), magiam, incantationem, superstitionem [b]), invocationem sanctorum, aut caeterarum creaturarum [c]): unicum autem et verum Deum recte agnoscam [d]), ipsi soli fidam [e]), summa humilitate [f]), ac patientia me illi subiiciam [g]), ab eo solo omnia bona exspectem [h]); denique intimo cordis affectu ipsum amem [i]), reverear [k]), venerer [l]), adeo ut omnibus potius creaturis renunciem, quam ut vel minimum contra eius voluntatem committam [m]).

*a*) 1 Cor. 6, 9. 10. et 10, 7. 14. *b*) Lev. 19, 31. Deut. 18, 10. 11. 12. *c*) Matth. 4, 10. Apoc. 19, 10. et 22, 8. 9. *d*) Ioh. 17, 3. *e*) Ier. 17, 5. 7. *f*) 1 Petr. 5, 5. 6. *g*) Hebr. 10, 36. Col. 1, 11. Rom. 5, 3. 4. 5. 1 Cor. 10, 10. Phil. 2, 14. *h*) Psal. 104, 27—30. Ies. 45, 7. Iac. 1, 17. *i*) Deut. 6, 5. Matth. 22, 37. 38. *k*) Deut. 6, 2. Psal. 111, 10. Prov. 1, 7. et 9, 10. Matth. 10, 28. *l*) Matth. 4, 10. Deut. 10, 20. *m*) Matth. 5, 29. 30. et 10, 37. 38. 39. Act. 5, 29.

## XCV.

### *Quid est idololatria?*

Est loco unius Dei, aut praeter unum illum et verum Deum, qui se in suo verbo patefecit, aliud quippiam fingere aut habere, in quo spem reponas [a]).

*a*) Eph. 5, 5. 1 Par. 16, 26. Phil. 3, 19. Gal. 4, 8. Eph. 2, 12. 1 Ioh. 2, 23. 2 Ioh. 1. 9. Ioh. 5, 23.

## XCVI.

### *Quid postulat secundum Praeceptum?*

Ne Deum ulla imagine aut figura exprimamus [a]), neve ulla alia ratione eum colamus, quam qua se in suo verbo coli praecepit [b]).

*a*) Deut. 4, 15—19. Ies. 40, 18. 19—25. Rom. 1, 23. 24. 25. Act. 17, 29. *b*) 1 Sam. 15, 23. Deut. 12, 30. 31. 32. Matth. 15, 9.

## XCVII.

### *An nullae ergo prorsus fingendae sunt imagines aut simulacra?*

Deus nec ulla ratione effingi debet, nec potest: creaturas autem, etsi exprimere quidem licet: vetat tamen Deus, earum imagines fingi, aut haberi, quo vel ipsas, vel Deum per ipsas colamus, aut honoremus [a]).

*a*) Exod. 23, 24. 25. et 34, 13. 14. 17. Num. 33, 51. 52. Deut. 7, 5. et 12, 3. et 16, 22. 2 Reg. 18, 4.

Digitized by Google

## XCVIII.

*An autem in templis imagines tolerari non possunt, quae pro libris sint imperitae multitudini?*

Minime: neque enim decet nos sapientiores esse Deo, qui suam Ecclesiam non mutis simulacris [a]), sed viva praedicatione verbi sui vult erudiri [b]).

*a*) Ierem. 10, 8. 9. 10. Hab. 2, 18. 19. *b*) 2 Petr. 1, 19. 2 Tim. 3, 16. 17.

## XCIX.

*Quid sancit Deus tertio praecepto?*

Ut non solum execrando, aut peierando [a]), verum etiam temere iurando [b]), nomen Dei contumeliose, aut irreverenter ne usurpemus: neve tacendo aut connivendo, horrendis istis sceleribus communicemus: sed sacrosancto Dei nomine non nisi summa cum religione et veneratione utamur [c]): ut vera et constanti confessione [d]), invocatione [e]), omnibus denique verbis et actionibus nostris ipse [f]) celebretur.

*a*) Lev. 24, 10—17. Lev. 19, 12. *b*) Matth. 5, 37. Iac. 5, 12. *c*) Ies. 45, 23. *d*) Matth. 10, 32. 33. *e*) 1 Tim. 2, 8. *f*) Rom. 2, 24. 1 Tim. 6, 1. Col. 3, 16. 17.

## C.

*Estne igitur adeo grave peccatum iurando, aut dira imprecando, nomen Dei temerare, ut Deus etiam iis succenseat, qui quantum in se est, illud non prohibent aut impediunt?*

Certe gravissimum [a]): Neque enim ullum est peccatum maius, aut quod Deum gravius offendat, quam sacri ipsius nominis contumelia. Quocirca etiam id scelus morte multari voluit [b]).

*a*) Lev. 5, 1. *b*) Lev. 24, 15. 16.

## CI.

*Potestne quis etiam pie per nomen Dei iurare?*

Potest, cum vel magistratus id exigit, vel alioqui necessitas, hoc pacto fidem firmari, et veritatem stabiliri postulat: quo et gloria Dei illustretur, et aliorum saluti consulatur. Nam eius generis iusiurandum, verbo Dei sancitur [a]), ideoque etiam a sanctis in veteri et novo foedere, recte est usurpatum [b]).

*a*) Deut. 6, 13. et 10, 20. Ies. 43, 1. Hebr. 6, 16. *b*) Gen. 21, 24. et 31, 53. Iosue 9, 15. 19. 1 Sam. 24, 22. 2 Sam. 3, 35. 1 Reg. 1, 29. 30. Rom. 1, 9. 2 Cor. 1, 23.

## CII.

*Estne licitum iurare per Sanctos aut alias creaturas?*

Non: Nam legitimum iuramentum est invocatio Dei, qua pe-

Digitized by Google

titur, ut is tanquam unicus cordium inspector, testimonium det veritati, et iurantem puniat, si sciens fallat [a]): Porro hic honos nulli creaturae convenit [b]).

*a*) 2 Cor. 1, 23. Rom. 9, 1. *b*) Matth. 5, 34. 35. 36. Iac. 5, 12.

## CIII.

### *Quid praecipit Deus in quarto praecepto?*

Primum, ut ministerium Evangelii et Scholae conserventur [a]): utque ego cum aliis, tum praecipue festis diebus, studiose coetus divinos frequentem [b]), verbum Dei diligenter audiam [c]), utar sacramentis [d]), precibus publicis meas quoque preces adiungam [e]), pro facultatibus aliquid conferam in pauperes [f]). Deinde, ut in omni vita a pravis actionibus vacem, Domino concedens, ut per Spiritum sanctum in me suum opus faciat, atque ita sempiternum illud sabbathum in hac vita exordiar [g]).

*a*) Tit. 1, 5. 1 Tim. 3, 14. 15. 1 Cor. 9, 11—14. 2 Tim. 2, 2. et 3, 15. 1 Tim. 4, 13—16. et 5, 4. *b*) Psal. 40, 10. 11. et 68, 27. Act. 2, 42. 46. *c*) 1 Cor. 14, 19. 29. 30. *d*) 1 Cor. 11, 33. 34. *e*) 1 Tim. 2, 1. 2. 3. 8. 9. 10. 1 Cor. 14, 16. *f*) 1 Cor. 16, 2. *g*) Ies. 66, 23.

## CIV.

### *Quid nobis iniungit Deus in quinto praecepto?*

Ut parentibus, atque adeo omnibus qui nobis praesunt, debitum honorem, amorem et fidem praestemus, nosque ipsorum fidelibus praeceptis et castigationibus ea, qua par est, obedientia, submittamus [a]): tum etiam, ut eorum vitia et mores nostra patientia toleremus [b]), illud semper cogitantes, Deum nos illorum manu velle ducere ac regere [c]).

*a*) Eph. 6, 1. 2. 5. Col. 3, 18. 20. 22. 23. 24. Eph. 5, 22. Prov. 1, 8. et 4, 1. et 15, 20. et 20, 20. Exod. 21, 17. Rom. 13, 1. *b*) Prov. 23, 22. Genes. 9, 24. 25. 26. 1 Petr. 2, 18. *c*) Eph. 6, 4. 9. Coloss. 3, 19. Rom. 13, 2. 7. Matth. 22, 21.

## CV.

### *Quid Deus flagitat in sexto praecepto?*

Ut proximum neque cogitatione, neque verbis, neque gestibus, nedum factis, vel per me vel per alium, contumelia afficiam, aut oderim, aut laedam, aut occidam [a]): Sed omnem vindictae cupiditatem abiiciam [b]). Ad haec ne me ipsum laedam, aut sciens in aliquod periculum coniiciam [c]). Quocirca etiam ne caedes fierent, Magistratum gladio armavit [d]).

*a*) Matth. 5, 21. 22. et 26, 52. Gen. 9, 6. *b*) Eph. 4, 26. Rom. 12, 19. Matth. 5, 25. et 18, 35. *c*) Rom. 13, 14. Col. 2, 23. Eccles. 3, 27. Matth. 4, 2. *d*) Genes. 9, 6. Exod. 21, 14. Matth. 26, 52. Rom. 13, 4.

Digitized by Google

## CVI.

*Atqui hoc praeceptum solam caedem prohibere videtur?*

At caedem prohibendo, docet Deus, se radicem et originem caedis, iram scilicet [a]), invidiam [b]), odium [c]), et vindictae cupiditatem odisse, atque ea omnia pro caede ducere [d]).

*a*) Iac. 1, 20. Gal. 5, 19. 20. 21. *b*) Rom. 1, 29—32. *c*) 1 Ioh. 2, 9. 10. 11. *d*) 1 Ioh. 3, 15.

## CVII.

*An vero id satis est, nos neminem eo quo dictum est, modo occidere?*

Non est satis: Dum enim Deus iram, invidiam, odium damnat, postulat, ut proximum aeque ac nos ipsos diligamus [a]), et ut humanitate [b]), lenitate, mansuetudine, patientia [c]), et misericordia [d]) erga eum utamur, quodque ei damno esse possit, quantum in nobis est, avertamus [e]). Ad summam, ita animo affecti simus, ut ne inimicis quidem benefacere dubitemus [f]).

*a*) Matth. 22, 39. et 7, 12. *b*) Rom. 12, 10. *c*) Eph. 4, 1. 2. 3. Gal. 6, 1. 2. Matth. 5, 5. Rom. 12, 18. Matth. 5, 7. Luc. 6, 36. *d*) Exod. 23, 5. *e*) Matth. 5, 44. 45. Rom. 12, 20. 21.

## CVIII.

*Quae est sententia septimi praecepti?*

Deum omnem turpitudinem execrari [a]): ideoque nos eam penitus odisse et detestari debere [b]): contraque temperanter, modeste et caste [c]), sive in sacro coniugio, sive in vita coelibe vivere oportere [d]).

*a*) Lev. 18, 27. 28. 29. *b*) Iudae 1. 22. 23. *c*) 1 Thess. 4, 3. 4. 5. *d*) Hebr. 13, 4. 1 Cor. 7, 7.

## CIX.

*Nihilne amplius prohibet Deus hoc praecepto, quam adulterium, et id genus turpitudines?*

Cum corpus et animus noster templa sint Spiritus sancti, vult Deus ut utrunque pure sancteque possideamus. Ideoque facta, gestus, sermones [a]), cogitationes, cupiditates foedas [b]), et quicquid hominem ad ista allicit, id universum prohibet [c]).

*a*) Eph. 5, 3. 4. 1 Cor. 6, 18. 19. 20. *b*) Matth. 5, 27. 28. *c*) Eph. 5, 18. 19. 1 Cor. 15, 33.

## CX.

*Quid vetat Deus in octavo praecepto?*

Non solum ea furta [a]) et rapinas [b]), quas magistratus punit: sed furti nomine comprehendit, quicquid est malarum artium et

Digitized by Google

aucupiorum, quibus aliena captamus, et ad nos vi, aut specie recti transferre studemus [c]: qualia sunt, iniquum pondus [d], iniusta ulna, inaequalis mensura [e], fucosa merx, fallax moneta, usura [f], aut alia quaevis ratio aut modus rem faciendi a Deo interdictus. His adde omnem avaritiam [g] et multiplicem divinorum donorum profusionem et abusum [h].

*a*) 1 Cor. 6, 10. *b*) 1 Cor. 5, 10. *c*) Luc. 3, 14. 1 Thess. 4, 6. *d*) Prov. 11, 1. et 16, 11. *e*) Ezech. 45, 9. 10. Deut. 25, 13. 14. 15. *f*) Psal. 15, 5. Luc. 6, 35. *g*) 1 Cor. 6, 10. *h*) Prov. 5, 16. 17.

## CXI.

### *Quae sunt ea quae Deus hic iubet?*

Ut commoda et utilitates proximi, quantum possim, adiuvem et augeam: cum eo sic agam, ut mecum agi cuperem [a]: sedulo et fideliter opus faciam, ut aliorum quoque egestati subvenire queam [b].

*a*) Matth. 7, 12. *b*) Eph. 4, 28.

## CXII.

### *Quid exigit nonum praeceptum?*

Ne adversus quempiam dicam falsum testimonium [a], nullius verba calumnier [b], nulli obtrectem, aut convicium faciam [c], neminem temere, vel indicta causa condemnem [d]. Verum omnis generis mendacia, fraudes, ut opera Diaboli propria [e], nisi in me gravissimam iram Dei concitare velim, omni cura fugiam [f]: In iudiciis caeterisque negotiis veritatem secter, et id quod res est libere et constanter profitear [g]. Ad haec famam aliorum et existimationem, quantum queam, defendam et augeam [h].

*a*) Prov. 19, 5. 9. et 21, 28. *b*) Psal. 15, 3. *c*) Rom. 1, 28—32. *d*) Matth. 7, 1. 2. Luc. 6, 37. *e*) Ioh. 8, 44. *f*) Prov. 12, 22. et 13, 5. *g*) 1 Cor. 13, 6. Eph. 4, 25. *h*) 1 Petr. 4, 8.

## CXIII.

### *Quid prohibet decimum praeceptum?*

Ne vel minima cupiditate, aut cogitatione, adversus ullum Dei praeceptum corda nostra unquam solicitentur: sed ut perpetuo, et ex animo omne peccatum detestemur, contraque omni iustitia delectemur [a].

*a*) Rom. 7, 7. 8.

## CXIV.

### *Possuntne autem illi, qui ad Deum conversi sunt, haec praecepta perfecte servare?*

Minime: Verum etiam sanctissimi quique, quamdiu vivunt, habent tantum exigua initia huius obedientiae [a]: sic tamen, ut

Digitized by Google

serio ac non simulato studio, non secundum aliqua tantum, sed secundum omnia Dei praecepta vivere incipiant [b]).

*a*) 1 Ioh. 1, 8. 9. 10. Rom. 7, 14. 15. Eccles. 7, 21. *b*) Rom. 7, 22. 23. Iacob. 2, 10. 11.

## CXV.

*Cur igitur vult Deus legem suam adeo exacte et severe praedicari, cum nemo sit in hac vita, qui eam servare possit?*

Primum, ut in omni vita magis magisque agnoscamus [a]), quanta sit naturae nostrae ad peccandum propensio, tantoque avidius remissionem peccatorum, et iustitiam in Christo expetamus [b]): Deinde, ut hoc perpetuo agamus, illud semper meditemur, et gratiam Spiritus sancti a Patre imploremus, quo indies magis ac magis ad imaginem Dei renovemur, donec aliquando tandem, postquam ex hac vita decesserimus, propositam nobis perfectionem laeti assequamur [c]).

*a*) 1 Ioh. 1, 9. Psal. 32, 5. *b*) Rom. 7, 24. 25. *c*) 1 Cor. 9, 24. 25. Ph. 3, 12. 13. 14.

# DE PRECATIONE.

## CXVI.

*Quare Christianis necessaria est precatio?*

Quia praecipua pars est eius, quam Deus a nobis postulat, gratitudinis [a]). Tum, quia illis tantum suam gratiam et Spiritum sanctum Deus largitur, qui veris gemitibus, continenter haec ab eo petunt, et pro iis ipsi gratias agunt [b]).

*a*) Psal. 50, 14. 15. *b*) Matth. 7, 7. 8. Luc. 11, 9. 13. Matth. 13, 12. Psal. 50, 15.

## CXVII.

*Quae ad eam precationem requiruntur, quae Deo placeat, quaeque ab ipso exaudiatur?*

Ut a solo vero Deo, qui se in verbo suo patefecit [a]), omnia, quae a se peti iussit, vero cordis affectu petamus [b]), ex intimo nostrae indigentiae ac miseriae sensu [c]), nos in conspectu divinae Maiestatis, supplices abiiciamus [d]), huic firmo fundamento innitamur [e]), nos a Deo, quanquam indignos, propter Christum tamen certo exaudiri [f]), quemadmodum nobis in suo verbo promisit [g]).

*a*) Apoc. 2, 9. Ioh. 4, 22. 23. 24. *b*) Rom. 8, 26. 27. 1 Ioh. 5, 14. 15. *c*) Ioh. 4, 23. 24. Psal. 145, 18. 19. 20. *d*) 2 Par. 20, 12. *e*) Psal. 2, 11. et 34, 19. Ies. 66, 2. *f*) Rom. 10, 14. et 8, 15. 16. Iac. 1, 6. 7. 8. *g*) Ioh. 14, 13—16. et 15, 16. et 16, 23. Dan. 9, 17. 18. Matth. 7, 8. Psal. 143, 1.

Digitized by Google

## CXVIII.

*Quae sunt ea quae a se peti iubet?*

Omnia tum animae tum corpori necessaria [a]), quae Dominus noster Iesus Christus ea precatione, quam nos ipse docuit, complexus est.

*a*) Iac. 1, 17. Matth. 6, 33.

## CXIX.

*Quae est illa precatio?*

*Pater noster* [a]), *qui es in coelis: Sanctificetur nomen tuum: Veniat regnum tuum: Fiat voluntas tua, quemadmodum in coelo, sic etiam in terra: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Et remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris: Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Quia tuum est regnum, et potentia, et gloria, in secula, Amen.*

*a*) Matth. 6, 9—13. Luc. 11, 2. 3. 4.

## CXX.

*Cur praecipit Christus, ut ita Deum compellemus: Pater noster?*

Ut statim in ipso precationis exordio, convenientem Dei filiis reverentiam et fiduciam erga Deum in nobis excitet, quae nostrae precationis fundamentum esse debet: nimirum, Deum propter Christum nobis Patrem factum esse, et quae vera fide ab eo petimus, nobis multo minus negare, quam parentes nostri, nobis bona terrena denegant [a]).

*a*) Matth. 7, 9. 10. 11. Luc. 11, 11. 12. 13.

## CXXI.

*Cur additur: Qui es in coelis?*

Ne de coelesti maiestate Dei humile quippiam aut terrenum cogitemus [a]): simul etiam, ut ab eius omnipotentia, quaecunque animo et corpori sunt necessaria, expectemus [b]).

*a*) Ier. 23, 23. 24. Act. 17, 24. 25. 26. *b*) Rom. 10, 12.

## CXXII.

*Quae est prima petitio?*

*Sanctificetur nomen tuum*; hoc est: Da principio, ut te recte agnoscamus [a]), et lucentem in omnibus operibus tuis omnipotentiam, sapientiam, bonitatem, iustitiam, misericordiam et veritatem tuam veneremur, praedicemus et celebremus [b]): Deinde, ut universam vitam nostram, cogitationes, sermones et actiones, eo

Digitized by Google

semper dirigamus, ne sanctissimum nomen tuum propter nos contumelia afficiatur, sed honore potius et laudibus illustretur [c]).

*a*) Ioh. 17, 3. Ier. 9, 23. 24. et 31, 33. 34. Matth. 16, 17. Iac. 1, 5. Psal. 119, 105. *b*) Psal. 119, 137. 138. Luc. 1, 46—55. et 68. 75. Psal. 145, 8. 9. Exod. 34, 6. 7. Psal. 143, 1. 2. 5. 10. 11. 12. Ier. 31, 3. et 32, 18. 19. 40. 41. Ierem. 33, 11. 20. 21. Matth. 19, 17. Rom. 3, 3. 4. et 11, 22. 23. *c*) 2 Tim. 2, 19. Psal. 115. 1. et 71, 8.

## CXXIII.

### *Quae est secunda petitio?*

*Veniat regnum tuum;* hoc est: regas nos ita verbo et Spiritu tuo, ut nos tibi magis magisque subiiciamus [a]). Conserva et auge Ecclesiam tuam [b]), destrue opera Diaboli, omnemque potentiam se adversus maiestatem tuam efferentem: irrita fac omnia consilia, quae contra verbum tuum capiuntur [c]), quoad plene tandem ac perfecte regnes [d]), cum eris omnia in omnibus [e]).

*a*) Psal. 119, 5. 143, 10. Matth. 6, 33. *b*) Psal. 51, 20. et 122, 6. 7. *c*) 1 Ioh. 3, 8. Rom. 16, 20. *d*) Apoc. 22, 17. 20. Rom. 8, 22. 23. *e*) 1 Cor. 15, 28.

## CXXIV.

### *Quae est tertia petitio?*

*Fiat voluntas tua, quemadmodum in coelo, sic etiam in terra;* hoc est: Da, ut nos et omnes homines, voluntati propriae renunciantes [a]), tuae voluntati, quae sola est sancta, prompte et sine ullo murmure pareamus [b]): atque ita singuli mandatum nobis munus fideliter et alacriter exequamur [c]), quemadmodum faciunt Angeli in coelo [d]).

*a*) Matth. 16, 24. Tit. 2, 11. 12. *b*) Luc. 22, 42. *c*) 1 Cor. 7, 24. *d*) Psal. 103, 20. 21.

## CXXV.

### *Quae est quarta petitio?*

*Panem nostrum quotidianum da nobis hodie;* hoc est, suppedita nobis omnia, quae sunt ad hanc vitam necessaria [a]), ut per ea agnoscamus, te unicum fontem esse, ex quo omnia bona emanant [b]), ac nisi tu benedicas, omnem nostram curam et industriam, atque adeo tua ipsius dona, nobis infelicia et noxia esse [c]). Quapropter da, ut fiduciam nostram ab omnibus creaturis aversam, in te solo collocemus [d]).

*a*) Psal. 145. 15. 16. Psal. 104, 27. 28. *b*) Matth. 6, 25. 26. Act. 17, 27. 28. 14, 17. *c*) 1 Cor. 15, 58. Deut. 8, 3. Psal. 87, 16. 17. 32. *d*) Psal. 62, 11. 55, 23.

## CXXVI.

### *Quae est quinta petitio?*

*Remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris;* hoc est: nobis miserrimis peccatoribus, omnia pec-

Digitized by Google

cata nostra, atque eam etiam pravitatem, quae in nobis etiamnum haeret, propter Christi sanguinem ne imputes [a]): quemadmodum nos quoque hoc tuae gratiae testimonium in cordibus nostris sentimus, quod firmiter nobis propositum habemus, omnibus, qui nos offenderunt, ex animo ignoscere [b]).

*a*) Psal. 51, 1. 2. 3. et 143, 2. 1 Ioh. 2, 1. *b*) Matth. 6, 14. 15.

## CXXVII.

### *Quae est sexta petitio?*

*Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo*; hoc est: quoniam ipsi natura adeo debiles et infirmi sumus, ut ne momento quidem subsistere possimus [a]): infensissimi autem hostes nostri, Satan [b]), mundus [c]), ac nostra ipsorum caro [d]), nos continenter oppugnant: tu nos sustentes, et Spiritus tui robore firmes, ne in hoc Spirituali certamine succumbamus [e]), sed tantisper illis fortiter resistamus, donec integram tandem victoriam obtineamus [f]).

*a*) Ioh. 15, 5. Psal. 103, 14. 15. 16. *b*) 1 Petr. 5, 8. Eph. 6, 12. *c*) Ioh. 15, 19. *d*) Rom. 7, 23. Gal. 5, 17. *e*) Matth. 26, 41. Marc. 13, 33. *f*) 1 Thess. 3, 13. et 5, 23.

## CXXVIII.

### *Quomodo concludis precationem tuam?*

*Quia tuum est regnum, et potentia, et gloria in secula*; hoc est: omnia haec a te petimus, quia cum et rex noster, et omnipotens sis, omnia nobis et vis et potes largiri [a]): Atque haec quidem ideo petimus, ut ex iis, non ad nos, sed ad sanctum nomen tuum, omnis gloria redeat [b]).

*a*) Rom. 10, 11. 12. 2 Petr. 2, 9. *b*) Ioh. 14, 13. Psal. 115, 1. Ierem. 33, 8. 9.

## CXXIX.

### *Quid sibi vult particula: Amen?*

Rem certam ac ratam esse *): Nam precatio mea, multo certius a Deo est exaudita, quam ego in corde mea sentio, me illud ex animo cupere [a]).

*a*) 2 Cor. 1, 20. 2 Tim. 2, 13.

---

*) *Rem certam ac ratam esse*] pro his extat in ed. Augusti et in libro: Sylloge Confessionum, Oxonii, 1827: *Amen significat Fiat, seu, vere adimpleatur.*

Digitized by Google

## 15.

## UNIVERSIS [1])
## CHRISTI FIDELIBUS PER GERMANIAM
## ATQUE EXTERAS
## ETIAM NATIONES MINISTRI, SUBSCRIPTARUM ECCLESIARUM PER HELVETIAM [2]), GRATIAM ET PACEM A DEO PATRE,
## PER *IESUM CHRISTUM* [3]) DOMINUM NOSTRUM
## PRECANTUR.

*Conscriptae sunt hactenus, et eduntur hoc praecipue tempore in publicum* [4]), *a Regnis, Nationibus* [5]), *et Civitatibus, multae ac variae Confessiones et expositiones* [6]) *fidei, quibus extremo hoc seculo in tam infelici perniciosarum proventu haeresum* [7]), *quae passim exoriuntur, docent atque testantur* [8]), *se in Ecclesiis suis orthodoxe simpliciterque* [9]) *sentire, credere atque docere, de omnibus in universum et singulis Christianae fidei et religionis nostrae dogmatibus, denique, se* [10]) *et ab Haeresum Sectarumve* [11]) *communione esse quam alienissimos* [12]). *Nos ergo, tametsi antea hoc ipsum* [13]) *fecerimus in nostris scriptis in publicum editis* [14]), *quia tamen illa in oblivionem forte abierunt, variisque in locis, et prolixius etiam* [15]) *rem exponunt, quam ut omnibus inquirere et* [16]) *perlegere vacet, praeclaro aliorum fidelium exemplo exci-*

---

1) *Universis*] mscr. Turicens. *Omnibus.* 2) *Ministri, subscriptarum Ecclesiarum per Helvetiam*] cfr. Proleg. 3) *Iesum Christum*] mscr. Turic. *Christum Iesum.* 4) *sunt hactenus, ..... in publicum,*] mscr. Turicens. *et in publicum hoc tempore editae sunt.* 5) *Nationibus*] mscr. Turicens. *regionibus.* 6) *expositiones*] mscr. Turicens. *explicationes.* 7) *tam infelici perniciosarum proventu haeresum*] mscr. Turicens. *tanta copia pernitiosarum haeresium.* 8) *atque testantur*] haec verba desunt in mscr. Turicensi. 9) *orthodoxe simpliciterque*] mscr. Turicens. *recte et simpliciter.* 10) *denique, se*] haec desunt in manuscripto Turicens. 11) *Sectarumve* deest in mscr. Turicens. 12) *esse quam alienissimos*] mscr. Turicens. *alienos esse.* 13) *ergo, tametsi antea hoc ipsum*] mscr. Turicens. *quoque, etsi antea hoc idem.* 14) *in publicum editis*] mscr. Turicens. *quae in publicum sunt edita.* 15) *in oblivionem forte abierunt, variisque in locis, et prolixius etiam*] mscr. Turicens. *oblivione forte sepulta sunt, et prolixius et copiosius.* 16) *inquirere et*] mscr. Turicens. *ea.*

Digitized by Google

*tati* [17]), *brevi hac expositione conamur* [18]), *complecti, et omnibus Christi fidelibus proponere doctrinam oeconomiamque* [19]) *Ecclesiarum nostrarum, quam illae mox* [20]) *ab initio reformationis multos iam* [21]) *per annos, multaque per discrimina rerum, ad hunc usque diem, summo cum consensu, et docuerunt et nunc quoque custodiunt* [22]). *Eadem opera attestamur etiam omnibus consensum nostrum unanimem, quem dedit nobis Dominus, ut in nostris Ecclesiis, quibus nos ministrare voluit Dominus, idem*

---

17) *excitati*] mscr. Turicens. *commoti*. 18) *conamur*] mscr. Turicens. *voluimus*. 19) *oeconomiamque*] hoc verbum deest in mscr. Turicens. 20) *mox* deest in manuscr. Tur. 21) Verba *multos iam* desunt in manuscr. Turic.; in editione Kindleri (Solisbaci, MDCCCXXV.) deest tantummodo *iam*. 22) *multaque per ..... custodiunt*] mscr. Turicens. 40 *summo consensu docuerunt*. Verba quae sequuntur usque ad confessionis initium, quo de Scriptura Sancta agitur, non extant in mscr. Tur., quod pro illis haec habet: Voluimus autem hoc anno aliarum ecclesiarum exemplo nostram fidem profiteri, quo omnes manifeste videant non doceri a nobis dogmata, quae malevoli quidam falso nobis impingunt, sed potius nos nullam cum sectis et haeresibus (quarum aliquas propterea nominatim perstringimus) communionem habere et a sanctis Chi ecclesiis per Germaniam, Galliam et alias nationes nos non seiungere et avellere, sed cum his in hac christianae fidei veritate amanter consentire. Etsi autem in diversis ecclesiis rituum et ceremoniarum quaedam est varietas, pro ecclesiarum opportunitate et aedificatione id tamen nihil obest, cum haec semper fuerint libera, ut ex ecclesiastica historia notum est talisque varietas in sancta veteri ecclesia nullas umquam dissensiones aut schismata peperit: satis enim illis esse videbatur, si de praecipuis fidei dogmatibus inter se consentirent. Quare speramus alias ecclesias postquam viderint et animadverterint, nos in sacri et aeterni verbi dei doctrina cum ipsis, et praecipue cum veteri apostolica ecclesia per omnia consentire libenter consensuros (!) nobiscum, quemadmodum et nos cum illis consentimus et ecclesiarum pacem atque unionem cum mutua charitate conciliare et retinere studemus. Indubitato quoque speramus, neminem deinceps audita hac confessione nostra nos in haereticorum numero habiturum esse. Simul etiam aperte et simpliciter protestamur, nos semper paratos fore ut nos instrui patiamur si quis ex verbo dei nos clarius et melius edocere voluerit.

Iam sequitur ipsius confessionis titulus in hunc modum:

Expositio brevis ac dilucida orthodoxae fidei, et dogmatum catholicorum sincerae religionis Christianae, nec non oeconomiae ecclesiasticae, contexta ex testimoniis veritatis per H. B.

Sed Bullingerus hunc titulum scidula obtexit, cui ipsa sua manu hunc titulum inscripsit:

Confessio et expositio brevis et simplex orthodoxae fidei et dogmatum catholicorum sincerae religionis Christianae edita a ministris N. in hoc ut universis testetur fidelibus, quod in unitate verae et antiquae Christi ecclesiae perstent, neque ulla nova aut erronea dogmata spargant, atque ideo nihil etiam consortii cum ullis sectis aut haeresibus habeant, hoc demum tempore edita, qui de ea aestimare iudicareque piis omnibus liceat.

Rom. X.

Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

Digitized by Google

*loquamur omnes, nec sint inter nos dissidia, sed simus integrum corpus, eadem mente eademque sententia. Attestamur item nos minime talia in Ecclesiis nostris spargere dogmata, qualia Adversarii nonnulli nostri nobis, apud eos maxime, ad quos scripta nostra non perveniunt, et qui doctrinae nostrae imperiti sunt, falso et praeter meritum tribuere, obtrudereque nituntur. Ergo manifestissime ex his nostris, aequi deprehendent lectores, nihil nos quoque habere communionis cum ullis Sectis et Haeresibus, quarum, hoc consilio, in singulis prope capitibus, mentionem facimus, easque reiicientes perstringimus. Colligent itaque et illud, nos a Sanctis Christi ecclesiis Germaniae, Galliae, Angliae* [23]*), aliarumque in orbe Christiano nationum, nephario schismate non seiungere atque abrumpere: sed cum ipsis omnibus et singulis, in hac confessa veritate Christiana, probe consentire, ipsasque charitate syncera complecti.*

*Tametsi vero in diversis Ecclesiis quaedam deprehenditur varietas, in loquutionibus, et modo expositionis doctrinae, in ritibus item vel ceremoniis, eaque recepta pro Ecclesiarum quarumlibet ratione, opportunitate et aedificatione, nunquam tamen ea, ullis in Ecclesia temporibus, materiam dissensionibus et schismatibus, visa est suppeditare. Semper enim hac in re Christi Ecclesiae usae sunt libertate. Id quod in historia Ecclesiastica videre licet. Abunde piae vetustati satis erat, mutuus ille in praecipuis fidei dogmatibus, inque sensu orthodoxo et charitate fraterna, consensus.*

*Quocirca speramus Christi ecclesias, ubi viderint deprehenderintque nos in sancti et aeterni Dei doctrina, in sensu item orthodoxo et charitate fraterna, cum ipsis, imprimis vero cum veteri Apostolica ecclesia, per omnia consentire, libenter ipsas quoque in unitate fidei atque doctrinae, sensuque orthodoxo, et fraterna charitate consensuras nobiscum. Cum hanc Confessionem in hoc quoque ediderimus praecipue, ut ecclesiarum pacem concordiamque cum mutua charitate, apud Germaniae exterasque ecclesias quaeramus, nobis conciliemus, conciliatamque retineamus. Ubi sane illas ipsas ecclesias, ea dilectione, synceritate, integritateque praeditas esse, nobis certo persuademus, ut si quid forte nostrarum rerum hactenus minus recte intellectum sit a nonnullis, porro, audita hac simplici Confessione nostra, illae nos neutiquam numeraturae sint inter haereticos, neque Ecclesias nostras, quae verae Christi Ecclesiae sunt, damnaturae ut impias.*

*Ante omnia vero protestamur, nos semper esse paratissimos, omnia et singula hic a nobis proposita, si quis requirat, copiosius explicare, denique meliora ex verbo Dei docentibus non sine gratiarum actione, et cedere et obsequi in Domino, Cui laus et gloria. Acta. 1. Martij. anno 1566.*

---

23) Kindlerus male: *Anglia*, e.

Digitized by Google

*Subscripserunt Omnes omnium Ecclesiarum Christi in Helvetia ministri, qui sunt Tiguri, Bernae* [24]*), Scaphusii, Sangalli, Curiae Rhetorum et apud Confoederatos, in Ecclesiis Evangelium profitentibus cis et ultra Alpes, Milhusii, et Biennae, quibus adiunxerunt se et ministri Ecclesiae, quae est Genevae, et Neocomi, etc. Sed et consenserunt in ipsam iam editam ministri Ecclesiae Polonicae, quae sunt in Ducatu Zathoriensi, et Ossuiecimensi, Scoticarum quoque Ecclesiarum ministri, qui Nonis Septemb. Anno Domini* 1566. *scriptis ad clariss. virum D. Theodorum Bezam literis, inter alia dicunt, Subscripsimus omnes qui in hoc coetu interfuimus, et huius Academiae sigillo publico obsignavimus. Praeterea Debrecini in Hungaria, edita et impressa est Confessio una cum articulis quibusdam, Septemb.* 1. *Anno Domini* 1567. *et inscripta Sereniss. Principi et Domino D. Ioanni* 2. *Dei gratia electo Hungariae Regi, etc. In qua inter alia haec leguntur verba, Omnes Ecclesiae ministri, qui in conventu sancto ad* 24. *Februarii, Anno Domini* 1567. *Debrecinum convocato, cis et ultra Tibyscum, inter reliquas Confessiones recepimus, et subscripsimus Helveticae Confessioni, Anno Domini,* 1566. *editae, cui et Ecclesiae Geneven. ministri subscripserunt, etc.* [25]*)*

Edictum Imperatorium

De eo, quinam habendi sint, vel Catholici, vel Haeretici,

Ex Cod. Iustiniani Imperat. et Tripart. Hist. libro nono capite 7.

Impp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius, Aug. Populo urbis Constantinopolitanae. Cunctos populos, quos clementiae nostrae regit imperium, in ea volumus religione versari, quam divinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio usque nunc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, et Petrum Alexandriae Episcopum, virum Apostolicae sanctitatis: Hoc est, ut secundum Apostolicam disciplinam Evangelicamque doctrinam, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, unam deitatem sub pari maiestate, et sub pia trinitate credamus. Hanc legem sequentes, Christianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti: reliquos vero dementes vaesanosque iudicantes, haeretici dogmatis infamiam sustinere, divina primum vindicta, post etiam motu animi nostri, quem ex coelesti arbitrio sumpserimus ultione plectendos. Data 3. Calend. Martias Thessalonicae, Gratiano 5. Valent. et Theod. Aug. Coss.

Caeterum Evangelica et Apostolica historia una cum 2. Pet. Epistolis docent nos, qualem religionem S. Petrus Apostolus tradiderit omnibus Ecclesiis per Orientem et Occidentem, nedum Romanae. Fides vero et doctrina Damasi Pontificis, qualis fuerit, colliquescit ex ipsius Symbolo.

---

24) In editione Kindleri additur: *Basileae.* 25) *Subscripserunt omnes* usque ad *subscripserunt, etc* ] In editione Kindleri et in Sylloge Confessionum, Oxonii, MDCCCVII, extant tantum quae sequuntur: subscripserunt omnes omnium ecclesiarum Christi in Helvetia ministri, qui sunt Tiguri, Bernae, Basileae, Scaphusii, Sangalli, Curiae Rhetorum et apud confoederatos cis et ultra alpes, Mylhusii et Biennae, quibus adiunxerunt se et ministri ecclesiae, quae est Genevae. Basileae vocabulum deest in Syllog. Oxon.



Digitized by Google

## Symbolum Damasi ex 2. Tomo operum S. Hieron.

CREDIMUS in unum Deum Patrem omnipotentem, et in unum Dominum nostrum Iesum Christum, Dei Filium, et in Spiritum sanctum. Deum non tres Deos, sed Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, unum Deum colimus et confitemur: non sic unum Deum quasi solitarium, nec eundem qui ipse sibi pater sit, ipse et filius: sed patrem esse, qui genuit, et filium esse, qui genitus sit: Spiritum vero sanctum non genitum, neque ingenitum, non creatum neque factum, sed de patre filioque procedentem, patri et filio coaeternum, et coaequalem, et cooperatorem. Quia scriptum est, Verbo Domini coeli firmati sunt, id est, a filio Dei et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Et alibi, Emitte spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae. Ideoque in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti unum confitemur Deum, quod nomen est potestatis, non proprietatis. Proprium nomen est patri, pater, et proprium nomen est filio, filius; et proprium nomen spiritui sancto, spiritus sanctus. In hac trinitate unum Deum colimus: quia ex uno patre quod est, unius cum patre naturae est, unius substantiae et unius potestatis. Pater filium genuit, non voluntate, nec necessitate, sed natura. Filius ultimo tempore ad nos salvandos et ad implendas Scripturas descendit a patre, qui nunquam desiit esse cum patre. Et conceptus est de spiritu sancto, et natus ex virgine. Carnem, et animam, et sensum, hoc est perfectum suscepit hominem, nec amisit, quod erat, sed coepit esse quod non erat, ita tamen ut perfectus in suis sit, et verus in nostris. Nam qui Deus erat, homo natus est, et qui homo natus est, operatur ut Deus, et qui operatur ut Deus, ut homo moritur, et qui ut homo moritur, ut Deus resurgit.

Qui devicto mortis imperio, cum ea carne, qua natus et passus et mortuus fuerat, et resurrexit, ascendit ad Patrem, sedetque ad dexteram eius in gloria, quam semper habuit et habet. In huius morte et sanguine credimus emundatos nos, et ab eo resuscitandos die novissimo, in hac carne, qua nunc vivimus. Et habemus spem nos consequuturos praemium boni meriti, aut poenam pro peccatis aeterni supplicii. Haec lege, haec crede, haec retine, huic fidei animam tuam subiuga, et vitam consequeris, et praemium a Christo.

EADEM porro docuit et credidit, cum beato Damaso et Athanasio, S. Petrus Alexandrinus Episcopus, sicut facile colligitur ex Trip. Hist. lib. 7. cap. 37. et lib. 8. cap. 14.

Cum autem nos omnes simus huius fidei religionisque, speramus nos ab omnibus habendos, non pro haereticis, sed pro Catholicis et Christianis, etc.

Digitized by Google

# CONFESSIO ET EXPOSITIO BREVIS

## ET

## SIMPLEX SYNCERAE RELIGIONIS CHRISTIANAE, etc.

## DE SCRIPTURA SANCTA,

### VERO DEI VERBO.

### I.

Credimus et confitemur scripturas Canonicas sanctorum Prophetarum et Apostolorum utriusque Testamenti, ipsum verum esse verbum Dei: et authoritatem sufficientem ex semetipsis non ex hominibus habere. Nam Deus ipse loquutus est patribus, prophetis, et apostolis, et loquitur adhuc nobis per scripturas sanctas. Et in hac scriptura sancta habet universalis Christi ecclesia plenissime exposita, quaecunque pertinent cum ad salvificam fidem, tum ad vitam Deo placentem, recte informandam. Quo nomine distincte a Deo praeceptum est, ne ei *aliquid vel addatur vel detrahatur.* Sentimus ergo ex hisce scripturis petendam esse veram sapientiam et pietatem, ecclesiarum quoque reformationem et gubernationem, omniumque officiorum pietatis institutionem, probationem denique dogmatum, reprobationemque, aut errorum confutationem omnium, sed et admonitiones [1]) omnes, iuxta illud Apostoli, *Omnis scriptura divinitus inspirita utilis est ad doctrinam, ad redargutionem etc.* 2 Timoth. 3. Et iterum, *Haec tibi scribo*, inquit, ad Timoth. Apostolus in 1. cap. 3. *Ut noris quomodo oporteat te versari in Domo Dei, etc.* Et idem ille rursus ad Thess. *Cum*, ait, *acciperetis* [2]) *sermonem a nobis, accepistis non sermonem hominum, sed sicut erat vere sermonem Dei, etc.* [3]) 1 Thess. 2. Nam ipse in Evangelio dixit Dominus, *non vos estis loquentes illi, sed spiritus patris mei loquitur in vobis. Ergo qui vos audit me audit, qui autem vos spernit, me spernit.*

Scriptura Canonica.

Scriptura plene docet omnem pietatem.

Scriptura verbum Dei est. Matth. 10. Luc. 10. Ioan. 13.

Proinde cum hodie hoc Dei verbum per praedicatores legitime vocatos annunciatur in ecclesia, credimus ipsum Dei verbum annunciari, et a fidelibus recipi, neque aliud Dei

Praedicatio verbi Dei est verbum Dei.

1) *admonitiones*] mscr. Tur. addit *et adhortationes.* 2) *Cum, ait, acciperetis*] in editione Kindl. deest *ait*; in mscr. Tur. et in Sylloge Oxon. extat. 3) *etc.* deest in mscr. Tur.



Digitized by Google

verbum vel fingendum vel coelitus esse expectandum [4]): atque in praesenti spectandum esse ipsum verbum, quod annunciatur, non annunciantem ministrum, qui etsi sit malus et peccator, verum tamen et bonum manet nihilominus [5]) verbum Dei. Neque arbitramur praedicationem illam externam tanquam inutilem ideo videri, quoniam pendeat institutio verae religionis ab interna spiritus illuminatione: propterea quod scriptum sit, *Non erudiet quis proximum suum. Omnes enim cognoscent me.* Et, *Nihil est qui rigat, aut qui plantat, sed qui incrementum dat Deus.* Quanquam enim *nemo veniat ad Christum, nisi trahatur a patre coelesti* ac intus illuminetur per Spiritum sanctum [6]), scimus tamen Deum omnino velle praedicari verbum Dei etiam foris. Equidem potuisset per Spiritum suum sanctum, aut per ministerium angeli, absque ministerio S. Petri instituisse Cornelium in Actis Deus, caeterum reiicit hunc nihilominus ad Petrum: de quo angelus loquens, *Hic*, inquit, *dicet tibi quid oportet te facere.* Qui enim intus illuminat, donato hominibus spiritu sancto, idem ille praecipiens dixit ad discipulos suos, *Ite in mundum universum, et praedicate Evangelium omni creaturae.* Unde Paulus Lydiae, apud Philippos, purpurariae, praedicavit verbum exterius, interius autem *aperuit mulieri cor Dominus:* idemque Paulus collocata gradatione eleganti ad Rom. 10. tandem infert, *Ergo fides ex auditu est: auditus autem per verbum Dei.* Agnoscimus interim Deum illuminare posse homines, etiam sine externo ministerio, quos et quando velit: id quod eius potentiae est. Nos autem loquimur de usitata ratione instituendi homines, et praecepto et exemplo tradita nobis a Deo.

Ierem. 31. 1 Cor. 3. Ioan. 6.

Interior illuminatio non tollit externam praedicationem.

Marc. 16. Actor. 16.

Execramur itaque [7]) omnes haereses Artemonis, Manichaeorum, Valentinianorum, Cerdonis et Marcionitarum, qui negarunt scripturas e Spiritu sancto profectas: vel quasdam illarum non receperunt, vel interpolarunt et corruperunt [8]). Interim nihil dissimulamus quosdam Vet. Test. libros a veteribus nuncupatos esse Apocryphos, ab aliis Ecclesiasticos, utpote quos in ecclesiis legi voluerunt quidem, non tamen proferri ad authoritatem ex his fidei confirmandam. Sicuti et Augustinus in lib. de Civitat. Dei 18. cap. 38. commemorat, in libris Regum adduci prophetarum quorundam nomina et libros, sed addit, hos non esse in Canone, ac sufficere ad pietatem eos libros quos habemus.

Haereses.

Apocrypha.

---

4) *expectandum*] Sic mscr. Tur., et editio 1568; Kindlerus habet: *exspectandum.* 5) *nihilominus* deest in mscr. Tur. 6) *sanctum* deest in edit. Kindl. 7) *itaque*] in edit. Kindl. legimus *igitur.* 8) *vel interpolarunt et corruperunt* desunt in mscr. Tur.

Digitized by Google

## DE INTERPRETANDIS SCRIPTURIS SANCTIS, ET DE PATRIBUS, CONCILIIS, ET TRADITIONIBUS.

### II.

Scripturarum vera interpretatio. 2 Pet. 2.

Scripturas sanctas dixit apostolus Petrus *non esse interpretationis privatae*. Proinde non probamus interpretationes quaslibet: unde nec pro vera aut genuina scripturarum interpretatione agnoscimus [1]) eum, quem vocant sensum Romanae ecclesiae, quem scilicet, simpliciter Roma. ecclesiae defensores, omnibus obtrudere contendunt [2]) recipiendum: sed illam duntaxat scripturarum interpretationem pro orthodoxa et genuina agnoscimus, quae ex ipsis est petita scripturis, (ex ingenio utique eius linguae, in qua sunt scriptae, secundum circunstantias item expensae, et pro ratione locorum vel similium vel dissimilium, plurimum [3]) quoque et clariorum expositae,) cum regula fidei et charitatis congruit, et ad gloriam Dei hominumque salutem eximie facit.

Sanctorum expositiones.

Proinde non aspernamur sanctorum patrum Graecorum Latinorumque interpretationes, neque reprobamus eorundem disputationes ac tractationes rerum sacrarum, cum scripturis consentientes: a quibus tamen recedimus modeste, quando aliena a scripturis aut his contraria adferre deprehenduntur. Nec putamus illis ullam a nobis hac re iniuriam irrogari, cum omnes uno ore nolint sua scripta aequari Canonicis, sed probare iubeant, quatenus vel consentiant cum illis, vel dissentiant, iubeantque consentientia recipere, recedere vero [4]) a dissentientibus. Eodem in ordine collocantur etiam Conciliorum definitiones vel Canones.

Concilia.

Iudex quis?

Quapropter non patimur nos in controversiis [5]) religionis vel fidei causis urgeri nudis patrum sententiis, aut conciliorum determinationibus, multo minus receptis consuetudinibus, aut etiam multitudine idem sentientium, aut longi temporis praescriptione. Ergo non alium sustinemus in causa fidei iudicem, quam ipsum Deum, per scripturas sanctas pronuntiantem, quid verum sit, quid falsum, quid sequendum sit, quidve fugiendum [6]). Ita iudiciis non nisi spiritualium hominum, ex verbo Dei petitis acquiescimus. Ieremias certe caeterique prophetae Sacerdotum concilia, contra legem Dei instituta, damnarunt graviter, ac monuerunt diligenter, ne

---

1) *agnoscimus* deest in mscr. Tur. 2) *obtrudere contendunt*] mscr. Tur. *obtrudunt*. 3) mscr. Tur., ed. 1568., et Syll. Oxon. *plurium*; Kindlerus edidit: *plurimum*. 4) *vero* deest in mscr. Tur. 5) *controversiis*] mscr. Tur. *controversis*. 6) *quidve fugiendum*] sic legimus in mscr. Tur., in edit. 1568., et in Syll. Oxon.; sed Kindl. edidit: *quid refugiendum*.

Digitized by Google

audiamus patres, aut insistamus viae illorum, qui in suis ambulantes adinventionibus, a lege Dei deflexerunt.

Traditiones humanae.

Pariter repudiamus Traditiones humanas, quae tametsi insigniantur speciosis titulis, quasi divinae apostolicaeque sint, viva voce Apostolorum, et ceu per manus virorum apostolicorum, succedentibus Episcopis, Ecclesiae traditae, compositae tamen cum scripturis, ab his discrepant, discrepantiaque illa sua ostendunt, se minime esse apostolicas. Sicut [7]) enim Apostoli inter se diversa non docuerunt, ita et apostolici non contraria Apostolis ediderunt. Quinimo impium esset asseverare Apostolos viva voce contraria scriptis suis tradidisse. Paulus diserte dicit *eadem se in omnibus ecclesiis docuisse*. Et iterum, *Non alia*, inquit, *scribimus vobis, quam quae legitis aut etiam agnoscitis*. Alibi rursus testatur *se et discipulos suos*, id est, viros apostolicos *eadem ambulare via, et eodem spiritu pariter facere omnia*. Habuerunt quondam et Iudaei suas traditiones seniorum, sed refutatae sunt graviter a Domino, ostendente quod earum observatio legi Dei officiat, *et his Deus frustra colatur*.

1 Cor. 4.
2 Cor. 1.
2 Cor. 12.
Matth. 15.
Marc. 7.

## DE DEO, UNITATE EIUS AC TRINITATE.

### III.

Deus unus est.

Deum credimus et docemus unum esse essentia vel natura, per se subsistentem, sibi ad omnia sufficientem, invisibilem, incorporeum, immensum, aeternum, creatorem rerum omnium, cum [1]) visibilium, tum invisibilium, summum bonum, vivum, et omnia vivificantem et conservantem, omnipotentem, et summe sapientem, clementem, sive misericordem, iustum atque veracem. Pluralitatem vero Deorum abominamur: quod diserte scriptum sit, *Dominus Deus tuus unus est. Ego sum Dominus Deus tuus, non sint tibi dii alieni ante faciem meam. Ego Dominus et nullus ultra, praeter me non est Deus. An non ego Dominus, et non est alius praeter me solum? Deus iustus et salvans, nullus praeter me* [2]). *Ego Iehovah, Iehovah, Deus misericors, clemens et longanimis, immensae bonitatis et veritatis* etc. Exodi 34.

Deut. 6.
Exodi 20.
Isaiae 45.

Deus trinus est.

Eundem nihilominus Deum immensum, unum et individuum, credimus et docemus personis inseparabiliter et inconfuse esse distinctum, patrem, filium et spiritum sanctum, ita ut pater ab aeterno filium generaverit, filius generatione ineffabili genitus sit, spiritus sanctus vero procedat ab utroque,

---

7) *Sicut*] mser. Tur. *Sicuti*. 1) *cum*] edit. Kindl. *tum*. 2) *An non ..... praeter me* desunt in edit. Kindleri.

Digitized by Google

idque ab aeterno, cum utroque adorandus: ita ut sint tres non quidem Dii, sed tres [3]) personae consubstantiales, coaeternae, et coaequales, distinctae quo ad hypostases, et ordine alia aliam praecedens, nulla tamen inaequalitate. Nam quo ad naturam vel essentiam, ita sunt coniunctae, ut sint unus Deus, essentiaque divina communis sit patri, filio, et spiritui sancto. Distinctionem enim personarum manifestam tradidit nobis scriptura, angelo ad divam virginem inter alia dicente: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi* [4]). *Et quod nascetur sanctum* [5]), *vocabitur filius Dei.* Sed et in baptismo Christi, auditur vox coelitus delata super Christo, dicens, *Hic est filius meus dilectus.* Apparebat et spiritus sanct. in specie columbae. Cumque ipso iuberet baptizare dominus, iussit baptizare *in nomine patris, et filii, et spiritus san.* Item [6]) alibi in evangelio dixit, *Spiritum sanctum mittet pater nomine meo.* Idem iterum, *Cum*, inquit, *venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a patre, spiritus veritatis, qui a patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*, etc. Breviter, recipimus Symbolum Apostolorum, quod veram nobis fidem tradit. Lucae 1. Matt. 5. Matt. 28. Ioan. 1. Ioan. 14. 15.

Damnamus ergo Iudaeos et Mahumetistas, omnesque sacrosanctam et adorandam hanc Trinitatem blasphemantes. Damnamus item omnes haereses atque haereticos docentes filium et spiritum sanctum nuncupatione esse Deum: item creatum ac serviens aut alteri officiale esse in trinitate, esse in ea denique inaequale, maius aut minus, corporeum aut corporaliter effigiatum, moribus vel voluntate diversum, aut confusum vel solitarium, quasi filius et spiritus sanctus affectiones et proprietates sint unius Dei patris: ut Monarchici senserunt, Novatiani, Praxeas, Patripassiani, Sabellius, Samosatenus, Aetius, Macedonius, Anthropomorphitae, Arius, et similes. Haereses.

## DE IDOLIS VEL IMAGINIBUS DEI, CHRISTI ET DIVORUM.

### IV.

Quoniam vero Deus spiritus est invisibilis et immensa essentia, non potest sane ulla arte aut imagine exprimi, undo non veremur cum scriptura, simulachra Dei, mera nuncupare mendacia. Imagines Dei.

---

3) *tres* deest in mscr. Tur. 4) edit. Kindl. *te.* 5) *sanctum* deest in mscr. Tur. 6) *Item*] mscr. Tur. *Nam.*

Digitized by Google

Imagines Christi.

Reiicimus itaque non modo gentium idola, sed et Christianorum simulachra. Tametsi enim Christus humanam assumpserit naturam, non ideo tamen assumpsit, ut typum praeferret statuariis atque pictoribus. *Negavit se venisse ad solvendum legem* [1]) *et prophetas. At lege et prophetis prohibitae sunt imagines.* Negavit corporalem suam ecclesiae profuturam praesentiam: spiritu suo se nobis perpetuo affuturum promisit: quis ergo crederet umbram vel simulachrum corporis aliquam conferre piis utilitatem? *Cumque maneat in nobis per spiritum suum, sumus utique templa Dei. Quid autem convenit templo Dei cum simulachris?* Et quando beati spiritus ac divi coelites, dum hic viverent, omnem cultum sui averterunt, et statuas oppugnarunt, cui verisimile videatur divis coelitibus et angelis suas placere imagines, ad quas genua flectunt homines, detegunt capita, aliisque prosequuntur honoribus?

Matth. 5. Deut. 4. Isa. 40. Ioan. 16. 2 Cor. 5. 1 Cor. 3. 2 Cor. 6. Actoi 3.2) 14. Apocalyp. 14. 22. Imagines divorum.

Marci 16. Scriptura Laicorum.

Ut vero instituantur homines in religione, admoneanturque rerum divinarum et salutis suae, *praedicare iussit Evangelium Dominus*, non pingere et pictura laicos erudire: sacramenta quoque instituit, nullibi statuas constituit. Sed et passim quoquo vertamus oculos, occurrunt res creatae a Deo vivae et verae in oculos nostros, quae si observentur, ut par est, longe evidentius movent aspectantem, quam omnes omnium hominum imagines vel picturae vanae, immobiles, marcidae atque mortuae. De quibus vere dixit propheta. *Oculos habent et non vident*, etc.

Psalm. 115.

Lactantius.

Idcirco approbamus Lactantii veteris scriptoris sententiam, dicentis, Non est dubium, quin religio nulla sit, ubicunque simulachrum est. Recte item fecisse asserimus beatum Episcopum Epiphanium qui in foribus ecclesiae inveniens velum, habens depictam imaginem quasi Christi vel sancti cuiuspiam, scidit atque sustulit: quod contra authoritatem scripturarum vidisset in ecclesia Christi hominis pendere imaginem. Ideoque praecipiebat ne deinceps in ecclesia Christi eiusmodi vela, quae contra religionem nostram veniunt, appenderentur, sed tollerctur [3]) potius illa scrupulositas, quae indigna sit ecclesia Christi et populis fidelibus. Praeterea approbamus hanc S. Augustini de vera religione sententiam, Non sit nobis religio humanorum operum cultus. Meliores enim sunt ipsi artifices qui talia fabricantur: quos tamen colere non debemus. Cap. 55. [4]).

---

1) ed. Kindl. *leges.* 2) *Acto.* 3. deest in ed. Kindl. 3) *tolleretur*] mscr. Tur. *tollatur.* 4) ed. Kindl. (*ep.* 55.).

Digitized by Google

## DE ADORATIONE, CULTU, ET INVOCATIONE DEI, PER UNICUM MEDIATOREM IESUM CHRISTUM [1]).

### V.

Deum verum docemus solum adorare et colere [2]). Hunc honorem communicamus nemini, iuxta mandatum Domini, *Dominum Deum tuum adorabis, et illum solum coles, vel, Et huic uni servies.* Certe omnes prophetae gravissime invecti sunt contra populum Israelis, quandocunque Deos alienos, non unum solum Deum verum adorarunt et coluerunt. Adorandum autem colendumque [3]) docemus Deum, sicuti ipse nos colere docuit [4]), *in spiritu* videlicet *et veritate*, non cum ulla superstitione, sed cum synceritate, secundum verbum eius: ne aliquando ad nos etiam dicat, *Quis requisivit haec ex manibus vestris?* Nam et Paulus: *Deus non colitur*, ait [5]), *humanis manibus, tanquam qui ipse aliquo indigeat*, etc. Eundem solum invocamus in omnibus discriminibus et casibus vitae nostrae, idque per interventum unici [6]) mediatoris et intercessoris nostri Iesu Christi. Diserte enim praeceptum est nobis, *Invoca me in die tribulationis, et eruam te, et glorificabis me.* Sed et liberalissime nobis promissum est a domino, dicente, *Quicquid petieritis a patre meo, dabit vobis.* Item, *Venite ad me, quotquot laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Et cum scriptum sit, *Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt?* nos vero in solum Deum credimus [7]), solum certe invocamus: et quidem per Christum. *Unus enim Deus*, ait Apostolus, *et unus mediator Dei et hominum Christus Iesus.* Item, *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum*, etc.

Deus solus adorandus et colendus. Matth. 4.

Isaiae 66. Ierem. 7. Acto. 17.

Solus Deus per unius Christi interventum est invocandus.

Psal. 50. Ioan. 16. Matth. 12.

Rom. 10.

1 Tim. 2. 1 Ioan. 2.

Proinde sanctos coelites sive divos, nec adoramus, neque colimus, nec invocamus, neque illos coram patre in coelis pro intercessoribus aut mediatoribus nostris agnoscimus. Sufficit enim nobis Deus, et mediator Christus: neque honorem soli Deo et filio eius debitum aliis communicamus: quod ille diserte dixerit, *Gloriam meam alteri non dabo:* Et quod Petrus dixit, *Non aliud hominibus nomen datum, in quo opor-*

Isaiae 42. Acto. 4.

---

1) *per unicum mediatorem Iesum Christum*] desunt haec v. in mscr. Tur. 2) *adorare et colere*] in mscr. Tur. manu Bull. scripta extant haec verba: *adorandum esse et colendum.* 3) *Adorandum autem colendumque*] mscr. Tur. *Colendum autem.* 4) mscr. Tur. addit *et adorare.* 5) *ait* deest in mscr. Tur. 6) mscr. Tur. *uni*(!). 7) *nos vero in solum Deum credimus*] ita ed. 1568, Sylloge et mscr. Tur.; in edit. vero Kindl. legimus: *nos vero cum in solum Deum credamus.*

Digitized by Google

*teat salvos fieri, nisi nomen Christi.* In quo sane qui per fidem acquiescunt, non quaerunt extra Christum quicquam.

Honor divis debitus et impendendus.

Interim Divos nec contemnimus, nec vulgariter de eis [8]) sentimus. Agnoscimus enim eos esse viva Christi membra, amicos Dei, qui carnem et mundum gloriose vicerunt. Diligimus ergo illos ut fratres, et honoramus etiam, non tamen cultu aliquo, sed honorabili de eis existimatione, denique laudibus iustis. Imitamur item eos. Nam imitatores fidei virtutumque ipsorum, consortes item aeternae salutis, illis aeternum apud Deum cohabitare, et cum eis in Christo exultare, desyderiis votisque ardentissimis exoptamus. Atque hac in parte approbamus illam S. Augustini de Vera religione sententiam, Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum. Quia si pie vixerint, non sic habentur, ut tales quaerant honores, sed illum a nobis coli volunt, quo illuminante, laetantur meriti sui nos esse conservos. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem, etc. [9])

Reliquiae Sanctorum.

Multo vero minus credimus reliquias divorum adorandas esse aut colendas. Veteres illi sancti satis honorasse videbantur mortuos suos, si honeste mandassent terrae reliquias, postquam astra petiisset spiritus: ac omnium nobilissimas reliquias maiorum aestimabant esse virtutes, doctrinam et fidem [10]): quas ut commendabant cum laude mortuorum, ita eas exprimere annitebantur, dum vivebant in terris. Illi ipsi veteres non iurarunt nisi per nomen solius Dei Iehovah, sicuti lege divina est praeceptum: qua sicut vetitum est iurare *per nomina alienorum Deorum*, sic nos iuramenta per divos requisita non praestamus. Reiicimus ergo in his omnibus [11]) doctrinam divis coelitibus plus nimium tribuentem.

Iurare per nomen Dei solius.

Deut. 10. Exod. 22.

## DE PROVIDENTIA DEI.

### VI.

Dei providentia gubernantur omnia.

Dei huius sapientis aeterni et omnipotentis providentia, credimus cuncta in coelo, et in terra, et in creaturis omnibus conservari et gubernari. David enim testificatur et ait, *Excelsus super omnes gentes Dominus, et super coelos gloria eius. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et se demittit, ut inspiciat, quae sunt in coelo et in terra?* Idem rursus, *Omnes vias meas*, inquit [1]), *praevidisti. Quia non est verbum in lingua mea, quod non univer-*

Psal. 113.

Psalm. 139.

8) in mscr. Tur. legitur: *is.* 9) *etc.* deest in mscr. Tur. 10) *doctrinam et fidem*] haec verba desunt in mscr. Tur. 11) mscr. Tur. addit: *monachorum et doctorum ponficiorum* (sic!). 1) *inquit* deest in edit. Kindl.

Digitized by Google

*sum noveris domine*, etc. [2]). Testificatur et Paulus et ait, *per ipsum vivimus, movemur, et sumus.* Et [3]), *Ex illo, et per illum, et in illum omnia.* Verissime ergo et secundum scripturam pronunciavit Augustinus in lib. de Agone Christ. cap. 8. *Dominus dixit, Nonne duo passeres asse veniunt* [4]), *et unus eorum non cadit in terram sine voluntate patris vestri?* Ita vero loquens, ostendere voluit quicquid vilissimum homines putant, omnipotentia Domini gubernari. Sic enim et *volatilia coeli ab eo pasci, et lilia agri ab eo vestiri*, veritas loquitur, *quae capillos etiam nostros numeratos esse dicit*, etc.

Acto. 17. Rom. 11. Matt. 10. Matt. 6.

Damnamus ergo Epicureos, providentiam Dei abnegantes, omnesque illos, qui blaspheme dicunt, Deum versari circa cardines coeli, et nos atque nostra nec videre nec curare. Damnavit hos etiam David propheta regius, qui dixit, *Quousque Domine, quousque impii* [5]) *exultabunt? Dicunt, Dominus non videt, neque intelligit Deus Iacob. Intelligite stupidi in populo, et stulti quando demum sapietis? Is qui aurem condidit, an non audiret? et qui oculum finxit, quomodo non videret?* Interim vero media per quae operatur divina providentia, non aspernamur, ut inutilia, sed his hactenus nos accommodandos esse docemus, quatenus in verbo Dei nobis commendantur. Unde illorum voces temerarias improbamus, qui dicunt, Si providentia Dei omnia geruntur, inutiles certe sunt conatus nostri et studia nostra. Satis fuerit, si omnia divinae permittamus providentiae gubernanda, nec erit quod porro simus soliciti de re ulla, aut quicquam faciamus. Tametsi enim Paulus agnosceret se in Dei [6]) providentia navigare, qui ipsi dixerat, *Oportet te et Romae testificari:* qui insuper promiserat dixeratque, *Iactura nulla erit ullius animae, nec cadet pilus de capite vestro*, nihilominus meditantibus fugam nautis, dicit idem ille Paulus centurioni et militibus, *Nisi hi in navi manserint, vos servari non poteritis.* Deus enim qui cuilibet rei suum destinavit finem, is et principium et media, per quae ad finem usque pervenitur, ordinavit. Ethnici fortunae res attribuunt coecae, et [7]) incerto casui. S. Iacobus non vult ut dicamus, *Hodie et cras in illam urbem proficiscemur et negotiabimur:* sed addit, *Pro eo quod dicere debueritis, si Dominus voluerit et vixerimus, hoc vel illud faciemus.* Et Augustinus, Omnia quae vanis videntur in rerum natura temere fieri, non faciunt nisi verbum eius: quia non fiunt nisi iussu eius [8]). Enarrat

Epicurei. Psalm. 94. Media non aspernanda. Acto. 23. Act. 27. Iacob. 4.

---

2) *etc.* deest in edit. Kindl. 3) *Et* deest in mscr. Tur. 4) *veniunt*] mscr. Tur. *vencunt.* 5) *impii*] mscr. Tur. *impie.* 6) *Dei*] mscr. Tur. *eius.* 7) *et*] ed. Kindl. *vel.* 8) *quia non fiunt nisi iussu eius*] desunt haec verba in edit. Kindl.

Digitized by Google

in Psalm. 148. Ita videbatur forte fortuna fieri, quod Saul
1 Sam. 9. quaerens patris asinas, incidit in prophetam Samuelem: sed antea dixerat Dominus ad prophetam, *Cras mittam ad te virum de tribu Beniamin*, etc.

## DE CREATIONE RERUM OMNIUM, DE ANGELIS, DIABOLO, ET HOMINE.

### VII.

Deus creavit omnia. Deus hic bonus et omnipotens creavit omnia cum visibilia tum invisibilia, per verbum suum coaeternum, eadem quoque [1]) conservat per spiritum suum coaeternum, testificante Davide atque dicente, *Verbo Dei coeli facti sunt, et in spiritu oris eius omnis virtus eorum. Omnia autem quae condidit Deus, erant*, ut scriptura ait, *valde bona* [2]), et ad
Psalm 33. utilitatem usumque hominis condita. Cuncta vero illa dicimus
Manichaei et Marcionitae. ab uno profecta esse principio. Damnamus ergo Manichaeos et Marcionitas, qui impie fingebant duas substantias atque naturas boni et mali, duo item principia, et duos sibi adversos Deos, bonum et malum.

De angelis et diabolo. Inter omnes creaturas praestant angeli atque homines. De angelis pronunciat divina scriptura [3]), *Qui creat angelos*
Psal. 104. Hebr. 1. *suos spiritus, et ministros suos flammam ignis.* Item, *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, qui in ministerium emittuntur, propter eos qui haeredes sunt salutis?* Dominus
Ioan. 8. vero Iesus ipse testificatur [4]) de Diabolo, *Ille*, inquit, *homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia mendax est, atque eius rei pater.* Docemus ergo angelos alios quidem perstitisse in obedientia, ac ad fidele Dei et hominum ministerium esse deputatos: alios vero sua sponte lapsos, et in exitium esse praecipitatos, factosque esse omnis boni fideliumque hostes, etc.

De homine. Iam vero de homine dicit scriptura, quod ab initio conditus sit bonus, ad imaginem et similitudinem Dei: quod
Gen. 2. Deus collocaverit eum in paradisum, subieceritque ei omnia. Id quod David magnifice celebrat in Psalmo octavo, Addidit insuper ei coniugem, ac benedixit eis. Dicimus autem constare hominem duabus ac diversis quidem substantiis, in una persona, anima immortali, utpote quae separata a corpore, nec dormit, nec interit, et corpore mortali, quod tamen in ultimo iudicio a mortuis resuscitabitur, ut totus homo inde,

---

1) *quoque* deest in mscr. Tur. 2) addit mscr. Tur. *etc.* 3) *divina scriptura*] in edit. Kindl. legimus: *scriptura divina.* 4) *testificatur*] mscr. Tur. *testificans.*

Digitized by Google

vel in vita, vel in morte, aeternum maneat. Damnamus omnes, qui irrident, aut subtilibus disputationibus, in dubium vocant immortalitatem animarum, aut animam dicunt dormire, aut partem esse Dei. Breviter damnamus omnes omnium opiniones, quotquot diversa sentiunt de creatione, de angelis et daemonibus, et homine, ab iis quae nobis tradita sunt per scripturas sanctas, in apostolica Christi ecclesia.

## DE LAPSU HOMINIS ET PECCATO, ET CAUSA PECCATI.

### VIII.

Lapsus hominis.

Fuit homo ab initio a Deo conditus ad imaginem Dei, in iustitia et sanctitate veritatis, bonus et rectus; sed instinctu serpentis, et sua culpa, a bonitate et rectitudine deficiens, peccato, morti, variisque calamitatibus factus est obnoxius. Et qualis factus est a lapsu, tales sunt omnes, qui ex ipso prognati sunt, peccato inquam, morti, variisque obnoxii calamitatibus.

Peccatum.

Peccatum autem intelligimus esse nativam illam hominis corruptionem, ex primis illis nostris parentibus, in nos omnes derivatam vel [1]) propagatam, qua concupiscentiis pravis immersi, et a bono aversi, ad omne vero malum propensi, pleni omni nequitia, diffidentia, contemptu et odio Dei, nihil boni ex nobis ipsis facere, imo ne cogitare quidem possumus. Quinimo accedentibus iam etiam annis, *cogitationibus, dictis et factis pravis* contra legem Dei admissis, corruptos fructus, mala arbore dignos, proferimus: quo nomine, merito nostro, irae Dei obnoxii, poenis subiicimur iustis: adeoque a Deo abiecti essemus omnes, nisi reduxisset nos Christus liberator.

Matth. 12.

Mors.

Per mortem itaque intelligimus non tantum corpoream mortem, quae omnibus nobis semel, propter peccata est obeunda, sed etiam supplicia sempiterna, peccatis et corruptioni nostrae debita.

Ephes. 2.

Nam apostolus, *Eramus mortui*, inquit, *delictis ac peccatis, et eramus natura filii irae, sicut et caeteri. Sed Deus, qui dives est misericordia, cum essemus mortui per delicta, convivificavit nos una cum Christo*: Item, *Sicut per unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, et ita in omnes homines mors transiit, in quo omnes peccarunt* [2]).

Rom. 5.

Originale peccatum. Actualia peccata.

Agnoscimus ergo in omnibus hominibus esse originale peccatum: agnoscimus omnia alia peccata, quae ex hoc oriuntur, et dici, et vere esse peccata, qualicunque nomine

1) *derivatam vel* desunt in mscr. Tur. 2) mscr. Tur. *peccaverunt.*

Digitized by Google

nuncupentur, sive mortalia, sive venialia, sive illud quoque, quod vocatur *peccatum* [3]) *in spiritum sanctum, quod nunquam remittitur.* Fatemur etiam peccata non esse aequalia, licet ex eodem corruptionis et incredulitatis fonte exoriantur, sed alia aliis esse graviora. Sicut Dominus dixit, *Sodomae tolerabilius futurum, quam urbi reiicienti verbum evangelii.*

Marc. 3. 1 Ioan. 5.

Matt. 10. 11.

Sectae.

Damnamus ergo omnes, qui his contraria docuerunt, imprimis vero Pelagium et omnes Pelagianos, una cum Iovinianistis, peccata cum Stoicis paria facientibus. Sentimus per omnia in hac causa cum S. Augustino, qui sua ex scripturis sanctis protulit atque defendit [4]). Damnamus praeterea Florinum et Blastum, contra quos et Irenaeus scripsit, et omnes qui Deum faciunt authorem peccati. Cum diserte scriptum sit, *Tu non es Deus, qui velit iniquitatem. Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et iterum, *Cum loquitur diabolus mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater eius rei.* Sed et in nobis ipsis satis est vitii corruptionisque, ut nihil necesse sit Deum infundere nobis novam aut auctiorem pravitatem. Proinde quando dicitur in scripturis Deus indurare, excoecare, et tradere in reprobum sensum, intelligendum id est, quod iusto iudicio Deus id faciat, tanquam iudex et ultor iustus. Denique quotiescunque Deus aliquid mali in scriptura facere dicitur atque videtur, non ideo dicitur, quod homo malum non faciat, sed quod Deus fieri sinat et non prohibeat, iusto suo iudicio, qui prohibere potuisset si voluisset: vel quod malo hominum bene utatur, ut peccatis fratrum Iosephi: vel quod ipse peccata gubernet ne latius, quam par est, erumpant atque grassentur. S. Augustinus in Enchiridio suo, Miro modo, inquit, et ineffabili non fit praeter voluntatem eius, quod etiam fit contra voluntatem eius. Quia non fieret, si fieri non sineret. Nec [5]) utique nolens sinit, sed volens. Nec sineret bonus fieri male, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene. Haec ille [6]). Reliquas quaestiones, an Deus voluerit labi Adamum, aut impulerit ad lapsum? aut quare lapsum non impediverit? et similes quaestiones deputamus inter curiosas, (nisi forte cum haereticorum aut alioqui importunorum hominum improbitas cogit ista etiam ex verbo Dei explicare, sicut fecerunt non raro pii ecclesiae doctores) [7]) scientes Dominum prohibuisse,

Deus non est author peccati, et quatenus indurare dicatur.

Psal. 5. Ioan. 8.

Curiosae quaestiones.

---

3) *peccatum* deest in mscr. Tur. 4) *Sentimus per ..... atque defendit.*] Haec verba desunt in mscr. Tur. 5) *Nec*] mscr. Tur. *Neque.* 6) *Haec ille* desunt in mscr. Tur. 7) *nisi forte cum..... doctores*] haec verba desunt in mscr. Tur. et in Syll. Oxon.; in edit. 1568. uncinis inclusa sunt.

Digitized by Google

ne homo ederet de fructu prohibito, et transgressionem punivisse: sed [8]) et mala non esse quae fiunt, respectu providentiae Dei, voluntatis ac potestatis Dei, sed respectu satanae et voluntatis nostrae, voluntati Dei repugnantis.

## DE LIBERO ARBITRIO
### ADEOQUE VIRIBUS HOMINIS.

### IX.

Qualis homo fuerit ante lapsum.

Docemus in hac causa, quae semper in ecclesia multas peperit conflictationes, conditionem vel statum hominis triplicem esse considerandum. Principio qualis fuerit homo ante lapsum, rectus nimirum et liber, qui et in bono manere et ad malum potuerit declinare: declinaverit autem ad malum, implicaveritque peccato et morti, et se et [1]) omne genus mortalium, sicuti dictum est antea.

Qualis homo fuerit post lapsum.

Deinde considerandum est, qualis fuerit homo post lapsum. Non sublatus est quidem homini intellectus, non erepta ei [2]) voluntas, et prorsus in lapidem vel truncum est commutatus: caeterum illa ita sunt immutata et inminuta in homine, ut non possint amplius, quod potuerunt ante lapsum [3]). Intellectus enim obscuratus est: voluntas vero ex libera, facta est voluntas serva. Nam servit peccato, non nolens, sed volens. Etenim voluntas, non noluntas, dicitur. Ergo quoad [4]) malum sive peccatum, homo non coactus vel a Deo vel a diabolo, sed sua sponte, malum facit; et hac parte liberrimi est arbitrii. Quod vero non raro cernimus pessima hominis facinora et consilia impediri a Deo, ne finem suum consequantur, non tollit homini libertatem in malo, sed Deus potentia sua praevenit, quod homo alias libere instituit. Sicut fratres Ioseph [5]), Iosephum libere instituunt tollere, sed non possunt, quod Dei consilio aliud visum esset.

Homo sua sponte malum facit.

Homo non potest per se bonum.

Quantum vero ad bonum et ad virtutes, intellectus hominis, non recte iudicat de divinis ex semetipso. Requirit enim scriptura evangelica et apostolica regenerationem abs quolibet nostrum, qui salvari velimus. Unde nativitas prior ex Adamo, ad salutem nihil nobis confert. Paulus, *Animalis homo*, ait, *non percipit ea quae sunt spiritus Dei*, etc. Idem *negat alicubi nos idoneos esse, ex nobis ipsis, cogitare aliquid boni.* Constat vero mentem vel intellectum, ducem esse voluntatis, cum autem coecus sit dux, claret quousque [6])

1 Cor. 2.

2 Cor. 3.

---

8) *Sed*] Kindl. *distingue*, *sed*. 1) *et se et*] haec v. desunt in mscr. Tur. 2) *ei* deest in mscr. Tur. 3) *ante lapsum*] mscr. Tur. *antea*. 4) *quoad*] mscr. Tur. *quod*. 5) mscr. Tur. atque edit. 1568. habent: *Ioseph*, sed in Syllog. Oxon. et ap. Kindl. extat *Iosephi*. 6) *quousque*] mscr. Tur. *quo*.

Digitized by Google

et voluntas pertingat. Proinde nullum est ad bonum homini arbitrium liberum, nondum renato, vires nullae ad perficiendum bonum. Dominus in Evangelio dicit, *Amen amen dico vobis, quod omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Ioan. 8. Et Paulus apostolus, *Affectus carnis*, inquit, *inimicitia est adversus Deum. Nam legi Dei non subditur, imo ne potest quidem.* Rom. 8. Porro terrenarum rerum intelligentia in lapso homine, non est nulla. Reliquit enim Deus ex misericordia ingenium, multum tamen distans ab eo, quod inerat ante lapsum. Iubet Deus excolere ingenium, et addit dona simul et profectum. Et manifestum est, quam nihil proficiamus in artibus omnibus sine benedictione Dei. Scriptura certe omnes artes ad Deum refert. Nam et Ethnici retulerunt artium origines ad inventores Deos. Intelligentia artium.

Quales vires regeneratorum, et quomodo sint liberi arbitrii.

Postremo videndum, an regenerati sint liberi arbitrii, et quatenus. In regeneratione, intellectus illuminatur, per spiritum sanctum, ut et mysteria et voluntatem Dei intelligat. Et voluntas ipsa, non tantum mutatur per spiritum, sed etiam instruitur facultatibus, ut sponte velit et possit bonum. Rom. 8. Nisi hoc dederimus, negabimus Christianam libertatem, et inducemus legalem servitutem. Sed et propheta facit Deum loquentem, *Dabo legem meam in mentes illorum, et in cordibus eorum inscribam eam.* Ierem. 31. Ezech. 36. Dominus quoque dicit [7]) in Evangelio, *Si filius vos liberaverit, vere liberi estis.* Ioan. 7. Paulus quoque ad Phi. *Vobis donatum est*, inquit, *pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Philip. 1. Et iterum, *Persuasum habeo, quod is qui coepit in vobis bonum opus, perficiet usque ad diem Domini Iesu.* Item, *Deus est qui agit in vobis, et ut velitis, et ut efficiatis.* Philip. 2.

Regenerati active agunt, non passive tantum.

Ubi interim duo observanda esse docemus. *Primum*, regeneratos in boni electione et operatione, non tantum agere passive, sed [8]) active. Aguntur enim a Deo, ut agant ipsi, quod agunt. Recte enim Augustinus adducit illud, quod Deus dicitur, noster adiutor. Nequit autem adiuvari, nisi is, qui aliquid agit. Manichaei spoliabant hominem omni actione, et veluti saxum et truncum faciebant. *Secundum*, in regeneratis remanere infirmitatem. Cum enim inhabitet in nobis peccatum, et caro in renatis obluctetur spiritui, in finem usque vitae nostrae, non expedite omnino perficiunt regenerati quod instituerant. Confirmantur haec ab Apostolo ad Roman. 7. et Galat. 5. Proinde infirmum est nostrum illud liberum arbitrium, propter reliquias remanentis in nobis, ad finem usque vitae nostrae [9]), veteris Adami, agnataeque corruptionis

Infirmum in regeneratis liberum arbitrium.

7) *dicit* deest in mscr. Tur. 8) *sed*] mscr. Tur. addit *et*. 9) *nostrae* deest in mscr. Tur.

Digitized by Google

humanae [10]). Interim cum carnis vires et reliquiae veteris hominis, non ita sint efficaces, ut extinguant penitus spiritus operationem, idcirco fideles liberi dicuntur, ita tamen, ut agnoscant infirmitatem, et nihil glorientur de libero arbitrio. Semper enim animis fidelium observari debet, quod toties inculcat beatus Augustin. ex Apostolo, *Quid habes quod non accepisti? et si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* His accedit quod non statim evenit, quod [11]) instituramus. Eventus enim rerum, positi sunt in manu Dei. Unde Paulus orat dominum, ut prosperet iter suum. Unde vel hac causa, infirmum est liberum arbitrium. Caeterum nemo negat in externis, et regenitos et non regenitos habere liberum arbitrium. Habet enim homo hanc constitutionem cum animantibus alijs (quibus non est inferior) communem, ut alia velit, alia nolit. Ita loqui potest aut tacere, domum egredi [12]), vel domi manere, etc. Quamvis semper et hic potentia Dei observanda sit: quae effecit, ut Balaam eo non posset pertingere, quo volebat, neque Zacharias rediens ex templo, loqui posset, prout volebat. Damnamus in hac causa Manichaeos, qui negant homini bono, ex libero arbitrio fuisse initium mali. Damnamus etiam Pelagianos, qui dicunt hominem malum sufficienter habere liberum arbitrium, ad faciendum praeceptum bonum. Redarguuntur utrique a scriptura sancta, quae illis dicit, *Fecit Deus hominem rectum:* his vero dicit, *Si filius vos liberaverit, vere liberi estis.*

Rom. 1.

In externis est libertas.

Num. 24.

Luc. 1.

Haereses.

## DE PRAEDESTINATIONE DEI, ET ELECTIONE SANCTORUM.

### X.

Deus ab aeterno praedestinavit vel elegit libere et mera sua gratia, nullo hominum respectu, sanctos, quos vult salvos facere in Christo, juxta illud Apostoli, *Deus elegit nos in ipso, antequam iacerentur fundamenta mundi* [1]). Et iterum, *Qui salvos fecit nos, et vocavit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundùm suum propositum et gratiam, quae data quidem est nobis, per Christum Iesum, ante tempora aeterna, sed palam facta est nunc per apparitionem servatoris nostri Iesu Christi.* Ergo non sine medio, licet non propter ullum meritum nostrum, sed in Christo et propter Christum, nos elegit Deus, ut qui iam sunt in Christo insiti per fidem, illi ipsi etiam sint electi, reprobi vero, qui sunt extra Christum: secundum illud apostoli,

Deus elegit nos ex gratia.

Ephes. 1.

2 Tim. 1.

In Christo electi vel praedestinati sumus.

10) *humanae* deest in mscr. Tur. 11) *quod*] mscr. Tur. *quo.* 12) *donum egredi*] ita scriptum est in mscr. Tur., in edit. 1568. et in Syll. Oxon. Sed Kindl. exhibuit: *domo egredi*

1) mscr. Tur. *mundi fundamenta.*



Digitized by Google

2 Cor. 13. *Vos ipsos tentate, num sitis in fide. An non agnoscitis* [2] *vosmetipsos, quod Iesus Christus in vobis est? nisi sicubi reprobi estis.* Denique electi sunt sancti in Christo, per Deum ad finem certum, quem et ipsum exponit Apostolus et ait, *Elegit nos in ipso, ut essemus sancti et irreprehensibiles coram illo per charitatem. Qui praedestinavit nos, ut adoptaret in filios per Iesum Christum, in sese, ut laudetur gloria gratiae suae.* Et quamvis Deus norit, qui sint sui, et alicubi mentio fiat paucitatis electorum, bene sperandum est tamen de omnibus, neque temere reprobis quisquam est annumerandus. Paulus certe ad Philippens. *Gratias ago,* inquit, *pro omnibus vobis* (loquitur autem de tota ecclesia Philippensi) *quod veneritis in communionem Evangelii, persuasum habens, quod is qui coepit opus bonum in vobis, perficiet, sicut iustum est, ut hoc sentiam de vobis omnibus.* Et cum Luc. 13. rogaretur [3] Dominus, An pauci sint qui salventur? non respondet Dominus ac dicit, paucos aut plures fore servandos, aut perdendos, sed hortatur potius, ut quisque contendat ingredi per portam arctam. Quasi dixerit, Vestrum non est de his curiosius inquirere, sed magis anniti, ut per rectam [4] viam coelum ingrediamini.

Electi sumus ad finem certum. Ephes. 1. Bene sperandum de omnibus. Philip. 1. An pauci electi.

Proinde non probamus impias quorundam voces, qui dicunt, Pauci sunt electi et cum mihi non constet, an sim in illo paucorum numero, genium meum non fraudabo. Alij dicunt, Si praedestinatus vel electus sum a Deo, nihil impediet me a salute certo iam definita, quicquid tandem designavero. Si vero sum de reproborum numero, nulla me vel fides vel poenitentia iuvabit: cum definitio Dei mutari non possit. Itaque inutiles sunt doctrinae et admonitiones omnes. Nam contra hos pugnat illud Apostoli [5]: *Oportet servum Domini propensum esse ad docendum, erudientem eos qui obsistunt, si quando det Deus illis poenitentiam, ad agnoscendum veritatem, ut resipiscant a laqueo diaboli, capti ab eo ad eius voluntatem.* Sed et Augustinus de Bono perseverantiae capite 14. et consequentibus, ostendit [6] utrumque esse praedicandum, et liberae electionis praedestinationisque gratiam, et admonitiones et doctrinas salutares. Improbamus itaque illos, qui extra Christum [7] quaerunt, An sint ab aeterno electi [8]? Et quid ante omnem aeternitatem de ipsis statuerit Deus? Audienda est enim praedicatio

Quae damnanda in hac causa. 2 Tim 2. An simus electi?

2) mscr. Tur.: *cognoscitis* 3) *rogaretur*] mscr. Tur. *rogaret.* 4) *rectam*] mscr. Tur. *arctam.* 5) *Nam contra hos pugnat illud Apostoli*] mscr. Tur. *Apostolus enim aperte ait.* 6) *ostendit*] mscr. Tur. *multis ostendit.* 7) *extra Christum*] desunt h. v. in mscr. Tur. 8) *An sint ab aeterno electi?*] Sic mscr. Tur., edit. 1568. atque Syllog. Oxon. Kindlerus *ab aeterno* vocabula omisit.

Digitized by Google

evangelii, eique credendum est: et pro indubitato habendum, si credis ac sis in Christo, electum te esse. Pater enim praedestinationis suae aeternam sententiam, sicut modo ex Apostolo 2. Tim. 1. exposui, in Christo nobis aperuit. Docendum ergo et consyderandum ante omnia, quantus amor patris erga nos in Christo nobis sit revelatus: audiendum, quid nobis quotidie in evangelio ipse dominus praedicet, quomodo vocet et dicat, *Venite ad me omnes, qui laboratis* [9]) Matth. 11. *et onerati estis, ego vos reficiam. Sic Deus dilexit mundum,* Ioan. 3. *ut unigenitum dederit pro mundo, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Item, *Non* Matth. 18. *est voluntas patris, ut quisquam de his pusillis pereat.* Christus itaque sit speculum, in quo praedestinationem nostram contemplemur. Satis perspicuum et firmum habebimus testimonium, nos in libro vitae inscriptos esse, si communicaverimus cum Christo, et is in vera fide noster sit, nos eius simus. Consoletur nos in tentatione praedestinationis, qua vix alia est periculosior, quod promissiones Dei sunt universales fidelibus, quod ipse ait, *Petite et accipietis, Omnis qui* Luc. 11. *petit accipit.* Quod denique cum universa Dei ecclesia oramus, Pater noster qui es in coelis: et quod baptismo sumus insiti corpori Christi, et pascimur in ecclesia eius carne et sanguine frequenter ad vitam aeternam. His confirmati *cum timore et tremore,* iuxta praeceptum Pauli [10]), *nostram salutem operari* iubemur.

Tentatio praedestinationis.

## DE IESU CHRISTO VERO DEO ET HOMINE, UNICO MUNDI SALVATORE.

### XI.

Credimus praeterea et docemus filium Dei dominum nostrum Iesum Christum ab aeterno praedestinatum vel praeordinatum esse, a Patre, Salvatorem mundi: credimusque hunc esse genitum, non tantum, cum ex virgine Maria carnem assumsit, nec tantum ante iacta fundamenta mundi, sed ante omnem aeternitatem, et quidem a patre, ineffabiliter. Nam Isaias dixit, *Generationem eius quis enar-* Isaiae 53. *rabit?* Et Micheas: *Et egressus eius a diebus aeterni-* Mich. 5. *tatis.* Nam et Ioannes in evangelio dixit: *In principio erat* Ioan. 1. *verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum, etc.* Proinde Filius est patri iuxta divinitatem coaequalis et consubstantialis, Deus verus, non nuncupatione, Philip. 2. aut adoptione, aut ulla dignatione, sed substantia atque natura, sicut Ioan. apostolus iterum [1]) dixit, *Hic est verus* 1 Ioan. 5.

Christus verus est deus.

9) Kindl. *laborati.* 10) Kindl. inverso ordine: *Pauli praeceptum.*
1) *iterum* deest in mscr. Tur.



Digitized by Google

Hebr. 1. *Deus, et vita aeterna.* Et Paulus quoque, *Filium* ait, *constituit haeredem omnium, per quem et secula fecit: idem est splendor gloriae et character substantiae eius, portans omnia verbo potentiae suae.* Nam in Evangelio ipse quoque Do-
Ioan. 17. minus dixit, *Pater glorifica tu me, apud temetipsum gloria, quam habui priusquam hic mundus esset apud te.* Nam et
Ioan. 5. alibi in Evangelio scribitur, *Iudaei quaerebant occidere Iesum, quod patrem suum dixisset Deum, aequalem seipsum faciens*
Sectae. *Deo.* Abominamur ergo Arij et omnium Arianorum impiam contra filium Dei doctrinam, imprimis vero Michaelis Serveti Hispani et Servetanorum omnium blasphemias, quas contra Dei filium satan per illos, veluti ex inferis hausit et in orbem audacissime et impijssime dispergit.

Christus verus homo, veram habenscarnem. Matth. 1. Eundem quoque aeterni Dei aeternum filium credimus et docemus hominis factum esse filium, ex semine Abrahae atque Davidis, non ex viri coitu, quod Hebion [2]) dixit, sed conceptum purissime ex spiritu sancto, et natum ex Maria semper virgine: sicut diligenter nobis historia explicat Evangelica. Et Paulus ait, *Nullibi angelos assumit, sed semen Abrahae.* Ioannes item Apostolus, *Qui non credit, Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est.* Caro ergo Christi, nec phantastica fuit, nec coelitus allata, sicuti [3]) Valentinus et Martion somniabant.

Anima in Christo rationalis. Praeterea anima fuit Domino nostro Iesu Christo non absque sensu et ratione, ut Apollinaris sentiebat, neque caro absque anima, ut Eunomius docebat, sed anima cum ratione sua, et caro cum sensibus suis, per quos sensus, veros dolores tempore passionis suae sustinuit:
Matth. 26. sicuti et ipse testatus est, et dixit, *Tristis est anima mea*
Ioan. 12. *usque ad mortem. Et anima mea turbata est, etc.* Agnoscimus ergo in uno atque eodem domino nostro Iesu Christo,
Duae in Christo naturae. duas naturas [4]), divinam et humanam: et has ita dicimus
Hebr. 2. coniunctas et [5]) unitas esse [6]), ut absorptae, aut confusae, aut inmixtae non sint: sed salvis potius et permanentibus naturarum proprietatibus, in una persona, unitae vel coniunctae: ita ut unum Christum Dominum, non duos venere-
Non duo sed unus Christus. mur: unum inquam verum Deum, et hominem, iuxta divinam
Hebr. 4. naturam patri, iuxta humanam vero nobis hominibus consubstantialem, et per omnia similem, peccato excepto. Etenim,
Sectae. ut Nestorianum dogma ex uno Christo duos faciens, et unionem personae dissolvens, abominamur: ita Eutychetis et Monothelitarum vel Monophysicorum vesaniam, expungentem naturae humanae proprietatem execramur [7]) penitus. Ergo

---

2) *Hebion*] edit. Kindl. *Ebion.* 3) *sicuti*] mscr. Tur. *sicut.* 4) *naturas*] mscr. Tur. addit *aut hypostases vel substantias*; Syllog. Oxon. et ed. Kindl. *vel substantias.* 5) *et*] mscr. Tur. *vel.* 6) *esse* deest in mscr. Tur. 7) *execramur* deest in ed. Kindl.

Digitized by Google

minime docemus naturam in Christo divinam passam esse, aut Christum secundum humanam naturam adhuc esse in hoc mundo, adeoque esse ubique. Neque enim vel sentimus, vel docemus veritatem corporis Christi a clarificatione desijsse, aut deificatam, adeoque sic deificatam esse, ut suas proprietates, quoad corpus et animam, deposuerit, ac prorsus in naturam divinam abierit, unaque duntaxat substantia esse coeperit. Et proinde Schuenkfeldij similiumque leptologorum inargutas argutias, intricatas, obscurasque, et parum sibi constantes hac de re dissertationes, haudquaquam probamus aut recipimus, neque Schuenkfeldiani sumus [8]). Praetera credimus *Dominum nostrum Iesum Christum, vere passum et mortuum esse pro nobis*, sicut Petrus ait, *carne*. Abominamur Iacobitarum, et omnium Turcarum, passionem domini execrantium, impijssimam vesaniam. Interim non negamus et *Dominum gloriae*, juxta verba Pauli, *crucifixum esse pro nobis*. Nam communicationem idiomatum, ex scripturis petitam, et ab universa vetustate in explicandis componendisque scripturarum locis in speciem pugnantibus ursurpatam, religiose et reverenter [9]) recipimus et usurpamus.

Natura Christi divina non est passa, nec humana est ubique.

Sectae.

Vere passus est dominus noster.

1 Pet. 4.

1 Cor. 2.

Communicatio idiomatum.

Credimus et docemus eundem Dominum nostrum Iesum Christum vera sua carne, in qua crucifixus et mortuus fuerat, a mortuis resurrexisse, et non aliam pro sepulta excitasse, aut spiritum pro carne suscepisse, sed veritatem corporis retinuisse. Ergo dum discipuli eius arbitrarentur, se Domini spiritum videre, exhibet eis manus atque pedes, stigmatibus utique clavorum et [10]) vulnerum notatas, et addit, *Aspicite manus meas et* [11]) *pedes meos: quia ego ipse sum. Contrectate me et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut videtis me habere.* In eadem illa carne sua credimus ascendisse Dominum nostrum Iesum Christum, supra omnes coelos aspectabiles, in ipsum coelum supremum, sedem videlicet Dei et [12]) beatorum, ad dexteram Dei patris, quae, etsi et gloriae maiestatisque consortium aequale significet, accipitur tamen et pro loco certo, de quo in Evangelio loquens Dominus, dicit, *Se abiturum et suis paraturum locum.* Sed et Apostolus Petrus, *Oportet Christum*, inquit, *coelum accipere, usque ad tempus restitutionis omnium.* Ex coelis autem idem ille redibit in iudicium, tum, quando summa erit in mundo conscleratio, et Antichristus corrupta religione vera, superstitione impietateque omnia opplevit, et sanguine atque flamma ecclesiam crudeliter [13]) vastavit. Red-

Vera Christi ex mortuis resurrectio.

Luc. 24.

Vera in coelos Christi ascensio.

Ioan. 14.

Acto. 3.

Dan. 11.

8) *neque Schuenkfeldiani sumus*] haec verba desunt in mscr. Tur. 9) *usurpatam, religiose et reverenter*] mscr. Tur. *usurpatam religiose, reverenter.* 10) *clavorum et*] h. v. desunt in mscr. Tur. 11) mscr. Tur. *atque* pro *et.* 12) *Dei et*] desunt h. v. in mscr. Tur. 13) in mscr. Tur. deest v. *crudeliter.*

Digitized by Google

Act. 17. ibit autem Christus, adserturus suos, et aboliturus adventu
1 Thes. 4. suo Antichristum, iudicaturusque vivos et mortuos. Resur-
Marc. 13. gent enim mortui, et qui illa die (quae omnibus incognita est creaturis) superstites futuri sunt, mutabuntur in momento oculi, fidelesque omnes una obviam Christo rapientur in aëra, ut inde cum ipso ingrediantur in sedes beatas sine fine vi-
1 Cor. 15. cturi. Increduli vero vel impij descendent cum daemonibus
Matth. 25. ad tartara, in sempiternum arsuri, atque ex tormentis nunquam liberandi.

Sectae. Damnamus ergo omnes negantes veram carnis resurre-
2 Tim. 2. ctionem: aut qui cum Ioanne Hierosolymitano, contra quem scripsit Hieronymus, non recte sentiunt de clarificatis corporibus. Damnamus eos qui senserunt et daemonas et impios omnes aliquando servandos, et poenarum finem futurum.
Marc. 9. Simpliciter enim pronuntiavit dominus, *Ignis eorum nunquam exstinguitur, et vermis eorum non moritur.* Damnamus praeterea Iudaica somnia, quod ante iudicij diem, aureum in terris sit futurum seculum, et pij regna mundi occupaturi, oppressis suis hostibus impijs. Nam evangelica veritas Matth. 24. et 25. Luc. item 18. et apostolica doctrina 2 Thes. 2. et in 2 ad Tim. 3. et 4. cap. longe aliud perhibere inveniuntur.

Fructus mortis et resurrectionis Christi. Porro passione vel [14]) morte sua omnibusque adeo, quae
Rom. 4. 10. a suo in carne adventu nostra causa fecit et pertulit [15]), re-
Ioan. 6. 11. conciliavit omnibus fidelibus Dominus noster patrem coelestem, expiavit peccatum, exarmavit [16]) mortem, condemnationemque et inferos confregit, ac resurrectione sua ex mortuis, vitam immortalitatemque reduxit, ac restituit. Ipse enim est iustitia nostra, vita et resurrectio, denique plenitudo et absolutio fidelium omnium, salusque et sufficientia abundantissima. Apostolus enim, *Sic placuit patri*, inquit, *omnem in ipso habitare plenitudinem, et in ipso estis com-*
Iesum Christum unicum esse mundi salvatorem et messiam verum et expectatum. *pleti.* Coloss. 1. et 2. Docemus enim ac credimus hunc Iesum Christum, Dominum nostrum, unicum et aeternum, generis humani, adeoque totius mundi esse servatorem, in quo per fidem servati sint, quotquot ante legem, sub lege, et sub evangelio salvati sunt, et quotquot adhuc in finem usque seculi salvabuntur. Nam ipse Dominus in evangelio
Ioan. 10. dicit, *Qui non intrat per ostium in stabulum ovium, sed*
Ioan. 8. *ascendit aliunde, ille fur est et latro. Ego sum ostium ovium.* Item alibi in eodem evangelio, Ioann. 8. *Abraham vidit diem meum, et gavisus est.* Sed et Petrus Apostolus,
Act. 4. 10. 15. *Non est in quoquam alio*, inquit, *nisi in Christo salus. Ne-*

---

14) Sic mscr. Tur. et edit. 1568. Kindlerus edidit *et.* 15) *omnibusque ... pertulit*] haec verba desunt in mscr. Tur. 16) *peccatum, exarmavit* desunt h. v. in edit. Kindl.

Digitized by Google

*que* [17]) *aliud nomen est sub coelo datum inter homines, in quo oporteat nos salvos fieri. Credimus ergo per gratiam Domini Iesu Christi nos servatum iri, sicuti et patres nostros.* Nam et Paulus ait, *Omnes patres nostros eandem escam spiritualem edisse, et omnes eundem potum spiritualem bibisse: bibisse autem de spirituali ipos consequente Petra, Petram vero Christum fuisse.* Ideoque legimus et Ioannem dixisse, *Christum esse agnum illum, qui occisus sit ab origine mundi:* et Baptistam testatum, *Christum esse agnum illum Dei, qui tollat peccatum mundi.* Unde pleno ore profitemur et praedicamus, Iesum Christum unicum esse mundi redemptorem et Salvatorem, Regem et Pontificem maximum, Messiam verum et expectatum, illum inquam sanctum [18]) benedictum, quem omnes legis typi et vaticinia prophetarum praefigurarint atque promiserint, Deus autem praestiterit ac miserit illum nobis, ut alius porro non sit ullus nobis expectandus. Nec restat iam aliud, quam ut omnes omnem gloriam Christo tribuamus, et in ipsum credamus, et in ipso solo aequiescamus, omnibus alijs vitae praesidijs spretis atque [19]) abiectis. Nam gratia Dei exciderunt, et Christum inanem sibi reddunt, quotquot salutem in alia re ulla, quam, in uno Christo quaerunt. Et ut paucis multa huius causae dicamus, quaecunque de Incarnationis domini nostri Iesu Christi mysterio, definita sunt ex scripturis sanctis, et comprehensa symbolis ac sententiis quatuor primarum et praestantissimarum Synodorum, celebratarum Niceae, Constantinopoli, Ephesi et Chalcedone, una cum beati Athanasij Symbolo, et omnibus his similibus symbolis, credimus corde syncero, et ore libero ingenue profitemur, condemnantes omnia his contraria. Atque ad hunc modum retinemus inviolatam sive integram fidem christianam, orthodoxam atque catholicam: scientes, symbolis praedictis nihil contineri, quod non sit conforme verbo Dei, et prorsus faciat ad synceram fidei explicationem.

1 Cor. 10.

Apoc. 13.

Ioan. 1.

Gal. 5.

Symbola 4. conciliorum recepta.

Sectae.

## DE LEGE DEI.

### XII.

Docemus Lege Dei, exponi nobis voluntatem Dei [1]), quid a nobis fieri velit aut nolit, quid bonum et iustum, quidve malum sit et iniustum. Bonam igitur et sanctam confitemur esse Legem. Et hanc quidem alias digito Dei *inscriptam esse in corda hominum, vocarique legem naturae,* alias autem digito insculptam esse in tabulas Mosis geminas,

Lege Dei exponitur nobis voluntas Dei.

Lex naturae. Rom. 2.

Lex Mosis in duabus tabulis.

17) *Neque*] mscr. Tur. addit *enim.* 18) *inquam sanctum*] pro his v. legimus in mscr. Tur. *inque saeculo.* 19) mscr. Tur. *et* pro *atque.*

1) *Dei* deest in ed. Kindl.

Digitized by Google

et libris Mosis copiosius expositam. Distinguimus illam, per-
Exod. 20. Deut 5. spicuitatis gratia, in moralem, quae comprehenditur Decalogo vel geminis tabulis, per Mosis libros expositis, in ceremonialem item, quae de caeremonijs cultuque Dei constituit, et in iudicialem, quae versatur circa politica et oeconomica.

Plenissima et absolutissima est lex. Deut. 4. 12.
Credimus hac Dei lege omnem Dei voluntatem, et omnia praecepta necessaria ad omnem vitae partem, plenissime tradi. Alioqui enim non vetuisset Dominus, *huic legi nihil, vel addi vel adimi*: non praecepisset *recta ad hanc incedi, neque in dextram vel sinistram deflexo itinere, declinare.*

Cur data sit lex?
Docemus legem hanc non datam esse hominibus, ut eius iustificemur observatione: sed ut ex eius indicio, infirmitatem potius, peccatum, atque condemnationem agnoscamus, et de viribus nostris desperantes, convertamur ad Christum in fide.

Rom. 3. 4. Gal. 3.
Aperte enim Apostolus, *Lex iram*, ait, *operatur. Et per legem agnitio peccati. Et si data fuisset lex, quae posset iustificare, vel vivificare, vere ex lege esset iustitia: sed conclusit scriptura* (legis nimirum) *omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu, daretur credentibus. Itaque lex Paedagogus noster ad Christum fuit, ut ex fide*[2]) *iustificaremur.*

Caro non implet legem.
Neque vero potuit aut potest ulla caro legi Dei satisfacere, et hanc adimplere, ob imbecillitatem in carne nostra, ad extremum usque spiritum, in nobis[3]) haerentem aut remanentem.

Rom. 8.
Rursus enim Apostolus, *Quod lex praestare non poterat*, inquit, *quia*[4]) *imbecillis erat per carnem, hoc Deus, proprio filio misso sub specie carnis peccato obnoxiae,*

Rom. 10.
*praestitit. Idcirco Christus est perfectio legis et adimpletio nostra*, qui ut *execrationem legis sustulit, dum factus est pro nobis maledictio, vel execratio*, ita communicat nobis per fidem, adimpletionem suam, nobisque eius imputatur iustitia et obedientia.

Quatenus lex abrogata.
Hactenus itaque abrogata est lex Dei, quatenus nos amplius non damnat, nec iram in nobis operatur. Sumus enim sub gratia, et non sub lege. Praeterea implevit Christus omnes legis figuras. Unde umbrae cesserunt, corpore adveniente, ut iam in Christo et veritatem habemus et omnem plenitudinem. Attamen legem non ideo fastidientes reijcimus[5]).

Matth. 5.
Meminimus enim verborum Domini, dicentis, *Non veni legem et prophetas solvere, sed implere.* Scimus lege nobis tradi formulas virtutum atque vitiorum. Scimus scripturam legis, si exponatur per Evangelium, ecclesiae esse utilem, et idcirco eius lectionem non exterminandam esse ex ecclesia. Licet enim velo obtectus fuerit Mosis vultus, Apostolus ta-

2) ed. Kindl. *fido* pro *fide* habet. 3) *in nobis* desunt in mscr. Tur. 4) mscr. Tur. *qua* pro *quia*. 5) *Fastidientes reijcimus*] mscr. Tur. *fastidimus.*

Digitized by Google

men perhibet, velum per Christum tolli atque aboleri. Damnamus omnia, quae haeretici veteres et neoterici contra legem Dei docuerunt. Sectae.

## DE EVANGELIO IESU CHRISTI, DE PROMISSIONIBUS ITEM, SPIRITUS, ET LITERA. XIII.

Evangelium quidem opponitur legi. Nam Lex iram operatur, et maledictionem annunciat, Evangelium vero gratiam et benedictionem praedicat. Sed et Ioannes dicit, *Lex per Mosen data est, gratia et veritas per Iesum Christum exorta est:* nihilominus tamen certissimum est eos, qui ante legem et sub lege fuerunt, non omnino destitutos fuisse evangelio. Habuerunt enim promissiones evangelicas insignes, quales hae sunt, *Semen mulieris conculcabit caput serpentis.* *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* *Non auferetur sceptrum de Iuda, nisi prius venerit Silo.* *Prophetam excitabit Dominus de medio fratrum etc.* Et quidem agnoscimus patribus duo fuisse promissionum genera, sicuti et nobis[1]) revelata. Aliae enim erant rerum praesentium, vel terrenarum, quales sunt[2]) promissiones de terra Chanaan, de victorijs: et quales hodie adhuc sunt de pane quotidiano. Aliae vero erant tunc, et sunt etiam nunc, rerum coelestium et aeternarum, gratiae videlicet divinae, remissionis peccatorum, et vitae aeternae, per fidem in Iesum Christum. Habuerunt autem veteres non tantum externas vel terrenas, sed spirituales etiam coelestesque promissiones, in Christo. Nam *de salute*, ait Petrus, *exquisierunt et scrutati sunt prophetae, qui de venturâ in nos gratia vaticinati sunt*, etc. Unde et Paulus Apostolus dixit, *Evangelium Dei ante promissum esse per prophetas Dei, in scripturis sanctis.* Inde nimirum claret, veteres non prorsus destitutos fuisse omni Evangelio.

Veteres habuerunt promissiones Evangelicas. Ioan. 1.

Gen. 3. Gen. 22. Gen. 49. Deut. 18. Acto. 3.

Promissiones duplices.

Habuerunt Patres etiam promissiones spirituales non tantum carnales.

Et, quamvis ad hunc modum patres nostri in scripturis prophetarum habuerint Evangelium, per quod et[3]) salutem in Christo, per fidem consequuti sunt, Evangelium tamen proprie illud dicitur laetum et felix nuntium, quo[4]) nobis primum per Ioannem Baptistam, deinde per ipsum Christum dominum, postea per Apostolos eius apostolorumque successores praedicatum est mundo, Deum iam praestitisse, quod ab exordio mundi promisit, ac misisse, imo donavisse nobis filium unicum, et in hoc reconciliationem cum patre, remissionem peccatorum, omnem plenitudinem, et vitam aeternam. Historia ergo descripta a quatuor Evangelistis, explicata,

Evangelium proprie quid?

1) *nobis*] add. mscr. Tur. *sunt.* 2) *sunt* deest in mscr. Tur. 3) *et* deest in ed. Kindl. 4) ed. Kindl. *quod* pro *quo.*

Digitized by Google

quomodo haec sint facta vel adimpleta a Christo, quae docuerit et fecerit Christus: et quod in ipso credentes omnem habent plenitudinem, recte nuncupatur Evangelium. Praedicatio item et scriptura Apostolica, qua nobis exponunt apostoli, quomodo nobis a Patre datus sit filius, et in hoc vitae salutisque omnia, recte dicitur doctrina evangelica, sic ut [5]) ne hodie quidem, si syncera sit, appellationem tam praeclaram amittat [6]).

De spiritu et litera.

Illa ipsa evangelii praedicatio, nuncupatur item ab Apostolo spiritus et ministerium spiritus, eo quod efficax et viva fiat per fidem in auribus imo cordibus credentium per spiritum sanctum illuminantem. Nam litera quae opponitur spiritui, significat quidem omnem rem externam, sed maxime doctrinam legis, sine spiritu et fide in animis, non viva fide credentium, operantem iram, et excitantem peccatum. Quo nomine et ministerium mortis ab Apostolo nuncupatur. Huc enim illud Apostoli pertinet, *Litera occidit, spiritus vivificat.* Et pseudoapostoli praedicabant evangelium, lege admixta, corruptum, quasi Christus sine lege non possit servare. Quales fuisse dicuntur Hebionaei, ab Hebione haeretico descendentes, et Nazaraei, qui et Minaei antiquitus vocabantur. Quos omnes nos damnamus, pure praedicantes Evangelium, docentesque per spiritum [7]) solum, et non per legem iustificari credentes. De qua re mox sequetur sub titulo iustificationis copiosior expositio.

Sectae.

Evangelij doctrina non est nova, sed vetustissima doctrina.

Et quamvis Evangelij doctrina collata cum pharisaeorum doctrina legis, visa sit, cum primum praedicaretur per Christum, nova esse doctrina, quod et Ieremias de novo testamento vaticinatus sit, revera tamen illa, non modo vetus erat, et est adhuc (nam nova dicitur et hodie a Papistis, collata cum doctrina iam papistarum recepta) vetus [8]) doctrina, sed omnium in mundo antiquissima. Deus enim *ab aeterno praedestinavit* mundum servare per Christum, et hanc suam praedestinationem et consilium sempiternum *aperuit* [9]) *mundo per evangelium.* Unde claret religionem doctrinamque evangelicam, inter omnes, quotquot fuerunt unquam, sunt atque erunt, omnium esse antiquissimam. Unde dicimus omnes eos errare turpiter, et indigna aeterno Dei consilio loqui, qui evangelicam doctrinam et religionem nuncupant, nuper exortam, et vix 30. annorum fidem. In quos competit illud Isaiae prophetae, *Vae his qui dicunt malum esse bonum, et bonum malum, qui ponunt tenebras lucem, et lucem tenebras, amarum dulce, et dulce amarum.*

2 Tim. 1.

Isaiae 5.

---

5) *sic ut*] mscr. Tur. *sicut.* 6) mscr. Tur. *amittit.* 7) mscr. Tur. *Christum* pro *spiritum.* 8) *vetus* deest in mscr. Tur. 9) mscr. Tur. *aperire* pro *aperuit.*

Digitized by Google

## DE POENITENTIA ET CONVERSIONE HOMINIS.

### XIV.

Habet Evangelium coniunctam sibi doctrinam de poenitentia. Ita enim dixit in Evangelio Dominus, *Oportet praedicari in nomine meo poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes.* Per poenitentiam autem intelligimus mentis in homine peccatore resipiscentiam, verbo Evangelii et spiritu sancto excitatam, fideque vera acceptam, quo protinus homo peccator, agnatam sibi corruptionem peccataque sua omnia, per verbum Dei accusata, agnoscit, ac de his ex corde dolet, eademque coram Deo, non tantum deplorat et fatetur ingenue cum pudore, sed etiam cum indignatione execratur, cogitans iam sedulo de emendatione, et perpetuo innocentiae virtutumque studio, in quo sese omnibus diebus vitae reliquis, sancte exerceat. Et haec quidem est vera poenitentia, syncera nimirum ad Deum et omne bonum conversio, sedula vero a diabolo et ab[1]) omni malo aversio. Diserte vero dicimus hanc poenitentiam merum esse Dei donum, et non virium nostrarum opus. Iubet enim apostolus *fidelem ministrum diligenter erudire obsistentes veritati, si quando Deus his det poenitentiam ad agnoscendum veritatem.* Iam vero peccatrix illa evangelica, *quae lachrymis rigat pedes domini,* ac Petrus *amare flens deploransque domini sui abnegationem,* manifeste ostendunt, qualis esse debeat poenitentis animus, serio deplorans commissa peccata. Sed et filius ille concoctor et publicanus ille in Evangelio, cum pharisaeo collatus, praeeunt nobis formulis accommodatissimis peccata nostra Deo confitendi. Ille dicebat, *Pater peccavi in coelum et coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenarijs tuis:* Hic vero non audens elevare oculos in coelum, pectus suum tundendo, clamabat, *Deus propitius esto mihi peccatori.* Nec dubitamus illos in gratiam a Deo esse receptos. Etenim Ioannes Apostolus, *Si confiteamur peccata nostra,* inquit, *fidelis est et iustus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus non peccavimus, mendacem facimus eum, et sermo eius non est in nobis.* Credimus autem hanc confessionem ingenuam, quae[2]) soli Deo fit, vel privatim inter Deum et peccatorem, vel palam in templo, ubi generalis illa peccatorum confessio recitatur, sufficere, nec necessarium esse ad remissionem peccatorum consequendam, ut quis peccata sua confiteatur sacerdoti, susurrando in aures ipsius,

Luc. 24.

Poenitentia quid? 1.

2.

3.

4.

Poenitentia est vera ad Deum conversio.

Poenitentia donum Dei. 1.

2 Tim. 2. 2.

Dolet de peccatis commissis. Luc. 7. 22.

3. Confitetur peccata Deo. Luc. 15. 18.

Sacerdotalis confessio et absolutio.

1) Sic mscr. Tur. et edit. 1568. Kindl. omittit *ab* vocab.
2) in mscr. Tur. scriptum extat *qua* pro *quae.*

Digitized by Google

nt vicissim cum impositione manuum eius audiat ab ipso [3]) absolutionem: quod eius rei nec praeceptum ullum, nec exem-
Psal. 32. plum exstet in scripturis sacris. David protestatur et ait, *delictum meum tibi cognitum feci, et iniustitiam meam non abscondi. Dixi, confitebor contra me* [4]) *iniustitiam meam domino: et tu remisisti impietatem peccati mei.* Sed et dominus orare nos docens, simul et confiteri peccata, dixit,
Matth. 6. *Sic orabitis, Pater noster qui es in coelis, remitte nobis debita nostra: sicut et nos remittimus debitoribus nostris.* Necesse est ergo, ut Deo patri nostro confiteamur peccata nostra, et cum proximo nostro, si ipsum offendimus, redeamus in gratiam. De quo confessionis genere loquens Iacobus
Iacob. 5. Apostolus, *Confitemini*, inquit, *alterutrum peccata vestra.* Si quis vero peccatorum mole et tentationibus perplexis oppressus, velit consilium, institutionem, et consolationem privatim, vel a ministro ecclesiae, aut alio aliquo fratre, in lege Dei docto, petere, non improbamus. Quemadmodum et generalem et publicam illam in templo ac coetibus sacris recitari solitam (cuius et superius meminimus) peccatorum confessionem, utpote scripturis congruam, maxime approbamus.

De clavib. regni coelorum. De clavibus regni Dei, traditis a Domino Apostolis, multi admiranda garriunt [5]), et ex his cudunt enses, lanceas, sceptra et coronas, plenamque in maxima regna, denique in animas et corpora potestatem. Nos simpliciter iudicantes secundum verbum Domini dicimus, omnes ministros legitime vocatos, habere et exercere claves vel usum clavium, cum evangelium annunciant, id est, populum suae fidei creditum docent, hortantur, consolantur et increpant, inque disciplina
Aperire et claudere. retinent. Ita enim regnum coelorum aperiunt obsequentibus, et inobsequentibus claudunt. Has claves promisit Apostolis Dominus, Matthaei capite decimo sexto, et praestitit Ioannis 20. Marci 16. et Lucae 24. dum ablegat discipulos, et iubet eos universo mundo praedicare Evangelium, et condonare peccata.
2 Cor. 5. Apostolus in ep. ad Corinthios dicit, Dominum ministris dedisse *reconciliationis ministerium:* et quale hoc sit, mox explicat et ait, *Sermonem vel doctrinam reconciliationis.* Et adhuc clarius sua illa exponens, addit *ministros Christi, nomine Christi fungi legatione, tanquam ipso Dea, per ministros adhortante populos, ut reconcilientur Deo*, nimirum per fidelem obedientiam. Exercent ergo claves, cum suadent fidem
Ministri remittunt peccata. et poenitentiam. Sic illi reconciliant Deo. Sic remittunt peccata. Sic aperiunt regnum coelorum, et credentes introducunt: multum distantes ab istis, de quibus dixit in Evan-

---

3) *ab ipso*] desunt h. v. in mscr. Tur. 4) *iniustitiam meam non .... me*] haec verba in mscr. Tur. desunt. 5) *admiranda garriunt*] mscr. Tur. *garriunt mirifica.*

Digitized by Google

gelio Dominus, *vae vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiae, ipsi non introistis, et eos qui introibant vetuistis.* Rite itaque et efficaciter ministri absolvunt, dum evangelium Christi, et in hoc remissionem peccatorum, quae singulis promittitur fidelibus, sicuti et singuli sunt baptizati, praedicant, et ad singulos peculiariter pertinere testantur. Nec putamus absolutionem hanc efficaciorem fieri, per hoc, quod in aurem alicui aut super caput alicuius singulariter inmurmuratur. Censemus tamen sedulo annunciandam esse hominib. remissionem peccatorum, in sanguine Christi, admonendosque singulos, quod ad ipsos pertineat remissio peccatorum. Quomodo ministri absolvant.

Caeterum quam vigilantes sedulosque oporteat esse poenitentes in studio vitae novae, et in conficiendo vetere et excitando novo homine, docent nos exempla evangelica. Dominus enim ad paralyticum, quem sanaverat, dicit, *Ecce sanus factus es, ne posthac pecces, ne quid deterius tibi contingat.* Ad adulteram liberatam idem dixit, *Vade, et ne posthac peccaveris.* Quibus sane verbis non significavit fieri posse, ut homo aliquando non peccet, dum adhuc in hac carne vivit, sed vigilantiam accuratumque studium commendat, ut modis in quam omnibus annitamur, et precibus a Deo petamus, ne relabamur in peccata, ex quibus veluti resurreximus, et ne vincamur a carne, mundo, et diabolo. Zachaeus publicanus in gratiam receptus a Domino, clamat in Evangelio, *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, et si quem defraudavi, reddo quadruplum.* Ad eundem ergo modum praedicamus restitutionem et misericordiam, adeoque eleemosynam vere poenitentibus esse necessariam [6]): et in universum Apostoli verbis hortamur omnes ac dicimus, *Ne regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis ei* [7]) *per cupiditates eius: neque accommodetis membra vestra arma iniustitiae peccato, sed accommodetis vosmetipsos Deo, velut ex mortuis viventes, et membra vestra arma iustitiae Deo.* Ioan. 5. Ioan. 8. Luc. 9. Rom. 6.

Proinde damnamus omnes impias quorundam evangelica praedicatione abutentium voces, et dicentium, Facilis est ad Deum reditus, Christus expiavit omnia peccata, Facilis est peccatorum condonatio, quid ergo peccare nocebit? Nec magnopere curanda est poenitentia, etc. [8]). Docemus interim semper, et omnibus peccatoribus aditum patere ad Deum, et hunc omnia, omnibus fidelibus condonare peccata, *excepto uno illo peccato, in spiritum sanctum.* Ideoque damnamus et veteres et novos Novatianos, atque Catharos. Damnamus Errores. Marc. 3. Sectae.

6) *necessariam*] in ed. Kindl. legimus *necessaria.* 7) mscr. Tur. *eis* pro *ei.* 8) *etc.* deest in mscr. Tur.

Digitized by Google

imprimis lucrosam papae de poenitentia doctrinam, et contra
Indulgentiae papales. Act. 8. Simoniam eius, Simoniacasque eius indulgentias, illud usurpamus Simonis Petri iudicium, *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti parari pecunijs. Non est tibi pars neque sors in ratione hac. Cor enim*
Satisfactiones. *tuum non est rectum coram Deo.* Improbamus item illos, qui suis satisfactionibus existimant se pro commissis satisfacere peccatis. Nam docemus Christum unum, morte vel passione sua, esse omnium peccatorum satisfactionem, propitiationem vel expiationem: interim tamen, quod et ante
Isa. 53. 1 Cor. 1. diximus, mortificationem carnis urgere non desinimus: addimus tamen hanc non obtrudendam esse Deo superbe pro peccatorum satisfactione, sed praestandam humiliter, pro ingenio filiorum Dei, ut obedientiam novam, gratitudinis ergo, pro consequuta, per mortem et satisfactionem filij Dei, liberatione et plenaria satisfactione.

## DE VERA FIDELIUM IUSTIFICATIONE.

### XV.

Iustificare quid? Iustificare significat Apostolo in disputatione de Iustificatione, peccata remittere, a culpa et poena absolvere, in gratiam recipere, et iustum pronunciare. Etenim ad Ro-
Rom. 8. manos dicit Apostolus, *Deus est, qui iustificat, quis ille, qui condemnet?* opponuntur iustificare et condemnare. Et in
Acto. 13. Actis Apost. dicit Apostolus, *Per Christum annunciatur vobis remissio peccatorum: et ab omnibus, a quibus non potuistis per legem Mosis iustificari, per hunc omnis, qui credit,*
Deut. 25. *iustificatur.* Nam in lege quoque et prophetis legimus, *Si lis fuerit orta inter aliquos, et venerint ad iudicium, iudicent eos iudices, iustificentque iustum, et impient vel condemnent impium.* Et Isaiae capite quinto *Vae illis qui iustificant impium pro muneribus.* Certissimum est autem omnes nos esse natura peccatores et impios, ac coram tribunali Dei convictos impietatis et reos mortis: Iustificari autem, id est, absolvi a peccatis et morte, a iudice Deo, solius Christi gratia, et nullo nostro merito aut respectu. Quid enim apertius,
Rom. 3. quam quod Paulus dixit? *Omnes peccaverunt, et destituuntur gloria Dei. Iustificantur autem gratis, per illius gratiam, per redemptionem, quae est in Christo Iesu.*

Imputativa iustitia. Etenim Christus peccata mundi in se recepit et sustulit, divinaeque iustitiae satisfecit. Deus ergo propter solum Christum passum et resuscitatum, propitius est peccatis nostris, nec illa nobis imputat, imputat autem iustitiam Christi pro nostra: ita ut iam simus non solum mundati a peccatis et

Digitized by Google

purgati, vel sancti, sed etiam donati iustitia Christi, adeoque absoluti a peccatis, morte vel condemnatione, iusti denique ac haeredes vitae aeternae. Proprie ergo loquendo, Deus solus nos iustificat, et duntaxat propter Christum iustificat, non imputans nobis peccata, sed imputans eius nobis justitiam. 2 Cor. 5. Rom. 4.

Quoniam vero nos iustificationem hanc recipimus, non per ulla opera, sed per fidem in Dei misericordiam et Christum, ideo docemus et credimus cum Apostolo, hominem peccatorem iustificari sola fide in Christum, non lege, aut ullis operibus. Dicit enim Apostolus, *Arbitramur fide iustificari hominem absque operibus legis.* Item, *Si Abraham ex operibus iustificatus fuit, habet quod glorietur, sed non apud Deum. Quid enim scriptura dicit? credidit Abraham Deo, et imputatum est ei ad iustitiam. At ei, qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiam.* Et iterum, *Gratia estis servati per fidem, idque non ex vobis, Dei donum est. Non ex operibus, ne quis glorietur*, etc. Ergo quia fides Christum iustitiam nostram recipit, et gratiae Dei in Christo omnia tribuit, ideo fidei tribuitur iustificatio, maxime propter Christum, et non ideo, quia nostrum opus est. Donum enim Dei est. Caeterum nos Christum fide recipere multis ostendit Dominus, apud Joan. in cap. 6. ubi pro credere ponit [1]) manducare, et pro manducare, credere. Nam sicut [2]) manducando, cibum recipimus, ita credendo participamus Christo [3]). Itaque iustificationis beneficium non partimur, partim gratiae Dei, vel Christo, partim nobis, aut dilectioni operibusve [4]), vel merito nostro, sed in solidum gratiae Dei in Christo per fidem tribuimus [5]). Sed et non possent Deo placere dilectio et opera nostra, si fierent ab iniustis: proinde oportet nos prius iustos esse, quam diligamus aut faciamus opera iusta. Iusti vere efficimur, quemadmodum diximus, per fidem in Christum, mera gratia Dei, qui peccata nobis non imputat, sed iustitiam Christi, adeoque fidem in Christum ad iustitiam nobis imputat [6]). Apostolus praeterea apertissime dilectionem derivat ex fide, dicens, *Finis praecepti est charitas, ex puro corde, conscientia bona, et fide non ficta.* Rom. 3. Rom. 4. Gen. 15. Ephes. 2. 1 Tim. 1.

Iustificamur per solam fidem.

Fide nos recipere Christum.

Iustificatio non tribuitur partim Christo vel fidei, partim nobis.

Quapropter loquimur in hac causa, non de ficta fide [7]), de inani et ociosa, aut mortua, sed de fide viva, vivificanteque, quae propter Christum, qui vita est et vivificat, quem comprehendit, viva est et dicitur, ac se vivam esse vivis declarat

Confertur Iacobus cum Paulo.

---

1) *ponit*] mscr. Tur. *reponit.* 2) *Nam sicut*] mscr. Tur. *Ut autem.* 3) ed. Kindl. *Christum.* 4) *operibusve*] h. v. deest in mscr. Tur. 5) *per fidem tribuimus*] haec v. in mscr. Tur. desunt. 6) *in Christum ad iustitiam nobis imputat*] pro his v. scripta extant in mscr. Tur. verba sequentia: *qua recipimus iustitiam Christi imputat.* 7) mscr. Tur. *fide ficta.*

Digitized by Google

operibus. Nihil itaque contra hanc nostram doctrinam pugnat
Iacob. 2. Iacobus [8]), qui de fide loquitur inani et mortua, quam quidam iactabant, Christum autem intra se viventem per fidem non habebant. Idem ille dixit, opera iustificare, non contradicens Apostolo (reijciendus alioqui) sed ostendens Abrahamum vivam iustificantemque fidem suam declaravisse per opera. Id quod omnes pij faciunt, qui tamen [9]) soli Christo,
Gal. 2. nullis suis operibus fidunt. Iterum enim Apostolus dixit, *Vivo iam non ego, sed vivit in me Christus. Vitam autem, quam nunc vivo in carne, per fidem vivo filij Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. Non aspernor gratiam Dei. Num si per legem est iustitia: igitur Christus frustra mortuus est*, etc.

## DE FIDE ET BONIS OPERIBUS, EORUMQUE MERCEDE, ET MERITO HOMINIS.

## XVI.

Fides quid? Fides enim Christiana non est opinio ac humana persuasio, sed firmissima fiducia et evidens ac constans animi assensus, denique certissima comprehensio veritatis Dei, propositae in scripturis et symbolo Apostolico, atque adeo Dei ipsius summi boni, et praecipue promissionis divinae, et Christi, qui omnium promissionum est colophon. Haec autem [1])
Fides Dei donum. fides, merum est Dei donum, quod solus Deus ex gratia sua, electis suis, secundum mensuram, et quando, cui [2]), et quantum ipse vult, donat, et quidem per spiritum sanctum, mediante praedicatione evangelij, et oratione fideli. Haec
Incrementa fidei. etiam sua habet incrementa: quae nisi et ipsa darentur a
Luc. 17. Deo, non dixissent Apostoli, *Domine adauge nobis fidem.*

Et haec quidem omnia, quae hactenus de fide diximus,
Hebr. 11. ante nos ita docuerunt Apostoli. Paulus enim, *Est autem fides*, inquit, *eorum, quae sperantur, ὑπόστασις, vel subsistentia firma, et earum rerum, quae non videntur, ἔλεγχος, id est* [3]), *evidens et certa rei comprehensio.* Et idem iterum,
2 Cor. 1. *Quotquot sunt promissiones Dei*, inquit, *per Christum sunt*
Philip. 1. *etiam et per ipsum Amen.* Ad Philipp. idem ait *donatum*
Rom. 12. *esse ipsis, ut credant in Christum.* Item, *Deus unicuique*
2 Thess. 3. *partitus est mensuram fidei.* Rursus, *Non omnium est fides*
Rom. 10. ait, *neque obediunt omnes evangelio.* Sed et Lucas testatur
Act. 13. et ait, *Et crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam.*
Tit. 1. Unde idem iterum fidem nuncupat, *fidem electorum Dei.* Et

---

8) *Iacobus*] mscr. Tur. *Iacobus ille*,. 9) mscr. Tur. *tantum* pro *tamen*.

1) mscr. Tur. *inquam* pro *autem*. 2) *cui* deest in mscr. Tur. 3) *id est*] desunt h. v. in mscr. Tur.

Digitized by Google

iterum, *Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Alibi saepe iubet orare pro fide. Idem ille Apostolus *fidem* vocat *efficacem* et *sese exerentem per dilectionem.* Illa conscientiam quoque pacificat, et liberum ad Deum aditum aperit, ut cum fiducia ad ipsum accedamus, et obtineamus ab eo utilia et necessaria. Eadem retinet nos in officio, quod Deo debemus et proximo [4]), et in adversis patientiam firmat, et confessionem veram format atque facit et ut uno verbo omnia dicam, omnis generis bonos fructus, et bona opera progignit. Gal. 5. Fides efficax et operativa.

Docemus enim vere bona opera enasci ex viva fide, per spiritum sanctum, et a fidelibus fieri secundum voluntatem vel regulam verbi Dei. Nam Petrus Apostolus, *Omni adhibito studio*, inquit, *subministrate in fide vestra virtutem, in virtute vero scientiam, in scientia vero temperantiam*, etc. Diximus autem antea legem Dei, quae voluntas Dei est, formulam nobis praescribere bonorum operum. Et Apostolus ait, *Haec est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis ab immunditia, et ne quis opprimat aut fraudet in negotio fratrem suum.* Etenim non probantur Deo opera, et nostro arbitrio delecti cultus, quos Paulus nuncupat ἐθελοθρησκείας. De quibus et Dominus [5]) in Evangelio, *Frustra me colunt*, ait, *docentes doctrinas, praecepta hominum.* Improbamus ergo huiusmodi opera: approbamus et urgemus illa, quae sunt ex voluntate et mandato Dei. Illa ipsa fieri debent, non ut his promereamur vitam aeternam: *Donum Dei enim* [6]) *est*, ut Apostolus ait, *vita aeterna:* neque ad ostentationem, quam reiecit Dominus Matth. 6. neque ad quaestum, quem et ipsum reiecit, Matth. 23. sed ad gloriam Dei, ad ornandam vocationem nostram, gratitudinemque Deo praestandam, et ad utilitatem proximi. Rursus enim Dominus noster in evangelio dicit, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera* [7]), *et glorificent patrem qui in coelis est.* Sed et Apostolus Paulus, *Ambulate digne vocatione vestra.* Item, *quicquid egeritis*, inquit, *aut sermone aut facto, omnia in nomine Iesu facite, gratias agentes Deo et patri per illum.* Idem, *Nemo quod suum est quaerat, sed quisque quod alterius.* Et, *Discant et nostri bona opera tueri ad necessarios usus, ut non sint infrugiferi.* De bonis operibus. 2 Pet. 1. 1 Thess. 4. Opera electitia humana. Coloss. 2. Matth. 15. Finis bonorum operum. Coloss. 3. Matth. 5. Ephes. 4. Coloss. 3. Philip. 4. Tit. 3.

Quamvis ergo doceamus cum Apostolo hominem gratis iustificari per fidem in Christum, et non per ulla opera bona, non ideo tamen vilipendimus aut condemnamus opera bona. Cum sciamus hominem nec conditum nec regenitum esse per fidem, ut ociotur, sed potius, ut indesinenter quae bona et utilia sunt faciat. Etenim in evangelio dicit Dominus, *Bona* Bona opera non reiecta. Matth. 12.

4) *quod Deo debemus et proximo*] h. v. desunt in mscr. Tur. 5) mscr. Tur. add. *loquens.* 6) mscr. Tur. *enim Dei.* 7) Kindl. *opera bona.*



Digitized by Google

Ioan. 15. *arbor bonum fructum adfert.* Et iterum, *Qui in me manet,*
Ephes. 2. *plurimum fructum adfert* [8]). Denique [9]) apostolus, *Dei sumus creatura*, ait, *conditi in Christo Iesu ad opera bona, quae praeparavit Deus, ut in eis ambulemus.* Et iterum,
Titum 2. *Qui tradidit semetipsum pro nobis, ut redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum.* Damnamus itaque omnes qui bona opera contemnunt, non curanda et inutilia esse blaterant. Interim, quod et antea dictum est, non sentimus per opera bona nos servari, illaque ad salutem ita esse necessaria, ut absque illis nemo unquam sit servatus. Gratia enim soliusque Christi beneficio servamur. Opera necessario ex fide progignuntur. Ac improprie his salus attribuitur: quae proprijssime ascribitur gratiae. Notissima enim est illa Apostoli sententia, *Si per gratiam, iam non ex operibus: quandoquidem gratia, iam non est gratia. Sin ex operibus, iam non ex gratia: quandoquidem iam opus, non est opus.*

Non servamur per bona opera.

Rom. 11.

Placent vero approbanturque a Deo opera, quae a nobis fiunt, per fidem. Quia illi placent Deo, propter fidem in Christum, qui faciunt opera bona, quae insuper per spiritum sanctum ex gratia Dei sunt facta. S. Petrus enim, *In qua-vis gente*, inquit, *qui timet ipsum et operatur iustitiam, is acceptus est illi.* Et Paulus, *Non desinimus orare pro vobis, ut ambuletis digne Domino, ut per omnia placeatis, in omni opere bono fructificantes.* Itaque veras non falsas, aut philosophicas virtutes, vere bona opera, et genuina christiani hominis officia, sedulo docemus, et quanta possumus diligentia vehementiaque omnibus inculcamus, vituperantes omnium illorum et desidiam et hypocrisin, qui ore Evangelium laudant et profitentur, vita autem turpi dedecorant, proponentes hac in causa, horribiles Dei minas, amplas denique promissiones Dei, et liberalia praemia, exhortando, consolando, et obiurgando.

Opera bona placent Deo.

Act. 10.

Coloss. 1.

Veras non falsas et philosophicas virtutes docemus.

Etenim docemus Deum bona operantibus, amplam dare mercedem, iuxta illam prophetae sententiam, *Cohibe vocem tuam a fletu: quoniam erit merces operi tuo.* In Evangelio quoque dixit Dominus, *Gaudete et exultate, quia merces vestra multa est in coelis. Et qui dederit uni ex minimis meis poculum aquae frigidae, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Referimus tamen mercedem hanc, quam dominus dat, non ad meritum hominis accipientis, sed ad bonitatem, vel liberalitatem, et veritatem Dei promittentis atque dantis, qui cum nihil debeat cuiquam, promisit tamen

Deus retribuit operibus nostris mercedem.

Ierem. 31.

Isaiae 4.

Matth. 5. 10.

---

8) *Et iterum, Qui .... adfert]* desunt haec v. in mscr. Tur.
9) mscr. Tur. *Et* pro *Denique.*

Digitized by Google

se suis cultoribus fidelibus mercedem daturum: qui interim dat eis etiam, ut ipsum colant. Sunt multa praeterea indigna Deo, et imperfecta plurima inveniuntur in operibus etiam sanctorum: quia vero Deus recipit [10]) in gratiam et complectitur propter Christum operantes, mercedem eis promissam persolvit. Alioqui enim iustitiae nostrae comparantur panno menstruatae [11]). Sed et Dominus dicit in Evangelio, *Cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Isaiae 64. Luc. 17.

Merita hominum nulla sunt.

Tametsi ergo doceamus mercedem dari a Deo nostris benefactis, simul tamen docemus cum Augustino, coronare Deum in nobis non merita nostra, sed dona sua. Et proinde quicquid accipimus mercedis, dicimus gratiam quoque esse, et magis quidem gratiam quam mercedem: quod quae bona facimus, per Deum magis, quam per nos ipsos facimus: et quo Paulus dicat, *Quid habes, quod non accepisti? Si vero accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et quod hinc collegit beatus martyr Cyprianus, In nullo nobis gloriandum esse, quando nostrum nihil sit. Damnamus ergo illos, qui merita hominum sic defendunt, ut [12]) evacuent gratiam Dei. 1 Cor. 4.

## DE CATHOLICA ET SANCTA DEI ECCLESIA, ET UNICO CAPITE ECCLESIAE.

### XVII.

Semper fuit ecclesia et erit semper.

Quando autem Deus ab initio salvos voluit fieri homines, et ad agnitionem veritatis venire, oportet omnino semper fuisse, nunc esse, et ad finem usque seculi futuram esse Ecclesiam, id est, e mundo evocatum vel collectum coetum fidelium, sanctorum inquam omnium communionem, eorum videlicet, qui Deum verum, in Christo servatore, per verbum et spiritum sanctum, vere cognoscunt, et rite colunt, denique omnibus bonis per Christum gratuito oblatis fide participant [1]). Sunt isti omnes unius civitatis cives, viventes sub eodem domino, sub iisdem legibus, in eadem omnium [2]) bonorum participatione. Sic enim hos *concives sanctorum et domesticos Dei* appellavit Apostolus: Sanctos appellans fideles in terris, sanguine filij Dei sanctificatos. De quibus omnino intelligendus est Symboli articulus, Credo sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem.

Ecclesia quid?

Cives unius civitatis.

Ephes. 2. 1 Cor. 6.

Una duntaxat omnium temporum ecclesia.

Et cum semper unus modo sit Deus, unus mediator Dei et hominum Iesus Messias, unus item gregis universi pastor,

10) mscr. Tur.: *recepit.* 11) Kindl. *menstruato.* 12) In edit. Kindl. extat *et* pro *ut* typographorum errore.

1) *participant*] mscr. Tur. *percipiunt.* 2) *in eadem omnium*] mscr. Tur. *in eadem domo, omniumque.*



Digitized by Google

unum huius corporis caput, unus denique spiritus, una salus, una fides, unum testamentum vel foedus, necessario consequitur unam duntaxat esse Ecclesiam: quam propterea catholicam nuncupamus, quod sit universalis, et diffundatur per omnes mundi partes, et ad omnia se tempora extendat, nullis vel locis inclusa vel temporibus. Damnamus ergo Donatistas, qui ecclesiam in nescio quos Africae coarctabant angulos. Nec Romanensem approbamus clerum, qui solam prope Romanam Ecclesiam venditat pro catholica.

Catholica ecclesia.

Partes vel species ecclesiae.

Militans et Triumphans.

Diducitur quidem ecclesia in partes vel species varias, non quod divisa aut divulsa sit in semetipsa [3]), sed magis propter membrorum in ipsa diversitatem distincta. Aliam enim faciunt ecclesiam militantem, aliam vero triumphantem. Militat illa adhuc in terris, et certat cum carne, cum mundo, et principe mundi huius diabolo, cum peccato atque morte. Haec vero rude iam donata, in coelo triumphat, de istis devictis omnibus, et exultat coram Domino: nihilominus habent illae inter sese communionem, vel coniunctionem.

Particularis.

Et militans in terris ecclesia semper plurimas habuit particulares ecclesias, quae tamen omnes ad unitatem catholicae ecclesiae referuntur. Haec aliter fuit instituta ante legem inter patriarchas, aliter sub Mose per legem, aliter a Christo per Evangelium. Vulgo numerantur fere duo populi, Israelitarum videlicet et gentium, vel eorum, qui ex Iudaeis et gentibus collecti sunt in ecclesiam, testamenta item duo, vetus et novum. Omnium tamen horum populorum una fuit et est societas, una salus in uno Messia, in quo ceu membra unius corporis sub unum caput connectuntur omnes, in eadem fide, etiam de eodem cibo et potu spirituali participantes. Agnoscimus hic tamen diversa fuisse tempora, diversa symbola, promissi et exhibiti Messiae, sublatisque caerimonialibus, lucem nobis illustriorem lucere, et dona auctiora [4]) donari, et libertatem esse pleniorem.

Duo populi.

Eadem ecclesia veteris et novi populi.

Haec ecclesia Dei sancta, vocatur domus Dei viventis, extructa ex lapidibus vivis et spiritualibus, et imposita super petram immotam, super fundamentum, quo aliud collocari non potest: et ideo nuncupatur etiam columna et basis veritatis. Non errat illa, quandiu innititur petrae Christo et fundamento prophetarum et Apostolorum. Nec mirum si erret, quoties deserit illum, qui solus est veritas. Vocatur ecclesia etiam virgo ac sponsa Christi, et quidem unica et dilecta. Apostolus enim, *Adiunxi vos*, inquit, *uni viro, ut virginem castam exhiberetis Christo*. Vocatur ecclesia grex ovium sub uno pastore Christo, idque apud Ezech. in cap. 34. et

Ecclesia domus Dei viventis.

1 Tim. 3.

Ecclesia non errat.

Ecclesia sponsa et virgo.

2 Cor. 11.

Ecclesia grex ovium.

3) *in semetipsa*] Sic mscr. Tur.; Ed. Tur. 1568.: *in semetipsum.*; Ed. Oxon. et Kindl.: *in semetipsam.* 4) *auctiora*] Kindler. typogr. errore *auctora.*

Digitized by Google

apud Ioannem in cap. 10. Vocatur item corpus Christi, quia fideles sunt viva Christi membra, sub capite Christo. Ecclesiae corpus.

Caput est quod in corpore eminentiam habet, et unde corpus vitam haurit, cuius spiritu regitur in omnibus, unde et incrementa et ut crescat habet. Unicum item est corporis caput, et cum corpore habet congruentiam. Ergo ecclesia non potest ullum aliud habere caput quam Christum. Nam ut ecclesia corpus est [5]) spirituale, ita caput habeat sibi congruens spirituale utique oportet. Nec alio potest regi spiritu, quam Christi. Paulus quoque, *Ipse est caput*, inquit, *corporis ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit ipse in omnibus primas tenens.* Et idem iterum, *Christus est*, inquit, *caput ecclesiae, qui idem salutem dat corpori.* Et rursus, *Qui est caput Ecclesiae*, ait, *quae est corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet.* Item, *Adolescamus in illum per omnia, qui est caput nempe Christus: in quo totum corpus si compingatur, incrementum capit.* Non probamus ergo doctrinam Cleri Romani, facientis suum illum Rom. Pont. catholicae in terris ecclesiae militantis, pastorem universalem, caput summum, adeoque verum Christi vicarium, qui habeat in ecclesia plenitudinem, ut vocant, potestatis, et dominium supremum. Docemus enim Christum Dominum esse, et manere unicum pastorem universalem, summum item Pontificem coram Deo patre, ac in ecclesia ipsum omnia pontificis vel pastoris obire munia, ad finem usque seculi, ideoque nullo indigere vicario, qui absentis est. Christus vero praesens est ecclesiae, et caput vivificum. Hic Apostolis suis apostolorumque successoribus primatum et dominium in ecclesia severissime prohibuit. [Quicunque ergo huic illustri veritati contradicentes reluctantur, et in Ecclesiam Christi, diversam inducunt gubernationem, quis non videat eos illis potius esse accensendos, de quibus Apostoli Christi vaticinantur, Petrus 2 Pet. 2. et Paulus Acto. 20. [6]) 2 Corinth. 11. et 2 Thess. 2. et aliis quoque in locis?] [7])

Ecclesiae caput Christus solus.

Coloss. 1.

Ephes. 5.

Ephes. 1.

Ephes. 4.

Christus unicus Ecclesiae pastor. Vicarius.

Primatus in ecclesia nullus.

Sublato autem capite Romano, nullam inducimus in Ecclesiam Christi ἀταξίαν, vel perturbationem: cum doceamus gubernationem ecclesiae, ab Apostolis traditam, nobis sulli-

Nulla in ecclesia ἀταξία.

---

5) Kindl. *est corpus.* 6) mscr. Tur. addit *item.* 7) Huius sententiae loco primum haec legebantur: „*Quae vero Romanenses fingunt de ministeriali capite et titulo servi servorum Dei minime recipimus. Experimur enim voces illas inanes iactari et papam sese constituere adversarium Christi et efferre se adversus Deum, adeo ut in templo Dei sedeat ostentans se ipsum esse Deum.* II Thess. 2.“ Sed haec teste mscr. Tur. Bull. ipse deleta voluit, eorumque loco ea, quae supra leguntur, ipsa sua manu scripsit in scidula, quam ita chartae agglutinavit, ut prius scripta legi non possent.

Digitized by Google

cere ad retinendam in iusto ordine Ecclesiam, quae ab initio, dum huiusmodi capite Romano, quale hodie dicitur Ecclesiam conservare in ordine, caruit, atactica vel inordinata non fuit. Servat quidem caput Romanum tyrannidem suam, et corruptelam inductam in ecclesiam: sed impedit interim, oppugnat, et quantis potest viribus excindit iustam ecclesiae reformationem.

Dissidia et certamina in ecclesia.

Obiicitur nobis varia esse in ecclesiis nostris certamina atque dissidia, posteaquam se a Romana separarunt Ecclesia, proinde non esse eas ecclesias veras. Quasi vero nullae unquam fuerint in ecclesia Romana sectae, nulla unquam dissidia atque certamina, et quidem de religione, non tam in scholis, quam in cathedris sacris, in medio populi instituta. Agnoscimus sane dixisse apostolum, *Deus non est Deus dis-*

1 Cor. 14. *sensionis, sed pacis.* Et, *Cum sint in vobis aemulatio et contentio, an non carnales estis?* negari tamen non potest, Deum fuisse in ecclesia apostolica, et apostolicam ecclesiam fuisse ecclesiam veram, in qua tamen fuerunt concertationes et dissidia. Reprehendit enim Petrum apostolum apostolus

Galat. 2. Acto. 15. Paulus, ab hoc dissidet Barnabas. Certamen grave exoritur in Ecclesia Antiochena inter eos, qui unum Christum praedicabant: sicut commemorat in Actis Apostolicis cap. 15. Gravia semper fuerunt in ecclesia certamina, et dissenserunt inter se, de rebus non levibus, doctores ecclesiae praeclarissimi, ut ex his contentionibus interim ecclesia non id esse desineret, quod erat. Ita enim placet Deo, dissidiis ecclesiasticis uti, ad gloriam nominis sui, ad illustrandam denique veritatem, et ut qui probati sunt, manifesti fiant.

De notis vel signis verae Ecclesiae.

Caeterum ut non agnoscimus aliud caput Ecclesiae quam Christum, ita non agnoscimus quamlibet ecclesiam, quae se venditat pro vera, veram esse ecclesiam: sed illam docemus veram esse ecclesiam, in qua signa vel notae inveniuntur ecclesiae verae, imprimis vero verbi Dei [8]) legitima vel syncera praedicatio, prout nobis est tradita in libris prophetarum et Apostolorum, qui omnes ad Christum deducunt: qui in Evangelio dixit, *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non*

Ioan. 10. *noverunt vocem alienorum.* Et qui tales sunt in ecclesia, hi unam habent fidem, unum spiritum, et idcirco unum solum Deum adorant, solum hunc in spiritu et veritate colunt, hunc ex toto corde, et omnibus viribus solum diligunt, solum per Christum mediatorem et intercessorem unicum invocant, extra Christum fidemque in ipsum, nullam quaerunt iustitiam et vitam. Quia Christum solum caput et fundamentum ecclesiae

8) Kindl. *divina.*

Digitized by Google

agnoscunt, ac super hoc impositi quotidie se poenitentia reparant, patientia impositam ipsis crucem ferunt, sed et charitate non ficta, cum omnibus Christi membris connexi, hac se declaranti discipulos esse Christi [9]), perseverando in vinculo pacis atque unitatis sanctae. Simul et participant sacramentis a Christo institutis, et ab Apostolis traditis: neque his aliter utuntur, quam uti acceperunt a Domino. Notum est enim omnibus illud Apostoli, *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis.* Proinde damnamus illas [10]) ecclesias, ut alienas a vera Christi ecclesia, quae [11]) tales non sunt, quales esse debere audivimus, utcunque interim iactent successionem Episcoporum, Unitatem, et Antiquitatem. Quinimo praecipiunt nobis Apostoli, ut fugiamus idololatriam et Babylonem, et ne participemus cum hac, nisi et plagarum Dei participes esse velimus. 1 Cor. 11. 1 Cor. 10. 1 Ioan. 5. Apoc. 18. 2 Cor. 6.

Communionem vero cum ecclesia Christi vera, tanti facimus, ut negemus eos coram Deo vivere posse qui cum vera Dei ecclesia non communicant, sed ab ea se separant. Nam ut extra aream Noë non erat ulla salus, pereunte [12]) mundo in diluvio, ita credimus extra Christum, qui se electis in ecclesia fruendum praebet, nullam esse salutem certam: et proinde docemus vivere volentes, non oportere separari a vera Christi ecclesia. Extra ecclesiam Dei nulla salus.

Signis tamen commemoratis, non ita arcte includimus ecclesiam, ut omnes illos extra ecclesiam esse doceamus, qui vel sacramentis non participant, non quidem volentes, neque per contemptum, sed necessitate potius inevitabili coacti, nolentes ab ijs abstineant, aut ijs careant [13]): vel in quibus aliquando deficit fides, non tamen penitus extinguitur, aut prorsus desinit: vel in quibus infirmitatis [14]) vitia atque errores inveniuntur. Scimus enim Deum aliquot habuisse in mundo amicos, extra Israëlis rempublicam. Scimus quid populo Dei evenerit in captivitate Babylonica, in qua sacrificijs suis caruerunt annis septuaginta. Scimus quid evenerit S. Petro negatori, et quid quotidie evenire soleat electis Dei fidelibus [15]), errantibus et infirmis. Scimus praeterea, quales apostolorum temporibus fuerint Galatarum et Corinthiorum ecclesiae, in quibus multa et gravia accusat apostolus scelera, et tamen nuncupat easdem sanctas Christi ecclesias. Quinimo fit aliquando, ut Deus iusto iudicio veritatem verbi sui, fidemque catholicam, et cultum Dei legitimum sic obscu- Ecclesia non alligata est signis.

---

9) Kindl. perperam: *Christi discipulos esse Christi.* 10) mscr. Tur. *omnes* pro *illas.* 11) *quae*] mscr. Tur. *quotquot.* 12) mscr. Tur. *pereunti.* 13) *abstineant aut ijs careant*] Kindl.: *abstinent aut iis carent.* 14) *infirmitatis*] mscr. Tur. *infirmitates.* 15) *fidelibus*] mscr. Tur. *filijs.*

Digitized by Google

Ecclesia aliquando videtur extincta. 1 Reg. 19. Apoc. 7. 2 Tim. 2.

rari et convelli sinat, ut prope videatur extincta et nulla amplius superesse ecclesia: sicuti factum videmus Heliae, et alijs temporibus. Interim habet Deus in hoc mundo, et in hisce tenebris suos illos veros adoratores, nec paucos, sed septem millia ac plures. Nam et Apostolus clamat, *Solidum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc, Novit Dominus qui sunt sui*, etc. [16]) Unde et ecclesia invisibilis appellari potest, non quod homines sint invisibiles, ex quibus ecclesia colligitur, sed quod oculis nostris absconsa, Deo autem soli nota, iudicium humanum saepe subterfugiat.

Non omnes sunt ex ecclesia qui sunt in ecclesia.

Rursus non omnes qui numerantur in ecclesia, sancti et viva atque vera sunt ecclesiae membra. Sunt enim hypocritae multi, qui foris verbum Dei audiunt, et sacramenta palam percipiunt, Deum quoque per Christum invocare solum, Christum confiteri iustitiam suam unicam, Deum item colere, et charitatis officia exercere, patientiaque in calamitatibus ad tempus perdurare videntur: sed intus vera spiritus illuminatione, et fide animique synceritate, et finali [17]) perseverantia destituuntur. Qui etiam quales sint, tandem detegunturfere. 1 Ioan. 2. Ioannes enim Apostolus, *Exierunt ex nobis*, inquit, *sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Et tamen dum hi simulant pietatem, licet ex ecclesia non sint, numerantur tamen in ecclesia: sicuti proditores in republica, priusquam detegantur, numerantur et ipsi inter cives: et quemadmodum lolium vel zizania et palea inveniuntur in tritico: aut sicut strumae et tumores inveniuntur in integro corpore, cum revera morbi et deformitates sint [18]) verius corporis quam membra vera. Matth. 13. Proinde ecclesia Dei recte comparatur sagenae, quae omnis generis pisces attrahit, et agro, in quo inveniuntur et zizania et triticum. Ubi maxime cavere oportet, ne ante tempus iudicemus, et excludere abiicereque, aut excindere conemur eos, quos Dominus excludi abiicique non vult, aut quos sine iactura ecclesiae separare non possumus. Rursus vigilandum est, ne stertentibus pijs, impij proficiendo, damnum dent ecclesiae.

Ne temere ot ante tempus iudicemus.

Unitas ecclesiae non est in externis ritibus.

Observandum praeterea diligenter docemus, in quo potissimum sit sita veritas et unitas ecclesiae, ne temère schismata excitemus, et in ecclesia foveamus. Sita est illa non in caeremoniis et ritibus externis, sed magis in veritate [19]) et unitate fidei catholicae. Fides catholica, non est nobis tradita humanis legibus, sed scriptura divina, cuius compendium, est symbolum apostolicum. Unde legimus apud veteres ri-

16) *qui sunt sui, etc.*] mscr. Tur. *qui sint sui.* 17) *finali* deest in mscr. Tur. 18) Kindl. *sunt.* 19) *veritate et* desunt in mscr. Tur.

Digitized by Google

tuum fuisse diversitatem variam, sed eam liberam, qua nemo unquam existimavit dissolvi unitatem ecclesiasticam. In dogmatibus itaque, et in vera concordique praedicatione evangelij Christi, et in ritibus a Domino diserte traditis, dicimus veram ecclesiae constare concordiam: ubi illam maxime Apostoli sententiam urgemus, *Quotquot itaque perfecti sumus, hoc sentiamus. Quod si quid aliter sentitis, hoc quoque vobis Deus revelabit. Attamen in eo ad quod pervenimus, eadem incedamus regula, et itidem simus affecti.* Philipp. 3.

## DE MINISTRIS ECCLESIAE,

### IPSORUMQUE INSTITUTIONE ET OFFICIIS.

### XVIII.

Deus ad colligendam vel constituendam sibi Ecclesiam, eandemque gubernandam et conservandam, semper usus est ministris, ijsque utitur adhuc, et utetur porro, quoad ecclesia in terris fuerit. Ergo ministrorum origo, institutio et functio vetustissima et ipsius Dei, non nova aut hominum est ordinatio. Posset sane Deus sua potentia immediate sibi adiungere ex hominibus ecclesiam, sed maluit agere cum hominibus per ministerium hominum. Proinde spectandi sunt ministri non ut ministri duntaxat per se, sed sicut ministri Dei, utpote per quos Deus salutem hominum operatur. Unde cavendum monemus [1]), ne ea quae sunt conversionis nostrae et institutionis, ita occultae virtuti spiritus sancti attribuamus, ut ministerium ecclesiasticum evacuemus. Nam convenit nos semper esse memores verborum Apostoli, *Quomodo credent, de quo non audierunt? Quomodo autem audient absque praedicante? Ergo fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Et quod Dominis dixit in evangelio, *Amen amen dico vobis, qui recipit, quencunque misero, me recipit, qui autem me recipit, recipit eum, qui me misit.* Et quod vir Macedo per visionem Paulo in Asia agenti apparens, submonuit et dixit, *Profectus in Macedoniam, succurre nobis.* Alibi enim idem [2]) Apostolus dixit, *Dei sumus cooperarij, Dei agricolatio et aedificatio estis.* Rursus tamen et hoc cavendum est, ne ministris et ministerio nimium tribuamus, memores etiam hic verborum Domini, dicentis in evangelio, *Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum.* Et verborum Apostoli, *Quis igitur est Paulus? quis autem Apollo* [3]), *nisi ministri per quos credidistis? et ut cuique Dominus dedit?*

Deus ministris utitur in ecclesia instituenda.

Institutio et origo ministrorum.

Non contemnendum ministerium.

Rom. 10.

Ioan. 13.

Act. 16.

1 Cor. 3.

Ioan. 6.

1 Cor. 3.

1) *monemus*] mscr. Tur. *monemur.* 2) *idem* deest in ed. Kindl. 3) mscr. Tur. *Apollos.*

Digitized by Google

*Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus dedit incrementum. Itaque non qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui dat incrementum Deus.* Credamus ergo Deum verbo suo nos docere foris per ministros suos, intus autem commovere electorum suorum corda ad fidem per spiritum sanctum [4]): ideoque omnem gloriam totius huius beneficii referendam esse ad Deum. Sed ea de re dictum est et I. cap. huius Exposit.

Deus commovet corda.

Et quidem ab initio mundi, usus est Deus [5]) omnium praestantissimis in mundo (simplicibus quidem pluribus in mundana sapientia vel philosophia, sed excellentissimis in vera theologia) hominibus, patriarchis videlicet, cum quibus non raro colloquutus est per angelos. Fuerunt enim patriarchae, sui seculi prophetae sive doctores, quos Deus hoc nomine aliquot voluit secula vivere, ut essent veluti patres et lumina orbis. Sequutus est illos Moses cum prophetia, per universum mundum celeberrimis. Quid quod post [6]) hos misit pater coelestis filium suum unigenitum, doctorem mundi absolutissimum, in quo est abscondita divina illa sapientia, et in nos derivata, per sacratissimam simplicissimamque et omnium perfectissimam doctrinam. Allegit enim ille sibi discipulos, quos fecit apostolos. Hi vero exeuntes in mundum universum, collegerunt ubique ecclesias, per praedicationem Evangelij, deinde vero per omnes mundi ecclesias, ordinarunt pastores, atque doctores, ex praecepto Christi, per quorum successores [7]), hucusque ecclesiam docuit ac gubernavit [8]). Itaque ut Deus [9]) veteri populo dedit patriarchas una cum Mose et prophetis: ita novi testamenti populo misit suum unigenitum filium una cum apostolis, et doctoribus ecclesiae.

Quos et quales ministros dederit Deus orbi.

Christus doctor.

Porro ministri novi populi, varijs nuncupantur appellationibus. Dicuntur enim Apostoli, Prophetae, Evangelistae, Episcopi, Presbyteri, Pastores atque Doctores. Apostoli nullo certo consistebant loco, sed per orbem varias colligebant ecclesias. Quae ubi iam constitutae erant, desierunt esse apostoli, ac subierunt quique in sua ecclesia [10]) in locum istorum pastores. Prophetae quondam praescij futurorum, vates erant: sed et scripturas interpretabantur. Quales etiam hodie adhuc inveniuntur. Evangelistae appellabantur scriptores evangelicae historiae, sed et praecones evangelii Christi: quomodo et Paulus Timotheum iubet im-

Ministri novi testamenti. 1 Cor. 12. Ephes. 4.

Apostoli.

Prophetae.

Evangelistae.

---

4) *per spiritum sanctum*] desunt haec v. in mscr. Tur. 5) *Deus* vocab. deest apud Kindl. 6) *Quid quod*] Kindl.: *quid?* omisso pronom. *quod*. 7) *quorum successores*] mscr. Tur. *quos*. 8) mscr. Tur. inverso ordine: *docuit ac guvernavit ecclesiam*. 9) Verba *ut Deus* et *ita* particula desunt in mscr. Tur., sed additur in eodem post verbum *novi* particula *autem*. 10) *quique in sua ecclesia*] Haec verba desunt in mscr. Tur. et pro *istorum* exhibet *ipsorum*.

Digitized by Google

plere opus evangelistae. Episcopi vero, sunt inspectores vigilesque ecclesiae, qui victum et necessaria ecclesiae dispensant. Presbyteri sunt seniores, et quasi senatores, patresque ecclesiae, gubernantes ipsam consilio salubri. Pastores ovile Domini, et custodiunt, et ei de [11]) rebus prospiciunt necessarijs. Doctores erudiunt, et veram fidem pietatemque [12]) docent. Licebit ergo nunc ecclesiarum ministros nuncupare Episcopos, Presbyteros, Pastores atque Doctores. Episcopi. Presbyteri. Pastores. Doctores.

Sequentibus porro temporibus, multo plures in ecclesiam Dei inductae sunt nuncupationes ministrorum in ecclesia [13]). Alii enim ordinati sunt Patriarchae, alii Archiepiscopi, alii Suffraganei, item Metropolitani, Archipresbyteri, Diaconi quoque, Subdiaconi, Acoluthi, Exorcistae, Cantores, Ianitores, et nescio qui alii, ut Cardinales, Praepositi, et Priores, Patres minores et maiores, ordines maiores et minores: At de his omnibus nihil sumus nos soliciti, quales olim [14]) fuerint, aut nunc sint. Sufficit nobis apostolica de ministris doctrina. Ordines pastorum.

Ita cum sciamus certo Monachos et monachorum ordines vel sectas, neque a Christo, neque ab Apostolis esse institutas, docemus, nihil eas ecclesiae Dei utiles esse, imo perniciosas. Tametsi enim quondam (cum essent Solitarij, et manibus sibi victum quaererent, nec ullis essent oneri, sed pastoribus ecclesiarum ubique parerent, ut Laici) fuerint tolerabiles, tamen nunc, quales sint videt, et sentit universus orbis. Praetexunt nescio quae vota, et vivunt votis suis vitam prorsus contrariam: ut prorsus optimi eorum inter eos numerari mereantur, de quibus dixit apostolus, *Audimus* [15]) *quosdam versantes inter vos inordinate, nihil operis facientes, sed curiose agentes. Tales ergo nos in nostris ecclesijs, nec habemus, nec in ecclesijs Christi habendos esse docemus.* De monachis. 2 Thess. 3.

Nemo autem honorem ministerii ecclesiastici usurpare sibi, id est [16]), ad se largitionibus, aut ullis artibus, aut arbitrio proprio, rapere debet. Vocentur et eligantur electione ecclesiastica et legitima ministri ecclesiae: id est, eligantur religiose ab ecclesia, vel ad hoc deputatis ab ecclesia, ordine iusto, et absque turba, seditionibus, et contentione. Eligantur autem non quilibet, sed homines idonei, eruditione iusta et sacra, eloquentia pia, prudentiaque simplici, denique moderatione et honestate vitae insignes, iuxta canonem apostolicum, qui ab apostolo contexitur in 1. ad Tim. 3. cap. et ad Tit. 1. cap. Et qui electi sunt, ordinentur a senio- Vocandi ac eligendi sunt ministri. Ordinatio.

11) *de* in mscr. Tur. deest. 12) *fidem pietatemque*] mscr. Tur. *pictatem.* 13) mscr. Tur. *ecclesiam.* 14) *olim* deest in mscr. Tur. 15) mscr. Tur. *audivimus.* 16) *id est*] mscr. Tur. *ac.*

Digitized by Google

ribus [17]) cum orationibus publicis, et impositione manuum. Damnamus hic omnes qui sua sponte currunt, cum non sint
Ierem. 23. electi, missi, vel ordinati. Damnamus ministros ineptos, et non instructos donis pastori necessarijs. Interim agnoscimus quorundam in veteri ecclesia pastorum simplicitatem innocuam, plus aliquando profuisse ecclesiae, quam quorundam eruditionem variam, exquisitam, delicatamque, sed paulo fastuosiorem. Unde ne hodie quidem reiicimus simplicitatem quorundam probam, nec tamen omnino imperitam. Nuncupant
Omnes pij sacerdotes. sane apostoli Christi omnes in Christum credentes sacerdotes, sed non ratione ministerij, sed quod per Christum, omnes
Exod. 1. 9. 1 Pet. 2. Apoc. 1. fideles facti reges et sacerdotes, offerre possumus spirituales Deo hostias. Diversissima ergo inter se sunt sacerdotium et ministerium. Illud enim commune est Christianis omnibus, ut modo diximus, hoc non item. Nec e modio sustulimus ecclesiae ministerium, quando [18]) repudiavimus ex ecclesia Christi sacerdotium papisticum.

Equidem in novo testamento, Christi non est amplius
Sacerdotes et sacerdotium. tale sacerdotium, quale fuit in populo veteri, quod unctionem habuit externam, vestes sacras et caeremonias plurimas: quae typi fuerunt Christi [19]), qui illa omnia veniens et adimplens,
Hebr. 4. [20]) abrogavit. *Manet autem ipse solus sacerdos in aeternum:* cui ne quid derogemus, nemini inter ministros sacerdotis vocabulum communicamus. Ipse enim Dominus noster, non ordinavit ullos in ecclesia novi testamenti sacerdotes, qui accepta potestate a Suffraganeo, offerant quotidie hostiam, ipsam inquam carnem et ipsum sanguinem Domini pro vivis et mortuis, sed qui doceant et sacramenta administrent. Paulus enim simpliciter et breviter, quid sentiamus de novi testa-
Ministri novi testamenti quales. menti, vel de ecclesiae Christianae ministris, et quid eis tribuamus, exponens, *Sic nos aestimet homo*, inquit, *ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Proindo vult Apostolus, ut de ministris sentiamus, tanquam de ministris: ὑπηρέτας vero nuncupavit apostolus subremigatores, qui ad nauclerum unice respiciunt, vel homines non sibi nec suo arbitrio, sed aliis viventes, dominis inquam suis, a quorum mandatis omnino dependent. Nam minister ecclesiae totus et in omnibus suis officiis, non suo arbitrio indulgere, sed illud duntaxat exequi iubetur, quod in mandatis habet a suo domino. Et in praesenti quis sit dominus exprimitur, Christus
Ministri dispensatores mysteriorum Dei. cui in omnibus ministerij negotijs sunt mancipati ministri. Adiicit praeterea quo [21]) ministerium plenius explanet, ministros ecclesiae oeconomos esse vel dispensatores mysteriorum

17) Kindl.: *scnnioribus.* 18) mscr. Tur. *cum* pro *quando.* 19) *Christi* deest in mscr. Tur. 20) mscr. Tur. Hebr. 7. ed. Oxon. Hebr. V. Kindl. Ebr. V, 6. 21) *quo*] mscr. Tur. *quod.*

Digitized by Google

Dei. Mysteria vero Dei multis in locis, imprimis ad Ephes. 3. appellavit Paulus Evangelium Christi. Mysteria nuncupavit etiam[22]) vetustas, Christi sacramenta. Proinde in hoc sunt vocati ministri ecclesiae, ut Evangelium Christi annuntient fidelibus, et sacramenta administrent. Alibi enim legimus in evangelio de fideli servo et prudente, quod cum dominus constituit super familiam suam, ut tempore opportuno det ei cibum suum. Rursus proficiscitur alibi in evangelio peregre homo, relinquens domum, et in hac dat servis suis potestatem vel substantiam suam, et suum cuique opus. Luc. 12.

Nunc ergo commode dicemus etiam quaedam de potestate et officio ministrorum ecclesiae. De potestate hac operosius quidam disputarunt, subdideruntque suae potestati omnia in terris summa, idque contra mandatum domini[23]), qui suis dominium prohibuit, humilitatem autem maximopere commendavit. Revera alia quidem potestas est mera et absoluta, quae et iuris vocatur. Ea potestate Christo domino universorum subiecta sunt omnia: sicuti ipse testatus est et dixit, *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* Et iterum, *Ego sum primus et novissimus, ecce sum vivens in secula seculorum, et habeo claves inferni et mortis.* Item, *Ipse habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit, claudit et nemo aperit.* Hanc potestatem sibi servat Dominus, nec in alium quemquam transfert, ut ipse deinceps ociosus assistat, operantibus ministris spectator. Isaias enim, *Clavem domus David,* inquit, *ponam super humerum eius.* Et iterum, *Cuius imperium erit super humerum eius.* Nam gubernationem non iniicit aliis in suos humeros, sed servat et utitur adhuc potestate sua, gubernans omnia. Alia porro potestas est officij vel ministerialis, limitata ab eo, qui plena utitur potestate. Ea ministerio, quam imperio similior est. Concedit enim dominus aliquis occonomo suo potestatem in domum suam, quo nomine et claves dat, quibus intromittat in domum, vel ex domo excludat, quos Dominus vel intromitti vult vel excludi. Iuxta hanc potestatem, facit minister ex officio, quod a Domino iussus est facere: et dominus ratum habet, quod facit[24]), ipsumque ministri sui factum perinde ut suum, vult aestimari atque agnosci. Quo nimirum pertinent illae Evangelicae sententiae, *Dabo tibi claves regni coelorum,* et, *quicquid alligaveris aut solveris in terra, alligatum aut solutum erit in coelis.* Item, *Quorumcunque remiseritis peccata, remittentur eis, et quorumcunque retinueritis peccata, retenta erunt.* Nisi vero minister res omnes ita expediverit, sicut iussus est a domino suo, sed limites fidei

De potestate ministrorum ecclesiae.

Lucae 22. Mat. 18. 20. Matt. 28. Apoc. 1. 3.

Potestatem veram sibi servat Dominus.

Isaiae 22. Ier. 9.

Postestas officii et ministerialis.

Claves.

Matth. 16. Ioan. 20.

22) Kindl. inverso ordine: *etiam nuncupavit.* 23) *domini* deest in mscr. Tur. 24) mscr. Tur. *fecit.*

Digitized by Google

transilierit, sane irritum habetur a domino, quod fecit. Proinde potestas ecclesiastica ministrorum ecclesiae, est functio illa, qua ministri Ecclesiam Dei gubernant quidem, verum omnia in ecclesia sic faciunt, quemadmodum verbo suo praescripsit dominus: quae cum facta sunt, fideles tanquam ab ipso domino facta reputant. Et de Clavibus, antea quoque dictum est nonnihil [25]).

Una et aequalis potestas ministrorum.

Data est autem omnibus in ecclesia ministris una et aequalis potestas sive functio. Certe ab initio, episcopi vel presbyteri ecclesiam communi opera gubernaverunt: nullus alteri se praetulit, aut sibi ampliorem potestatem dominiumve in coëpiscopos usurpavit. Memores enim verborum domini,

Luc. 22.

*Qui voluerit inter vos primus esse, sit vester servus*, continuerunt se in humilitate, et mutuis officijs iuverunt se invicem in gubernanda et conservanda ecclesia. Interea propter

Ordo servandus.

ordinem servandum, unus aut certus aliquis ministrorum, coetum convocavit, et in coetu res consultandas proposuit, sententias item aliorum collegit, denique ne qua oriretur confusio, pro virili cavit. Sic legitur fecisse in Actis Apostolorum S. Petrus, qui tamen ideo nec aliis fuit praepositus, nec potestate maiore caeteris praeditus. Rectissime enim Cyprianus martyr, de Simplicitate clericorum, Hoc erant utique, inquit, et caeteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, ut ecclesia una monstretur. Refert item S.

Quando et quo modo unus aliis praepositus.

Hieronymus non disparia, in Comment. ad epist. ad Titum Pauli, et dicit, Antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, communi presbyterorum consilio, ecclesiae gubernabantur, postquam vero unusquisque eos, quos baptisaverat, suos putabat, non Christi, decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur caeteris, ad quem omnis ecclesiae cura pertineret, et schismatum semina tollerentur. Hoc tamen decretum Hieronymus, non pro divino venditat. Mox enim subiicit, Sicut presbyteri sciunt se ex ecclesiae consuetudine, ei qui sibi praepositus fuerit esse subiectos: ita episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis dominicae veritate, presbyteris esse maiores, et in communi debere ecclesiam regere. Haec ille, ideoque nemo iure prohibuerit ad veterem ecclesiae Dei constitutionem redire, et illam prae humana consuetudine recipere.

Quae sint ministrorum officia.

Officia ministrorum sunt varia, quae tamen plerique ad duo restringunt, in quibus omnia alia comprehenduntur, ad doctrinam Christi evangelicam, et ad legitimam sacramento-

---

25) *Et de Clavibus*] mscr. Tur.: *de clavibus vero.* Deinde in eodem hoc mscr. deest *nonnihil.*

Digitized by Google

rum administrationem. Ministrorum enim est congregrare coetum sacrum, in hoc exponere verbum Dei, et universam doctrinam accommodare ad rationem usumque ecclesiae, ut ea quae docentur, prosint auditoribus, et aedificent fideles. Ministrorum inquam est, docere imperitos, hortari item, et urgere ad progrediendum in via domini cessantes, aut etiam tardius procedentes, consolari item et confirmare pusillanimes, munireque contra satanae tentationes varias, corripere peccantes, revocare in viam errantes, lapsos erigere, contradicentes revincere, lupos denique ab ovili dominico abigere, scelera item et sceleratos, prudenter et graviter increpare, neque connivere aut tacere ad conscelerationem [26]): sed et sacramenta administrare, usumque eorum iustum commendare, et omnes ad illa percipienda per sanam doctrinam [27]) praeparare, in unitate quoque sancta fideles conservare, et schismata prohibere, denique catechisare rudes, pauperum necessitatem commendare ecclesiae, aegrotantes et varijs impexos tentationibus visitare, instruere, et in via vitae retinere: praeterea orationes publicas, vel supplicationes necessitatis tempore, una cum ieiunio, id est, abstinentia sancta procurare, et omnia quae pertinent ad ecclesiarum tranquillitatem, pacem, et salutem, quam diligentissime curare. Ut autem haec omnia rectius faciliusque possit minister praestare, requiritur ab eo imprimis, ut sit Dei timens, oret sedulo, lectioni sacrae intendat, et in omnibus et semper vigilet, et puritate [28]) vitae omnibus praeluceat. Cumque omnino oporteat esse in ecclesia disciplinam, et apud veteres quondam usitata fuerit Excommunicatio, fuerintque iudicia ecclesiastica in populo Dei, in quibus per viros prudentes et pios exercebatur haec disciplina, ministrorum quoque fuerit, ad aedificationem, disciplinam moderari hanc, pro conditione temporum, status publici, ac necessitate. Ubi semper tenenda est regula, omnia fieri debere ad aedificationem, decenter, honeste, sine tyrannide et seditione. Apostolus enim testatur *sibi a Deo traditam esse in ecclesia potestatem ad aedificationem et non destructionem.* Nam ipsemet Dominus vetuit lolium in agro dominico eradicari, quando periculum sit, ne et triticum evellatur.

Disciplina.

2 Cor. 10.

Matth. 13.

Caeterum execramur in praesenti Donatistarum errorem, qui doctrinam et administrationem sacramentorum, vel efficacem vel inefficacem, ex mala vel bona ministrorum vita aestimant. Scimus enim vocem Christi audiendam esse vel ex malorum ministrorum ore. Quando ipse Dominus dixit,

Ministri quoque mali audiendi.

26) *Scelera item et ..... ad conscelerationem*] desunt haec v. in mscr. Tur. 27) *per sanam doctrinam*] Etiam haec verba desunt in mscr. Tur. 28) Kindl. *puritati.*

Digitized by Google

Matth. 23. *Quae dicunt, facite, secundum opera autem eorum nolite facere.* Scimus sacramenta, ex institutione, et per verbum Christi sanctificari, et efficacia esse pijs, tametsi offerantur ab indignis ministris. De qua re ex scripturis multa contra Donatistas disputavit Beatus Dei servus Augustinus. Atqui debet interim iusta esse inter ministros disciplina. Inquirendum enim diligenter in doctrinam et vitam ministrorum, in
Synodi. synodis. Corripiendi sunt peccantes a senioribus, et in viam reducendi, si sunt sanabiles, aut deponendi, et velut lupi, abigendi sunt per veros pastores a grege dominico, si sunt incurabiles. Si enim sint pseudodoctores, minime ferendi sunt. Neque vero et Oecumenica improbamus concilia, si ad exemplum celebrentur apostolicum, ad ecclesiae salutem, non perniciem.

Dignus operarius sua mercede. Ministri quoque fideles omnes, ut boni operarij, mercede sua digni sunt, nec peccant, quando stipendium omniaque interim [29]) necessaria pro se et sua familia accipiunt. Nam Apostolus ostendit haec iure dari ab ecclesia, et accipi a ministris, in 1. ad Corinth. 9. et in 1. ad Tim. 5. et alibi quoque. Confutati sunt autem apostolica doctrina, et Anabaptistae, qui ministros ex ministerio suo viventes, damnant, et convitijs proscindunt.

## DE SACRAMENTIS ECCLESIAE CHRISTI.

### XIX.

Sacramenta adiuncta verbo, et quid sint. Praedicationi verbi sui adiunxit Deus mox ab initio, in ecclesia sua sacramenta vel signa sacramentalia. Ita enim clare [1]) testatur universa scriptura sacra. Sunt autem sacramenta symbola mystica, vel ritus sancti aut sacrae actiones, a Deo ipso instutae, constantes [2]) verbo suo, signis, et rebus significatis, quibus in ecclesia summa sua beneficia, homini exhibita, retinet in memoria, et subinde renovat, quibus item promissiones suas obsignat, et quae ipse nobis interius praestat, exterius repraesentat, ac veluti oculis contemplanda subiicit, adeoque fidem nostram, spiritu Dei in cordibus nostris operante, roborat et auget: quibus denique nos ab omnibus alijs populis et religionibus separat, sibique soli consecrat et obligat, et quid a nobis requirat, significat.

Sacramenta alia veteris, alia novi testamenti. Et sunt quidem alia veteris, alia novi populi sacramenta. Veteris populi sacramenta fuerunt, Circumcisio, et Agnus paschalis, qui immolabatur: quo nomine ad sacrificia refertur,

29) *interim*] mscr. Tur. *vitae.*
1) *clare* deest in mscr. Tur. 2) *constantes* deest in mscr. Tur.

Digitized by Google

quae fuerunt celebrata ab origine mundi. Novi populi sacramenta sunt Baptismus et Coena dominica. Sunt qui sacramenta novi populi septem [3]) numerent. Ex quibus nos poenitentiam, ordinationem ministrorum, non papisticam quidem illam, sed apostolicam, et matrimonium agnoscimus institnta esse Dei utilia, sed non sacramenta. Confirmatio et Extrema unctio, inventa sunt hominum, quibus nullo cum damno carere potest ecclesia. Neque illa nos in nostris ecclesijs habemus. Nam habent illa quaedam, quae minime probare possumus. Nundinationem omnem, quam exercent Romanenses in dispensatione sacramentorum, omnino execramur. Author autem sacramentorum omnium, non est homo ullus sed Deus solus. Homines sacramenta instituere non possunt. Nam pertinent illa ad cultum Dei. At hominum non est instituere et formare Dei cultum [4]): sed traditum a Deo recipere et custodire. Praeterea habent symbola promissiones adiunctas, quae requirunt fidem. Fides autem solo Dei verbo innititur. Et verbum Dei habetur instar tabularum, literarum, sacramenta vero instar sigillorum: quae literis Deus appendit solus. Et ut Deus sacramentorum author est, ita perpetuo operatur in ecclesia, in qua rite peraguntur sacramenta: adeo ut fideles cum a ministris sacramenta percipiunt, agnoscant operari Deum in suo instituto, ideoque sacramenta perinde, ac ex ipsius Dei manu percipere, et ipsis ministri vitium (si quod insigne ipsi [5]) insit) non obesse, quando agnoscant, sacramentorum integritatem dependere ac institutione Domini. Unde etiam discriminant aperte in administratione sacramentorum inter dominum ipsum, et domini ministrum, confitentes sacramentorum res dari ab ipso domino, symbola autem a domini ministris.

Novi populi Sacramenta quot.

Author sacramentorum.

Christus operatur adhuc in sacramentis.

Discriminandum inter authorem et ministrum sacramentorum.

Caeterum praecipuum illud, quod in omnibus sacramentis proponitur a Deo, et attenditur a pijs omnibus omnium temporum (quod alij nuncupant [6]) substantiam et materiam sacramentorum) Christus est servator, hostia illa unica, agnus item ille Dei mactatus ab origine mundi, petra quoque illa, de qua omnes maiores nostri biberunt, per quem electi omnes circuncidiuntur sine manibus, per spiritum sanctum, abluunturque a peccatis suis omnibus, et aluntur vero corpore et sanguine Christi ad vitam aeternam.

Substantia vel praecipuum in sacramentis.

Et quantum quidem attinet ad illud, quod in sacramentis est praecipuum, et res ipsa, paria sunt utriusque populi sacramenta. Nam Christus unicus [7]) mediator, et servator

Similitudo et differentia Sacramentorum veteris et novi populi.

3) Kindl. inverso ordine: *Sunt qui septem sacr.... numerent.* 4) Kindl. inverso ordine: *cultum Dei.* 5) mscr. Tur. exhibet *ipsis* pro *ipsi.* Consentit ed. Oxon. 1827. 6) in mscr. Tur. *omissis uncinis* ante v. *quod* et post v. *sacramentorum* scriptum est *vocant* pro *nuncupant.* 7) in mscr. Tur. v. *unicus* deest.



Digitized by Google

fidelium, utrobique est illud [8]) praecipuum, et ipsa res sacramentorum. Unus et idem Deus, utrobique horum est author. Utrique populo data sunt illa, ut signa adeoque obsignationes gratiae et promissionum Dei, quae in memoriam reducant, reparentque maxima Dei beneficia, quibus item fideles ab omnibus alijs orbis religionibus seiungerentur, denique quae spiritualiter per fidem perciperentur, et percipientes obstringerent ecclesiae, et ipsos sui admonerent officij. In his inquam et similibus, non disparia sunt utriusque populi sacramenta, quae tamen in signis sunt diversa.

Et quidem constituimus etiam in his ampliorem differentiam. Nostra enim firmiora et magis durabilia sunt, utpote quae in finem usque seculi nunquam mutabuntur. Sed et rem et promissionem completam vel perfectam in Christo testantur, quam complendam illa significabant. Simpliciora item sunt nostra et minus operosa, minus item sumptuosa et caeremonijs involuta. Pertinent praeterea ad ampliorem populum, per totum terrarum orbem dispersum: cumque etiam illustriora sint, et [9]) maiorem (per spiritum sanctum [10])) excitent [11]) fidem [12]), insequitur etiam [13]) uberior spiritus copia.

**Veterib. abrogatis, nostra successerunt sacramenta.**

Certe cum Christus verus Messias nobis sit exhibitus, et abundantia gratiae [14]) effusa in populum novi testamenti, abrogata sunt utique, ac desierunt veteris populi sacramenta, et subrogata sunt novi testamenti symbola, in locum circuncisionis, baptismus, et in locum agni pascalis sacrificiorumque, coena dominica.

**Quibus rebus constent sacramenta.**

Sicut autem quondam sacramenta constabant verbo, signo et re significata, ita nunc quoque ijsdem veluti partibus absolvuntur. Nam verbo Dei fiunt, quae antea non fuerunt, sacramenta. Consecrantur enim verbo, et sanctificata esse ostenduntur ab eo qui instituit. Et sanctificare vel consecrare, est rem aliquam Deo sacrisque usibus dedicare, hoc est, a communi vel prophano usu segregare et sacro usui destinare. Sunt enim in sacramentis signa petita ex usu vulgari, res externae et visibiles. In baptismo enim, signum est elementum aquae, ablutioque illa visibilis, quae fit per ministrum. Res autem significata, est regeneratio vel ablutio a peccatis. In coena vero Domini, signum est panis et vinum, sumptum [15]) ex communi usu cibi et potus. Res autem significata, est ipsum traditum Domini corpus, et san-

**Consecratio sacramentorum.**

---

8) *fidelium* et *illud* vocabula non extant in mscr. Tur. 9) *et* deest in mscr. Tur. 10) *per spiritum sanctum*] haec v. non leguntur in mscr. Tur. 11) *excitent*] mscr. Tur. *excitant*. 12) post v. *fidem* addit mscr. Tur. *et*. 13) *etiam* deest in mscr. Tur. 14) Kindl. exhibet: *abundans gratia*. 15) *sumptum*] mscr. Tur. *sumptus*.

Digitized by Google

guis eius effusus pro nobis, vel communio corporis et sanguinis Domini. Proinde aqua, panis et vinum sua natura, et extra institutionem divinam, ac usum sanctum, duntaxat id sunt, quod esse dicuntur, et experimur. Caeterum, si accedat Domini verbum, cum invocatione divini nominis, et renovatione primae institutionis et sanctificationis, signa ista consecrantur, et sanctificata a Christo esse ostenduntur. Manet enim semper efficax in ecclesia Dei prima Christi institutio et consecratio sacramentorum, adeo ut qui non aliter celebrent Sacramenta, quam ipse Dominus [16]) ab initio instituit, fruantur etiam nunc prima illa consecratione omnium praestantissima. Et ideo recitantur in celebratione sacramentorum ipsa verba Christi. Et quoniam verbo Dei discimus, quod signa haec in alium finem sint instituta a Domino, quam usurpentur vulgo, ideo docemus signa nunc in usu sacro, usurpare rerum signatarum vocabula, nec appellari amplius [17]) aquam tantum, panem et vinum, sed etiam regenerationem vel lavacrum renovationis, item corpus et sanguinem domini, vel symbola aut sacramenta corporis et sanguinis Domini. Non quod symbola mutentur in res significatas, et desinant esse id quod sunt sua natura. Alioqui enim sacramenta non essent, quae re significata duntaxat constarent, signa non essent: sed ideo usurpant signa rerum nomina, quod rerum sacrarum sunt symbola mystica, et signa et res significatae, inter se sacramentaliter coniungantur, coniungantur inquam, vel uniantur per significationem mysticam, et voluntatem vel consilium eius, qui sacramenta instituit. Non enim aqua, panis et vinum, sunt signa vulgaria, sed sacra. Et qui instituit [18]) aquam baptismi, non ea voluntate consilioque [19]) instituit, ut fideles aqua duntaxat baptismi perfundantur: et qui iussit in Coena, panem edere, et vinum bibere, non hoc voluit, ut fideles panem et vinum tantum percipiant, sine mysterio, sicut domi suae panem manducant, sed ut rebus quoque significatis, spiritualiter communicent, et vere per fidem abluantur a peccatis, et Christo participent [20]).

Signa accipiunt rerum signatarum nomina.

Unio sacramentalis.

Idcirco minime probamus eos, qui sanctificationem sacramentorum attribuunt, nescio quibus characteribus, et recitationi, vel virtuti verborum pronuntiatorum a consecrato [21]), et qui habeat intentionem consecrandi, aut rebus alijs adventitijs [22]), quae neque Christi, neque Apostolorum,

16) *Dominus* deest in mscr. Tur. 17) mscr. Tur. *amplius apellari.* 18) mscr. Tur. *Et qui aquam baptismi instituit.* 19) *consilioque*] mscr. Tur. *et hoc consilio.* 20) *communicent, et vere..... participent*] mscr. Tur. *et vere per fidem communicent, ac abluantur a peccatis et participent Christo.* 21) *consecrato*] Kindl. *consecratore.* 22) *adventitijs*] mscr. Tur. *adinventitijs.*



Digitized by Google

Sectae. vel verbo, vel exemplo nobis traduntur. Neque probamus eorum quoque doctrinam, qui de sacramentis perinde loquuntur, ut signis communibus, non sanctificatis aut efficacibus [23]). Neque eos probamus, qui propter invisibilia, aspernantur in sacramentis visibilia, adeoque signa sibi credunt fore supervacanea, quod rebus se iam frui arbitrantur [24]), quales Messaliani fuisse dicuntur. Neque vero approbamus [25]) istorum quoque [26]) doctrinam, qui docent, gratiam et res significatas, signis ita alligari et includi, ut quicunque signis exterius participent, etiam interius [27]) gratiae rebusque significatis, participes sint, quales quales sint.

Sacramentis res neque inclusae sunt, neque alligatae. Interim sicut a dignitate, vel indignitate ministrorum, non aestimamus integritatem sacramentorum, ita neque a conditione sumentium. Agnoscimus enim sacramentorum integritatem ex fide vel veritate meraque bonitate Dei dependere. Sicut enim verbum Dei manet verum verbum Dei, quo non tantum verba nuda recitantur, dum praedicatur, sed simul a Deo offeruntur res verbis significatae, vel annuntiatae, tametsi impij vel increduli verba audiant, et intelligant, rebus tamen significatis non perfruantur, eo quod vera fide non recipiant: Ita sacramenta verbo, signis et rebus significatis, constantia, manent vera et integra sacramenta, non tantum significantia res sacras, sed [Deo offerente etiam [28]) res significatas, tametsi increduli res oblatas non percipiant. Fit hoc non dantis aut offerentis Dei vitio, sed hominum sine fide illegitimeque
Rom. 3. accipientium culpa: quorum incredulitas, fidem Dei irritam non facit.

Ad quid instituta sacramenta. Porro cum mox ab initio, quando expositum est, quid sint sacramenta, pariter et obiter explicatum sit, ad quid sint instituta, non est quod semel dicta, cum molestia repetantur. Consequenter ergo sigillatim dicemus, de novi populi sacramentis [29]).]

---

23) *efficacibus*] mscr. Tur. *inefficacibus.* 24) *sibi credunt..... arbitrantur*] mscr. Tur. *supervacanea sibi fore credunt, quod se significatis iam frui arbitrentur.* 25) mscr. Tur. add. *et.* 26) *quoque* deest in mscr. Tur. 27) *signis exterius participent, etiam interius*] mscr. Tur. *sacramentis ipsis foris participent, etiam.* 28) *etiam*] mscr. Tur. *sumentibus.* 29) *Deo offerente.....sacramentis.*] Hic etiam Bull. chartae scidulam glutine adiunxit, qua prius scripta paullo immutavit. Antea ita scripserat: *sed offerentia sumentibus eas: licet interim increduli res ipsas ipsis oblatas non percipiant. Fit hoc---hominis sine fide id est non legitime accipientis culpa. Sic nostra indignitas nihil derogat sacramentorum integritati, quae in semetipsis ut a deo instituta sunt, semper integra sunt. Quin fidelis manet Deus, licet nos verbis eius non credamus.* Rom. 3. *Porro----quando exposui quid sint sacr. simul explicaverim, ad quid--repetantur. Dicemus ergo sigillatim de---.*

Digitized by Google

# DE SANCTO BAPTISMO.

## XX.

Baptismus a Deo institutus et consecratus est, primusque baptisavit Ioannes, qui Christum aqua in Iordane tinxit. Inde defluxit ad Apostolos, qui et ipsi aqua baptisarunt. Iussit hos manifeste dominus Evangelium [1]) praedicare, *et baptisare, in nomine patris, et filii, et spiritus sancti.* Et Petrus ad Iudaeos interrogantes quid facere deberent? dixit in Actis, *Baptisetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, ad remissionem peccatorum, et accipietis donum spiritus sancti.* Unde a nonnullis baptismus nuncupatus est signum initiale populi Dei, utpote quo initiantur Deo, electi Dei.

Institutio Baptismi.

Matth. 28.

Act. 2.

Unus est duntaxat Baptismus in Ecclesia Dei, et satis est semel baptisari, vel initiari Deo. Durat autem semel susceptus baptismus per omnem vitam, et est perpetua obsignatio adoptionis nostrae. Etenim baptisari in nomine Christi, est inscribi, initiari, et recipi in foedus, atque familiam, adeoque in haereditatem filiorum Dei, imo iam nunc nuncupari nomine Dei, id est, appellari filium Dei, purgari item a sordibus peccatorum, et donari varia Dei gratia, ad vitam novam et innocentem. Baptismus ergo in memoria retinet, et reparat ingens Dei beneficium, generi mortalium praestitum. Nascimur enim omnes in peccatorum sordibus, et sumus filij irae. Deus autem qui dives est misericordia, purgat nos a peccatis gratuito, per sanguinem filij sui, et in hoc adoptat nos in filios, adeoque foedere sancto nos sibi connectit et varijs donis ditat, ut possimus novam vivere vitam. Obsignantur haec omnia baptismo. Nam intus regeneramur, purificamur, et renovamur a Deo per spiritum sanctum: foris autem accipimus obsignationem maximorum donorum, in aqua, qua etiam maxima illa beneficia repraesentantur et veluti oculis nostris conspicienda proponuntur. Ideoque baptisamur, id est, abluimur, aut aspergimur aqua visibili. Aqua enim sordes mundat, deficientia et aestuantia recreat, et refrigerat corpora. Gratia vero Dei haec animabus praestat, et quidem invisibiliter vel spiritualiter.

Unus est baptismus.

Baptisari quid?

Aqua baptisamur.

Separat item Deus nos [2]) baptismi symbolo ab omnibus alienis religionibus et populis, et sibi consecrat ceu peculium: nos itaque dum baptisamur, confitemur fidem nostram, et obstringimur Deo ad obedientiam et mortificationem carnis vitaeque novitatem, adeoque inscribimur in sanctam Christi

Baptismi obligatio.

---

1) *Evangelium* deest in mscr. Tur. 2) mscr. Tur. *nos Deus.*

Digitized by Google

militiam, ut toto vitae cursu pugnemus contra mundum et satanam, atque carnem propriam. Baptisamur praeterea in unum ecclesiae corpus, ut cum omnibus membris ecclesiae, pulchre in una et eadem religione mutuisque officijs, consentiamus.

Formula baptisandi. Credimus perfectissimam esse baptisandi formam, qua Christus ipse baptisatus est, et qua baptisarunt apostoli. Ergo quae humana inventione postea adiecta [3]) et usurpata sunt in ecclesia, non arbitramur necessaria esse [4]) ad perfectionem baptismi: cuius generis est exorcismus, usus item ardentis luminis, olei, salis, sputi et similium rerum, ut quod baptismus singulis annis, pluribus caeremonijs bis consecratur. Nos enim credimus unum ecclesiae baptismum, in prima Dei institutione sanctificatum esse, et consecrari per verbum, efficacemque [5]) esse nunc etiam, propter [6]) primam Dei benedictionem.

Minister baptismi. Docemus, baptismum in ecclesia non administrari debere a mulierculis, vel ab obstetricibus. Paulus enim removit mulierculas ab officijs ecclesiasticis. Baptismus autem

Anabaptistae. pertinet ad officia ecclesiastica. Damnamus Anabaptistas, qui negant baptisandos esse infantulos recens natos a fidelibus. Nam iuxta doctrinam Evangelicam, horum est regnum Dei, et sunt in foedere Dei, cur itaque non daretur eis signum foederis Dei? cur non per sanctum baptisma initiarentur, qui sunt peculium et in ecclesia Dei? Damnamus Anabaptistas, et in aliis ipsorum dogmatibus, quae contra verbum Dei [7]) peculiaria habent. Non sumus ergo Anabaptistae, neque cum eis in ulla re ipsorum communicamus [8]).

## DE SACRA COENA DOMINI.

### XXI.

Coena domini. Coena domini, quae et mensa domini et Eucharistia, id est, gratiarum actio nuncupatur, ideo coena nuncupatur vulgo, quod a Christo in ultima illa coena sua instituta sit, eamque [1]) adhuc repraesentet, ac in ipsa spiritualiter cibentur et potentur fideles. Author enim Coenae dominicae,

Author et consecrator coenae. non est angelus aut homo ullus, sed ipse Dei filius dominus noster Iesus Christus, qui primus eam ecclesiae suae con-

---

3) *adiecta*] mscr. Tur. *inventa*. 4) *esse* in mscr. Tur. deest. 5) Kindl. *efficaxque*. 6) *propter* deest in mscr. Tur. 7) *contra verbum Dei* non leguntur in mscr. Tur. 8) *Non sumus ergo ..... communicamus*] haec v. desunt in mscr. Tur.

1) *eamque*] mscr. Tur. *eaque*.

Digitized by Google

secravit. Durat autem ea consecratio vel benedictio adhuc apud omnes eos, qui non aliam coenam, sed illam ipsam celebrant, quam dominus instituit: ad quam verba coenae domini recitant, et in omnibus ad unum Christum vera fide respiciunt, ex cuius veluti manibus accipiunt, quod per ministerium ministrorum ecclesiae accipiunt. Retinere vult Dominus ritu hoc sacro, in recenti memoria, maximum generi mortalium praestitum beneficium, nempe, quod tradito corpore et effuso suo sanguine, omnia nobis peccata nostra [2]) condonavit, ac a morte aeterna et potestate diaboli nos redemit, iam pascit nos sua carne et potat suo sanguine [3]), quae vera fide spiritualiter [4]) percepta, alunt nos ad vitam aeternam. Et hoc tantum beneficium renovatur toties, quoties coena domini [5]) celebratur. Dixit enim Dominus: *hoc facite in mei commemorationem.* Obsignatur item hac coena sacra [6]), quod revera corpus domini pro nobis traditum, et sanguis eius in remissionem peccatorum nostrorum effusus est, ne quid fides nostra vacillet. Et quidem visibiliter hoc foris sacramento per ministrum repraesentatur, et veluti oculis contemplandum exponitur, quod intus in anima invisibiliter, per ipsum spiritum sanctum praestatur. Foris offertur a ministro panis, et audiuntur voces Domini, *Accipite, edite, Hoc est corpus meum, Accipite et dividite inter vos, Bibite ex hoc omnes* [7]), *Hic est sanguis meus.* Ergo accipiunt fideles quod datur a ministro domini, et edunt panem domini, ac bibunt de poculo domini: intus interim opera Christi per spiritum sanctum percipiunt etiam carnem et sanguinem domini, et pascuntur his in vitam aeternam. Etenim caro et sanguis Christi verus cibus et potus est ad vitam aeternam: et Christus ipse, quatenus pro nobis traditus et salvator noster est, illud praecipuum Coenae est, nec patimur quicquam aliud in locum eius substitui.

Memoria beneficiorum Dei.

Signum et res signata.

Ut autem rectius et perspicacius intelligatur, quomodo caro et sanguis Christi sint cibus et potus fidelium, percipianturque a fidelibus ad vitam aeternam, paucula haec adiiciemus. Manducatio non est unius generis. Est enim manducatio corporalis, qua cibus in os percipitur ab homine, dentibus atteritur, et in ventrem deglutitur. Hoc manducationis genere intellexerunt olim Capernaitae sibi manducandam carnem Domini, sed refutantur ab ipso, Ioan. cap. 6. Nam ut caro Christi corporaliter manducari non potest citra

2) *nostra* deest in mscr. Tur. 3) *pascit nos sua carne et potat suo sanguine*] mscr. Tur. *et potat nos sua carne et suo sanguine.* 4) *spiritualiter* deest in mscr. Tur. 5) *domini* non extat in mscr. Tur. 6) *Obsignatur item hac coena sacra*] mscr. Tur. *Obsignat item hoc ingens beneficium.* 7) *Bibite ex hoc omnes*] desunt haec vv. in mscr. Tur.

Digitized by Google

flagitium aut truculentiam, ita non est cibus ventris. Id quod omnes fateri coguntur [8]). Improbamus itaque [9]) canonem in Decretis pontificum, Ego Berengarius [10]), de Consecrat. Distinct. 2. Neque enim credidit vetustas pia, neque nos credimus, corpus Christi manducari ore corporis [11]) corporaliter, vel essentialiter.

Spiritualiter manducare dominum.

Est et spiritualis manducatio corporis Christi, non ea quidem, qua existimemus cibum ipsum [12]) mutari in spiritum, sed qua, manente in sua essentia et proprietate corpore et sanguine Domini, ea nobis communicantur [13]) spiritualiter, utique non corporali modo, sed spirituali, per spiritum sanctum, qui videlicet ea, quae per carnem et sanguinem Domini pro nobis in mortem tradita, parata sunt, ipsam inquam remissionem peccatorum, liberationem, et vitam aeternam, applicat et confert nobis, ita ut Christus in nobis vivat, et nos in ipso vivamus, efficitque ut ipsum, quo talis sit [14]) cibus et potus spiritualis noster, id est, vita nostra, vera fide percipiamus [15]). Sicut enim cibus et potus corporalis corpora nostra non tantum reficiunt ac roborant sed et in vita conservant: ita et caro Christi tradita pro nobis, et sanguis eius effusus pro nobis, non tantum reficiunt et roborant animas nostras, sed etiam in vita conservant, non quatenus quidem corporaliter eduntur et bibuntur, sed quatenus spiritualiter nobis a spiritu Dei communicantur [16]), dicente Domino, *Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita.* Item, *Caro* (nimirum corporaliter manducata) *non prodest quicquam, spiritus est, qui vivificat.* Et *verba quae loquor vobis, spiritus et vita sunt.* Et sicut oportet cibum in nosmetipsos edendo recipere, ut operetur in nobis, suamque [17]) in nobis efficaciam exerat, cum extra nos positus, nihil nobis prosit: ita necesse est nos fide Christum recipere, ut noster fiat, vivatque in nobis, et nos in ipso. Dicit enim, *Ego sum panis vitae. Qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam.* Item, *Qui ederit me, vivet et ipse propter me: ac manet in me et ego in ipso* [18]). Ex quibus omnibus claret nos, per spiritualem cibum, minime intelligere imaginarium, nescio quem, cibum, sed ipsum Domini corpus pro nobis traditum, quod tamen

Christus cibus conservat in vita.

Christus editur vel percipitur fide.

Spiritualis cibus.

---

8) *omnes fateri coguntur*] mscr. Tur. *fatentur omnes.* 9) In edit. Kindl. *itaque* post voc. *Decretis* legitur. 10) *Berengarius*] Kindl. addit *etc.* 11) *ore corporis*] desunt h. vv. in mscr. Tur. 12) Kindl. omisit v. *ipsum.* 13) *ea nobis communicantur*] mscr. Tur. *credimus ea communicari nobis.* 14) *efficitque, ut ipsum, quo talis sit*] mscr. Tur. *ipsumque ut talis sit.* 15) mscr. Tur. *percipimus.* 16) *communicantur*] add. mscr. Tur. *et fide vera a nobis recipiuntur.* 17) mscr. Tur *et suam.* 18) *ac manet in me et ego in ipso*] desunt h. v. in mscr. Tur.

Digitized by Google

percipiatur a fidelibus, non corporaliter, sed spiritualiter per fidem. In qua re sequimur per omnia doctrinam ipsius Salvatoris Christi domini, apud Ioannem capite sexto. Et hic esus carnis, et potus [19]) sanguinis Domini, ita est necessarius ad salutem, ut sine ipso nullus servari possit. Fit autem hic esus et potus spiritualis, etiam extra Domini [20]) coenam, et quoties, aut ubicunque homo in Christum crediderit. Quo fortassis illud Augustini pertinet, Quid paras dentem et ventrem? crede, et manducasti.

Manducatio ad salutem necessaria.

Praeter superiorem manducationem spiritualem, est et sacramentalis manducatio corporis domini [21]), qua fidelis non tantum spiritualiter et interne participat vero corpore et sanguine Domini, sed foris etiam accedendo ad mensam domini, accipit visibile corporis et sanguinis domini sacramentum. Prius quidem, dum credidit fidelis, vivificum alimentum percepit, et ipso fruitur adhuc, sed ideo, dum [22]) sacramentum quoque accipit, non nihil accipit. Nam [23]) in continuatione communicationis corporis et sanguinis domini pergit, adeoque magis magisque incenditur, et crescit fides, ac spirituali alimonia reficitur [24]). Dum enim vivimus, fides continuas habet accessiones. Et qui foris vera fide sacramentum percipit, idem ille non signum duntaxat percipit, sed re ipsa quoque, ut diximus, fruitur. Praeterea idem ille institutioni et mandato domini obedit, laetoque animo gratias pro redemptione sua totiusque generis humani agit, ac fidelem mortis dominicae memoriam peragit, atque coram ecclesia, cuius corporis membrum sit, attestatur: obsignatur item percipientibus sacramentum, quod corpus domini non tantum in genere pro hominibus sit traditum, et sanguis eius effusus, sed peculiariter pro quovis fideli communicante [25]), cuius cibus et potus sit ad vitam aeternam.

Sacramentaliter manducare dominum.

Caeterum qui nulla cum fide ad hanc sacram domini mensam accedit [26]), sacramento duntaxat communicat [27]) et rem sacramenti, unde est vita et salus, non percipit [28]). Et tales indigne edunt de mensa domini [29]). Qui autem indigne edunt de pane domini, et de poculo eius bibunt, rei fiunt corporis et sanguinis domini, et ad iudicium sibi edunt et bibunt. Nam cum vera fide non accedant, mortem Chri-

Increduli sumunt sibi sacramentum in iudicium.

---

19) *carnis et potus*] mscr. Tur. *et potus carnis et.* 20) *Domini* deest in mscr. Tur. 21) Verba *corporis domini* desunt in mscr. Tur. 22) In mscr. Tur., ed. Oxon. et edit. Kindl. addita est *nunc* particula. 23) *accipit. Nam*] mscr. Tur. *accipit, sed.* 24) *reficitur*] mscr. Tur. *reficimur.* 25) mscr. Tur. *communicanti.* 26) mscr. Tur. *accedunt.* 27) *communicat*] mscr. Tur. *communicant.* 28) *unde est vita et salus, non percipit*] mscr. Tur. *non percipiunt, unde est ita et salus.* 29) *Et tales . . . . domini*] desunt haec vv. in mscr. Tur.

Digitized by Google

sti contumelia afficiunt, et ideo damnationem sibi ipsis edunt et bibunt.

Ergo corpus domini et sanguinem eius, cum pane et vino non ita coniungimus, ut panem ipsum dicamus esse corpus Christi, nisi ratione sacramentali [30]): aut sub pane corporaliter latitare corpus Christi, ut etiam sub speciebus panis adorari debeat, aut quicunque signum percipiat, idem et rem percipiat ipsam. Corpus [31]) Christi in coelis est ad dextram patris. Sursum ergo elevanda sunt corda, et non defigenda in panem, nec [32]) adorandus dominus in pane. Et tamen non est absens ecclesiae suae celebranti coenam [33]) dominus. Sol absens a nobis in coelo, nihilominus efficaciter praesens est nobis: quanto magis sol iustitiae Christus, corpore in coelis absens nobis, praesens est nobis, non corporaliter quidem, sed spiritualiter per vivificam operationem, et ut ipse se nobis praesentem futurum exposuit, in ultima coena. Ioan. 14. 15. 16. Unde consequens est, nos non habere coenam sine Christo, interim tamen habere coenam incruentam et mysticam, sicuti universa nuncupavit vetustas.

Praesentia Christi in coelis.

Admonemur praeterea celebratione coenae dominicae, ut memores simus, cuius corporis membra facti simus, et idcirco concordes simus cum omnibus fratribus, ut sancte vivamus, et non polluamus nos flagitijs et peregrinis religionibus, sed in vera fide in finem usque vitae perseverantes, studeamus excellere sanctimonia vitae. Decet ergo, ut accessuri ad coenam, prius nosipsos iuxta praeceptum Apostoli probemus, imprimis quali simus fide praediti, an credamus, Christum venisse, servandis peccatoribus et ad poenitentiam vocandis, et an quisque credat se in horum esse numero, qui per Christum liberati servantur [34]), et an mutare vitam pravam instituerit, ac vivere sancte perseverareque, auxiliante domino, in vera religione et in concordia cum fratribus, dignasque Deo pro liberatione agere gratias, etc. [35])

Alii fines coenae domini.

Praeparatio ad coenam.

Ritum, modum vel formam coenae, illam existimamus esse simplicissimam et [36]) praestantissimam, quae proxime accedit ad primam domini institutionem, et apostolicam doctrinam [37]): quae videlicet constat annuntiatione verbi Dei, precibus pijs, ipsa actione dominica, et repetitione eius, manducatione cor-

Ritus coenae et utraque species.

---

30) Verba *nisi ratione sacramentali* uncis inclusa sunt in mscr. Tur. 31) Mscr. Tur. haec habet: *Corpus enim Christi non potest comedi corporaliter, sed spiritualiter duntaxat per fidem ad vitam. Corpus item Christi* sqq. 32) *nec*] mscr. Tur. *et.* 33) *ce-celebranti coenam* desunt in mscr. Tur. 34) *qui per Christum liberati servantur*] mscr. Tur. *ac per Christum esse servatum.* 35) *et in concordia .... gratias, etc.*] Omnia haec desunt in mscr. Tur. 46) *simplicissimam et*] Etiam haec desunt in mscr. Tur. 37) Kindl. omisit v. *doctrinam.*

Digitized by Google

poris, et potu[38]) sanguinis domini, memoria item mortis dominicae salubri, et gratiarum actione fideli, nec non sancta consociatione in corporis ecclesiastici unionem. Improbamus itaque illos, qui alteram speciem, poculum inquam domini, fidelibus subtraxerunt. Graviter enim hi peccant contra institutionem domini, dicentis, *Bibite ex hoc omnes:* id quod ad panem, non ita expresse dixit.

Missa qualis aliquando apud veteres fuerit, tolerabilis an intolerabilis, modo non disputamus: hoc autem libere dicimus, missam, quae hodie in usu [est[39]) per universam Romanam Ecclesiam, plurimas et iustissimas quidem ob causas, in ecclesiis nostris esse abrogatam[40]), quas sigillatim ob brevitatem nunc non commemoramus. Certe approbare non potuimus, quod ex actione salubri, spectaculum inane est factum, quod item facta est meritoria, vel celebrata pro precio, quodque in ea[41])] sacerdos dicitur conficere ipsum domini corpus, et hoc offerre[42]) realiter, pro remissione peccatorum vivorum et mortuorum: adde et in honorem[43]) et celebrationem, vel memoriam sanctorum in coelis, etc.[44]).

Subiunxerat denique hic bull. Sequentem articulum *de vestibus et vasis in coena*, quem expunxit: *Vestes et vasa a ministris in coena usurpari docemus vulgaria et tamen munda atque honesta. Dixit beatus Antistes Ambrosius, Aurum sacramenta non quaerunt, neque auro placent, quae auro non emuntur. Ideoque in ecclesiis nostris panis domini imponitur mensae domini in canistro vimineo, et defertur ad populum a mensa in ligneis patinis non in aureis ut vocant pateris, ita sanguis domini non distribuitur in calicibus aureis, sed in poculis et ipsis ligneis. Docemus enim Deo non probari luxum, sed moderationem, et curandam atque contemplandam esse in usu Sacramentorum non materiam, sed mysterium. Ideoque portabili et lignea quoque mensa utimur, aras omnes eliminavimus. Quoties vero in anno coena domini celebranda sit ecclesiae cuiusque arbitrio et voluntati permittimus, modo hic sua libertate non abutatur.*

---

38) *corporis, et potu*] mscr. Tur. *et potu corporis et.* 39) [*est per univ.....quodque in ea*] Hic etiam Bull. in scidula affixa antea scripta correxit. Antea scripserat: - - - ecclesiam, „*pijs omnibus esse fugiendam, veluti coenae dominicae eversionem et pernitiem. Sunt in ipsa abominanda plurima, quae etiam nunc non communico, illud imprimis, quod sublata communione spectaculum inane facta est missa, nundinatioque turpis cum ipsa exercetur, quodque in ea....*“ 40) *abrogatam*] mscr. Tur. *abrogatas* (!). 41) *ea*] mscr. Tur. *ipsa.* 42) Verba: *ipsum domini corpus, et hoc offerre* desunt in edit. Kindl. 43) edit. 1568. ex errore typog. *honorum* pro *honorem.* 44) *etc.* signum deest in mscr. Tur.

Digitized by Google

## DE COETIBUS SACRIS ET ECCLESIASTICIS.

### XXII.

Quae fieri debeant in coetibus sacris.

Tametsi omnibus [1]) sacras literas privatim legere domi, et instruendo aedificare mutuum in vera religione liceat, ut tamen [2]) legitime annuncietur verbum Dei populo, et preces ac supplicationes fiant publice [3]), sacramenta item celebrentur legitime, et collecta ecclesiae fiat in pauperes et omnes ecclesiae necessarios sumptus faciendos, aut usus sustentandos, necessarii sunt omnino coetus sacri, vel Ecclesiastici fidelium conventus. Constat enim in Ecclesia apostolica et primitiva, huiusmodi coetus esse ab omnibus pijs frequentatos. Quotquot hos aspernantur, et ab his sese [4]) segregant, religionem veram contemnunt, urgendique sunt a pastoribus et pijs magistratibus, ne contumacius se segregare, et coetus sacros aversari pergant. Sint vero coetus ecclesiastici non occulti et obscuri, sed publici atque frequentes, nisi persequutio hostium Christi et ecclesiae non sinat [5]) esse publicos. Scimus enim quales fuerint quondam primitivae ecclesiae coetus in abditis locis, sub tyrannide Romanorum principum. Sint autem loca in quibus coëunt fideles, honesta [6]), et ecclesiae Dei per omnia commoda. Deligantur ergo aedes amplae, aut templa. Repurgentur tamen ab ijs rebus omnibus, quae ecclesiam non decent [7]). Instruantur autem [8]) omnia pro decoro, necessitate, et honestate pia, ne quid desit [9]), quod requiritur ad ritus et usus ecclesiae necessarios. Sicut autem credimus Deum non habitare in templis manu factis, ita propter verbum Dei et usus sacros, scimus loca Deo cultuique eius [10]) dedicata, non esse prophana sed sacra, et qui in his versantur, reverenter et modeste conversari debere, utpote qui sint in loco sacro, coram Dei conspectu et sanctorum angelorum eius. Longe itaque a templis et [11]) oratoriis Christianorum, repellendus est omnis vestium luxus, omnis superbia, et omnia quae humilitatem, disciplinam et modestiam dedecent christianam. Ac verus templorum ornatus, non constat ebore, auro, et gemmis, sed frugalitate, pietate, virtutibusque eorum, qui versantur in templo. Omnia autem decenter et ordine fiant in ecclesia, omnia denique fiant ad aedificationem. Taceant ergo omnes peregrinae linguae in coetibus sacris. Omnia

Non aversari sacros coetus.

Coetus sint publici.

Loca coetuum honesta.

Modeste et humiliter versandum in coetibus.

Ornatus templorum verus.

Peregrinae linguae sileant in coetu.

1) *Tametsi omnibus*] mscr. Tur. *Licet sane.* 2) *liceat, ut tamen*] mscr. Tur. *verum ut.* 3) *publice*] mscr. Tur. *publicae.* 4) *sese*] mscr. Tur. *se.* 5) *sinat*] mscr. Tur. *sinant.* 6) *honesta*] mscr. Tur. *loca honesta.* 7) *iis rebus omnibus ..... decent*] mscr. Tur. *idolis, aris et superstitionibus si ullae in his reperiantur.* 8) *autem* deest in mscr. Tur. 9) *desit*] add. mscr. Tur. *oratorio.* 10) *cultuique eius* desunt in mscr. Tur. 11) *et*] mscr. Tur. *vel.*

Digitized by Google

proponantur lingua vulgari, et quae eo in loco ab hominibus in coetu intelligatur.

## DE PRECIBUS ECCLESIAE, CANTU ET HORIS CANONICIS.

### XXIII.

Licet sane privatim precari quavis lingua quam quis intelligat, sed publicae preces in sacris coetibus vulgari lingua, vel omnibus cognita fieri debent. Lingua vulgaris. Oratio fidelium omnis, per solum Christi interventum, soli Deo fundatur, ex fide et charitate. Oratio. Divos coelites invocare, aut his uti pro intercessoribus, prohibet sacerdotium Christi domini, et vera religio. Orandum est autem pro magistratu, pro regibus aut omnibus in eminentia constitutis, pro ministris ecclesiae et omnibus necessitatibus ecclesiarum. In calamitatibus vero et potissimum ecclesiae, absque intermissione, et privatim et publice precandum est. Sponte item precandum est, non coacte, neque pro ullo precio. Orationis libertas. Neque decet orationem superstitiose astrictam esse loco, quasi alibi non liceat, nisi in templo precari. Neque oportet preces publicas, quoad formam et tempus, in omnibus ecclesijs esse pares. Libertate enim sua utantur ecclesiae quaelibet. Socrates in historia, In omnibus ubique regionibus, inquit, non poteris invenire duas ecclesias, quae orando plene consentiant. Huiusmodi discrepantiae authores eos esse puto, qui singulis temporibus, ecclesiis praefuerunt. Si tamen sunt congruentes, maximopere commendandum id, et alijs imitandum videtur.

Sed et modum esse decet, ut in re quavis, ita et in precibus publicis, ne nimis sint prolixae et molestae. Modus adhibendus precibus publicis. Cedant ergo potiores partes in coetibus sacris, doctrinae Evangelicae, caveaturque, ne nimis prolixis precibus fatigetur in coetu populus, ut cum audienda est praedicatio evangelii, vel egredi ex coetu, vel hunc in universum solvi cupiant defatigati. Talibus in concione nimis videtur prolixum esse, quod alias succinctum est satis. Nam et concionatores modum tenere decet [1]). Cantus. Sic et cantus in coetu sacro est moderandus, ubi is est in usu. Cantus, quem Gregorianum nuncupant, plurima habet absurda: unde reiectus est merito a nostris et [2]) pluribus ecclesijs. Si ecclesiae sunt [3]), quae orationem fidelem legitimamque habent, cantum autem nullum habent, condemnari non debent. Non enim canendi com-

1) *Talibus in concione..... tenere decet*] desunt haec vv. in mscr. Tur. 2) *nostris et* desunt in mscr. Tur. 3) *sunt*] mscr. Tur. *sint.*

Digitized by Google

moditatem omnes habent ecclesiae. Ac certum est [4]) ex testimonijs vetustatis, ut cantus usum fuisse vetustissimum in orientalibus ecclesijs, ita sero tandem receptum esse ab occidentalibus.

Horae canonicae. Horas canonicas, id est, preces ad certas in die horas compositas, a Papistis cantatas aut recitatas, nescivit vetustas: quod ex ipsis Horarum lectionibus, et argumentis pluribus demonstrari potest. Sed et absurda non pauca habent, ut nihil dicam aliud, proinde omittuntur recte ab ecclesijs substituentibus in locum ipsarum res salutares ecclesiae Dei universae.

## DE FERIIS, IEIUNIIS, CIBORUMQUE DELECTU.

## XXIV.

Tempus necessarium ad exercendam religionem. Quamquam religio tempori non alligetur, non potest tamen absque iusta temporis distinctione vel ordinatione plantari et exerceri. Deligit ergo quaevis ecclesia sibi tempus certum ad preces publicas, et evangelij praedicationem, nec non sacramentorum celebrationem. Non licet autem cuivis pro suo arbitrio ecclesiae ordinationem hanc convellere. Ac nisi ocium iustum concedatur religionis externae exercitio, abstrahuntur certe ab eo negotijs suis homines. Unde videmus in ecclesijs vetustis, non tantum certas fuisse horas in septimana constitutas coetibus, sed ipsam diem dominicam ab ipsis apostolorum temporibus, ijsdem sacroque ocio fuisse consecratam: quod etiam nunc recte propter cultum et charitatem, ab ecclesijs nostris [1]) custoditur. Observationi Iudaicae et superstitionibus, nihil hic permittimus.

Dies dominica.

Superstitio. Neque enim alteram diem altera sanctiorem esse credimus, neque ocium Deo per se probari existimamus, sed et dominicam non sabbatum, libera observatione celebramus.

Festa Christi et sanctorum. Praeterea si ecclesiae pro Christiana libertate, memoriam dominicae nativitatis, circuncisionis, passionis et resurrectionis, ascensionis item in coelum, et missionis sancti spiritus in discipulos religiose celebrent, maximopere approbamus. Festa vero hominibus, aut divis instituta, non probamus. Et sane pertinent feriae ad tabulam legis primam, et sunt solius Dei [2]): denique habent feriae [3]) divis institutae, et a nobis abrogatae [4]), absurda, inutilia [5]), minimeque

---

4) Kindl. vocab. *est* temere omisit.

1) *nostris* deest in mscr. Tur. 2) *et sunt solius Dei*] Haec verba desunt in mscr. Tur. 3) *feriae*] mscr. Tur. *feriae papisticae.* 4) *et a nobis abrogatae*] Etiam haec desunt in mscr. Tur. 5) *inutilia*] mscr. Tur. *noxia.*

Digitized by Google

toleranda plurima. Interim fatemur non inutiliter sanctorum memoriam, suo loco et tempore, in sacris concionibus populo commendari, et omnibus sancta exempla sanctorum imitanda proponi.

Quanto vero gravius accusat Christi ecclesia crapulam, ebrietatem, et omnem libidinem ac [6]) intemperantiam, tanto vehementius commendat nobis ieiunium Christianum. Est enim ieiunium aliud nihil, quam abstinentia et temperantia piorum, disciplina item, custodia, et castigatio carnis nostrae [7]), pro necessitate praesenti suscepta, qua humiliamur coram Deo, et carni sua fomenta detrahimus, quo facilius libentiusque spiritui pareat. Proinde non ieiunant, qui istorum nullam rationem habent, sed ieiunare se credunt, si semel in die farciant ventrem, et certo vel praescripto tempore a certis abstineant cibis, existimantes, hoc opere operato se Deo placere, et bonum opus facere. Ieiunium est adminiculum orationis sanctorum ac [8]) virtutum omnium. Non placuit Deo, (ut videre est in prophetarum libris,) ieiunium, quo a cibo, non a sceleribus ieiunabant Iudaei. Ieiunium.

Est autem publicum ieiunium, et privatum. Celebrarunt olim ieiunia publica calamitosis temporibus rebusque ecclesiae afflictis. Abstinebant in universum a cibo ad vesperam usque. Totum autem hoc tempus impendebant precibus sacris cultuique Dei et poenitentiae. Parum haec abfuerunt a luctu: et frequens fit horum mentio in prophetis, praecipue apud Ioëlem in cap. 2. Celebrari debet huiusmodi ieiunium etiam hodie in rebus ecclesiae difficilibus. Privata ieiunia suscipiuntur abs quovis nostrum, prout quisque senserit detrahi spiritui. Hactenus enim fomenta carni detrahit. Publica et privata ieiunia.

Omnia ieiunia proficisci debent ex libero, spontaneoque [9]) spiritu et vere humiliato, nec composita esse ad plausum vel gratiam hominum consequendam, multo minus eo, ut per ipsa velit homo iustitiam demereri. Ieiunet autem in hunc finem quilibet, ut fomenta carni detrahat, et ferventius Deo inserviat.

Quadragesimale ieiunium vetustatis habet testimonia, sed nulla ex literis apostolicis, ergo non debet, nec potest imponi fidelibus. Certum est, quondam varias fuisse ieiuniorum formas vel consuetudines. Unde Irenaeus scriptor vetustissimus, Quidam, inquit, putant uno tantum die observari debere ieiunium, alii duobus [10]), alii vero pluribus, nonnulli etiam quadraginta diebus. Quae varietas observantiae, non nostris nunc demum temporibus coepit, sed multo ante Quadragesima.

---

6) *libidinem ac*] Haec vv. non extant in mscr. Tur. 7) *carnis nostrae*] mscr. Tur. *corporis.* 8) *ac*] Kindl. *et.* 9) *spontaneoque* deest in mscr. Tur. 10) Kindl. *duabus.*

Digitized by Google

nos, ex illis, ut opinor, qui non simpliciter, quod ab initio traditum est, tenentes, in alium morem, vel per negligentiam, vel per imperitiam postmodum decidere. Sed et Socrates historicus, Quia lectio nulla, inquit, de hoc invenitur antiqua, puto apostolos hoc singulorum reliquisse sententiae, ut unusquisque operetur, non timore et necessitate, quod bonum est.

Delectus ciborum.

Iam vero quoad delectum ciborum attinet, in ieiuniis arbitramur omne id detrahendum esse carni, unde redditur ferocior, et quo delectatur impensius, unde existunt fomenta carni, sive pisces sint, sive carnes, sive aromata, delitiaeve aut praestantia vina. Alioqui scimus, creaturas Dei omnes conditas esse in usus et servitia hominum. *Omnia, quae condidit Deus, bona sunt* et citra delectum, cum timore Dei et iusta moderatione usurpanda. Apostolus enim, *Omnia,* inquit, *mundis munda sunt.* Item, *Omne quod in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conscientiam.* Idem Apostolus nominat *doctrinam eorum, qui iubent abstinere a cibis, doctrinam daemoniorum. Cibos enim creasse Deum ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus, et his qui cognoverunt veritatem: quod quicquid creavit Deus, bonum sit, et nihil reiiciendum, si sumatur cum gratiarum actione,* etc. Idem ad Colossen. reprobat eos, qui nimia abstinentia, sibi comparare volunt existimationem sanctitatis.

Gen. 9. Tit. 1. 1 Cor. 10. 1 Tim. 4. Coloss. 2.

Sectae.

Nos itaque [11]) in universum reprobamus Tatianos et Encratitas, omnes denique [12]) Eustachii discipulos, contra quos congregata est Gangrensis synodus.

## DE CATECHESI, ET AEGROTANTIUM CONSOLATIONE VEL VISITATIONE.

## XXV.

Instituenda in pietate pubes.

Dominus veteri suo populo iniunxit, maximam curam ut [1]) impenderent ab infantia recte instituendae iuventuti, adeoque mandavit diserte in lege sua, erudirent et sacramentorum mysteria interpretarentur. Cum autem ex evangelicis et apostolicis literis constet, Deum non minorem rationem habere novi sui populi pubis, cum palam testetur et dicat, *Sinite pueros venire ad me, talium enim est regnum coelorum* [2]), consultissime faciunt ecclesiarum pastores, qui iuventutem mature et diligenter catechisant, prima fidei fundamenta iacientes, ac rudimenta religionis nostrae fideliter docentes, explicando Decalogum mandatorum Dei, symbolum

Marci 10.

11) *itaque*] mscr. Tur. *certe.* 12) *omnes denique*] mscr. Tur. *omnes, denique omnes.*

1) *ut* deest in mscr. Tur. 2) *Sinite pueros... coelorum*] mscr. Tur. *talium est regnum coelorum.*

Digitized by Google

item Apostolorum, Orationem quoque dominicam, et sacramentorum rationem, cum alijs eius generis primis principijs, et religionis nostrae capitibus praecipuis. Fidem vero et diligentiam hic suam in adducendis ad Catechismum liberis praestet ecclesia, cupiens et gaudens liberos suos recte institui.

Visitatio infirmorum.

Cum vero nunquam gravioribus tentationibus expositi sint [3]) homines, quam dum infirmitatibus exercentur aut aegrotant, morbis cum animi tum corporis fracti, nunquam sane convenit pastores ecclesiarum saluti sui [4]) gregis invigilare accuratius, quam in huiusmodi morbis et infirmitatibus. Visitent ergo mature aegrotantes, vocentur item mature ab aegrotantibus, siquidem res ipsa postulaverit: consolentur autem illos, et in vera fide confirment, muniant denique contra perniciosas satanae suggestiones: instituant item preces apud aegrotantem domesticas, ac si necesse sit, precentur pro aegrotantis salute etiam in coetu publico curentque, quo feliciter ex hoc seculo migret. Papisticam visitationem cum sua illa unctione extrema, diximus superius, nos non approbare, quod absurda habeat, et a scriptura canonica non approbetur [5]).

## DE SEPULTURA FIDELIUM,

### CURAQUE PRO MORTUIS GERENDA, DE PURGATORIO, ET APPARITIONE SPIRITUUM.

### XXVI.

Sepelire corpora.

Fidelium corpora, ut spiritus sancti templa, et quae in ultimo [1]) die recte creduntur resurrectura, iubet scriptura honeste absque superstitione humo mandare, sed et honestam eorum, qui sancte in domino obdormiverunt [2]), mentionem facere, relictisque eorum, ut viduis et pupillis, omnia pietatis officia praestare: aliam non docemus pro mortuis curam gerere. Improbamus ergo maxime Cynicos, corpora mortuorum negligentes, aut quam negligentissime contemptissimeque [3]) in terram abiicientes, nunquam vel verbum bonum de defunctis facientes, aut relictos ipsorum, ne tantillum quidem [4]) curantes. Improbamus rursus nimis et praepostere officiosos in defunctos, qui instar Ethnicorum, suos deplangunt

Cura pro defunctis.

---

3) Kindl. *sunt* pro *sint*. 4) *sui*] mscr. Tur., Sylloge atque Kindl. *suae*. 5) mscr. Tur. addit: *atque nobis tradatur*.

1) *ultimo*] Kindl. *ultima*. 2) *obdormiverunt*] mscr. Tur. *obdormierunt*. 3) *contemptissimeque*] mscr. Tur. *contemptimque*. 4) *ne tantillum quidem*] Haec vv. desunt in mscr. Tur.



Digitized by Google

mortuos, (luctum moderatum, quem apostolus 1 Thessal. 4. concessit, non vituperamus, inhumanum esse iudicantes, prorsus nihil dolere [5]),) et pro mortuis sacrificant, et preculas certas, non sine precio, demurmurant, huiusmodi suis officijs liberaturi suos illos ex tormentis, quibus a morte immersos, et inde rursus liberari posse, huiusmodi naenijs arbitrantur.

Animi migrantis a corpore status.

Credimus enim fideles recta a morte corporea migrare ad Christum, ideoque viventium suffragijs aut precibus pro defunctis, denique illis suis officijs nihil indigere. Credimus item [6]) infides recta praecipitari in tartara, ex quibus nullus impijs aperitur, ullis viventium officijs, exitus.

Purgatorium.

Quod autem quidam tradunt [7]) de igne purgatorio, fidei Christianae, Credo remissionem peccatorum, et vitam aeternam [8]) purgationique plenae per Christum, et Christi domini

Ioan. 5.

hisce sententijs adversatur [9]), *Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam aeternam, et in iudicium non veniet, sed transivit a morte in vi-*

Ioan. 13.

*tam.* Item, *Qui lotus est, non opus habet, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus, et vos mundi estis.*

Spirituum apparitio.

Iam quod traditur de spirilibus vel animabus mortuorum apparentibus aliquando viventibus, et petentibus ab eis officia, quibus liberentur, deputamus apparitiones eas inter ludibria, artes et deceptiones diaboli, qui ut potest se transfigurare in angelum lucis, ita satagit fidem veram vel evertere, vel in dubium revocare. Dominus in veteri testamento

Deut. 18.

vetuit veritatem sciscitari a mortuis, et ullum cum spiritibus habere commercium. Epuloni vero pœnis mancipato, sicut narrat veritas evangelica, negatur ad fratres suos reditus:

Luc. 16.

pronuntiante interim divino oraculo atque dicente, *Habent Mosen et prophetas, audiant illos* [10]). *Si Mosen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.*

## DE RITIBUS ET CAEREMONIIS, ET MEDIIS.

### XXVII.

Caeremoniae et ritus.

Veteri populo traditae sunt quondam caeremoniae, ut paedagogia quaedam, ijs qui [1]) sub lege veluti sub paedagogo

---

5) *inhumanum .... dolere* desunt in mscr. Tur. 6) *item*] mscr. Tur. *autem.* 7) *Quod autem quidam tradunt*] mscr. Tur. *Et quae traduntur vulgo.* 8) *Credo remissionem ..... aeternam*] Haec vv. in mscr. Tur. desunt. 9) *adversatur*] mscr. Tur. *adversantur.* 10) *Habent Mosen et prophetas, audiant illos*] Haec vv. desunt in mscr. Tur.
1) *qui*] In edit. Kindl. deest.

Digitized by Google

et tutore quodam custodiebantur, sed adveniente Christo liberatore, legeque sublata, *fideles sub lege amplius non sumus*, Rom. 8. disparueruntque caeremoniae: quas in ecclesia Christi adeo retinere aut reparare noluerunt Apostoli, ut aperte sint Act. 15. testati *se nullum onus velle imponere ecclesiae*. Proinde ludaismum videremur reducere aut restituere, si in ecclesia Christi, ad morem veteris ecclesiae, caeremonias, ritusve multiplicaremus. Ideoque minime approbamus eorum sententiam, quibus visum est ecclesiam Christi cohiberi oportere, ceu paedagogia quadam, multis varijsque ritibus. Nam [2]) si populo Christiano Apostoli caeremonias vel ritus divinitus traditos imponere noluerunt, quis oro [3]) sanae mentis, obtrudet illi adinventiones adinventas [4]) humanitus? Quanto magis accedit cumulo rituum in ecclesia, tanto magis detrahitur non tantum libertati Christianae, sed et Christo et eius fidei: dum vulgus ea quaerit in ritibus, quae quaereret in solo Dei filio Iesu Christo per fidem. Sufficiunt itaque pijs pauci [5]), moderati, simplices, nec alieni a verbo Dei ritus.

Quod si [6]) in ecclesijs dispares inveniuntur ritus, nemo ecclesias existimet ex eo esse dissidentes. Socrates, Impossibile fuerit, inquit, omnes ecclesiarum, quae per civitates et regiones sunt, ritus conscribere. Nulla religio eosdem ritus custodit, etiamsi eandem de illis doctrinam amplectatur. Etenim qui eiusdem sunt fidei, de ritibus inter se dissentiunt. Haec ille. Et nos hodie ritus diversos in celebratione Coenae domini et in alijs nonnullis rebus [7]) habentes in nostris ecclesijs, in doctrina tamen et [8]) fide non dissidemus, neque unitas societasque ecclesiarum nostrarum ea re discinditur. Semper vero ecclesiae in huiusmodi ritibus, sicut medijs, usae sunt libertate. Id quod nos hodie quoque facimus [9]). Dispares ritus.

At cavendum interim monemus, ne inter media deputentur, ut quidam [10]) solent Missam et usum imaginum in templo pro medijs reputare, quae revera non sunt media. *Indifferens* (dixit ad Augustinum Hieronymus) *illud est, quod nec bonum nec malum est, ut sive feceris, sive non feceris, nec iustitiam habeas nec iniustitiam.* Proinde cum adiaphora rapiuntur ad fidei confessionem, libera esse Media.

2) *Nam*] mscr. Tur. *Quod.* 3) *quis oro*] Kindl. *quis ergo.* 4) *adinventiones adinventas*] Kindl. *inventiones inventas.* 5) *pauci* deest in mscr. Tur. 6) *si* particula, quae in mscr. Tur., in ed. Oxon. et ap. Kindl. extat, omissa est in ed. Tur. 1568. 7) *et in aliis nonnullis rebus* desunt in mscr. Tur. 8) *nos vis ecclesiis, in doctrina tamen et* desunt in mscr. Tur. 9) *Id quod nos hodie quoque facimus* desunt in mscr. Tur. 10) *quidam*] Kindl. *quidem.*



Digitized by Google

1 Cor. 8. desinunt: sicuti Paulus ostendit, licitum esse carnibus vesci [11]), si quis non submoneat, idolis esse litatas, alioqui fore illicitas, quod qui his vescitur, iam vescendo, idololatriam approbare videatur.

## DE BONIS ECCLESIAE.

### XXVIII.

Bona ecclesiae et usus eorum iustus

Opes habet ecclesia Christi [1]) ex munificentia principum ac liberalitate fidelium, qui facultates suas ecclesiae donarunt. Opus enim habet ecclesia facultatibus: et habuit ab antiquo facultates ad res ecclesiae necessarias sustinendas. Ac verus usus opum ecclesiae quondam fuit, et nunc est, conservare doctrinam in scholis, et coetibus sacris, cum universo cultu, ritibus, et aedificio sacro, conservare denique doctores, discipulos atque ministros, cum rebus alijs necessarijs, et imprimis pauperibus iuvandis atque alendis. Deligantur autem viri timentes Deum, prudentes, et in oeconomia insignes, qui legitime bona dispensent ecclesiastica.

Oeconomi.

Abusus. Si vero opes ecclesiae per iniuriam temporis, et quorundam audaciam, inscitiam, aut avaritiam, translatae sunt in abusum, reducantur a viris pijs et prudentibus ad sanctum usum. Neque enim connivendum est ad abusum maxime sacrilegum. Docemus itaque reformandas esse scholas [2]) et collegia corrupta, in doctrina, in cultu, et in moribus, ordinandamque esse pie, bona fide [3]), atque prudenter, pauperum subventionem [4]).

## DE COELIBATU, CONIUGIO, ET OECONOMIA.

### XXIX.

Coelibes. 1 Cor. 7. Qui coelitus donum habent coelibatus, ita ut ex corde, vel toto [1]) animo, puri sint ac continentes, nec urantur graviter, serviant in ea vocatione domino, donec senserint se divino [2]) munere praeditos, et ne efferant se caeteris, sed

---

11) *licitum esse carnibus vesci*] mscr. Tur. *carnes licitas esse vesci.*

1) *Christi* deest in mscr. Tur. 2) *Docemus itaque reformandas esse scholas*] mscr. Tur. *Reformentur itaque scholae.* 3) *ordinandamque ..... fide*] mscr. Tur. *ordinenturque fideliter.* 4) *subventionem*] mscr. Tur. *sulventio.*

1) *toto* deest in mscr. Tur. 2) mscr. Tur. addit. v. *hoc.*

Digitized by Google

serviant domino assidue, in simplicitate et humilitate. Aptiores autem hi sunt curandis rebus divinis, quam qui privatis familiae negotijs distrahuntur. Quod si adempto rursus dono, ustionem senserint durabilem, meminerint verbi apostolici, *Melius est nubere, quam uri.*

Coniugium enim (incontinentiae medicina et continentia ipsa est) institutum est ab ipso domino Deo, qui ei liberalissime benedixit, ac virum ac foeminam inseparabiliter sibi mutuum adhaerere, et una in summa dilectione [3]) concordiaque [4]) vivere voluit. Unde scimus Apostolum dixisse, *Honorabile est connubium* [5]) *inter omnes et cubile impollutum.* Et iterum, *si virgo nupserit, non peccavit.* Damnamus ergo polygamiam, et eos qui secundas damnant nuptias [6]). Docemus contrahenda esse [7]) coniugia legitime in timore domini, et non contra leges prohibentes aliquot in coniugio gradus, ne incestae fiant nuptiae. Contrahantur cum consensu parentum, aut qui sunt loco parentum [8]), ac in illum maxime finem, ad quem dominus coniugia instituit, et confirmentur publice in templo cum precatione et benedictione. Colantur denique sancte, cum maxima coniugum fide, pietate et dilectione, nec non puritate. Caveantur itaque rixae, dissidia, libidines et adulteria. Constituantur legitima in ecclesia iudicia, et iudices sancti, qui tueantur coniugia, et omnem impudicitiam [9]) impudentiamque [10]) coërceant, et apud quos controversiae matrimoniales transigantur.

Coniugium. Matth. 19. Hebr. 13 1 Cor. 7. Sectae. Quimodo contrahenda coniugia.

Educentur quoque liberi a parentibus in timore domini: provideant item parentes liberis, memores apostolicae sententiae, *Qui suis non prospicit, fidem abnegavit, et* [11]) *infideli est deterior.* Imprimis autem doceant suos, quibus sese alant, artes honestas, abstrahant ab otio, et veram in his omnibus fiduciam in Deum inserant, ne diffidentia aut securitate nimia aut avaritia foeda diffluant, nec ad ullum fructum perveniant.

Educatio liberorum. 1 Tim. 5.

Estque certissimum opera illa, quae in vera fide fiunt a parentibus, per coniugij officia et oeconomiam [12]), esse coram Deo, sancta et [13]) vere [14]) bona opera, et placere

---

3) *dilectione* deest in mscr. Tur. 4) *concordiaque*] mscr. Tur. *concordia.* 5) *connubium*] Kindl. *coniugium.* 6) *Damnamus ergo.....nuptias.*] In mscr. Tur. desunt haec verba. 7) *Docemus contrahenda esse*] mscr. Tur. *Contrahantur.* 8) *aut qui sunt loco parentum* desunt in mscr. Tur. 9) *impudicitiam* deest in mscr. Tur. 10) *impudentiamque*] mscr. Tur. *impudentiam.* 11) *fidem abnegavit et* in mscr. Tur. desunt. 12) *et oeconomiam* desunt in mscr. Tur. 13) *sancta et* desunt in mscr. Tur. 14) *vere*] Kindl. *vera.*

Digitized by Google

haec Deo, non minus quam preces, ieiunia, atque eleemosynas. Sic enim docuit et Apostolus in epistolis suis, praecipue vero [15]) ad Timoth. et Titum. Numeramus autem cum eodem Apostolo, inter dogmata satanica illorum doctrinam, qui matrimonium probibent, aut palam vituperant, vel oblique perstringunt, quasi non sanctum vel mundum sit.

Execramur autem coelibatum immundum, libidines et fornicationes tectas et apertas hypocritarum simulantium continentiam, cum omnium sint incontinentissimi. Hos omnes iudicabit Deus. Divitias, et divites, si pij sint, et recte utantur divitijs, non reprobamus. Reprobamus autem sectam Apostolicorum, etc. [16]).

## DE MAGISTRATU.

### XXX.

Magistratus a Deo.

Magistratus omnis generis ab ipso Deo est institutus ad generis humani pacem ac tranquillitatem, ac ita, ut primum in mundo locum obtineat. Si hic sit adversarius ecclesiae, et impedire et obturbare petest plurimum. Si autem sit amicus, adeoque membrum ecclesiae, utilissimum excellentissimumque membrum est ecclesiae [1]), quod ei permultum prodesse, eam denique peroptime iuvare potest.

Officium magistratus.

Eius officium praecipuum est, pacem et tranquillitatem publicam procurare et conservare. Quod sane nunquam fecerit felicius, quam cum fuerit vere timens Dei ac religiosus, qui videlicet ad exemplum sanctissimorum regum principumque populi domini, veritatis praedicationem, et fidem synceram promoverit, mendacia et superstitionem omnem cum omni impietate et idololatria exciderit, ecclesiamque Dei defenderit. Equidem docemus [2]) religionis curam, imprimis pertinere ad magistratum sanctum.

Teneat ergo ipse in manibus verbum Dei, et ne huic contrarium doceatur, procuret: bonis item legibus ad verbum Dei compositis moderetur populum sibi a Deo creditum [3]), eundemque in disciplina [4]), officio, obedientiaque [5]) contineat.

---

15) *praecipue vero* desunt in mscr. Tur. 16) *Reprobamus.... etc.* desunt in mscr. Tur.

1) *ecclesiae* deest in mscr. Tur. 2) *docemus*] mscr. Tur. *dicimus.* 3) *sibi a Deo creditum*] Haec verba desunt in mscr. Tur. 4) *et* partic. addit mscr. Tur. 5) *obedientiaque* deest in mscr. Tur.

Digitized by Google

Iudicia exerceat iuste iudicando: ne respiciat personam, aut munera accipiat: viduas, pupillos, et afflictos asserat: iniustos, impostores et violentos coërceat atque adeo et excindat. *Neque enim frustra accepit a Deo gladium.* Stringat ergo hunc Dei gladium [6]) in omnes [7]) maleficos, seditiosos, latrones vel homicidas, oppressores, blasphemos, periuros [8]), et in omnes eos, quos Deus punire ac etiam caedere iussit. Coërceat et haereticos (qui vere haeretici sunt) [9]) incorrigibiles, Dei maiestatem blasphemare, et ecclesiam Dei conturbare, adeoque perdere non desinentes. Quod si necesse sit etiam bello populi conservare salutem, bellum, in nomine Dei, suscipiat, modo prius pacem modis omnibus quaesierit, nec aliter nisi bello suos servare possit. Et dum haec ex fide facit magistratus, illis ipsis operibus ut vere bonis, Deo inservit, ac benedictionem a domino accipit. Damnamus Anabaptistas, qui ut Christianum negant fungi posse officio magistratus, ita etiam negant quenquam a magistratu iuste occidi [10]), aut magistratum bellum gerere posse, aut iuramenta magistratui praestanda esse, et caetera. Rom. 13. Bellum.

Sicut enim [11]) Deus salutem populi sui [12]) operari vult per magistratum, quem mundo veluti patrem dedit: ita subditi omnes hoc Dei beneficium in magistratu agnoscere iubentur. Honorent ergo et revereantur [13]) magistratum, tanquam Dei ministrum: ament eum, faveant ei, et orent pro illo tanquam pro patre: obediant item omnibus eius iustis et aequis mandatis: denique pendant vectigalia atque tributa, et quae huius generis debita sunt [14]), fideliter atque libenter. Et si salus publica patriaeve et iustitia [15]) requirat, et magistratus ex necessitate bellum suscipiat [16]), deponant etiam vitam et fundant sanguinem pro salute publica magistratusque [17]), et quidem in Dei nomine, libenter [18]), fortiter et alacriter. Qui enim magistratui se opponit, iram Dei gravem in se provocat. Subditorum officium.

Damnamus itaque omnes magistratus contemptores, rebelles [19]), reipub. hostes, et seditiosos nebulones, denique Sectae et seditiones.

---

6) *Dei gladium*] Haec vv. in mscr. Tur. desunt. 7) *omnes* deest in mscr. Tur. 8) *periuros* deest in mscr. Tur. 9) (*qui vere haeretici sunt*) desunt in mscr. Tur. 10) In mscr. Tur. additum est v. *posse*; sed quae sequuntur verba usque ad: *et caetera* in eodem omissa sunt. 11) *enim*] mscr. Tur. *autem*. 12) *sui* deest in mscr. Tur. 13) *revereantur*] mscr. *reverentur*. 14) *et quae huius generis debita sunt*] desunt haec verba in mscr. Tur. 15) *patriaeve et iustitia*] mscr. Tur. *iustitiaque*; Kindl. *patriae vel iustitiae*. 16) *bellum suscipiat*] mscr. Tur. *mandet*. 17) *magistratusque* deest in mscr. Tur. 18) *libenter* deest in mscr. Tur. 19) *rebelles* deest in mscr. Tur.

Digitized by Google

omnes quotquot officia debita praestare, vel palam, vel arte renuunt.

*Oramus Deum patrem nostrum in coelis clementiss.*[20] *ut principibus populi, nobis quoque*[21] *et universo populo suo, benedicat, per Iesum Christum dominum et Servatorem nostrum unicum*[22]*: cui laus et gloria ac gratiarum actio*[23]*, in secula seculorum, Amen.*

---

20) *nostrum in coelis clementiss.*] Haec vv. in mscr. Tur. desunt. 21) *nobis quoque*] Etiam haec desunt in mscr. Tur. 22) *unicum* in mscr. Tur. deest. 23) *ac gratiarum actio*] Neque haec extant in mscr. Tur.

FINIS.

Digitized by Google

# PARS II.

## CONFESSIONES AC DECLARATIONES FIDEI,

## QUAE SUNT SECUNDI ORDINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

# I.

## VERA

# CONFESSIO EX VERBO DEI SUMPTA

## ET IN SYNODO CZENGERINA UNO CONSENSU EXHIBITA ET DECLARATA.

I. De uno et solo Deo, qui est Pater, Filius et Spiritus sanctus.
II. De unigenito Dei Filio ab aeterno.
III. De Spiritu sancto vero et solo Deo et Domino subsistente, et in se vitam habente.
IV. De Vocabulis et Phrasibus quibus Spiritus sanctus utitur, de Deo per Prophetas et Apostolos.
V. De Regulis explicantibus Phrases loquendi de Deo.
VI. De Lege et Evangelio in Ecclesia.
VII. De Ritibus et Sacramentis Ecclesiae, de Baptismo infantium, et de Coena Domini.
VIII. De libertate Christiana in Cibo, Potu, Vestitu, et de locis conventus Ecclesiae.
IX. De Aprosopolepsia in Deo, dum hos salvat, illos indurat.
X. De causa peccati. De Mediatore Filio Dei.
XI. De tollendis foedis Haereticis et Antichristis.

---

### Hoc unicum Argumentum de uno solo Deo destruit omnes munitiones Antitrinitariorum: sumptum ex Bibliis.

1. Unus solus est Deus quicunque est Iah, Iehova, Deut. 4. 5. 6.

2. Unus solus est Deus quicunque est El Scaddai omnia praesciens, Gen. 17. 28. 31. 35. Esa. 25. 43. 41.

3. Solus Deus est qui utrunque foedus fecit, et Deus Patrum est, Hier. 31. Deu. 5. 6.

4. Unus solus est Deus qui omnium est Creator, et Conservator, Esai. 40. 43. 44. Deu. 4. 5. 6. 32.

5. Unus solus Deus est qui scrutator est cordium et renum, Hie. 10. 27. Ps. 7. Apoc. 1. 2. Acto. 12.

6. Unus solus Deus est qui eduxit Populum suum ex Aegypto, Exod. 5. 6. 20. 32. Deu. 4. 5. 6. 10. 30. 32. Psa. 78. 95.

7. Unus solus Deus est qui fecit miracula in Aegypto, tentatus, irritatus et provocatus est in deserto, Psalm. 95. 102. Exod. 20. 23. 32. Num. 23. Dent. 32. 1 Cor. 10.

Sed haec omnia fecerunt, et sunt Filius et Spiritus sanctus, Esa. 63. Angelus faciei et Spiritus S. eduxit eos, irritaverunt Spiritum S. eius, solus Deus eduxit eos, Deu. 32. Filius et Spiritus S. eduxit eos, et

Digitized by Google

tentatus est, 1 Cor. 10. Esa. 63. Psal. 68. 95. Spiritus Iehovae creavit coelos: Spiritus Iehovae est Iah, Iehova, Deus Patrum, foedus novum et vetus cum Patribus pepigit, Hie. 31. Ezech. 2. 3. 8. 11. Hebr. 3. 4. 8. 10. Spiritus S. dicitur Deus, qui foedus iniit, cuius foedus violaverunt Iudaei: Haec dicit Spiritus S. Foedus novum feriam, non secundum foedus, quod pepigi cum eis tunc cum educērem eos: sic dicit Spiritus sanctus: Nolite Corda vestra obdurare, sicut patres vestri me tentaverunt, irritaverunt me in deserto, Heb. 3. 4. 8. 10. Christo tribuuntur haec, Rom. 14. 1 Cor. 10. Esa. 45. 63. Ibidem Spiritui S. Vere igitur et immutabiliter sunt unus et solus Deus Iehova Filius et Spiritus sanctus.

Aliud argumentum.

1. Quicunque non est Iehova aeternus immutabilis, aeternitates, habitans omni tempore, qui non est Sum, Fui, Ero: non est Deus.

2. Maledictus est Deus Zar, id est, recens novus, noviter ortus qui ab aeterno non fuit, non fecit omnia, non fuit ab aeterno, sed est Nechar, id est alienus, formatus extra unius Dei naturam ex creaturis ortus, Deu. 5. 6. 10. 30. 32. Psalm. 81. pereant tales dij, non adorentur: Hie. 7. 10. 23. 31. 33. Deus est e vicino factus, non fecit omnia, non fuit ab aeterno, pereat, Deut. 5. 10. 31. Psal. 81. Hie. 7. 10.

3. Maledictus est et non adorandus, qui non est unus solus Deus, omnia non fecit: Sed Christus et Spiritus S. fecerunt omnia, adorantur ita ut Pater, Psalm. 95. Ezec. 2. 3. 8. 11. Esa. 45. 48. 63. Iob. 26. 27. 33. Nec sunt Filius et Spiritus S. Dij recentes, maledicti novi: ergo sunt unus et solus Deus ita ut Pater. Nisi ergo Filius et Spirit. S. sint unus solus, Iehova, creator, conservator, pro vero Deo adorari non possunt, sed erunt dij maledicti, recentes, alieni, non ex Patris Iehovali et aeterna Deitate ab aeterno sine initio temporali orti, Hie. 10. 3. Psal. 81.

Responsio ad calumniam adversariorum.

Non Spiritum S. et Filium dici Iah. Deum, Iehovam et Psal. 95. 6. non de Patre tantum, nec de Filio solo, sed et de Spiritu sancto quoque dicitur, cum inquit: Venite procidentes adoremus Iehovam, quia ipse est Deus, et factor noster: nos Populus pascuae eius, si modo vocem eius audieritis, ne obduretis cor vestrum sicut in die disceptationis, ubi tentaverunt et probaverunt me patres vestri et viderunt opera mea quadraginta annis, Psal. 95.

Haec licet de patre et de Filio quoque recte praedicentur in Bibliis sacris, tamen Spiritui quoque S. cum Patre et Filio Apostolus Hebr. 3. et 4. Sic applicat, ex more Scripturae. Mos enim est Scripturae ut unus et idem locus de tribus testibus exponitur, ut locus creavit Deus, eduxit Deus, tentatus est Deus, miracula edidit Deus, Patri, Filio, et Spiritui sancto tribuitur. Esaiae 6. 40. 43. 45. 48. 63. Deuteron. 4. 5. 32. 1 Corinth. 8. Iohann. 1. 5. 8. 10. Iob. 26. Hebr. 2. 3. 4. Romanorum 14. vide. Est enim mos Scripturae ut saepius de tertia persona loquatur in prima, et secunda persona. Ut haec dixit Iehova ad me: Ego sum Iehova, Creator, Salvator, Elscaddai sic dices ad eos verba mea: Haec dicit Iehova: Nolite impie agere contra legem meam: Apostolus ergo Hebr. 3. 4. 8. 10. sic locum, hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut Patres vestri tentaverunt me: Psalm. 78. 95. 105. Num. 14. 23. 1 Cor. 10. Item hunc locum, Hoc est foedus meum quod disponam vobiscum: de eodem exponit in prima, et tertia persona. De primo loco cap. 3. Hebr. sic loquitur. Quapropter, sicut dicit Spiritus sanctus, si hodie vocem eius audieritis, nolite corda vestra obdurare. Hic dicit Spiritum sanctum loqui de eo

Digitized by Google

qui patres eduxit ex Aegypto: Eduxit autem Iehova Pater, eduxit Filius, eduxit Spiritus sanctus: ut Esa. 63. 1 Cor. 10. Exo. 3. 5. 6. 14. 15. 32. 34. Deut. 4. 5. 6. 32. Ezech. 2. 3. 8. 11. Spiritus sanctus eduxit eos, et requiescere fecit eos Esaias 63. Ezech. 2. 3. 8. 11. Hieronym. 31. Reprehendens eos Iehova, ipse Spiritus sanctus dicit: Hebr. 8. 10. Hieron. 31. Ecce venient dies, sicut testatur Spiritus sanctus: Hoc est testamentum quod disponam cum illis, dicit Iehova: In Hier. 31. Eze. 2. 3. 4. 8. 11. Eundem Spiritum sanctum sic annunciat: Venit in me spiritus Iehovae, et statuit me spiritus super pedes meos, et dixit ad me spiritus. Ecce ego loquar tecum, ego mittam te ad gentes rebelles, et verba mea loquêris ad eos, et dices, sic dicit Iehova, sive audiant, sive non audiant: quia sunt rebelles, sicut et patres eorum praevaricati sunt foedus meum, et non perstiterunt in foedere meo, sed transgressi sunt pactum meum, et fecerunt abominationes et scelera multa, propter quae et ego abieci eos et deseruí eos. Unde Ezechiel eundem Iehovam Deum, nunc Spiritum, nunc Iehovam, Dominum exercituum et Adonai, vocat. Hic quoque ergo Psalm. 95. Hebr. 3. 4. 8. 10. eodem idiotismo Hebraeorum, Spiritus in tertia persona dicit de se: Haec dicit Iehovah. In prima persona dicit, Ego sum Iehova qui eduxi eos, Spiritus sanctus testatur et dicit: Hoc est testamentum quod disponam ad eos, dicit Iehova. Primo Spiritum dicit, deinde Iehovam: sicut Ezech. 2. 3. 4. 8. 11. Venit in me Spiritus Iehovae, et locutus est mecum Iehova, et dixit, Ego sum Iehova qui eduxi vos: Primo vocat Spiritum sanctum, secundo vocat Iehovam. Adonai propter naturam: Spiritum sanctum propter proprietatem a Patre procedentem, et a Filio emissam. Iehova Adonai vocatur propter naturam divinam, quam habet communem cum Patre, ut Esa. 6. 40. 63. Dicitur Iehova qui sedet in solio, qui mittit Christum et Prophetas: In Actis vero Paulus Spiritum sanctum esse dicit: Ita Hier. 31. Iehova exercituum dicitur qui foedus novum feriet, et Iudaeos eduxit ex Aegypto: Sed Esa. 40. 48. 63. Hebr. 3. 10. dicitur Spiritum S. esse, qui foedus novum feriet super domum Iuda, et Iudaeos eduxit ex Aegypto. Esa. 63. Cum ergo Hebraice dicitur Kihu Elohenu, et nos, am, vezon iado: Haiom bekalo tismáu, id est, Quia ipse est Deus noster, et nos populus et grex manus eius: Hodie si vocem eius audieritis: Haec de Iehova Deo nostro: eius refertur ad Deum, qui supra dicitur El Iehova, Deus noster, factor noster adorandus. Haec de tertia persona, quae sequuntur de tertia et prima dicuntur: Dicit Iehova, nolite corda vestra indurare, sicut in deserto in die tentationis, ubi tentaverunt me Patres vestri, et ego iuravi in ira mea, si introíbunt, Vides supra in tertia persona dicebatur Kolo, id est, Vocem Iehovae factoris si audieritis, hic idem qui dicit: Si audiveritis vocem IEHOVAE, idem dicit de secunda persona: Nolite vos corda vestra indurare. De se autem in prima sic loquitur: Sicut patres vestri probaverunt et irritaverunt me in deserto, et ego iuravi in Exod. 4. 5. 6. 13. 14. Esaiae 63. Ezechielis 2. 3. 8. 11. Hieremiae 31. 1 Corinthiorum 10. dicitur Spiritus sanctus irritatus et provocatus: Irritaverunt Spiritum sanctum eius, qui eduxit, et Spiritus sanctus requiescere fecit eos. Esaiae 63. Hebr. 3. 4. 10. in Esaia 1. Hierem. 3. Deuteron. 4. 5. 32. IEHOVA unus solus Deus dicitur eduxisse Iudaeos, et Iehova unus requiescere fecit: Iehova irritatus est. Et 1 Corinth. 10. Psalmo 68. Christus dicitur eduxisse, Christus tentatus. Et Esaiae 63. Ezechiel. 2. 3. 8. 10. 11. Spiritus dicitur eduxisse Iudaeos, Spiritus sanctus irritatus, provocatus, et Psalm. 95. Hebr. 3. 4. Spiritus sanctus dicitur tentatus, irritatus in deserto.

Non enim simpliciter verba Davidis sunt: Nolite corda vestra indurare, sicut patres vestri induraverunt et tentaverunt me in deserto. Psalmo 95. Numer. 14. 23. 1 Corinthior. 10. Nam non David tentatus est. Et Hebraeor. 4. dicit, Praedefinit autem in Davide Deus diem

Digitized by Google

hodie dicens: Hodie si vocem eius audieritis. Quem supra Spiritum sanctum dixit, capite quarto Deum dicit, ut Psalmo 95. Quia ergo subiiciuntur Elogia uni soli Deo propria, sicut dicit Spiritus sanctus: Nolite corda vestra obdurare, sicut patres vestri me tentaverunt, haec verba ex Ezechielis 2. 3. 8. 11. et Esaiae 6. 63. de Spiritu sancto explico. Nam si de Patre diceret, si vocem eius Patris audieritis, nolite corda vestra indurare, sicut eum tentaverunt Patrem. Sed Mystice propter identitatem naturae dicit. Eum Deum Iehovam audite, qui ego sum cum Patre, et Filio: ut ostendat identitatem naturae in Patre et Filio et Spiritu sancto. Ideo dicit, si vocem eius audieritis, si Patres vestri me non audierunt. Nam Spiritus de se nunc in prima, nunc in tertia persona loquitur ex perpetua Scripturae consuetudine, et in Actis Petrus et Apostolus probat Spiritum sanctum per os Davidis et per Prophetas locutum esse tanquam Iehovam et verum Deum. Act. 1. 2. 3. 13. 28. 1 Pet. 1. 3. 2 Pet. 1.

---

# CONFESSIO PASTORUM ECCLESIAE IESU CHRISTI, EXHIBITA IN CZENGER DE UNO ET SOLO DEO,

## QUI EST PATER, FILIUS, ET SPIRITUS SANCTUS, CONFIRMATA EXPLICATIONE PHRASIUM HEBRAEARUM, ET REGULIS CERTIS EX VERBO DEI DESUMPTIS.

---

### DE UNO ET SOLO DEO.

Vere et sincere confitemur secundum scripturas sacras, Deum verum esse unum et solum, authorem et conservatorem omnium, qui sic se patefecit, ut sit Pater, Filius et Spiritus sanctus.

### DE TRINITATE UNIUS IEHOVAE.

Hunc unum et solum Deum, tres in coelo testes Patrem, Filium et Spiritum Sanctum esse credimus: qui licet tres sint subsistentibus suis proprietatibus, et officiis dispensatoriis: tamen hi tres unum quoque sunt, ut Apostolus testis est. 1 Iohann. cap. 5.

### DE PATRE AETERNO.

Patrem vocamus ex verbo Dei, Deum et Iehovam in se vitam habentem, a nullo existentem, et omni origine carentem, qui ex sua hypostasi tanquam characterem et splendorem suae gloriae, Filium unigenitum ab aeterno sine omni principio et mutatione genuit, per quem omnia ab aeterno praesciit, et disposuit, et in principio creavit, et conservat et electos iustificando salvat, impios autem condemnat.

Digitized by Google

## DE FILIO DEI.

Christum iuxta carnem Davidis filium, per omnia fratribus similem excepto peccato credimus. Hunc eundem Christum, secundum *Logon*, credimus et confitemur Filium Dei unigenitum a Patre, Deum et Iehovam aequalem Patri, et ab initio ante omnia opera, ex ore altissimi, tanquam splendorem gloriae, et characterem substantiae eius genitum esse, per quem omnia facta sunt ante creationem, in creatione et post creationem.

Qui dicitur *Angelus foederis*, et *sermo* Dei, carnem in fine seculorum assumens. Rom. 1. 8. 9. Hebr. 1. 2. 3. Gal. 3. 4. Psal. 2. 1 Tim. 3. Rom. 3. 4. 8. Hebr. 3. 8. 9. Qui cum subsistens esset in forma Dei, patri aequaliter se humiliavit ac formam servi assumsit, sic totum *antilytron* seu aequivalens precium, virtute et potentia Spiritus aeterni in carne assumta persolvit. Quia in ipso Somaticôs seu vere placuerit Patri, totam plenitudinem Deitatis inhabitare, ut sic omnia per eum restaurari possint, Eph. 1. Coloss. 1. 2. 2 Cor. 5.

Huic Christo licet iuxta carnem temporalis tribuatur origo et nativitas, tanquam vero homini fratribus per omnia simili, excepto peccato: tamen, quatenus est unigenitus a Patre, subsistens in forma Dei, ita in se vitam habens ut Pater, caret omni origine, et temporali mutatione. Quia est *Iehova* a Iehova egressus, et missus a diebus aeternis, sola mystica et ineffabili generatione unigenitus a Patre. Matth. 1. 3. Luc. 1. 2. 3. Rom. 1. 8. 9. Ioan. 1. 3. 8. 10. Philipp. 2. Mich. 5. Zachar. 2. 3. 10. Proverb. 8. Psalm. 2.

## DE SPIRITU SANCTO.

Spiritum quoque sanctum credimus et confitemur, a Patre procedentem, et a Filio emissum in corda credentium, esse *Adonai Iehovam:* ut in Ezechiele se Spiritus sanctus appellat, capite 2. 3. 8. 10. Cui omnia elogia, uni soli Deo propria tribuuntur. Perinde ut Patri ac Filio, scilicet primo Iehova Adonai, Deus vocatur. Psalm. 95. Hebr. 3. Secundo vocatur Deus Iehova scrutans corda et renes, seu Deus omnipotens.

Tertio, creator, conservator, regenerator, sanctificator. Esa. 6. 1 Corinth. 1. 2. 3.

Quarto, author et distribuitor omnium donorum Dei. 1 Corinth. 12. Gal. 5. 6. Ephes. 5. 6. Fructus Spiritus sancti sunt fides, spes, charitas. Rom. 3. 4. 8. Gal. 3. 4.

Quinto, quia futura praedixit in Prophetis, elegit et emisit Apostolos sua authoritate. Actorum 13. Hi tres, Pater, Sermo, et Spiritus, quia unum sunt in Iehovali et in aeterna deitate, voluntate, consilio et operibus, ut Ioh. 3. 5. 6. 10. 14. 15. 16. dicitur, sunt unum et in adoratione, sicut enim Deus Pater sine

Digitized by Google

Filio suo, et Spiritu Sancto, eligere, creare, sanctificare non potest: ita Pater sine Filio et Spiritu sancto Deus Iehova adorandus esse non potest.

## DE COENA DOMINI.

Coenam Domini vocamus Sacramentum a Christo ex pane et vino institutum in memoriam mortis suae. Sicut autem Papisticam *transsubstantiationem* ex verbo Dei negamus: ita pernegamus *sarcophagiam* corporalem et cruentam, hoc est ore corporali naturale Christi corpus ex virgine natum sumi in coena. Et panem substantialiter, et realiter sine ulla transsubstantiatione, corpus Christi esse, aut in panem corpus Christi contra fidei et naturae regulam includi, et in pane ore carnali ab omnibus in coena sumi: cum Symbolum et Scriptura doceant, corpus Christi ascendisse in coelum. Deinde impossibile et contra naturam est, contentum suo continente, locatum suo loco maius esse: ut plantae et arbores, animalia ipsa terra continente vel orbe maiore esset panem coenae, totum Christi corpus capere, et poculum totum Christi sanguinem continere, aut includere. Deinde, quin et post verborum Christi pronuntiationem, Christus Apostolis panem dedit, et non corpus suum, quod pro nobis postridie obtulit. Et Paulus dicit: *Si quis panem hunc indigne comederit, reus erit corporis Christi. Panis, quem frangimus, nonne est communicatio corporis Christi?* 1 Cor. 10. 11.

Tertio: quia vocatur Panis memoria mortis et corporis Christi: memoria autem vocatur ex Dei institutione signum foederis. Quicquid enim recordari facit, recte memoraculum seu signum vocatur, ut Gen. 9. 17. dicitur. 1 Cor. 11. Luc. 22. Quarta ratio: Impossibile est diversas species, disparatam et aliam speciem et formam esse posse naturaliter et realiter in sua forma substantiali, sine transsubstantiatione et mutatione disparatarum specierum de sua forma, et substantia prima aut subiecto in aliam naturam. Ut virga Mosis non fuit serpens, sine transsubstantiatione, aqua non fuit sanguis in Aegypto, nec aqua vinum fuit in nuptiis, sine mutatione: ita nec panis Coenae realiter, et substantialiter ac corporaliter corpus Christi esse potest, neque ore corporali sumi potest, nisi in carnem Christi transmutetur, amissa forma et substantia panis.

Quemadmodum damnamus Papisticum delirium, dum sic nugantur: primo panem transsubstantiari, et offerri in Missa: deinde sola accidentia panis manere, sed sub illa forma visibili panis, corpus Christi latitari, cum impossibile sit, accidentia manere sine suis subiectis, et formas substantialiter quae dant esse rei, id est, ob quas, res suis nominibus appellantur, sine primis substantiis subsistere posse: ut in coena cum panis sit forma corporalis, et tamen substantia prima, aut subiectum corporis Christi

Digitized by Google

naturalis lateat sub forma panis. Ita et eorum insaniam damnamus, qui asserunt *Sarcophagiam*, id est, ore corporali sumi corpus Christi naturale, sanguinolentum, sine ulla mutatione, et transsubstantiatione. Nam ut impossibile est accidentia manere, et sumi sine subiecto, ut Papistae nugantur, videri quidem accidentia panis, sed corpus Christi in Missa sumi: ita isti *Creophagi*, aut *Sarcophagi* delirant, dum somniant, panem quidem videri, et panem non mutari in corpus: tamen, pane manducato, corpus Christi realiter et substantialiter ore corporali sumi: id quod contra fidei et naturae regulam est, scilicet disparatas species, in aliis specierum formis esse posse substantialiter, et sumi sine mutatione: sicut aqua vinum esse in nuptiis, nec pro vino sumi potuit, sine versione aquae in vinum. Ioan. 2. Sola ergo appellatione transsubstantiatores Papistae a Sarcophagis corporariis differunt, sed re ipsa in re Sacramentaria per omnia conveniunt.

## DE SACRAMENTARIIS.

Reiicimus et eorum delirium, qui Coenam Domini *vacuum signum*, vel Christi absentis tantum *memoriam* his signis recoli docent. Nam sicut Christus est *Amen*, *testis fidelis*, *verax*, *veritas et vita:* Apoc. 1. 3. Matth. 18. 25. 1 Cor. 8. 10. ita Coena Domini est praesentis et infiniti, aeternique filii Dei unigeniti a Patre memoria: qui se et sua bona, carnem suam et sanguinem suum, id est, panem vivum et potum coelestem, Spiritus sancti ope per verbum promissionis gratiae, offert et exhibet electis fide vera Evangelium Christi apprehendentibus: ut Ioan. 6. 14. 15.

## DE PRAESENTIA IN COENA.

Christum credimus ubique electis suis praesentem, ut filium Dei Iehovam unigenitum a Patre, quatenus hi tres sunt unum, id est unus Deus. Sed hic filius Dei ut Deus sermo est mystice et spiritualiter quoque, dum enter praesenter Iehovali sua deitate, et cum donis in unigenito et primogenito *somatice* et vere habitantis adest, perinde ut Pater, sicut vitis in palmitibus caput in membris adest: Ioan. 15. 1 Cor. 10. 12. Ephes. 4. 5. 6. Ut autem est homo fratribus per omnia similis, id est in Ecclesia sua mystice et spiritualiter. Primo adest per unionem cum Logo, quatenus unitus est Logo ubique praesenti. Secundo adest in sua promissione per verbum et fidem, communicando se electis, ut vitis in palmitibus distantibus et dissitis a vite, caput in membris dissitis a capite adest per venas. 1 Cor. 8. 10. Ephes. 1. 4. 5. 6. Ita vitis et caput homo Christus quoque nostrum adest per promissiones gratiae, dum panem vivum, et potum coelestem nobis communicat. Ioan. 6. 8. 10. 14. 15. Tertio adest institutione



Digitized by Google

sua sacramentali aut Spiritus sancti effusione in electos. Quarto, officio dispensatorio, aut intercessione pro electis. Ioan. 15. 16. Hebr. 1. 7. 9. 10. Marc. 14. 16. Non est autem praesens carnaliter sicut in utero matris in Iudaea in sepulchro fuit praesens localiter: quia ascendit in coelum corporaliter, surrexit, non est hic, et oportet in coelo esse usque ad diem iudicii. Act. 3.

## DE VERIS SACRAMENTIS.

Scriptura sacra haec quatuor in omnibus signis novi foederis proponit. Primo foedus seu pactum ipsum, quod est Dei gratia, reconciliatio cum hominibus propter Christum, dona propter Christum per Spiritum sanctum, electis fide exhibita, et applicata: secundo materia rei ex qua Sacramentum instituitur, ut iris cum *Noah*, praeputium carnis cum *Abraham*, iumenta et panis in sacrificiis: in Baptismo aqua: in Coena, panis et vinum. Tertio, causa formalis: diversis enim formis signa erecta sunt cum *Noah*, *Abraham*, et populo Iudaico: et in novo Testamento in baptismo diversae sunt formae Sacramenti. Quarta causa finalis quae respicit Deum et homines, hinc dicta sunt signa foederis, memoria pacti aut novi Testamenti inter Deum et homines: respectu causae finalis dicta sunt res sacramentariae signa, aut memoria in signum foederis, et reconciliationis instituta, ut iridis erectio et circuncisio vocatur *Berith*, id est *foedus*: deinde *Otth Berith*, id est *signum foederis*. Gen. 9. 17. Ita in coena panis et vinum respectu causae finalis sunt memoria mortis Christi, id est signa commonefacientia de morte Christi. Matth. cap. 26. Luc. cap. 22. 1 Corinth. 10. 11. Panis et vinum sunt per se et sua natura sine ulla mutatione Papistica aut Creophagica, ut Papistae somniant, corpus et novum Testamentum, aut communicatio corporis sunt mystica et sacra Christi institutione et appellatione sine transformatione corporaria, sicut supra dictum est: signa enim non substantiam signatorum, sed tantum accipiunt nomina, ut Gen. 9. 17. 1 Cor. 10. Luc. 22. Iris et circuncisio nunc foedus, nunc signum, et in coena elementum nunc Panis, nunc corpus Christi appellatur: 1 Corinth. 10. 11. Sed non mutatur panis in corpus Christi, sed accipit nomen corporis et vinum sanguinis, non essentiam aut naturam carnis et sanguinis Christi, ut Papistae somniant.

## DE AETERNITATE. [PROPOSITIO 43.]

Aeternum quoque varie sumitur, primo, Dei respectu, quoties Deo Patri, Filio, Spiritui sancto tribuitur, significat principio et fine mutationeque carentem perpetuitatem, *Tu Iehova habitans aeternitates: Tu Iehova Deus es in aeternum.* Esa. 9. et 57.

Secundo sumitur pro Christi descriptione filiali et infinita natura, virtute et efficacia vel nativitate, ut Prov. 8. Sap. 7. 9.

Digitized by Google

Eccl. 24. *Ab aeterno ante omnia genuit me.* Mich. 5: *egressus eius ab aeterno a diebus aeternis.* Esa. 9. Christus est filius Dei, Deus fortis, pater aeternitatis. Hoc est autor aeterni foederis, testamenti, salutis, iustitiae et vitae aeternae causa. Hebr. 1. 9. 13. Angelus est foederis, Testamentum in Christo confirmatum: Testamentum aeternum in sanguine Christi confirmatum est: Effectum aeternum, salutem, vitam, Testamentum, seu foedus aeternum tribuit Filio Dei dato, unigenito a Patre infinito, aeterno: Qualis effectus, talis causa: Sed effectus Christi, redemptio, salus, Testamentum sunt aeternum: Ergo et Filius est Pater aeternitatis, id est, Deus aeternus, infinitus, ut Pater. Esa. 9.

Tertio, sumitur pro continuo tempore, hoc est, pro spacio quo mundus creatus est, pro diebus in quibus mundus factus est: Hinc dicitur: *Elegit nos ante tempora aeterna,* id est ante septem dies creationis, ante creationem ab aeterno elegit, Eph. 1. 2. 3. 5. 2 Timoth. 1. 2. 3. Quarto, sumitur pro infinita piorum salute, et cruciatu impiorum. Quae ut se in electis et vasis irae habent initium, tamen iam fine carent salus et condemnatio.

## DE BAPTISMO INFANTIUM. [PROPOSITIO 44.]

Infantes omnes Ecclesiae oblatos, qui canes et porci non sunt, *in nomine Patris, Filii et Spiritus S.* Baptismo baptizandos esse docemus, sicut promissio et signatum vel foedus ad infantes et electos pertinet, et Sacramentum circuncisionis infantibus quoque institutum fuit, Rom. 5. 6. 1 Cor. 15. Coloss. 2.

## [PROPOSITIO 45.]

Scriptura nomen Baptismi varie usurpat. Primo pro afflictione, et cruce electorum, ut Matth. 20. *Potestis baptizari, quo ego baptizor?* id est, potestis ferre illam crucem infinitam, aut poenas infinitas? Secundo sumitur Baptismus pro regeneratione, et causa regenerationis, pro Spiritu et igne aut gratiae Dei plenitudine. *Ille baptizabit nos igne et spiritu. Nisi quis natus fuerit ex aqua et spiritu, non poterit ingredi in vitam.* Matth. 3. Marc. 1. 1 Ioan. 1. 3. Tertio sumitur baptismus pro signo regenerationis et lavacri interioris, quod a Christo institutum est, in nomine Patris, Filii et Spiritus S. Matth. 28. Quarto, sumitur pro Christi baptismo, vel pro nomine Christi, pro poenitentia et conversione, ut Matth. 3. *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum:* id est, agite poenitentiam, ut propter Christum accipiatis remissionem peccatorum et donum spiritus. Quinto, pro religione et confessione Christiana, et unione insertioneque fidei, doctrinae et confessione Christi, ut Act. 10. *Nunquid*



Digitized by Google

*aquam prohibere potest aliquis, ne baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, et iussit eos baptizari Petrus in nomine Domini Iesu Christi.* Hic baptismus aquae primo. Secundo baptismus Spiritus et ignis. Tertio baptismus nominis Christi explicatur. *Baptizati sunt in nomine Iesu.* Hoc est, primo in nomine Patris, Filii et Spiritus S. aqua sunt baptizati: postea susceperunt nomen Christi, facti sunt Christiani, fidem, doctrinam, et religionem Christi susceperunt, et apprehenderunt, Gal. 3. 1 Cor. 3. *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Sexto pro lotione et communi lavacro sumitur, Iudith 12. *Baptizabat se Iudith in fonte,* Marc. 1. *Iudaei non comedunt, nisi baptizentur prius.*

## DE LEGE. [PROPOSITIO 46.]

Lex ad peccata arguenda, et Evangelium propter annunciandam remissionem peccatorum praedicandum est. Neque enim poenientia praedicari potest, neque peccata argui possunt, sine lege. In suis ergo finibus Lex et Evangelium praedicanda sunt.

## DE RITIBUS ECCLESIASTICIS. [PROPOSITIO 47.]

Omnes honestos, et pios ritus verbo Dei consentientes et servientes gloriae Dei, et aedificationi ecclesiae, cantilenas scilicet ex sacris literis compositas, cum intellectu Spiritu et mente canimus: et reiicimus insanos, qui his contradicunt, aut lingua non intellecta in coetu discantizant, aut reboant ad coelum usque, ut Sacerdotes Baal, 1 Cor. 14. Eph. 5.

## DE VESTITU PASTORUM. [PROPOSITIO 48.]

Quia in sacris literis in Veteri, et Novo Testamento nulla limitatione, figura, aut mensura ministrorum Ecclesiae vestes in usu communi circumscribuntur et limitantur, stultum et impium est haeredes et dominos omnium creaturarum, a Domino Deo factos facere servos in vestitu, cibo et potu superstitioso. In his ergo omnibus mediocritas pia et sancta serviens honestati, decoro et necessitati secundum circumstantias servanda est. Vitanda sunt extrema omnia, luxus, superbia, scandala, sordities, et avaritia, non serviens, et non parcens naturae, 1 Cor. 6. 14. 15.

## DE TEMPLIS. [PROPOSITIO 49.]

Templa et loca conventus electorum, remotis Idolis et Papisticis sordibus Idolorum, ararum, et boatuum recipimus: etiam in prius eis Baalaim abusi sunt: nulla enim creatura in terris est, qua impii abusi non sunt. Sed abusus non tollit substantiam bonae rei, Hoc est, non sunt ideo creaturae Dei per se bonae reiiciendae, quia iis impii abusi sunt.

Digitized by Google

## DE CIBO ET MERCEDE PASTORUM. [PROPOSITIO 50.]

Scriptura sacra, et natura docet, dignos esse operarios cibo et mercede sua: impie ergo nugantur clamitantes, mercedem non esse veris in Christo ministris dandam: sicut novi haeretici fabulantur, sub Monachorum praetextu, qui licet non paciscantur cum ovibus, sed tamen iis pellem et carnem excoriando detrahunt, ut Ioan. 10. 11. Hiere. 23, 3. Spiritus Dei falsis prophetis loquitur. Ezech. 14. Esa. 58.

## DE CAUSA PECCATI. [PROPOSITIO 51.]

Sicut impossibile est contrarie inter se pugnantia, et destruentia se mutuo, causam efficientem formalemque esse posse sibi contrariorum: ut Lux non est causa tenebrarum, neque caliditas frigiditatis, Psal. 5. 46. 61. 66. 80. 84. 114. 135. ita impossibile est Deum, qui est Lux, Iustitia, Veritas, Sapientia, Bonitas, Vita, causam esse tenebrarum, peccati et mendacii, ignorantiae, coecitatis, malitiae, et mortis: sed horum omnium causa Satanas, et homines sunt. Quaecunque enim Deus prohibet, et propter quae damnat facere ex se, et per se non potest. Deut. 32.

## DE APROSOPOLIPSIA IN DEO. [PROPOSITIO 52.]

Sicut qui operantibus aequaliter simul mercedem aequalem iuste reddit, et qui non merentibus donat ex gratia, libero arbitrio quae vult, non est respector personarum: ita Deus, mortem et condemnationem tanquam peccati stipendium, dum omnibus merentibus aequalem reddit, ex debito secundum iustitiam et legem suam, iuste fecit. Et contra dum non merentibus donat propter Filium ex plenitudine gratiae suae, et libera voluntate, iustitiam et vitam, non est *Prosopoliptis*, id est, non est respector personarum, ut dicitur: *quod tuum est, et meritus es tolle, et vade: Annon licet mihi facere de meo quod volo? Annon oculus tuus est nequam? non meus oculus, quia ego bonus sum*, Matth. 21.

## DE MEDIATORE.

Christum filium Dei et hominis totum secundum utramque naturam verum Melchisedecum Pontificem, Regem, Mediatorem, et Salvatorem, Redemptorem confitemur propter has causas:

1. Propter iustitiae et misericordiae temperamentum: ut iustitiae infinitae et legi damnanti propter peccatum satisfaceret in carne moriendo, virtute et efficacia spiritus aeterni. Deinde ut et misericordiae divinae vivificanti electos per eiusdem sermonis et Filii Dei unigeniti omnipotentiam satisfieret, iuxta electionem aeternam in Christo ab aeterno factam, Eph. 1.

2. Propter *antilytron*, aut aequivalens precium, hoc est, ut perfecte Mediator precium salutis pro electis solvere possit: hoc scili-

Digitized by Google

cet, propter peccatum hominum mori in carne possit. Deinde peccatum, mortem, Diabolum, infernum, legis maledictionem destruere possit, imaginem autem Dei amissam vitam, iustitiam, sapientiam Dei, reparare possit, et vivificare, omnia restaurare possit deitatis suae virtute et potentia, Rom. 3. 4. 8. 2 Cor. 3. 5. Col. 1. 2. Eph. 1. 3.

3. Quia literaliter Mediator vocatur Filius Dei unigenitus immortalis, id est verus Deus, vita aeterna, id est, immortalis Iehova Deus aeternus, magnus laudandus in secula: Deus magnus, sua potentia et virtute salvans, 1 Cor. 1. 3. Col. 1. Hebr. 1. 7. 9. Zach. 1. 3. 10. 13. 14. Oseae 1. 2. 3. 12. Idem Mediator Dei et hominum vocatur homo Iesus Christus. Sunt ergo gloriae Dei et veritatis, iustitiae, deitatis destructores, sunt pacis inter homines hostes, qui Christum mediatorem, id est, Filium Dei unigenitum a Patre, et hominem verum negant, Luc. 1. 2. Impossibile enim est gloriam Dei in coelis perfici Legem et Evangelium impleri, et salutem pacem electorum perfici sine Filio Dei vero Deo, et homine, et sine vero homine, Rom. 1. 3. Colos. 1. 2. Ephes. 1. 3.

FINIS.

Digitized by Google

## 2.

# CONSENSUS.

2 *Timoth.* 2.

Sectare iustitiam, fidem, charitatem, pacem cum iis, qui invocant DOMINUM ex puro corde.

# CONSENSUS

**IN FIDE ET RELIGIONE CHRISTIANA INTER ECCLESIAS Evangelicas Maioris et Minoris Poloniae, Magnique Ducatus Lithuaniae et caeterarum eius regni provinciarum, primo SENDOMIRIAE Anno MDLXX in Synodo generali sancitus, et deinceps in aliis, ac demum in Wlodislaviensi generali Synodo Anno MDLXXXIII confirmatus, et Serenissimis Poloniae Regibus, AUGUSTO, HENRICO ac STEPHANO oblatus, nunc autem ex decreto Synodico in publicum typis editus.**

**Anno Christi MDLXXXVI.**

*Psal:* 50. *et* 122.

Benigne fac Domine in beneplacito tuo Syoni, et aedificentur muri Ierusalem.

Sit pax in propugnaculis eius et prosperitas in palatiis eius.

---

## Praefatio ad benevolum lectorem.

Vetus et verissima est sapientum sententia: *Concordia res parvae crescunt, discordia maximae dilabuntur.* Imo vero ipsa veritas Dominus noster Iesus Christus testatur, regnum inter se divisum collapsurum, concordiam vero et amorem pium, sectatorum suorum signum proprium esse. Quapropter addicti sanctae concordiae, et operam dantes aedificationi Ecclesiae ac extirpationi scandalorum, nos qui in Poloniae Regno idololatriam AntiChristi reiecimus, et omnes haereses Christianae fidei, symbolo Apostolorum, Niceno et Athanasiano etc. adeoque authoritati scripturarum repugnantes, vitamus, ac puram Evangelii doctrinam syncere profitentes et exequi studentes, Evangelici vocamur: ut occurrere possimus apud extraneos suspicioni, domi vero occasioni et cuipiam fomiti discordiae (quod maiores nostri egredientes ex captivitate AntiChristiana, diversis temporibus et locis, alii in Bohemia et Polonia, alii in Germania, alii in Helvetia et caeteris regionibus ac regnis, exhibuerunt magistratui suo, Imperatoribus, Regibus ac Principibus, diversa nostrarum Evangelicarum Confessionum exemplaria, unam tamen eandemque veritatem in scriptis Propheticis et Apostolicis fundatam complectentia)

Digitized by Google

convocata ex omnibus Regni Poloniae Provinciis Generali Synodo Sendomiriae Anno Domini M. D. LXX. dictas Confessiones, Augustanam, Bohemicam, et Helveticam, examinatas deprehendimus in praecipuis articulis fidei Christianae cum Scriptura sacra et secum invicem concordes esse.

Quod vero attinet ad Articulum de Coena Domini, ne quaedam varietas opinionum seu phrasium nos distraheret, praecidimus inter nos disputationes de modo rei, cum omnes rem vere credamus, secundum verba Salvatoris, et piae antiquitatis sententiam, quae in *Consensu Sendomiriensi* descripta est.

Itaque scandalis sopitis, vera concordia et amore *Christi* in eius pura doctrina coniuncti sumus, Ceremoniis paulo diversis, ut in qualibet Ecclesia mos obtinuit, libertati Christianae permissis.

Qui dictus Consensus noster hactenus a nobis non modo est fideliter servatus, sed etiam deinceps in aliquot Generalibus Synodis renovatus et confirmatus, utpote in *Cracoviensi* Anno M. D. LXXIII. in *Petricoviensi* Anno M. D. LXXVIII. et *Wlodislaviensi* Anno M. D. LXXXIII. Illis, qui litium scintillas excitare videbantur, ingenue correctis, ac intra limites pacis reductis, atque ita vinculo concordiae et amoris fraterni arctius astricto. Stat vero nobis omnibus firma sententia, auxiliante *Deo*, hunc sanctum *Consensum* contra omnes Diaboli hostiumque et quorumvis hominum molitiones constanter retinere ac tueri.

Quare publicatione huius libelli (quo ratio Consensus, Ordinis ac Disciplinae inter nos constitutae describitur) palam facere et protestari voluimus omnibus pijs, tam in *Sarmatia*, quam in aliis Europae caeterarumque mundi partium regnis viventibus, nos non simulata, sed sacrosancta, mandato et Spiritu *Christi* facta, concordia coniunctos esse, et habitare fratres in unum: Ac proinde ab adversarijs nostris calumniose et iniquissime nobis obiici discordiam et ataxian. Siquidem cum hoc scripto nostro res ipsa clamat, et id cognoscere volentibus evincit, nos in Regno Poloniae omnes *Evangelicos* esse sancta pace copulatos, non dissidere, sed convenire in doctrina fundamentoque fidei et salutis nostrae ac religionis Christianae: et retinere fraternam concordiam atque mutuum amorem, et officiorum pietatis humanitatisque pulchram communicationem. Ac si qui forte etiam inter nos reperirentur philauti, qui communem tranquillitatem turbare niterentur, scandalaque excitarent, et patientia Fratrum abutentes, commoniti non se cohiberent; esse contra eos in promptu iustum Ecclesiasticae disciplinae rigorem, ut coherceantur, et contumaces ex *Ecclesia* communioneque nostra, authoritate Canonum Synodicorum excludantur: secundum decretum ipsius Sancti Spiritus, in eiusmodi hominum pervicaciam latum Galat. 5: *Qui vos conturbat, portabit iudicium, quicunque est ille: Utinam vero abscindantur, qui vos conturbant.*

Oramus itaque omnes pios, qui legent *Consensum* hunc nostrum, ne admittant iniquas hostium nostrorum accusationes, calumnias et obtrectationes: sed huic testimonio et scripto nostro locum dantes, nobiscum et cum multis aliis, de rebus dextre iudicantibus, viris Evangelicis, *Deo Opt: Max:* gratias agant, pro hac syncera doctrina Evangelij, et in ea pio Consensu atque concordia nobis divinitus concessa: Nec etiam sua quidam nimis audaci et inclementi de nostro Consensu censura prohibeant nos bene agere: Imo ipsi quoque si possunt, bene agant, et scandala, quae rixas comitantur, in domo Domini vitent: ac unanimes serviant aequissimo ministrorum suorum iudici *Domino Iesu*, cui stamus et cadimus: qui nos ita obtestatur Iohan: 13: *Hoc est praeceptum meum (in quo cognoscent omnes, vos esse meos discipulos) ut vos invicem diligatis; sicut ego dilexi vos, ut etiam diligatis alij alios.*

*Deus* Pater coelestis nos totamque suam Sancto Evangelio addictam Ecclesiam conservet, confirmet, et benedictione sua augeat in sancta

Digitized by Google

concordia, ad gloriam suam et amplificationem Regni sui, inter omnes homines Christianos, verbo veritatis morigeros: ut Spiritu Sancto nos gubernante, veri discipuli atque imitatores Christi simus: nemini scandalum praebeamus: et fidem, conscientiamque puram retinentes ad triumphantem *Ecclesiam* laetabundi in aeternum perveniamus, per *Dominum* nostrum *Iesum Christum. Amen.*

Ministri Domini Iesu, et Sancti Evangelij in Ecclesia eius.

*Erasmus Gliczner Superattendens Confessionis Augustanae in maiori Polonia, suo et omnium fratrum suorum nomine.*

*Iohannes Laurentius Superattendens fratrum Confessionis Bohemicae, in maiori Polonia, suo et fratrum suorum nomine.*

*Paulus Gilovius Superattendens Confessionis Helveticae in minori Polonia, etc. suo et omnium fratrum suorum nomine.*

---

# CONSENSUS MUTUUS IN RELIGIONIS CHRISTIANAE CAPITIBUS INTER ECCLESIAS MAIORIS ET MINORIS POLONIAE, RUSSIAE, LITHUANIAE, ET SAMOGITIAE ETC. QUAE IUXTA CONFESSIONEM AUGUSTANAM, FRATRUM BOHEMORUM ET HELVETICAM, ALIQUO MODO A SE DISSENTIRE VIDEBANTUR, FACTUS IN SYNODO SENDOMIRIENSI. ANNO DOMINI 1570. DIE 14. APRILIS.

Postea[1]) quam diu multumque cum sectariis, Tritheitis, Ebionitis, Anabaptistis conflictatum esset, ac[2]) tandem divino favore ex tot tantisque certaminibus et deplorandis contentionibus emersimus: visum est iisdem Ecclesiis Polonicis reformatis et orthodoxis, quae in quibusdam capitibus et formulis doctrinae (hostibus veritatis et Evangelii) minime consentire videbantur, pacis et concordiae studio, Synodum convocare, atque[3]) consensionem mutuam testari. Quare habita collatione amica et Christiana, sic iunctis compositisque animis consensimus[4]) in haec capita.

Primum quemadmodum et nos, qui in praesenti Synodo nostram confessionem edidimus, et Fratres, nunquam credidimus, eos, qui Augustanam Confessionem amplectuntur, aliter quam pie et orthodoxe sentire[5]) de Deo, et sacra Trinitate, atque incarnatione filii Dei, et iustificatione nostra[6]), aliisque praecipuis ca-

---

1) Editio Haidelberg. 1605. *postquam.* 2) *ac* deest in edit. Haidelberg. 3) Ed. Haidelberg. *ac.* 4) Ed. Haidelberg. *consenserunt.* 5) Ed. Haid. *sensisse.* 6) In Ed. Haid. deest *nostra.*

Digitized by Google

pitibus Fidei nostrae: Ita etiam ii, qui Augustanam confessionem sequuntur [7]), professi sunt candide et syncere, se vicissim tam de nostrarum ecclesiarum, quam de fratrum Bohemicorum (quos quidam rerum ignari *Waldenses* vocant) [8]) Confessione de Deo et Sacra Triade, Incarnatione Filii Dei, Iustificatione, et aliis primariis capitibus Fidei Christianae, nil agnoscere, quod sit absonum ab orthodoxa veritate, et puro verbo Dei. Ibique sancte invicem polliciti sumus [9]), unanimiter secundum regulam verbi Dei, nos [10]) defensuros Consensum hunc mutuum in vera et pura Christi religione contra Pontificios, contra sectarios, contra denique omnes hostes Evangelii et veritatis.

Deinde vero quantum ad infelix illud dissidium de Coena Domini [11]) attinet, convenimus in sententia verborum Domini nostri Iesu Christi [12]), ut illa orthodoxe intellecta sunt [13]) a patribus, ac inprimis *Irenaeo* [14]), qui duabus rebus, scilicet terrena et coelesti, hoc mysterium constare dixit: Neque elementa signave nuda et vacua illa [15]) esse asserimus, sed simul reipsa credentibus exhibere et praestare Fide, quod significant: Denique ut expressius clariusque loquamur, convenimus, ut credamus et confiteamur, *substantialem praesentiam Christi*, non significari duntaxat, sed vere in coena eo [16]) vescentibus repraesentari, distribui, et exhiberi corpus et sanguinem Domini [17]) symbolis adiectis ipsi rei, minime nudis, secundum Sacramentorum naturam. Ne vero diversitas formularum loquendi contentionem aliquam pariat, placuit, praeter articulum, qui est insertus nostrae Confessioni [18]) mutuo consensu asscribere articulum *Confessionis Saxonicarum ecclesiarum de coena Domini*, ad Tridentinum Concilium anno 1551. missae [19]), quem etiam pium agnoscimus, et recipimus. Cuius Confessionis haec sunt verba [20]):

„Et Baptismus et Coena Domini sunt pignora et testimonia gratiae, ut antea dictum est, quae de promissione et tota redemptione nos commonefaciunt, et ostendunt beneficia Evangelii ad singulos pertinere, qui his ritibus utuntur [21]). Sed tamen hoc discrimen est: per baptismum singuli inseruntur ecclesiae; sed coenam Domini simul etiam voluit Dominus esse nervum publicae congregationis. Vult enim Deus ministerium Evangelii publicum esse, non vult in latebris tantum inclu-

---

7) *sequuntur* deest in Ed. Haid. 8) *Bohemicorum .... Waldenses vocant*)] ed. Haid. *quos vocant Waldenses.* 9) *sumus*, in ed. Haid. deest. 10) deest in ed. Haid. *nos.* 11) *Domini* deest in ed. Haid. 12) *Domini nostri Iesu Christi*] desunt haec verba in ed. Haid. 13) *sunt*] ed. Haid. *est.* 14) *Irenaeo*] ed. Haid. *ab Irenaeo.* 15) *nuda et vacua illa*] ed. Haid. *illa nuda et vacua.* 16) *eo* deest in ed. Haid. 17) *corpus et sanguinem Domini*] desunt haec verba in ed. Haid. 18) *nostrae Confessioni*] ed. Haid. *confessioni nostrae.* 19) *missae*] haec vox legitur in ed. Haid. ante verba: *ad Tritendinum.* 20) *haec sunt verba:*] ed. Haid. *verba haec sunt:* 21) Quae sequuntur desunt in ed. pr., in qua haec tantum extant: *utuntur etc. Item. Nec admittuntur* . . cfr. p. seq.

Digitized by Google

sam teneri vocem Evangelii, sed exaudiri eam vult a toto genere humano, vult se agnosci et invocari: ideo vult publicos et honestos esse congressus, et in his vult sonare Evangelii vocem; vult se ibi invocari et celebrari. Vult etiam hos ipsos congressus, testes esse confessionis et seiunctionis ecclesiae Dei ab aliarum gentium sectis et opinionibus. Convenit Ioannes Ephesi cum suo coetu, et docet evangelium, et usu sacramentorum, totus coetus ostendit, se hanc doctrinam amplecti, et hunc Deum invocare, qui evangelium tradidit, et seiunctum se esse a Dianae, Iovis, et aliorum idolorum cultoribus. Vult enim Deus conspici et audiri suam ecclesiam in mundo, et vult seiunctam esse multis publicis signis a reliquis gentibus. Sic haud dubie suos coetus habuerunt primi parentes, Adam, Seth, Enoch, Noë, Sem, Abraham: et deinceps politia Israel habuit multos ritus, ut seiunctio illa a gentibus esset conspectior. Addidit etiam peculiarem promissionem congregationi: *Ubicunque duo aut tres congregati sunt in nomine meo, ero in medio eorum.* Item: *Quicquid petent consentientes, fiet eis.* Et in Psalmo: *Laus eius in ecclesia sanctorum.* Sintque promissiones, in quibus adfirmat Deus, se ecclesiam servaturum esse, eo dulciores, quia intelligimus, eum publicum ministerium in congressibus honestis conservare et restituere: sicut et in ipsis verbis coenae Domini inclusa est haec promissio, cum iubet annunciare mortem Domini, et hanc coenam distribui, donec venerit.

„Ut igitur reverentia maior sit in huius sacramenti usu, verae causae institutionis cogitentur, quae ad publicam congregationem, et ad singulorum consolationem pertinent.

„Prima causa est: Filius Dei vult in publica et honesta congregatione sonare vocem evangelii. Huius congregationis vinculum vult esse hanc sumtionem, quae summa reverentia facienda est, cum ibi testimonium exhibeatur mirandae societatis Domini et sumentium, de qua reverentia Paulus loquitur, inquiens: *Qui sumit indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Secunda: Vult et concionem, et ipsum ritum prodesse ad conservationem et propagationem memoriae passionis, resurrectionis, et beneficiorum suorum. Tertia: Vult quemlibet sumentem hoc testimonio singularitor confirmare, ut statuat ad se pertinere beneficia evangelii, cum concio sit communis: et hoc testimonio, hac sumtione ostendit, se ipsius membrum esse, et se ablutum esse sanguine suo, et facere se hoc foedus: *Manete in me, et ego in vobis.* Item: *Ego in eis, et hi in me.*

„Quarta: vult hanc publicam sumtionem, confessionem esse, qua ostendis quod doctrinae genus amplectaris, cui coetui te adiungas. Vult et gratias agi publice et privatim in hac ipsa cerimonia Deo aeterno patri, filio et spiritui sancto, cum pro ceteris beneficiis, tum nominatim pro hoc immenso beneficio redemtionis et salvationis. Vult et ipsis ecclesiae membris inter sese vinculum esse mutuae benevolentiae. Ita multis fines concurrunt.

„Harum maximarum causarum commemoratione invitantur homines ad sacramenti reverentiam et usum. Et docemus, quomodo prosit usus. Aperte damnamus portentosum errorem Monachorum, qui scripserunt, sumtionem mereri remissionem peccatorum, et quidem *ex opere operato*, sine bono motu utentis. Haec Pharisaica imaginatio pugnat cum dicto: *Iustus sua fide vivet.* Sic igitur erudimus ecclesiam, accessuros ad Coenam Domini, oportere poenitentiam seu conversionem adferre: et accensa iam fide in cogitatione de morte et resurrectione et beneficiis filii Dei, quaerere hic confirmationem huius fidei: quia in usu sacramenti fit testificatio, quae ostendit, ad te quoque perti-

Digitized by Google

nere beneficia filii Dei. Fit et testificatio, quod te sibi membrum adiungat, et quod sit in te, sicut dicit: *Ego in vobis.* etc.

„Monemus etiam, ne existiment, propter hoc opus seu hanc obedientiam remitti peccata, sed ut fiducia intuentur mortem et meritum filii Dei, et resurrectionem eius. Et statuant propter ipsum nobis peccata remitti, et velle eum hanc fidem hac commonefactione et testificatione confirmari. Cum hoc modo fides, consolatio, gaudium conscientiae et gratiarum actio crescunt, prodest sumtio. [Nec admittuntur ulli ad communionem, nisi prius a Pastore aut Collegis eius auditi sint, et absoluti. In hac exploratione interrogantur, et erudiuntur rudiores, de tota doctrina: et deinde absolutio promulgatur.

„Docentur etiam homines, Sacramenta esse actiones divinitus institutas, et extra usum institutum res ipsas non habere rationem Sacramenti: sed in usu instituto in hac communione vere et substantialiter adesse *Christum*, et vere exhiberi sumentibus Corpus et Sanguinem *Christi:* Testari *Christum*, quod sit in eis, et faciat eos sibi membra, et quod abluerit eos sanguine suo: etc.] [22]) sicut et *Hilarius* inquit: „Haec accepta et hausta efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit".

„In ipso autem ritu servamus morem usitatum universae ecclesiae veteris *Latinae et Graecae.* Non fiunt *privatae Missae*, hoc est, tales, in quibus non fiat distributio corporis et sanguinis Christi: sicut nec vetus ecclesia aliquot seculis post Apostolos, tales Missas habuit: ut descriptiones veteres apud Dionysium, Epiphanium, Ambrosium, Augustinum, et apud alios ostendunt. Et Paulus expresse iubet, simul fieri multorum communionem. Itaque in publica et honesta congregatione recitantur aut canuntur precationes et symbolum, et lectiones cum sacris canticis, distributae in dies festos, usitato more. Deinde fit concio de beneficiis filiis Dei, et de aliqua doctrinae parte, ut series temporum praebet argumentum. Postea recitat Pastor gratiarum actionem, et precationem pro universa ecclesia, pro potestatibus, et pro praesenti necessitate: et orat Deum, ut propter filium, quem voluit fieri victimam pro nobis, remittat nobis peccata, et nos salvet, colligat et servet ecclesiam.

„Deinde recitat in loco consueto verba Christi, de Coenae institutione, et sumit ipse, et distribuit sumentibus integrum sacramentum, qui reverenter accedunt, antea explorati et absoluti, et ibi suas preces ad publicas adiungunt. Ad extremum, rursus recitatur gratiarum actio. Hunc ritum, et hanc communionem plurium, congruere cum scriptis Apostolorum, et consuetudine veteris ecclesiae, fere usque ad *Gregorii* aetatem, noverunt omnes non prorsus ignari antiquitatis; quod cum ita sit, probanda, non improbanda est nostrarum ecclesiarum consuetudo: sed adversarii improbantes nostram consuetudinem, defendunt multos errores, alii magis tetros, alii novis iam artificiis fucatos. Multi ante hoc tempus scripserunt, fieri oblationem in Missa *pro vivis et mortuis*, et mereri eam facienti et aliis remissionem peccatorum ex opere operato. Et haec plurimorum persuasio fuit, et adhuc est, similis Pharisaicae et Ethnicae. Nam eodem modo Pharisaei et Ethnici somniabant, se ex opere operato mereri sibi et aliis

---

22) Quae uncis inclusimus extant etiam in ed. pr., sed quae sequuntur inde a verbis *sicut et Hilarius inquit*..usque ad finem p. 559., ea desunt in illa edit., in qua haec tantum leguntur: *sanguine suo:* etc. *Omnia huius articuli verba integra.*

Digitized by Google

remissionem peccatorum, pacem, et alia multa bona. Aut etiamsi qui minus coeci verecundius loquebantur, etsi dicebant mereri ea non sine bono motu sacrificantis, tamen sacrificia ipsa fingebant esse merita precum. Hac opinione cumulabantur sacrificia, et crescebant aucupia quaestus. Talis est et Missarum mercatus, et profanatio coenae Domini, fere in toto orbe terrarum.

„Vult autem Deus, vitiosos cultus taxari et aboleri. Ideo vocem divinam simpliciter et vere proponimus, quae errores illos damnat. Ac toto pectore adfirmamus coram Deo et tota ecclesia in coelo et in terra, tantum fuisse unicum sacrificium propitiatorium, seu quo ira aeterni patris adversus genus humanum placata est: scilicet, totam filii Dei, Domini nostri Iesu Christi crucifixi et resuscitati, obedientiam. Hic unicus est agnus, qui tollit peccata mundi. De hoc unico sacrificio dictum est. Hebr. X: *Unico sacrificio consummavit in perpetuum eos, qui sanctificantur.* Et hoc sacrificium singulis sua fide applicatur, cum audiunt evangelium, et sacramentis utuntur, ut Paulus inquit: *Quem posuit propitiatorem in sanguine per fidem.* Et: *Iustus fide sua vivet.* Et in 1 Petr.: *Sanctificati spiritu, ad obedientiam et conspersionem sanguinis Iesu Christi.* Cetera sacrifica in veteri Testamento fuerunt typica, de quibus suo loco copiosius dicitur. Et nequaquam merebantur remissionem peccatorum, et omnes iustitiae sanctorum omnibus temporibus, fuerunt, sunt, et erunt sacrificia laudis, seu εὐχαριστικὰ, quae non merentur facienti aut aliis remissionem, sed sunt cultus debiti in singulis, et placent propter mediatorem et summum sacerdotem filium Dei: ut dicitur ad Hebr.: *Per ipsum offerimus sacrificium laudis semper Deo.* Hanc esse immotam et aeternam veritatem, manifestissimum est. Quod vero citantur contra tam claram lucem veritatis centones, quos nominant *Canones Missae*, etiam manifestum est, dissimiles esse Canones Graecos et Latinos. Et Graecos ipsos dissentire inter sese de re maxima: et in hoc Latino, qui usitatus est, apparet paulatim adsutas esse lacinias ab ignotis auctoribus.

„Vetus ecclesia utitur nominibus *sacrificii* et *oblationis:* sed intelligit totam actionem, precationem, sumtionem, recordationem, fidem, spem, confessionem, et gratiarum actionem. Haec tota actio interior et exterior, in quolibet converso ad Deum, et in tota ecclesia, est reversa sacrificium laudis, seu εὐχαριστικὸν, et λογικὴ λατρεία. Et cum inquit Dominus: *Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate:* affirmat, in novo Testamento non praecipi externa sacrificia, quae fieri necesse sit, etiamsi in corde nulli sint motus Spiritus sancti: sicut in lege necesse erat cerimoniam Paschatos servari.

„Sed de coena Domini dicitur: *Probet se unusquisque* etc. Ita prodest utenti coena Domini, cum affert poenitentiam et fidem, et non prodest ei alienum opus. Praeterea de mortuis manifestum est, totum hoc spectaculum pugnare cum verbis institutionis coenae, in quibus dicitur: *Accipite, manducate*, etc. *Hoc facite in mei recordationem?* Et tamen in magna parte Europae plurimum Missarum fit pro mortuis. Magna etiam multitudo prorsus ignorans, quid agat, legit Missas propter mercedem. Cum autem haec omnia manifeste sint impia, facere oblationem, ut loquuntur, ut mereantur vivis et mortuis: aut facere nescientem quid agat: horribiliter peccant, qui haec scelera retinent et defendunt. Et cum ritus extra usum institutum non habeat rationem sacramenti, qualis ibi fiat idolorum cultus, cogitent pii et eruditi.

„Et est manifesta profanatio, partem coenae Domini circumgestare, et adorare: ubi prorsus transfertur pars ad usum toto genere diversum

Digitized by Google

ab institutione, cum textus dicat: *Accipite, manducate,* cum quidem et receus sit hoc spectaculum.

„Postremo, quales sunt mores plurimorum sacrificulorum et Monachorum in toto Europa, qui non curant hoc dictum: *Probet se unusquisque.* Item: *Quicunque indigne sumit, reus erit corporis et sanguinis Domini?* Etsi autem Pontifices et hypocritae, qui praestigias quaerunt ad haec mala stabilienda, rident has querelas, tamen certissimum est, Deum horribiliter irasci his sceleribus: sicut in Israel irascebatur sacrificiorum profanationibus. Et videmus irae exempla manifesta: tot regnorum ruinas, vastationem orbis terrarum, quam faciunt *Turcae*, confusiones opinionum, et multas tristissimas dissipationes ecclesiarum.

„Te autem, fili Dei, Domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis, et resuscitate, summe sacerdos ecclesiae tuae, veris gemitibus oramus, ut propter tuam et aeterni patris tui gloriam, deleas idola, errores et abominationes: et sicut ipse precatus es, sanctifices nos in veritate tua, et in pectoribus plurimorum accendas lucem evangelii tui, et veram invocationem, et corda nostra ad veram obedientiam flectas, ut grati te in omni aeternitate celebremus.

„Omnium Angelorum et hominum eloquentiam superat magnitudo peccatorum, quae profanatio coenae Domini tot iam seculis parit. Et nos, cum par oratio tantae rei nulla possit esse, breviores sumus: et in hoc ingenti dolore filium Dei oramus, ut ipse haec mala emendat: et simul ad declarationem copiosiorem nos apud eos offerimus, qui eam audire volunt. Sed in hac quaestione praecipue fieri cernimus hoc, quod ait Salomon: *Perinde facere canentem carmina pravo cordi, ac si acetum fundat supra nitrum.* Has de sacrificio persuasiones, sciunt adversarii nervos esse suae potentiae et opum. Ideo contrariam orationem audire nolunt. Quidam astute iam lenire absurda discunt. Non est, inquiunt, meritum oblatio, sed appellatio: struunt insidias verbis, et eosdem abusus retinent. Dixi autem etiam antea, unumquemlibet sua fide facere sibi applicationem sacrificii Christi, et cum audit evangelium, et cum utitur sacramentis. Et scriptum est: *Probet uuusquisque seipsum.* Non igitur sentit Paulus, cerimoniam alteri non utenti prodesse, et filius Dei ipse se obtulit, ingrediens in sanctum sanctorum, id est, in arcanum consilium divinitatis, cernens voluntatem aeterni patris, et ingentem iram sustinens, et causas huius mirandi consilii intelligens. Hae res magnae significantur, cum dicit Paulus ad Hebr.: *sese obtulit:* et cum inquit Esaias: *Ponet animam suam hostiam pro peccato.* Quid igitur nunc intelligunt sacrificuli, qui dicunt, se offerre Christum? nec antiquitas hoc modo locuta est. Sed atrocissima oratione nos accusant, dicunt nos delere iuge sacrificium: sicut faciebat Antiochus, qui typus est Antichristi.

„Respondimus etiam antea, nos retinere totum ritum ecclesiae Apostolicae: et iuge sacrificium est, sonare doctrinam incorruptam Evangelii, et recte invocare Deum: denique, ut Dominus inquit, est adorare patrem in spiritu et veritate. Complectimur hic etiam verum usum sacramentorum. Haec omnia cum fidelissime retineamus, summa reverentia retinemus iuge sacrificium: illi abolent, qui veram invocationem et coenam ipsam Domini multis modis corrumpunt, qui iubent invocare homines mortuos, qui Missas venales habent, qui iactitant, se oblatione sua aliis mereri, qui doctrinae de poenitentia et remissione peccatorum multos tetros errores immiscent: qui iubent dubitare agentes poenitentiam, an sint in gratia, qui libidinibus et idolis ecclesiam polluunt. Hi sunt Antiochi similes, non nos, qui obedire filio Dei studemus, dicenti: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.*

Digitized by Google

„Postremo et de usu integri sacramenti pauca quaedam dicenda sunt. Removeatur sophistica a iudiciis ecclesiae. Norunt omnes, coenam Domini ita institutam esse, ut detur populo integrum sacramentum, sicut scriptum est: *Bibite ex hoc omnes.* Nota est et consuetudo veteris ecclesiae, Latinae et Graecae. Ideo fatendum est, prohibitionem unius partis iniustam esse. Legitima hominum testamenta violare, iniustum est: cur filii Dei testamentum, sanguine ipsius obsignatum Episcopi violant? Dolendum est autem, tantam esse impudentiam, quorundam, ut contra hoc gravissimum argumentum, tamen fingant sophismata, ad stabiliendam prohibitionem: quorum refutationem in re manifesta omittimus".

---

*Huius* autem sancti, mutuique *consensus* vinculum fore arbitrati sumus, convenimusque, ut quemadmodum illi nos, nostrasque *eccle*sias, et Confessionem nostram in hac Synodo publicatam, et Fratrum, orthodoxas esse testantur: Sic etiam nos illorum [23]) *ecclesias* eodem christiano amore prosequamur, et orthodoxas fateamur [24]): Extremumque *vale*dicamus, et altum silentium imponamus omnibus rixis, distractionibus, dissidiis, quibus *evangelii* cursus non sine maxima multorum piorum offensione, impeditus est, et, unde adversarijs nostris non levis calumniandi et verae Christianae religioni nostrae contradicendi. Quinpotius [25]) occasio sit subministrata paci et tranquillitati publicae studere, charitatem mutuam exercere, et operas mutuas ad aedificationem *ecclesiae* pro fraterna coniunctione nostra praestare debemus.

Adhaec recipimus mutuo *consensu*, omni studio nostris Fratribus [26]) omnibus persuasuros, atque eos invitaturos ad hunc Christianum, et unanimem Consensum amplectendum [27]), colendum et conservandum, illumque alendum, et obsignandum, praecipue auditione verbi, (frequentando tam huius, quam alterius cuiusque [28]) Confessionis caetus,) et Sacramentorum usu: observato tamen recto ordine, et gradu tam disciplinae, quam consuetudinis uniuscuiusque *ecclesiae.*

*Ritus* autem et Ceremonias [29]) uniuscuiusque Ecclesiae, liberos hac *concordia*, et Coniunctione relinquimus. Non enim multum refert, qui ritus observentur, modo sarta tecta et incorrupta existat ipsa doctrina et fundamentum fidei ac salutis nostrae [30]): Quemadmodum et ipsa *Confessio Augustana* et Saxonica de ea re docent: Et in hac Confessione nostra in praesenti Synodo *Sen*domiriensi publicata, id ipsum expressimus [31]).

---

23) *Sic etiam nos illorum*] ed. Haid. *sic et illorum.* 24) *fateamur*] ed. Haid. *fatemur.* 25) *Quinpotius*] ed. Haid. *quia potius.* 26) *Fratribus* deest in ed. Haid. 27) *amplectendum*] ed. Haid. *complectendum.* 28) *cuiusque*] ed. Haid. *ciusque.* 29) *et Ceremonias uniuscuiusque*] ed. Haid. *liberos uniuscuiusque.* 30) *et fundamentum fidei ac salutis nostrae:*] desunt haec verba in ed. Haid. 31) *in praesenti .... expressimus*] in ed. Haid. haec tantum extant verba: *id ipsum expressimus.*

Digitized by Google

Quamobrem consilia officiave charitatis mutua inter[32]) nos conferre, et in posterum de conservatione et incremento omnium totius Regni *Lith*uaniae, *Samo*gitiae[33]), piarum, orthodoxarum et[34]) reformatarum Ecclesiarum, tanquam de uno corpore consulere polliciti sumus ac recipimus[35]). Et si quando Synodos generales celebrabunt, nobis quoque significent: Et ad nostras etiam generales vocati, non gravatim veniant, si opus fuerit. Atque ut colophonem huic *consensui* et mutuae Concordiae imponamus, ad hanc fraternam[36]) societatem conservandam tuendamque non incommodum fore putamus, in locum certum convenire, ubi una ex mutuis Confessionibus, compendium corporis doctrinae[37]) (improbitate hostium veritatis[38]) ad id adacti,) eliceremus, et in publicum ederemus: Ut invidorum hominum[39]) ora obturarentur, cum maximo omnium piorum solatio: sub[40]) titulo omnium *ecclesiarum Polonicarum reformatarum et Lithuanicarum et Samogiticarum*[41]), nostrae *Confes*sioni consentientium.

*Da*tis igitur iunctisque dextris sancte promisimus et recepimus invicem, omnes[42]) fidem et pacem colere, fovere, et indies ad aedificationem *regni Dei* magis magisque amplificare velle: omnesque occasiones distractionis Ecclesiarum evitaturos. Denique se immemores et oblitos sui ipsius, ut veros *Dei* Ministros decet, solius *Iesu Christi* Salvatoris nostri gloriam promoturos, et Evangelij illius veritatem propugnaturos, tum dictis, tum factis, recepimus.

*Quod ut felix, ra*tum firmumque sit in perpetuum, oramus ardentibus votis *Deum* Patrem, totius consolationis et pacis authorem et fontem uberrimum: qui nos nostrasque *ecclesias* ex densis Papatus tenebris eripuit, donavitque puro verbi sui, et sacrosancto veritatis lumine: Hancque nostram sanctam pacem, consensionem, coniunctionem et unionem benedicere, ad sui nominis gloriam, et Ecclesiae aedificationem velit. Amen.

*Stanislaus Myszkowski*, Palatinus Cracoviensis, personaliter consensi et subscripsi.

*Petrus Zborowski* Palatinus Sendomiriensis, personaliter consensit M. P.

Magnifici Domini *Lucae* de *Gorka* Palatini Posnaniensis, et Domini *Ioannis Tomiczki* Castellani Gnesnensis, atque omnium Confessionis Augustanae Ecclesiarum nomine, *Stanislaus Bninski*, Senior Ecclesiae consensi et subscripsi.

Magnifici Domini Palatini Russiae et caeterorum eius Provinciae fratrum nomine, *Stanislaus Chrzunstovius* M. P.

*Sigismundus Myszkowski* Osveciensis Capitaneus, personaliter consentiens M. P. S.

*Erasmus Gliczner* Ecclesiarum in Maiori Polonia Confessionis Augustanae Superattendens, suo et aliorum fratrum nomine, M. P.

32) *inter*] ed. Haid. *in*. 33) *Lithuaniae, Samogitiae*, in ed. Haid. desunt. 34) *orthodoxarum et* desunt in ed. Haid. 35) *sumus ac recipimus. Et*] ed. Haid. *sumus, et*. 36) *fraternam*] ed. Haid. *firmam*. 37) *compendium corporis doctrinae* desunt in ed. Haid. 38) *veritatis* deest in ed. Haid. 39) *hominum*] ed. Haid. *horum*. 40) *sub*] ed. Haid. *suo*. 41) *Samogiticarum*] ed. Haid. addit *quae*. 42) *omnes* in ed. Haid. deest.

Digitized by Google

*Nicolaus Glicznerus* Senior Districtus Posnaniensis, nomine fratrum Maioris Poloniae M. P.

*Andreas Prasmovius*, Minister coetus Radzieioviensis, nomine fratrum Confessionis Bohemicae, facultate sibi commissa, M. P.

*Simeon Theophilus* alias *Bogomit Turnovius*, Diaconus in Communitate Fratrum Bohemicae Confessionis, et ad praesentem Synodum legatus M. P.

*Stanislaus Sarnicius*, Senior Ecclesiarum Districtus Cracoviensis, suo et aliorum fratrum nomine.

*Iacobus Sylvius*, Senior Districtus Chenczinensis suo et aliorum fratrum nomine.

*Paulus Gilovius*, Senior Districtus Zatoriensis et Osviecinensis, suo et omnium fratrum nomine.

*Matthaeus Rakow* Minister Criloviensis, missus a nobilitate Belsensi M. P.

*Stanislaus Karminski*, *Iwan*, Rector colloquii in Synodo a Fratribus electus M. P.

*Daniel Chrobewski*, *Stanislaus Rozanka* medicus, Consules Cracovienses, et *Christophorus Trecius*, Ecclesiae urbanae Cracoviensis Seniores, et ad praesentem Synodum nuncii, suo et fratrum nomine subscripserunt.

*Stanislaus Marcianus* Ducis Wisnovecii legatus, Minister Ecclesiae Dziovoltensis.

*Valentinus Brzozovius*, Senior, nomine Ecclesiarum Podgoriensium, Minister in Dobrkovv subscripsit.

*Andreas Crusvicensis*, Minister in Lisovvo, nomine suo et coetus Radzieioviensis subscripsit.

*Petrus Tarnovius*, Minister in Dembnica, suo et Magnifici Domini *Georgii Latalski* nomine subscripsit.

Eidem Consensui subscripserunt personaliter ex coetu Fratrum Bohemicae Confessionis, in Synodo Posnaniensi XX. Maii.

*Georgius Israel*, *Iohannes Lorentius*, Seniores Ecclesiae Fratrum in Maiori Polonia, nomine suo et omnium Ministrorum.

*Procopius Bronievvski*, Signifer Calissiensis, M. P.

Psalm. CXXXIII.

ECCE quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum!

---

## Consignatio observationum necessariarum

ad confirmandum et conservandum mutuum Consensum Sendomiriae Anno DN. M. D. LXX. die XIV. April. in vera Religione Christiana initum inter Ministros Augustanae Confessionis et Fratrum Bohemorum,

Posnaniae eodem Anno, Maii XX. facta, et a Ministris utriusque coetus approbata ac recepta.

I. Consensum Generalem Sendomiriensem, Anno Domini M. D. LXX. die XIV. Aprilis factum, de doctrina Orthodoxae Fidei, mutuaque concordia et pace omnium Ecclesiarum Evangelicarum in Regno Poloniae, approbamus et fideliter recipimus, atque retinere, Deo adiuvante, pollicemur omnes.



Digitized by Google

II. Ministri partis utriusque, cum conciones in templis tum Sacramenta administrent et dispensent, ea forma et ritu eodem qui usitatus iisdem est, idque absque ulla offensionis suspitione.

III. Si in loco aliquo fuerint duo utriusque coetus Ministri, vel si casu aliquo alter alterum convenerit fueritve vocatus, debent absque ulla offensionis suspitione et conciones et Sacramenta administrare, eodem et quidem puro et candido animo gloriam Dei promoventes.

IV. Ubicunque fuerit pastor coetus unius, patronus loci illius, non debet Pastorem coetus alterius, ad conciones peragendas et administranda Sacramenta, absque consensu sui proprii Ministri vocare: Multo magis erronem solivagum non debet vocare et suscipere.

V. De Coena Domini illam sententiam amplectimur, quae est annotata in mutuo Consensu Sendomiriensi, et Articulo Confessionis Saxonicae missae ad Tridentinum Concilium Anno Christi M. D. LI. Vitabimusque terminos, verba et explicationes a Verbo Dei et hoc Generali Consensu, et ab hac ipsa Confessione Saxonicarum Ecclesiarum ad Tridentinum Concilium missa alienas.

VI. Ministros auditoresque partis unius, pars altera nulla vel ratione vel occasione abstrahat, sed eos in eadem coetus societate confirmet et promoveat.

VII. Utriusque partis Ministri, auditores suos doceant, admoneant, illisque sua Pastorali authoritate iniungant, ne Ecclesias Confessionis alterius in omnibus Doctrinae et Rituum punctis, damnare, verbis vel scriptis ullis perstringere audeant: sed ut bene de illis sentiant et loquantur.

VIII. Ex utraque parte Seniores constituti, mutuas operas in promovenda hac Unione, nec non in aliis negotiis Ecclesiarum tradant; si opus fuerit bis vel ter in anno invicem in locum destinatum convenientes, et consilia mutua conferentes.

IX. Ministri auditoresque coetus unius, cum Ministris, patronis, auditoribusque coetus alterius, nihil privatim de mutatione Doctrinae et Rituum et Bonorum Ecclesiasticorum, vel loqui vel consultare debent: Sed potius suadere, quo illa integra iuxta iudicium Ministrorum suae confessionis maneant.

X. Unanimiter censemus, ut peccata verbo *Dei* damnata, et publicis concionibus et privata officii sedulitate taxentur ab omnibus concionatoribus verbi Divini, utpote idololatria, homicidium, avaritia, usurae, dissidia, rixae, maledictiones, ebrietas, commessationes, choreae, scortatio, vestitus luxuriosus, carnisque cupiditates et omnia vitia. De quibus tam Prophetae quam Apostoli ipseque Servator loquuntur Esa. III. et V. Ierem. XVIII. Ezech. XVI. Matt. XII. Marc. VII. Luc. XXI. Et 1 Cor. V. Gal. VI. 2 Thess. (Ephes.?) V.

XI. Disciplina Ecclesiastica secundum verbum *Dei*, ab

Digitized by Google

omnibus approbatur: Atque tam in Ministros delinquentes, quam in omnia membra Ecclesiae, sine respectu personarum ut extendatur, necessarium esse iudicamus: Idque non solum verbis ut fiat, sed executione ipsa, et veritate, secundum mandatum Domini *Iesu Christi*, et exemplum Apostolorum Matth. V. et XVIII. Ioh. XX. 1 Cor. V. 2 Thes. III.

XII. Libertas illa conceditur, ut Ministri et membra coetus unius, alterius coetus Ministros et membra, sicubi opus fuerit, de pietate et poenitentia commonefaciant.

XIII. Quilibet Pastor de propriis auditoribus et oviculis ad suam curam pertinentibus sciat, illorumque veram curam agat.

XIV. Utriusque partis Ministri ad usum Sacramentorum auditores ab altera parte venientes non admittant, absque testimonio Pastoris illius, cuius propriae subiacent curae. Exceptis Comitiis, Synodo Generali, aut forte aliqua peregrinatione.

XV. Excommunicati authoritate clavium Christi ab uno coetu, non admittantur ad Sacram Coenam in altero coetu, nisi prius cum Ecclesia quam offenderunt reconcilientur.

XVI. Ministros in uno coetu ex officio depositos vel excommunicatos, Ministri coetus alterius nec recipiant, nec absolvant, nec illis Ministerium restituant, sed iudicio coetus sui recipiendos et absolvendos relinquant.

XVII. Patroni Ecclesiae et collocatores, nil mandare debent Ministro, de mutandis et innovandis ceremoniis, sine consensu Seniorum Ministrorum.

XVIII. Ceremonias et ritus papisticos sensim auferendos et omnino reiiciendos esse censemus, ut Exorcismum, imagines idololatricas, Sanctorum reliquias, usum superstitiosum candelarum, Consecrationem herbarum, vexilla, cruces aureas et argenteas, ac his similia: ne per illa verbum Dei profanetur, et ne Antichristo patrocinari videamur.

XIX. Si controversia aliqua fuerit oborta inter utriusque coetus Ministros in Doctrina vel in Ritibus etc.: Placide inter se eam componere studeant: Et si componi in eorum gremio non poterit, iudicium et decretum in eo ab Generali Synodo Ecclesiarum omnium Maioris et Minoris Poloniae expetant: hocque pro ipsa quaesita veritate vere et ex animo agnoscant et amplectantur.

XX. Observationes has Concordiae mutuique Christiani Consensus, datis iunctisque dextris sancte promisimus et recepimus invicem omnes, in omnibus Ecclesiis Christi, nostrae curae in Regno Poloniae subiectis, auxiliante Deo, constanter retinere atque observare. Idque approbavimus propria subscriptione.

*Erasmus Gliczner*, Ecclesiarum Confessionis Augustanae in Maiori Polonia Superintendens, suo et Fratrum suorum nomine.

*Georgius* Israel
*Ioannes* Laurentius
*Georgius* Philippensis

} Seniores Ecclesiarum Christi, Confessionis Fratrum Bohemorum in Maiori Polonia, subscripserunt.



Digitized by Google

*Nicolaus* Glicznerus, Senior in Districtu Posnaniensi, suo et caeterorum Fratrum nomine.

*Petrus* Kostenius pastor Ecclesiae Christi in Miloslavv, Archipresbyter eiusdem atque Ridzinensis M. P.

*Simon* Minister Ecclesiae Christi in Wilkovvo, Senior Districtus Costenensis.

*Balthasar* Eychnerus Minister Ecclesiae Germanicae Confessionis Fratrum Bohemorum Posnaniae.

*Iohannes* Turnovius, Minister Christi Confessionis Fratrum in Barczinensi Ecclesia.

*Blasius* Adamitius, Ecclesiae Christi Confessionis Fratrum Minister Szamotuliis M. P.

*Lucas* Iaraczevianus Confessionis Augustanae Szamotuliis Minister M. P.

*Abraham* Abdeel, Confessionis Augustanae in Germanorum Ecclesia Posnaniae Minister M. P.

*Iohannes* Enoch, Ecclesiae Christi Minister Posnaniae, Confessionis Fratrum.

*Elias* Thesbita, Diaconus Fratrum in Ecclesia Ostrorogensi M. P.

*Simeon* Theophilus Turnovius, Diaconus Fratrum Bohemicae Confessionis M. P.

*Iacobus* Tichicus, Diaconus Ecclesiae Fratrum Bohemorum in Godziszevvo M. P.

*Valentinus* Cornelius, acolytus et Rector scholae Fratrum Bohemorum Posnaniae M. P.

*Iacobus* Schvvenck Oppolitanus, praeceptor Scholae Augustanae Confessionis Posnaniae M. P.

*Lucas* Comes *a Gorka* Palatinus Posnaniensis personaliter M. P.

*Iohannes* de Tomicz Castellanus Gnesnensis personaliter M. P.

*Andreas* Lipczinski, articulis suprascriptis et tam pio Consensui, meo et aliorum Fratrum nominibus M. P. S.

*Zacharias* Rydt, approbo ista et subscribo M. P.

*Stanislaus* Storch, assentior his articulis M. P.

Rom. XIV.

Proinde quae pacis sunt sectemur, et quae aedificationis sunt custodiamus.

## Contestatio Consensus.

Ibidem Posnaniae post octiduum, nempe Maii die XXVIII. Dominica I. post Trin. verum Consensum ac sanctam unionem confirmarunt realiter inter se Augustanae et Bohemicae Confessionis coetus hoc modo. Ministri, patroni, totaque congregratio Bohemicae *Confessionis* tam Poloni quam Germani utriusque sexus homines, ex templo suo, turmatim ingressi sunt in Ecclesiam Augustanorum, ad matutinam concionem, ac ibidem utrisque auditoribus solenniter congregatis Ministri Fratrum, Iohannes Laurentius Senior Polonis, Balthasar Eucherus Germanis, concionati sunt. Simili modo post meridiem, Augustanae Confessionis coetus, cum patronis (Domino Luca a Gorka Palatino Posnaniensi: Domino Iohanne Tomiczio Castellano Gnesnensi etc.) et Ministris suis, spectabili processione ex sua Ecclesia per civitatem, ingressi sunt in suburbio Ecclesiam Fratrum Bohemicorum, Poloni

Digitized by Google

ad Polonos, Germani ad Germanos: atque illis Nicolaus Glicznerus Senior, his Abrahamus Abdeel, Augustani Ministri verbum Dei praedicarunt. In his congregationibus utrobique lecto Polonis et Germanis auditoribus Consensu et Consignatione, facta est sanctae Concordiae ac Unionis voce Ministrorum contestatio, et ad eam ceu singulare donum Dei serio colendam atque custodiendam sedula adhortatio ac obligatio utrinque auditorum, ut falsis de se suspitionibus abiectis, unum in Domino et veritate eius facti, disciplinam eius servantes, amore fraterno invicem sese prosequantur: cum ardentibus *Deum* ad votis, et maxima cunctorum laetitia et acclamatione. Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum! Tandem Hymnum exultationis et gratiarum actionis: Te *Deum* laudamus: uno ore una Ecclesia facti omnes cecinerunt.

*Apostolus ad Ephes. IV.*

Obsecro itaque vos in *Domino*, ut digne ambuletis, cum omni humilitate, mansuetudine et patientia, tolerantes invicem in charitate. Studentes servare unitatem Spiritus in vinculo pacis etc. Amen.

---

## Cracoviensis Synodi Generalis Acta

et conclusiones seu canones. Anno Domini M. D. LXXIII. Sept. die XXIX. etc.

*Cum convenissent tam verbi divini Ministri et Superattendentes Confessionum, Augustanae, Fratrum Bohemorum et Helveticae, quam Illustres, Magnifici, et Generosi Domini Patroni et Seniores cum legatis Ecclesiarum orthodoxarum Maioris et Minoris Poloniae, atque Magni Ducatus Lithuaniae, Russiae, Samogitiae, et ex aliis provinciis, quo de rebus ad propagationem Religionis Christianae orthodoxae et disciplinae Ecclesiasticae necessariis agerent: Tum invocato Numine Sancti Spiritus (et perlectis literis ac auditis legationibus ab Ecclesiis et spectabilibus personis ad Synodum missis) haec, quae sequuntur, egerunt ac decreverunt.*

### I. PRIMO.

Consensus mutuus, olim Sendomiriae constitutus ac sancitus. denuo in hac Synodo repetitus est: Cuius verba omnia ordine perlecta et diligenter examinata, atque a cunctis unanimiter comprobata sunt.

### II. SECUNDO.

Consignationem Articulorum certorum, inter nos omnes observandorum, qui sanciti sunt in Synodo Posnaniensi Anno M.

Digitized by Google

D. LXX. die XX. Maij, in hac Synodo Cracoviensi, legimus, perpendimus: et cunctos istos Articulos approbatos, pro communibus recipimus.

## III. TERTIO.

Porro ut partim optimus ordo, cum Ecclesiastica disciplina vigere magis ac magis possit: partim etiam ut doctrina Christiana, summa cum concordia a nobis propagari et foelicem cursum habere queat: ac denique ut schismatibus et scandalis (quibus vehementer impeditur et tardatur aedificatio Ecclesiae *Dei*) eatur obviam: superiorum Articulorum Consignationi, Constitutiones quasdam, iampridem in Synodis Districtualibus, *Xansensi* et *Wlodislaviensi* sancitas subiecimus, ac pro communibus recepimus. Relicta tamen libertate Fratribus Bohemicae et Augustanae Confessionis, ut possint suos ritus et consuetudines, quae in hoc genere ab eis observantur, retinere: praesertim de Superattendente et eius officiis, ac etiam de Senioribus et de Synodis.

*Ex*

## *Xansensi Synodo*

*Constitutiones.*

## I. De Superattendente.

***In singulis Districtibus, ex Ministris illius Districtus eligendus est unus in Superattendentem sive Seniorem spiritualem: Huiusmodi vero, qui aptus esset ei muneri: Idque a Ministris et Senioribus illius Districtus in Synodo fieri debet: Et quatenus possibile esset, vocandus eo erit vicini Districtus Superattendens, ut inaugurationi ipsius praesit.***

*Cuius haec sunt officia.*

I. Certo in loco fungetur officio Ministerii: ac educabit Catechistam impensis patronorum illius Districtus, qui ad munus Ministerii sedulo sese exercere, et in absentia Superattendentis, cum videlicet is ad visitandas Ecclesias vel Synodos profectus erit, conciones sacras habere debet.

II. In Districtu sibi commisso, passim ubi opus fuerit, Ministros tam per oppida quam in pagis constituere debet.

III. *Ministros* in certis locis habitantes, eorumque auditores visitare tenetur, ad minimum semel in anno: idque cum uno aut duobus Senioribus secularibus seu Diaconis.

IV. Summa cum diligentia munus sibi concreditum exequatur, ita ne lupi rapaces doctrina falsa et haeretica gregem *Christi* inficiant et dispergant aut perturbent.

V. Cum fuerit vocatus ad Synodos aliarum Ecclesiarum alterius Districtus seu Provinciae, eo accedere debebit, idque sumptibus coetus sui Districtus.

VI. Synodos in suo districtu seu dioecesi statis temporibus, certas et necessarias ob causas indicet, easque diriget.

VII. Querelae inter Fratres si forte acciderint, eas vigilanter excipere debet: atque advocata utraque parte, in Consessu Seniorum diiudicare et conciliare: Salvis tamen legibus.

Digitized by Google

VIII. Catechistas et Adolescentes bonae indolis, qui ad Ministerium idonei esse possent, examinare et suscipere debet.

IX. Literas ab aliis Ecclesiis, et quibusvis hominibus, quae ad *Ecclesias* Dioecesis illius missae fuerint, accipiat: Ad quas de consilio Seniorum, praecipue Ministrorum, caeterorumque Fratrum praesertim in rebus difficilioribus respondeat.

X. Munus eius a Synodo ad Synodum durare debet: Et iuxta sententiam Synodi, aut is retinendus et approbandus, aut alius eligendus et constituendus erit.

## II. De Senioribus ordinis Equestris seu Politici.

*Seniores ubique in Districtibus seu dioecesibus duo vel tres esse debent: Qui in particulari seu Districtuali Synodo ab omnibus Ministris et Patronis suffragiis liberis eligantur: postea a Superattendente eiusdem Districtus et ab aliquot Ministris inaugurentur.*

*Quorum haec sunt officia.*

I. Obstringet eos sub conscientia Synodus et Ecclesia, ut sedulo observent Ministros, quo veram et orthodoxam doctrinam pure, fideliter et diligenter, proponant: Utque vitam piam et modestam agant. Quod si animadverterint, quempiam illorum errare et scandalum praebere, monere debent hominem, ac si res postulaverit, propter enorme aliquod peccatum a Ministerio eum suspendent, consilio Superattendentis, usque ad Synodum. Sic etiam erga singulos Fratres se gerent, ut errantem coherceant, observatis tamen disciplinae Ecclesiasticae gradibus.

II. Ad Synodos omnes proficisci debent: et una cum Superattendente Ecclesias visitabunt.

III. Curare debent et commonefactionum assiduitate efficere, ut bona Ecclesiastica restituantur, ad usum Ministrorum et Ecclesiarum.

IV. Operam dabunt, ut Ministri victum necessarium et habitationem commodam habeant: Neve ulla iniuria aut gravamine affligantur.

IV. Constitutiones Synodicas ad executionem debent perducere: atque omnes controversias inter Fratres componere. Officio vero fungentur tantum ad Synodum, quos vel in eodem confirmare, vel movere, aliosque substituere, liberum erit Synodo.

## III. De Synodis.

Synodi duplices in singulis Districtibus celebrari debent, altera Particularis, quater in anno, altera vero Districtualis, semel in anno.

## IV. De Ministris.

I. Ministerium nemo sibi usurpare, neque se quisquam sua praesumptione mittere potest: Sed Superattendens in Synodis Districtualibus Ministros eligere, ordinare et mittere debet.

II. Neque etiam quisquam vocationem et stationem suam aut Munus pastorale sibi commissum, suo arbitratu deseret, sine consensu totius Synodi, et Patronorum suorum.

III. Patronus privata sua authoritate ac voluntate nec recipiat nec dimittat, multo minus eijciat Ministrum: Sed eiusmodi negotia in Consessu Seniorum proponat et expediat.

IV. Nulli Ministrorum coeterorumve Fratrum liberum sit in lucem emittere libros, vel Manuscriptos vel Impressos absque consensu totius Synodi.

Digitized by Google

*E x*

## *Wlodislaviensi Synodo*

*Districtuali Constitutiones, in hac Cracoviensi Generali receptae.*

I. Cohibeantur et procul arceantur omnia vitia, profusae commessationes, ingluvies ac ebrietas, maledicta, choreae, fastus et luxus in vestitu: Quem vitare debent cuiuslibet conditionis homines, omni in loco, maxime vero in Sacris Coetibus, ne offensionis causam praebeant.

II. Nuptiae summa cum honestate, modestia et morum sanctimonia celebrentur.

III. Publica hospitia seu cauponae, sint honestatis domicilia, bene in omnibus ordinata et provide constituta: Ita ut et potus et caetera ad victum hominum atque iumentorum pertinentia tam peregrinis quam indigenis necessaria, in eis inveniri possint. In quibus ne fiant conventicula puellarum et quarumlibet foeminarum suspecta, ac praesertim nocturna, Domini id curare, cumque choreis, lusus chartarum etc. ac similia vitia severe prohibere debent.

IV. Subditorum habeatur summa ratio, ita ut christianum amorem, humanitatemque debitam ab ipsis Dominis et eorum procuratoribus experiantur. Laboribus nimiis ne opprimantur, sed quandoque relaxatione et remissione ij fruantur. Labor ab ipsis bidui vel ad summum tridui septimanatim, nec ultra exigendus est. Census et aliae pensiones ab ipsis iuste et clementer sine gravamine et oppressione accipiantur. Nempe ita sese erga subditos suos gerant Domini, quales, si in istorum proximorum suorum loco essent, Dominos erga se optaren[t]

V. Diebus Dominicis, ne permittant Domini in [illegible]tionibus negotiationes, forumque publicum: Neque iisdem diebus colonos suos ullis laboribus aut vecturis onerent.

VI. Cum hoc praecipuum sit parentum munus, ut suos liberos in vera sinceraque religione, in *Dei* timore et pietate institui curent: nefas est Christianorum ac Evangelicorum hominum liberos, discendi gratia scholas blasphemorum et idololatrarum frequentare.

## IV. QUARTO.

## QUARTUS SYNODI CRACOVIENSIS ACTUS ERAT *de Arrianabaptistis.*

Ex his cum aliquot Concionatores et auditores suapte ad Synodum nostram venissent, et de suo dogmate ibidem disserere vellent: Synodus post gravem de iis deliberationem, denegavit eis colloquium ac disputationem, et tale decretum fecit.

Siquidem Arrianabaptistae ex nobis egressi non manent in Doctrina *Christi* ac fide de vero *Deo*, Patre et Filio cum Spiritu Sancto, adeoque *Deum* non habent: et iam a nobis saepissime colloquiis ac scriptis admoniti pertinaciter in errore manent: Nultum iam amplius cum ipsis commercium (quamdiu sententiam suam luentur) habeamus, nullas disputationes ipsorum admittamus: Sed eos librosque illorum blasphemos, secundum praeceptum Spiritus sancti vitemus. Ne alias fundamentum religionis Christianae, Fidem firmissimam de *Deo* (in cuius nomine sumus baptizati) sub-

Digitized by Google

ter nos commovere ac in dubium vocare videamur: Et ne operibus eorum malis, doctrinis venenatis, atque blasphemiis gloriam Domini oppugnantibus, communicemus.

## V. QUINTO.

## DE CHOREIS.

Disceptatum est in Synodo de *Choreis*, quibus nonnulli patrocinari vellent, fingentes talem distinctionem: Quod aliae sint honestae, aliae inhonestae: Sed omnium tam Spiritualium quam Secularium, secundum sacras Scripturas suffragio (refutatis palliationibus et excusationibus chorearum) prorsus eae sunt damnatae, ac vetitae omnibus veram pietatem profitentibus, non secundum carnem ambulantibus, sed opera carnis spiritu mortificantibus, mundum et ipsius vanitates non amantibus, ac *Christum* quotidie cum cruce sequi conantibus.

## VI. SEXTO.

De *Ceremoniis* praesertim in usu *Coenae Domini*, mota quaestione: An eae in omnibus Ecclesiis nostris uniformes esse possent? Conclusum est ut secundum morem primitivae *Ecclesiae* libertati *Christianae* ceremoniae inter nos permittantur: Monitis tamen Fratibus si qui sessione in *Sacra Coena* utuntur, ut eam Ceremoniam Arrianabaptistis propriam relinquant.

## VII. SEPTIMO.

Hi articuli cum superius nominatarum Synodorum Constitutionibus et Canonibus in omnibus et singulis punctis, ab hac Generali Synodo examinati, approbati et solenniter confirmati sunt, ab omnibus tum praesentibus Ministris et Patronis ac Ecclesiarum legatis nomine suo et suorum, ultro tali poena in violatores horum constituta. Nos Patroni Equestris ordinis, si contra istos Articulos quid commiserimus, ut Ministris privemur, atque alijs poenis (secundum Disciplinam Ecclesiasticam) quae in pertinaciter peccantes, Sacris Scripturis expressae sunt, afficiamur. Nos vero Ministri, ut ab officio Ministerioque deponamur, ac etiam excommunicationis in *Verbo Dei* descriptae poenam subeamus. Quod ut ratum firmumque sit, Domini et Fratres in hac Synodo praecipui, nomine suo et Ecclesiarum ac Fratrum suorum omnium, exemplar actorum huius Synodi, Cracoviae Calen. Octobr. M. D. LXXIII. manibus suis subscripserunt, et etiam sigillis suis consignarunt.

*Iohannes Firley* de Dumbrovvicza, Palatinus et Generalis Capitaneus Cracoviensis, Marschalcus Regni Poloniae etc. M. P. subscribo.
*Stanislaus Slupeczki*, Castellanus Lublinensis subscribo M. P.
*Iohannes Tarlo*, Castellanus Radomiensis, M. P.
*Hieronymus Buzinski*, Thesaurarius Regni Poloniae, M. P.

Digitized by Google

*Sigismundus Myszkovvski* Osvveczinensis Capitaneus M. P.
*Stanislaus Garnysz*, Dapifer Cracoviensis, M. P.
*Leonhardus Strasz*, Burgrabius Cracoviensis, M. P.
*Stanislaus Plaza.*
*Iohannes Plaza.*
*Andreas Firley* de Dumbrovvicza, Palatinides Cracoviensis.
*Nicolaus* Koniecpolski.
*Nicolaus Dluski.*
*Christophorus Goslavvski* de Bebelno.
*Hieronymus Gostomski*, Subcapitaneus Cracoviensis *).
*Iohannes Pakovvski*, de Pakovvicze.
*Matthias Lovvieniczki.*
*Marianus Przilenski*, Burgrabius Arcis Cracoviensis.
*Valentinus* a Brzezie.
*Stanislaus* Karminski *Ivvan* Senior Districtus Cracoviensis.
*Iohannes* Zebrzidovvski, Senior Districtus Cracoviensis.
*Stanislaus Sudrovius* Ostrolencensis, Christi Iesu Minister in coetu Vilnensi, suo et eiusdem coetus Fratrum nomine.
*Georgius Israel, Iohannes Lorentius, Iohannes Rokita*, Seniores Confessionis Bohemicae in maiori Polonia, suo et Ecclesiarum Fratrumque suorum nomine.
*Erasmus Gliczner*, Ecclesiae Dei Confessionis Augustanae in Maiori Polonia Superattendens, suo et collegae sui,
*Iohann. Enoch*, aliorumque Fratrum suorum omnium nomine.
*Paulus Gilovius*, Superattendens Confessionis Helveticae in Districtu Zatoriensi, suo et Fratrum suorum nomine.
*Andreas Prasmovius* Radzieioviensis Minister, Superattendens in Districtu Cracoviensi.
*Thomas Golecius*, Minister Hamostensis coetus Vilnensis.
*Valentinus* de Brzozovvo, Minister Ecclesiae *Dei*, Senior in Districtu Podgoriensi.
*Petrus Luncki*, Minister verbi Dei et Senior in Districtu Ravensi et Opocznensi.
*Georgius Pontanus*, Ecclesiae Christi Minister, Superattendens in Districtu Lublinensi et Belzensi, suo et suorum nomine.
*Stanislaus Czaslavius*, Minister Christi in Corithnica, missus ad hanc Synodum a Fratribus districtus Chenczinensis, suo et suorum nomine subscripsit.
*Simeon Theophilus* Turnovius, Minister Christi et Ecclesiae eius orthodoxae in Luthomirsko, subscribit M. P.

Porro tota haec Cracoviensis Synodus, omnium Confessionum fratres, Superattendentes, Seniores, Ministri, et Domini Patroni, quorum hic sunt expressa nomina et reliqui congregati, sanctum Consensum ac unionem, atque omnes istos Articulos et Constitutiones confirmarunt et obsignarunt denique Sacra Synaxi: Corpus et Sanguinem Domini simul percipientes, iis ceremoniis, quas Ecclesia Cracoviensis in usu habet. Atque ita in amore fraterno gaudentes et Dominum collaudantes ad suos redierunt.

Psal. LXVII.

Confirma hoc *Deus*, quod operatus es in nobis. Amen.

*) Ed. Haid.: Hieronymus Gostomski. Sigismundus Palczenski Subcapitaneus Cracoviensis.

Digitized by Google

## Petricoviensis Synodus Generalis,

### Anno Domini M. D. LXXVIII. Iunii die I. II. et III.

*Convenerunt ex omnibus Regni provinciis Superattendentes Confessionum cum Senioribus et numeroso coetu Ministrorum: Magnatum ordinis Senatorii et Nobilium non mediocri frequentia. Domino Petro Zborovio Palatino Cracoviensi, et Domino Iacobo Niemoievio, cum Paulo Gilovio (a Synodo delectis) potissimas partes in regimine Synodi agentibus.*

### Conclusiones Synodicae.

I. Quia nobis relatum est, conscribi in Germania a viris doctis Harmoniam Confessionum Evangelicarum: non improbamus omnino istud consilium et laborem piorum hominum, nostrum consensum Sendomiriae factum hoc modo promovere atque confirmare (Corpore Doctrinae ex Confessionibus nostris compacto) studentium. Sed postquam fuerit opus id publicatum ac ad nos perlatum, deliberabitur a nobis in alia Synodo Generali, num ei subscribere debeamus.

II. Consensus Sendomiriensis, et caetera deinceps in Synodis nostris Generalibus constituta ac recepta, summa cum alacritate ab omnibus approbantur et confirmantur.

III. Disciplina Ecclesiastica ut maiori sedulitate inter nos exerceatur, et in omnibus iustam executionem sortiatur utile admodum et necessarium esse decernimus.

IV. De Ceremoniis potissimum in administratione Coenae Domini. Exoptandum et optimum quidem esset, ut per totum Poloniae Regnum, in omnibus Evangelicis Ecclesiis iisdem ritibus Sacra Synaxis celebraretur. Et certe non esset ea res adeo difficilis, quo*) ad ipsos Ministros et prudentiores homines. Illico in unam certam formam consentiremus. Sed quia vulgus ac homines simpliciores mutatione rituum offenderentur, et ad ceremonias suae consuetudini dissimiles omnino adduci non possent: Ac si cogerentur, eo forsan res deveniret, ut Disciplina Ecclesiastica in eos extendenda esset: Qua quidem propter externos ritus homines pios ferire, neque Domini est voluntas, neque purioris *Ecclesiae* Christianae mos. Proinde Ceremonias Libertati Christianae donamus, ac permittimus, ut stantes vel genua flectentes pii Sacramentum *Corporis et Sanguinis Christi* sumant. Sessionis vero ad Mensam *Domini* quia praeter ritus in omnibus per *Europam* Evangelicis *Ecclesiis* vulgo consuetos illi inter nos primi authores extiterunt, qui omnia temere in Ecclesia immutantes, et sine scientia *Christum* quasi imitantes, a nobis ad Ar-

*) Synt. ntr. *quod.*

Digitized by Google

rianismum perfidi transfugae facti sunt: Quare hanc propriam ipsis (ut *Christum* ita et Sacra eius irreverenter tractantibus) et tanquam minus honestam ac religiosam, simplicioribusque admodum scandalosam ceremoniam reiicimus.

V. An aegrotis mortemque subituris Sacra *Coena* sit exhibenda? Ita conclusum. *Debere* omnes Pastores docere et asuefacere auditores suos, ut quotiescunque Mensa *Domini* pro omnibus Fidelibus in communi coetu apparatur, ad eam singuli accedere non negligant: Adeoque nullas dilationes facientes, nec ultimum vitae punctum expectantes, sed corpore et animo sani sint semper, secundum mandatum Domini *Iesu*, parati, ac usu Ministerii eius in spe vitae aeternae confirmati. Tamen et ea in re, ut conscientiis hominum non dominemur, iustis de causis id petenti aegroto, qui mentis et rationis compos sit, non est denegandum: Verum diligenter et prudentissime explorata ac erudita ipsius conscientia: et quatenus id pro circumstantia loci atque temporis fieri potest, aliquot Fidelium collectis, et una cum aegroto participantibus.

VI. Constitutum est, ut nullus Patronus recipiat ac in Ecclesia docere patiatur ullum Ministrum, nisi qui esset a Superattendentibus ac Senioribus nostrarum Ecclesiarum legitime ordinatus ac missus, bonumque et certum testimonium ab iis haberet.

VII. Siquidem unio facta est inter nos *Helveticae*, *Augustanae* et *Bohemicae* Confessioni addictos, liberum erit Ecclesiae seu Patronis coetus unius Confessionis, iustis causis ac bono ordine, a *Superattendentibus* alterius *Confessionis* Ministrum petere ac ad se vocare.

VIII. Consonum est votum omnium, et res iudicatur ad aedificationem Ecclesiae inprimis necessaria, ut aliquam Generalem Scholam in Polonia habeamus, communi largitate Dominorum Patronorum constitutam: Quod quidem se effecturos Domini, prompte promiserunt, ex propriis bonis ad minimum a singulis rusticis suis, singulos florenos conferre pollicentes.

IX. Decimas coeteraque bona templis dicata, Domini Patroni debent *Deo*, Ministris et usibus Ecclesiae fideliter reddere: Si conscientia et fama bona in Domo Domini frui volunt.

X. Sancitum est, ut Domini in suis ditionibus, diebus Dominicis prohibeant Nundinas annuas et septimanales. Item, conventicula in tabernis, compotationes, alearum, chartarum, et similes varios lusus: concentus, musicorum instrumentorum usum, atque choreas etc. Praesertim vero eo temporis momento, quo concio et cultus divinus in templo peragitur.

*Paulus Gilovius* Superattendens Confessionis Helveticae in Districtu Cracoviensi.

*Erasmus Glicznerus* Superattendens Ecclesiae Confessionis Augustanae in Maiori Polonia.

Digitized by Google

*Iohannes Laurentius* Superattendens Fratrum Confessionis Bohemicae in Polonia.

Psal. CXXXVIII.

Domine in seculum misericors, opera manuum tuarum ne deseras.

---

## Wlodislaviensis Synodus Generalis,

*Anno Domini M. D. LXXXIII. Iunii die XIX. hora meridiana, invocato Spiritu Sancto, factum est exordium Synodi Wlodislaviensis, cui intererant plurimi viri clarissimi, ordinis Senatorii et Equestris, ex provinciis Regni Poloniae, ac Legati ex Magno Ducatu Lithuaniae etc. cum Superattendentibus, Senioribus ac Ministris septuaginta circiter. Ibique primo tractata et constituta sunt ea, quae ad bonum ordinem Synodi et actionum eius pertinebant; cum electione personarum, quae potissimas negotiorum partes sustinerent.*

### Acta et Conclusiones Synodicae die XX. etc.

I. Prima actio erat de renovatione et confirmatione Consensus Sendomiriensis, inter Fratres Confessionis Bohemicae, Augustanae et Helveticae, ea intentione, ut ista Sancta Concordia inter dictas Ecclesias semel constituta, et confirmata, deinceps etiam inviolata ac integra permaneret: Repressis maturo consilio omnibus technis, quibus Sathanas nequissimus Gloriae *Dei* et nostrae salutis hostis, dissidiique et tumultuum author, istam unionem et pacem pulcherrimam inter nos turbare niteretur. *Quare* ibidem personarum et partium quarundam acta, Consensui non penitus congruentia, spiritu mansuetudinis ac ingenue sunt perpensa et correcta. Atque ita eo firmius astrictum est vinculum pacis, ad conservationem *Sanctae Concordiae*, undique ratam et inviolabilem, secundum *Consensum Sendomiriensem* et caeterarum Synodorum Constitutiones, in amore mutuo, temporibus perpetuis.

II. Conclusum, ut Consensus Sendomiriensis, cum Consignatione Posnaniensi et Actis atque Canonibus Generalium Synodorum nostrarum, huiusque Wlodislaviensis, Lingua Latina et Vernacula publicentur; cum subscriptione personarum, praesertim praecipuorum Seniorum.

III. Constitutum, ut quilibet Minister sibi comparet habeatque dictum libellum, Consensum et Consignationem etc. complectentem: Atque ita in omnibus se gerat et concordiam tueatur: sub poena Ecclesiastica.

Digitized by Google

IV. De Harmonia Confessionum Evangelicarum (pio studio et solerti labore apud Helvetios nuper edita) in eam sententiam itum est. Siquidem nos in Polonia et Lithuania etc. Divino favore, habemus certam Concordiae nostrae normam ac vinculum, Consensum Sendomiriensem etc. quo tanquam vexillo pacis in unum Domini exercitum coniuncti foeliciter utimur: Proinde isti Harmoniae coeterisve Concordiae formulis subscribere, ac eas in nostras Ecclesias inferre, supervacaneum esse censemus.

V. Decretum est, ne quispiam audeat ullos libros proprio arbitrio publicare. Sed illi libri, qui Generalem Ecclesiae Doctrinam continent, Censurae Superattendentium omnium Confessionum et Seniorum praecipuorum subiaccant. Qui vero specificum aliquid tractant, a Ministris Senioribus Districtuum examinentur.

VI. *Quod attinet ad* Ceremonias *Coenae Domini:* Sententia iam olim in *Sendomiriensi* Synodo agitata, et conclusio in Generali *Cracoviensi* atque *Petricoviensi* Synodo facta ac repetita, in hoc etiam *Wlodislaviensis* Synodi Consessu approbata est: nempe, ne in usu sit sessio ad Mensam *Domini*, in ullis huius nostri Consensus Ecclesiis *Poloniae* et *Lithuaniae* etc. Nam haec ceremonia (licet cum caeteris libera) Ecclesiis Christianis et Coetibus Evangelicis non est usitata: Tantumque infidelibus Arrianis, cum Domino pari Solio sese collocantibus, propria. Cum itaque sessio potissimum occasione et malo auspicio illorum, qui miserrime ex nobis exciderunt, et *Dominum*, qui nos redemit, abnegarunt, in consuetudinem irrepsit aliquot nostris Ecclesiis, rogamus et hortamur omnes istos Coetus et Fratres nostros in Domino, ut Sessionem commutent in ceremonias nobis in Ecclesiis Evangelicis per Europam consuetas, scilicet ut administretur *Coena Domini* stantibus, vel genua flectentibus (cum protestatione contra Artolatriam Papistis consuetam) Quem utrumque ritum, prout in quibus Ecclesiis hactenus usitatus est, nobis liberos, sine scandalo et vituperatione invicem relinquimus et approbamus.

VII. Cum multiplicata sint gravia scandala et enormia vitia, ebrietas, commessatio, prodigalitas, ludi alearum et chartarum, avaritia, usurae, oppressio subditorum, erga proximos iniquitas non reddens cuilibet quod suum est, circumventiones, debitorum non solutiones, crudelitas, fastus, vestitus luxuriosus, choreae, scortatio, maledictiones, iurgia, inimicitiae, proximorum offensiones ac homicidia: pigrities, otium et laborum ac negotiorum propriae vocationis fuga: cultus et verbi Divini in Coetibus piis levissimis de causis scandalosa intermissio, Sacrae Synaxis neglectio, admonitionum et Disciplinae contemptus: communionis idololatriae et blasphemiae, respectu sui sive liberorum suorum etc. non evitatio: quorundam etiam ab Ariolis sciscitatio, et incantatricum ac eiusmodi illusionum variarumque Superstitionum usus: et his similes abominationes ac peccata Verbo *Dei* contraria, et plurimum

Digitized by Google

mali secum vehentia. Proinde conclusum est secundum Divina in *Scripturis Sacris* decreta, et piarum Synodorum nostrarum Constitutiones, Disciplina Ecclesiastica, debitis gradibus, omnino et serio contra tales (si qui in nostris coetibus reperirentur, cuiuscunque sint status et conditionis) uti: cum excommunicatione pertinacium, ab usu *Coenae Domini*, et ex Coetu Fidelium ejectione.

VIII. Synodum Generalem nemo indicere debet privato arbitrio, tantum ex communi sententia omnium Superattendentium et primariorum Dominorum Patronorum. Particulares vero liberae sunt cuilibet Seniori in sua Dioecesi: consciis etiam Senioribus secularibus.

IX. Omnium quidem Ministrorum ea cura esse debet, ut singuli etiam posteritatis verae Religioni prospicientes, exemplo Prophetarum, Domini ipsius et Apostolorum, habeant secum commorantes bonae indolis Adolescentes, quos in usum Ecclesiae quantum possunt pane suo alant, ac Doctrina et Exemplis, a primis unguiculis ad Pietatem et ad Labores Officii, informent. Maxime vero id fieri necesse est a Senioribus Ministrorum, quo etiam ij liberius domo, a sua Ecclesia ad caeteras, pro necessitate functionum suarum, proficisci possint. Sancitum itaque est, ut in familia cuiuslibet Senioris, unus aut duo etc. iuvenes alantur, subsidio seu collecta, (ut vocant) Dominorum Patronorum sui Districtus: Praesertim vero, si quis Senior Minister sit fortunae tenuioris.

X. Ut vero possit facilius et foelicius conservari ac augeri Seminarium Ecclesiae *Dei*, Scholis providendo, idoneos iuvenes educando, ipsisque ad literas colendas sumptus largiendo: obtulerunt iampridem ea in re promptam suam voluntatem Domini Patroni: Ac superioribus temporibus in quibusdam Synodis ultro ab ipsis conclusum est: ut quilibet Dominus, ab unoquoque suo ruricola seu rustico agrum habente, det una vice florenos singulos: Ut ex ea summa collecta in usum discentium, quotannis iustis modis proventus suppeteret. Quare serio rogat et obtestatur Synodus, omnes Dominos Patronos in Regno Poloniae et Magno Ducatu Lithuaniae etc. ut tandem Collectas, ad erectionem et subsidium Scholarum memoratosque usus, conferre dignentur. Aequum enim et dignum est, ut qui ex manu *Dei* omnia ad dispensandum sibi commissa habent, ad promovendam Gloriam ipsius non sint ignavi, praepostera ac sordida parsimonia ne peccent, *Deum*que ad iram et vindictam non provocent: Et qui cives Ecclesiae praecipui sunt, ac in ea fructu Ministerii *Christi* utuntur, sint Ecclesiae (quod sibi *Deus* olim per prophetam de ipsis promisit) nutritores: atque cum reliquis etiam tenuioris sortis hominibus, in re ad omnes spectante, per se ac adversus impetum scandalorum admodum necessaria, par onus ferant. Alias in hoc negotio negligentes, duri, ac inverecundi, iustissime castigari de-

Digitized by Google

berent disciplina Ecclesiastica, quolibet Ministro eam sine adulatione erga suas oviculas fideliter exercente.

XI. Sicubi sit Minister, emeritus miles, Annis aut Aegritudine confectus, ac ad sustinendos Ministerii labores impar, constitutum est, ut ratione talium Ministrorum fiant Collectae quotannis in Synodis particularibus, ac in manus eorum fideliter reddantur.

XII. Ordinatio Ministrorum et missio in certa loca, ad operandum in vinea *Domini*, commissa est Superattendentibus et Collegis eorum Ministris Senioribus.

Quod vero ad victum et caetera Ministris necessaria pertinet, id Domini Patroni praestare, Senioresque Spirituales et Seculares pariter curare debent.

*His ita pia consultatione* constitutis, et vigore Generalis Synodi decretis, confirmata sancta Concordia et pace, ac mutuo amore aucto, Principi Pastorum Domino *Iesu* cum *Patre* et *Spiritu Sancto* super omnia Benedicto *Deo*, laeti gratias egimus. Et Seniores ad id a Synodo deputati, nomine totius Synodi manibus propriis subscripsimus.

Confirma hoc *Deus*, quod operatus es in nobis. *Amen*.

*Iohannes Lorentius* Senior et Supperattendens Ecclesiae Confessionis Fratrum Bohemorum in Polonia, suo et Fratrum nomine subscripsit.

*Paulus Gilovius*, Superattendens Ecclesiarum Confessionis Helveticae reformatarum, in Districtu Cracoviensi etc. suo et Fratrum suorum nomine subscripsit.

*Erasmus Gliczner* Superattendens Ecclesiae Dei Confessionis Augustanae in maiori Polonia, suo et Fratrum suorum nomine subscripsit.

*Bartholomeus Crossius* Minister verbi *Dei*, et earum Ecclesiarum ibidem Senior subscripsit.

*Iohannes Rokita* Litomisliensis, Senior in Districtu Calissiensi, et Pastor Ecclesiae Cosmingensis subscribo.

*Simeon Theophilus Turnovius*, Senior Fratrum in Districtu Siradiensi, Pastor Ecclesiae *) orthodoxae Luthomirsci, Notarius Synodi, M. P. subscribo.

*Iacobus Łaszkowski*, Nuncius Dominorum Patronorum **) Ecclesiae Fratrum ex Maiori Polonia M. P.

*Stanislaus* Comes a *Gorka* Palatinus Posnaniensis, manu propria subscribo.

## Psal. XLVII. et LXVII.

Exultatio universae Terrae Mons Sion, latera Aquilonis, civitas *Regis Magni*.

*Iehovah* Exercituum, disperde Gentes (et mentes) quae bella volunt.

---

*) Synt. utr. add. *eius*.

**) Synt. utr. om. *Patronorum*.

Digitized by Google

# Acta et Conclusiones Synodi Generalis Toruniensis.

Anno Domini M. D. LXXXXV. Mense Augusto.

Micheae IV. vers. V.

*Omnes populi ambulant, quisque in nomine Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine Iehovae Dei nostri in seculum et in aeternum.*

## Toruniensis Synodi Generalis Acta et Conclusiones.

*Anno Domini M. D. XCV. die XXI. Augusti, in nomine Domini celebrata est Generalis Synodus Evangelicorum, Torunij, ad quam maxima frequentia ex omnibus amplissimi Poloniae regni provincijs convenere, cuiusvis ordinis, status, et dignitatis viri Christiani, Senatores Regni, Officiarij, Equites, Cives, Superattendentes, Seniores, et Ministri Ecclesiarum Christi. Praeterea multae insignes legationes hinc inde ad eandem Synodum missae, cum literis et commendatione Fraterni amoris, nec non promtitudinis animi in recipiendis et amplectendis ijs omnibus, quae in hac Generali Synodo ex Verbo Dei, iuxta priorum Synodorum Decreta concordibus suffragijs sancita essent. Quarum *) hae praecipuae fuere.*

Prima ex magno Ducatu Lituaniae a Synodo Vilnensi, cum subscriptione multorum Magnatum solenniter adornata, et Legatis viris lectissimis, tam Ministris, quam Secularibus commissa.

Altera ab Illustr. Domino Constantino *Duce* ab Ostrog Palatino Kijoviensi, Graecae Religioni addicto, officia amicitiae Ecclesijs Evangelicis offerente, et cum ijs nomine suo ac suorum coniunctionem in vera Religione expetente, satis honorifice missa, et per Legatum praesentem Dominum *Casparum* Luszkovium expedita.

Tertia a nobilitate Russiae, Voliniae aliarumque provinciarum, quae Graecam religionem et ritus amplectuntur. Quarta ab Evangelicis Palatinatus Russiae, ex Synodo particulari Prochnicensi missa. Quinta a Palatinatu Sendomiriae ex Synodo item Districtuali Ivaniscensi instituta. Simul etiam ex Districtu Chencinensi Legati, cum Politici, tum Ecclesiastisi, viri praestantes advenere. Sexta ex Districtu Zatoriensi, et Osviecimensi, a Superattendente loci et praecipuis Patronis missa. Septima ab Illustri et Magnifico Domino Stanislao Gostomski de Lezenice Palatino Ravensi, Capitaneo Radomiensi. Octava ab Illustri et Magnifico Domino Christophoro Zenovicio, Palatino Brestensi in Lituania. Nona ab Illustri et Magnifico Domino Nicolao Monuid, Palatino Polocensi. Decima ab Illustri et Magnifico Domino

*) Synt. utr. *Quorum*.



Digitized by Google

Alexandro Prunski, Castellano Trocensi. Undecima a Magnifico Domino *Nicolao* Comite ab *Ostrorog* ex Russia.

Aderant et ex Civitatibus Borussiae Viri spectabiles, et aliorum praestantium virorum, quos fama istius Synodi accenderat, numerus ingens.

Duravit haec Synodus dies sex, nimirum a XXI. Augusti usque ad XXVII. eiusdem Mensis. Ubi primum invocato Spiritus Sancti auxilio quotidie mane in templo D. Virginis, preces publicae cum ieiunio atque Conciones et Exhortationes ad amorem Christi et sanctam concordiam ac pietatem a primarijs Ministris sunt habitae.

Ac prima quidem die, id est, XXI. Augusti, cum nondum omnes, praesertim quibus iter longum erat conficiendum, in Civitatem advenissent, coactis Dominis Patronis et Ministris in templum, actum fuit de deligendis huius frequentissimae *Synodi* praesidibus, qui eam ita moderarentur, ut omnia graviter, ordine, honeste, et sine ulla confusione fierent: ac communi omnium suffragio Directores Synodi nominati sunt, ex Politicis, Magnificus Dominus *Swientoslaus Orzelski ab Orle*, Capitaneus Radzieioviensis, et Magnificus Dominus *Andreas Rzeczycki*, Succamerarius Lublinensis. Ex Ecclesiasticis autem regimen et ordinis cura incumbebat Superattendentibus primarijs Domino *Erasmo Glicznero*, Domino *Simeoni Th. Turnovio*, Domino *Francisco Iezierscio*. Ibidem etiam electus est in Notarium Synodi publicum *Daniel Mikolajewski*, Orthodoxae Radzieioviensis Ecclesiae Pastor, cui ex Politicis adiunctus est Dominus *Christophorus Pawlowski*: horum munus erat, literas aperire, legere, respondere, acta Synodi ordine excipere, ac in omnibus Dominis Directoribus praesto esse.

Sequente die XXII. Augusti a concione et precibus, exceptae sunt et auditae legationes ex varijs Regni provincijs: ubi etiam Legatus Sacrae Regiae Maiestatis Magnificus Dominus *Stanislaus Bykowski* Castellanus Lenciciensis, et una cum eo alij auditi fuere. Postea Propositio Synodi bipartita, clare in templo a *Magnifico Domino Directore* proposita fuit: agendum nimirum nobis, Divino favente Numine, de duobus. *I. De consensu in Ecclesijs nostris renovando, stabiliendo, et confirmando: bono ordine in coetibus conservando: nec non de disciplina Ecclesiastica restauranda, et scandalis, si quae sunt, extirpandis. II. De oppressionibus, iniurijs, et contumelijs, quibus Ecclesia Dei in hoc Regno nuper quorundam extraneorum opera gravissime divexari coepit, ubi et quomodo liberatio ab ijs nobis petenda et postulanda esset.* Haec fuit propositio.

Et coeptum est hoc die aliquid agi, de priore eius parte, ac praelectus est publice Consensus Sendomiriensis, una cum aliarum *Synodorum* Decretis.

Die XXIII. Augusti, reliquae Provinciarum Legationes au-

Digitized by Google

ditae, Magnifico Domino Castellano Lencinensi *) responsum datum. Adhaec Reverendissimi Domini Episcopi Cuiaviensis, ex tractu Dobrzynensi et Pomeraniensi: et ex Palatinatu Plocensi Legati, tum admissi auditique, tum cum sufficiente responso dimissi sunt. Dein examen institutum fuit in eos, qui consensum nostrum violare aut ei refragari viderentur, et ordine Ministri circiter Septuaginta suffragia sua de Confessionibus, et Consensu Sendomiriensi liberrime proposuerunt, et concluserunt: tres fidei Confessiones, Augustanam, Bohemicam, et Helveticam, in primarijs doctrinae capitibus. De Sacra Scriptura, *De Deo Vero*, De persona Filii *Dei θεανθρώπου*, De providentia *Dei*, De Peccato, De Libero arbitrio, De Lege, De Evangelio, De Iustificatione per *Christum*, De Fide, De Regeneratione, De Ecclesia *Catholica* eiusque unico et supremo capite *Christo*, De Sacramentis eorumque numero, fine et usu, De statu animarum post mortem, De Resurrectione et vita aeterna, convenire. In reliquis autem, in quibus discrepare illae videntur, praesertim in articulo *de Coena Domini*, nobis Consensum Sendomiriensem medicinam afferre, nosque invicem nobiscum conglutinare, ac ab omnibus haereticis, sectarijs, et blasphemis idololatris, Orthodoxam et Apostolicam fidem adulterantibus seiungere. Ibidem etiam actum est, de conservanda et tuenda puritate doctrinae de Deo, eius essentia, et personis, propter eos, qui a voce Trinitatis abhorrent: et decretum, ut, qui ea voce uti nollent, tanquam de fide suspecti ex coetu nostro Evangelico excludantur.

Die XXIV. quae fuit Divo Bartholomaeo sacra (et ob proditoriam illam, ac nefandam lanienam Parisiensem, in nuptijs *Regis* Navarraei hoc die *Anno Domini* M. D. LXXII. a Pontificijs perpetratam valde est memorabilis) post absoluta Divina Officia, partim actum fuit, publice et privatim, cum eo qui Consensui reclamabat, et concordiam cum caeteris Ecclesijs fovere nolebat: partim consultabatur de disciplina restauranda, de ordine bono et honesto in Ecclesijs, de refrenanda quorundam vita inhonesta, de Ministris erronibus non recipiendis, nec admittendis: et de excommunicandis ijs, qui Consensui subscribere nollent. Coeptae etiam sunt praelegi hoc die conclusiones Synodicae, et ab omnibus libere examinatae, et alia ad bonum Ecclesiae regimen spectantia, usque **) ad vesperam tractata sunt.

Die XXV. Augusti, quod restabat ex prima propositione, de Consensu, ordine Ecclesiastico, et coërcendis turbatoribus Ecclesiarum, ante meridiem absolutum fuit. Postea ad alteram propositionem transitione facta, varij ex omnibus Regni partibus et provincijs, varias iniurias, contumelias, oppressiones, et molestias, quas Religionis *Christianae* causa pa-

*) Synt. utr. *Lancinensi.*
**) Synt. utr. om. *usque.*



Digitized by Google

terentur, coram exposuerunt, et de ijs conquesti sunt: ac repertae sunt circiter quadraginta notoriae iniuriae, quae passim cum publice, tum privatim, cum Nobilibus, tum Ministris, Civibus, et Plebeijs quibusvis, potissimum a Clero Pontificio, et ei adhaerentibus ac temere morem gerentibus, contra omne *Ius* et aequum, contra libertates Patrias, et contra *Confoederationem*, communi omnium Regni ordinum approbatione sancitam receptamque, et Sacrae Regiae Maiestatis Clementissimi Domini nostri iuramento confirmatam, impune inferuntur. Tandem post longam illam iniuriarum, despectuum, et violentiarum, non sine magna omnium commiseratione, et afflictae sortis Ecclesiae deploratione, factam enumerationem, unanimi Ministrorum et Patronorum sententia, haec proposita et comprobata sunt: in his ipsis angustijs et doloribus multis etiamnum per *Dei* gratiam restare, quae nos consolentur et erigant. Veluti primum Veritatis Evangelicae et salutis nostrae in Christo certitudinem, quae inde quoque evincitur, quod propter eam a mundo, cui semper veritas peregrina est, et qui *Deo* eiusque Verbo ubique resistere solet, persecutionem patiamur, iuxta praedictionem *Christi* Domini: *Eritis exosi omnibus propter nomen meum.* Matth. X. versu XXII. Deinde, Esse nobis solatio patientiam, *per quam possidemus animas nostras.* Lucae XXI. versu XIX. et modestiam, quae vel ipsis hostibus innotescat, eosque ad moderatiora consilia flectat. Necesse igitur esse, nos adversarijs iudicio *Dei* commissis, patiendo ad victoriam contendere, eo quod dicat Dominus, eum demum servatum iri, qui sustinuerit usque ad finem. Et scitum memoriaque dignum esse illud *Lactantii: Defendenda Religio est, non occidendo sed moriendo, non saevitia, sed patientia, non scelere sed Fide: illa enim bonorum sunt, haec malorum.* Lib. V. de Iustitia Cap. XIX. *Tertio*, Nondum nos (*Deo* sit gratia) sub Serenissimorum *Regum* nostrorum hactenus iusto et clementi regimine eo esse redactos, ut ab adversarijs nullo negotio opprimi, ac omnibus libertatibus per vim exui possimus: sed restare spem bonam de aequitate et prudentia *Serenissimi Regis* nostri, et de mutua benevolentia gentilium nostrorum, diversam Religionem Romanam sequentium: Gallicasque lanienas exhorrescentium: si modo ijs ista principia mala, et gravamina, quae iam patimur, liquido innotescant: ut sub nostra oppressione suarum etiam libertatum eversionem, et pacis publicae amissionem, latere et periclitari sentiant. Praeterea esse in omnibus *Regni* provinciis, Ducatibus, Palatinatibus, et Civitatibus, multo plures quam vulgo existimatur, veros Christianos, quos non pudet Evangelij *Christi*, quorum confessione, constantia, zelo, et in asserenda *Veritate* invicta promptitudine, nos animari et excitari par sit, ut non quavis persecutionum procella, nos a Veritate in transversum rapi sinamus, sed armati *Fide*, ac nova vita exornati, coniunctis animis, gloriam *Dei* promoveamus, *Ecclesiae* aedifica-

Digitized by Google

tioni incumbamus, et in Orationibus, Ieiunijs, et placando irato *Deo*, simus assidui. Postremo, ab ipso etiam iure communi, et libertatibus, quibus *Dei* dono*) aeque ut adversarij nostri gaudemus, modum nobis ex his immensis malis evadendi, monstrari et porrigi: ut nimirum *Sacrae Regiae Maiestatis*, quae inter dissidentes de *Religione* pacem se velle tueri, ac ab omni oppressione quosvis immunes praestare iureiurando adstrinxit, auxilium humillime imploremus, et defensionem, expositis tam gravibus et pene intollerabilibus iniurijs obnixe petamus: imo et Fratribus sanguinis nostri, inter quos plurimi sunt candidi conscientiae bonae, et pacis ac publicae tranquillitatis amantes, idem in publicis *Regni* conventibus exponamus, nosque ipsorum suffragijs et opera, contra sanguinolenta Cleri, praesertim externorum hominum consilia adiuvari petamus. Cumprimis autem a *Domino nostro Iesu Christo*, cuius veritas in nostris personis oppugnatur, ut *Ecclesiam* suam servet, errores reprimat, et causam suam potenter iudicet, supplicibus votis exposcendum, et orandum, ut nos custodiat, donec ex hac militia, in portum aeternae quietis, transferamur.

Tandem XXVI. Augusti, primum omnium infra scripti Canones Synodi Toruniensis, publice lecti, correcti, et omnium calculis, nemine refragante, recepti et confirmati sunt. Deinde delecti Legati, tum ad Sacram Regiam Maiestatem, tum ad alia loca, et illustres personas, ac futuros conventus *Regni* et Magni Ducatus, et responsa data, ad literas eorum, qui *Legationem* ad *Synodum* instituerant. Tertio, delecti etiam sunt Seniores Generalis *Politici Ecclesiarum* Orthodoxarum, ad quos ea, quae ad bonum et pacem Ecclesiae procurandam faciunt, inprimis referuntur, et ab ijsdem cum Superattendentibus, de necessitate, tempore, et loco Synodorum Generalium deliberaretur et statueretur. His absolutis et conclusione Synodi facta a Superattendente Domino *Simeone*, Magnificis Dominis Patronis, et toti Nobilium ordini, pro hoc labore Ecclesiae impenso sunt actae gratiae, cum seria admonitione et obtestatione ad amorem fraternum, ad pietatem, et disciplinae sanctae omniumque iam recte constitutorum et authoritate Synodorum approbatorum observationem, tam Ministris quam Patronis coram severo Dei iudicio rationem reddituris, necessariam. Deinde vicissim Domini Patroni, Spectabili Senatui et Civibus Toruniensibus pro concessis commodis hospitijs et templo, honorifice per Magnificum Dominum Directorem, gratiam habuerunt. Et postremo admonitione ad preces et gratitudinem erga Deum pro tanto beneficio, quo nos in hac Synodo afficere, et omnia ad optatum finem pro nominis sui gloria deducere dignatus est, a Domino *Francisco Jezierscio* in Auditorio, et a Domino *Erasmo Glicznero* in templo praemissa, ab omnibus dehinc primo

*) Synt. utr. *dona*.

Digitized by Google

decantatus est Psalmus LXXXIV. *Quam dilecta tabernacula tua Domine*: deinde Canticum illud Ambrosij, *Te Deum laudamus.* Atque ita propitio Deo nostro colophon huic Generali et amplissimae *Synodo* Toruniensi feliciter, cum magna omnium piorum laetitia, est impositus.

## Toruniensis Synodi generalis anno Domini M. D. XCV. XXI. Augusti caelebratae Canones.

I. Consensum nostrum evangelicum *Sendomiriae* anno Domini 1570 institutum, et eodem anno consignatione *Posnaniensi* illustratum, ac postea generalibus Synodis, *Cracoviensi*, *Petricoviensi*, *et Wladislaviensi* auctum stabilitumque, prout ista in exemplari *Torunij* Latine et Polonice anno Domini 1592 excuso continentur: universi hac nostra generali Toruniensi Synodo comprobamus confirmamusque, et contra adversarios, qui tam verbis quam scriptis hactenus discordiam et fictum Consensum nobis Evangelicis obiectare ausi sunt, hunc verum consensum sincere nos amplecti et fovere, atque secundum eum in sancta concordia vere coniunctos esse protestamur.

II. Quilibet Minister Evangelicus in regno Poloniae et Magno Ducatu Lituaniae ac caeteris provincijs adiunctis, tenebitur hunc Consensum (cui hos quoque Synodi Toruniensis canones incorporamus) non tantum habere et legere, sed etiam ex praescripto illius, et Canonum in eo expressorum, tum ipse agere, tum coetum sibi commissum gubernare.

III. In Synodis particularibus, et coetibus frequentioribus, quales solent haberi in ferijs Paschalibus, aut alio quovis ad id accommodato tempore, ad minimum semel quotannis libellus iste Consensus cum Synodis Generalibus in eo contentis praelegatur, et iuxta illum examen Fratrum et membrorum Ecclesiae *Dei* instituatur: quique aliqua in re deliquisse deprehensi fuerint, corrigantur, et in reos fiat executio disciplinae.

IV. Nullus Superattendens, aut Senior, quenquam ad Ministerium et munus pastorale mittere, aut Patronus quisquam, sive coetus noster, pro Ministro recipere audeat, nisi eum qui sit rite ordinatus, et certum habeat testimonium Consensuique subscribat, et secundum eum sese gerat.

V. Quilibet Superattendens sive etiam Senior Districtus, habeat librum Consensus ad id paratum, in quo et ipse nomen suum propria manu adscribat, et omnes Ministros ad inspectionem suam pertinentes, subscriptos habeat. Quod quidem illico post hanc Synodum facere debent, et imposterum semper in missione Ministrorum idem observabunt.

VI. Articulum octavum Consignationis Posnaniensis ad executionem deducendo, ita constituimus, ut tres Superattendentes, tempore et loco alternatim indicto, quottannis, una cum primario

Digitized by Google

Seniore Magni Ducatus Lituaniae in unum conveniant, propter communicanda consilia de negotijs Ecclesiae *Dei*. Tum etiam iuxta veterum consuetudinem, tenentur Comitijs interesse, aut saltem aliquem in locum suum cum instructione mittere, propter conferendas sententias de rebus necessarijs et propter indictiones Generalis *Synodi*, una cum primarijs Dominis *Patronis*, prout res postulaverit.

## De Disciplina.

VII. Contra pertinaces Legis Divinae, decretorum verbi eius, et omnium Canonum Synodorum nostrarum Generalium, in libro Consensus contentarum, transgressores, huiusmodi disciplina a maioribus nostris in Generali Cracoviensi Synodo instituta est: ut Minister et munere Ministerij, et loco privetur. Patronus vero, ut Ministro multetur, et contra eiusmodi excommunicatio vibretur. Huius tamen Sanctae disciplinae ordinem iuxta doctrinam Filij *Dei* et Apostolorum eius, ita illustramus.

Primum, ut quicunque in doctrina Evangelij Dei, nobiscum non consentiat, et qui idololatriam aut haeresin amplectatur: denique qui concordiam nostram dirimat, neque Consensum nobiscum retinere velit, poenam superius descriptam, sine ulla dilatione reipsa sustineat. Qui vero in vita sua committat peccata a *Deo* prohibita, quae sunt specifice enumerata in Consignatione Posnaniensi articulo X. et in Cracoviensi Synodo, quibusdam in locis, item in Wladislaviensi articulo VII., is post unam et alteram admonitionem et reprehensionem, ab usu Sacramenti arceatur: quod si non resipuerit, publice in suo coetu excommunicetur. Minister, qui officio suo iuxta Canones Synodales, aliqua in re non defungatur, aut disciplinam non exerceat ac multo magis si offendiculum aliquod praebeat, post unam et alteram admonitionem, a Superattendente et Senioribus ab officio usque ad Synodum Districtualem suspendatur.

Patronus sive auditor, si sit vitijs deditus, et officio suo in Canonibus Synodalibus descripto desit, post admonitionem Ministri et Seniorum secularium, ab usu Coenae Dominicae removeatur, quousque in Synodo Districtus sui reddet rationem.

Quicunque vero sacra *Communione*, et usu *Coenae Dominicae*, sine iustis causis, et sententia *Ministri* sui non requisita abstineat, post tertiam, aut sane per decursum unius anni, Sacrae communionis neglectionem, publice in coetu, aut in Synodo, iuxta modum consuetum disciplinae sacrae excommunicetur. Eidem poenae subiaceant, qui coetus sacros, audiendi Verbi *Dei* gratia cogi solitos prorsus negligunt.

Item. Quicunque contra articulos praeteritarum Synodorum filios suos in *Scholas* et *Academias Arrianicas*, et alias, in quibus sincera Evangelij Domini doctrina non traditur, tam intra

Digitized by Google

quam extra regnum mittat, publice a Coenae Dominicae usu et communione Ecclesiae Dei excludatur. Et si quis nunc in ijs scholis liberos suos habet, intra duodecim Septimanas ab hac Synodo Toruniensi, eos inde abducere debet, idque sub poena nominata.

Libros itidem *Arrianorum*, nemo ex fratribus nostris citra Consensum Ministri in aede recipere, aut lectioni eorum occupari debet.

Ad extremum, quicunque in Ecclesijs nostris Evangelicis noluerit uti voce ista *Sancta Trinitas*, eum tanquam suspectum, quod non sit recte fundatus in fide de *Deo* Patre, Filio et Spiritu S., e coetu nostro excludimus.

In his ergo omnibus disciplinae gradibus inhaerentes prioribus Synodis Superattendentum, Seniorum, Patronorum et Ministrorum fidem et conscientiam obligamus, ut hanc sanctam disciplinam ex officio suo reipsa exequantur, veriti ne et ipsi tum censuras Ecclesiasticas, tum vero horrendas iudicij divini poenas incurrant.

Summatim autem de disciplina hanc conclusionem facimus: Si quis reperiatur, qui contra officia Christianitatis suae peccet, aut negligens et remissus, tam in vocatione sua, quam in disciplina exequenda deprehendatur: tunc ut contra auditorem suum Minister, ita contra Ministrum *Superattendens* cum Senioribus, ex Disciplina, iuxta Canones Synodales aget. Interim in gravioribus negotijs, salva cuique manebit provocatio ad Synodum districtualem. Superattendens autem Seniores et Patroni in Synodo Districtus (citati a Delatore duabus ad minimum ante Synodum septimanis) ut de crimine, ita de neglectu officij et executionis disciplinae iustificare se, et disciplinae ipsi quoque subiacere debebunt.

VIII. Declarando decimum tertium Consignationis Articulum sic sentimus: Oviculas Christi nullius ministri dominio et iugo ita subijci debere, ut iustis intercedentibus causis et circumstantiis, non liceat ipsis alterius coetus ordinis Ministrorum opera, uti: verbi gratia ratione habita circumstantiae loci et propinquitatis templi, et in similibus occasionibus, aequisque rationibus et causis. Quod si vero aliqui auditores scandala excitantes, et impie viventes, offensi disciplina et reprehensione proprij Pastoris, ab eo secedere, et alterius Pastoris maioris licentiae, et impunitatis peccandi causa, curae se committere velint: huiusmodi, nulla ratione alterius coetus Minister recipere debet, praesertim si ea de re a proprio illarum ovium Ministro admoneatur. Porro, in talibus negotijs necessaria sunt Ministrorum colloquia, et sincerae de his consiliorum communicationes.

IX. Nullus Minister et Senior Spiritualis, adolescentes, alumnos, et personas qualescunque promotas a Ministris aliorum coetuum ad se recipiat, praeterquam si honestae suae dimissionis

Digitized by Google

et libertatis a proprijs ministris testimonium et literas fide dignas habeant et ostendant. Qui secus faxit, ipso facto poena in Cracoviensi Synodo expressa tenebitur: tali enim transfugarum receptione, everteretur disciplina et bona educatio, ac probatio iuvenibus, et inexploratis hominibus admodum necessaria quam plerunque improbi, et impij alumni declinare, et coram ea fugere solent.

X. In indictione Generalium Synodorum, non videtur aequum, ut semper omnium Superattendentium subscriptiones requirantur, praesertim si qui negligentes officium suum, nobiscum conventibus regni publicis non intersint, nec quenquam in locum suum mittant, aut ad extremum hac de re certiores facti, rem silentio involvant: tales enim in eo passu suffragium suum amittunt. Item iudicandum, si quis Superattendentum aliqua in re conscius sibi sit criminis, et cognitionem Synodi metuat: is enim proculdubio nunquam in Generalem *Synodum* consentiret, adeoque ea nunquam a nobis celebrari posset. Atque haec est declaratio articuli Synodi Wladislaviensis octavi.

## De Scholis.

XI. Una schola Generalis debet constitui in meditullio regni, in loco apto. In districtibus quoque, prout primariae, ita et particularibus Scholis, a coetibus diligenter provideri debet.

XII. Collecta ad fovendas Scholas secundum Petricovienſis Synodi Canonem VIII. item Wladislaviensis Synodi Canonem X. ab omnibus Patronis ex propria ipsorum arca, pro conscientia cuiusque conferatur: ut dent a singulis rusticis agrum excolentibus, singulos florenos, qualescunque fundos et tenutas habuerint: ab aulicis autem et conductorum agricolarum aratris in duplo videlicet florenos binos: eamque pecuniam intra tempus quod ad Calendas Ianuarij anni sequentis intercedit, reddant singuli collectoribus ad id in Districtibus deputatis. Haec autem pecunia debet asservari in certo loco proprij Districtus, ita ut aliquod ex ea emolumentum cedat, quod communiter constitutum fuerit. Illud autem converti debet, primum ad Generalem Scholam, deinde ad particulares, quae aliunde provisionem habere nequeunt, et ad alias necessitates Ecclesiae *Dei*. Ratio autem huius Collectae reddi debet in Synodo Districtuali. Quod si quis absentium hanc Collectam dare renuat, Domini Seniores et Ministri, quilibet suas oviculas ad hoc officium gloriae *Dei* et aedificationi Ecclesiae admodum utile hortari et incitare tenebuntur.

XIII. Dominorum Seniorum Secularium, hoc quoque est munus et proprium officium, ut inter fratres negocia, et facta devia, exhortationibus suis refrenent, ad ordinem rectum in omni re bona, et ad pietatem deducant, et inserviant: iurgijs et litibus

Digitized by Google

obviam eant: dissidia et controversias inter Fratres dijudicent et componant: ac pro viribus pacem et charitatem inter domesticos fidei foveant: in id incumbentes, ut quilibet Frater Christianus, primum Deo, deinde et proximo in omnibus officium debitum praestet: et quantum fieri potest, ne per citationes ad ius et subsellia iudiciorum mundanorum prodeat, iuxta apertum hac de re Spiritus sancti decretum, 1 Cor. VI, vers. 1. Quod si vero intercedentibus causis inevitabilibus, ad citationes et processum iuris, alicui ex fratribus, potissimum autem miseris Orphanis res devenerit, proprium est D. Seniorum talibus consilium suppeditare, et modum monstrare, ut quam rectissime huiusmodi actiones, sine conscientiae vulnere, et damno ac iactura sua, possint expedire.

XIV. Debent etiam Domini Seniores Seculares diligenter intueri quomodo se quisque in officio et vocatione sua Christiana gerat, et delinquentem ac etiam post unam et alteram admonitionem obstinatum Fratrem deferre ad Pastorem, ut super eum rigor disciplinae extendatur: peculiariter vero, si deprehendatur aliquis Frater, cuiuscunque status et vocationis a pecunia mutuo data, pecuniam vel foenus verbo *Dei* prohibitum aut usuram quocunque nomine appelletur accipere: et privatus privatum de peculiari: talis si aliquoties ab ijs et Pastore monitus: non tamen desistat, publice in coetu, aut in Synodo excludatur. Idem sentiendum de his qui impudice lascivia sua, aut simili pecati genere, offendicula in Ecclesia faciunt.

XV. Considerantes istud quam in mala et periculosa devenerimus tempora, et quam toti Christianitati, ferulae irae divinae immineant, denique quantas coetus fidelium Christi oppressionum et persecutionum angustias sustineat, animadvertimus rem apprime esse necessariam, ut iram Dei publicis precibus, cum ieiunijs, et maceratione corporum in conspectu Domini concorditer omnes in omnibus ecclesijs nostris evangelicis, temporibus et diebus certis placare studeamus. Ut vero ad hanc rem nova non quaeramus tempora, dies consuetos, quos vulgo Angaria vocant, huiusmodi, ieiunijs et precibus publicis, quater in anno, dicamus. Interea tamen alijs quoque quam creberrimis ieiunijs tam publicis Ecclesiarum, quam privatis quorumvis fidelium, viam praeclusam nolumus, quin potius ad ea exhortamur et incitamus.

XVI. Domini Patroni, praecipue autem Seniores, sedulam operam dabunt, ut *Sacrae Aedes* seu *Templa*, in quibus cultus divinus peragitur, non desolentur, sed diligenter restaurentur et accurate ornentur, citra tamen eiusmodi ornatum, qui ullam idololatriae speciem resipiat aut praeseferat.

XVII. Domini *Patroni* in quolibet coetu, in duas partes nominatim divisi, omnes cuiusque partis alternatim (relicta tamen singulis alterius quoque partis veniendi libertate) ad conventus necessarios sistere se debent, sub censura Ecclesiastica.

Digitized by Google

XVIII. De Ceremonijs interea temporis Conclusiones praeteritarum Synodorum non immutamus, sed cuilibet coetui consuetas pro libertate Christiana relinquimus: et an eae in unam eandemque formam redigi queant, ad futurae Generalis Synodi deliberationem reijcimus.

## Finis Canonum.

1 Cor. II, vers. 16. *Quod si quis videtur contensiosus esse, nos eiusmodi consuetudinem non habemus, neque Ecclesiae Dei.*

---

## Augustinus Tomo II.

### Epist. LXXXVI. ad Casulanum Presbyterum.

Sit ergo una fides universae, quae ubique dilatatur Ecclesiae, tanquam intus in membris. Etiamsi ipsa fidei unitas, quibusdam diversis observationibus celebratur, quibus nullo modo, quod in fide verum impeditur. Omnis enim pulchritudo filiae regis intrinsecus. Illae autem observationes, quae variae celebrantur, in eius veste intelliguntur, unde illi dicitur: In fimbrijs aureis circumamicta varietate. (Psal. 44.) Sed ea quoque vestis ita diversis celebrationibus varietur, ut non adversis contentionibus dissipetur.

## Ministri Ecclesiarum

### qui in Synodo Toruniensi aderant.

*Erasmus* Gliczner, Ecclesiae *Dei* Confessionis *Augustanae* in maiori Polonia Superattendens, suo et fratrum suorum nomine subscripsit.

Simeon Theophil. Turnovius, Ecclesiarum Orthodoxarum Confessionis *Bohemicae* in maiori Polonia Superattendens, Praepositus Ostrorogensis, suo et fratrum suorum nomine manu propria subscripsit.

Franciscus Iezeritius Superattendens Ecclesiarum Confessionis *Helveticae* in minori Polonia, suo et fratrum suorum nomine subscripsit manu propria.

Andreas Chrzastowski, Minister sancti Evangelij in Lituania, Consensum pium approbans, meo et fratrum nomine subscribo.

Iacobus Popowski, Minister sancti Evangelij, consensum pium approbans, meo et fratrum in Lituaniae coetibus nomine subscribo.

Philippus Bochwicz Cracoviensis, Minister Verbi Dei Kordanow: Senior Russiae albae, ab Ecclesijs Lituanicis legatus, manu propria subscribo.

Matthias Bancovius, Minister Verbi Dei Serciensis, Senior Districtus Novogrodensis, manu propria subscribo.

Digitized by Google

Iohannes Lucinius, Minister Chleboviensis, Senior Transveliensis ab Ecclesijs Lituanicis*) Legatus, manu propria.

Stanislaus Minuidius, Minister *Christi* Neapolapithae, ex Lituania Legatus, manu propria.

Georgius Plotkowski, Pastor Ecclesiae Wizanensis in Lituania, manu propria subscribo.

Nicolaus Trzcinski, Senior Ecclesiae Podlachiensis, manu propria.

Ioannes Chocimowski, Palatinatus Russiae nuncius, et Senior Spiritualis, suo et Fratrum suorum eiusdem Palatinatus nomine subscripsit manu propria.

Bartholomaeus Falconius W. S. Consenior Districtus Russiae et Legatus, subscripsit manu propria.

Petrus Tarnovius, Minister Dembnicensis, et Senior coetus Radziejoviensis manu propria.

Daniel *Mikolaiewski*, in Ecclesia Radzieioviensi Consenior, et Verbi Dei Minister, Synodi Generalis Notarius publicus, subscribo.

Ioannes Girck, Pastor Ecclesiae Lesnensis,
Christophorus Musonius praepositus Ecclesiae Cosminensis,
Matthias Rybinius Ecclesiae Posnaniensis Minister,
Andreas Colensis Ecclesiae Goluchoviensis Minister.
} Seniores Ecclesiarum Confessionis Bohemicae, in maiori Polonia, etc.

Petrus Dresnensis, Senior Dioeceseos Pogorzeliensis, suo et fratrum nomine subscripsit manu propria.

Laurentius Karsnicius Ustensis, Senior Dioecesis Posnaniensis, Confessionis Augustanae, Minister in Gnin, suo et fratrum nomine subscripsit.

Gregorius Zarnovecius, Minister Vlosczeviensis, Legatus Districtus Chencinensis.

Martinus Ianicius Smilovitanus, Verbi Dei Minister in Zalesie, Consenior Districtus Chencinensis, suo et caeterorum fratrum nomine.

Franciscus Stancarus, Ecclesiae Dei quae est in Vlodislaw Pastor, Legatus tractus Chencinensis.

Franciscus Pl. Seceminius Chmielnicensis et Sedziejoviensis Ecclesiae Minister, Legatus missus ex Districtu Chencinensi, manu propria subscripsit.

Ioannes Duscovius, Legatus Districtus Sendomiriensis manu propria.

Ioannes Stassovius, Legatus Districtus Sendomiriensis, manu propria.

Christophorus Krainski, Ecclesiastes Lublinensis, Legatus Districtus eiusdem, manu propria.

Iohannes Cluentius, coetus Rzecicensis Minister, Districtus Lublinensis Nuncius, subscribo manu propria.

Ioannes Praetorius, Minister Cosensis, Legatus Ecclesiarum quae sunt in Districtu Zatoriensi et Osviecinensi, suo et aliorum fratrum nomine.

Albertus Myslovius, Iesu Christi Minister, Pastor in Krylow, Confessionis Helveticae, subscripsit manu propria.

Stanislaus a Grozno, Minister Christi in Chomstowo, in Districtu Kcinensi Confessionis Helveticae, manu propria.

Clemens Agnellius, Clodaviensis, Minister in Kosciol, manu propria.

Valentinus Curio Halensis, Ecclesiae Radzieioviensis Minister, et Scholae Moderator, manu propria.

---

*) Synt. utr. om. *Lithuanicis.*

Digitized by Google

Iacobus a Iarocin Pruski, Minister Verbi Dei in Ludziczko, Confessionis Helveticae, manu propria.

Stanislaus Gronicius, Minister Verbi Dei in Zerkow, suo et suorum fratrum nomine, manu propria.

Nicolaus Hermes Ecclesiae Cieninensis Minister.

Paulus Orlik, Crotossinensis Ecclesiae Minister.

Ioannes Campensis, Minister Christi in Ecclesia Niemcinensi, manu propria.

Andreas Sylvanus, Minister verbi Dei in Barcin manu propria.

Samuel Orlik, Wissinensis Minister manu propria.

Ioannes Turnovius, Illustris Domini Palatini Brestensis Cuiaviensis Concionator Aulicus, manu propria.

Stanislaus Stavensis, Minister Verbi Dei in Brzeskorzystwa.

Ioannes Pigelius, Pastor Ecclesiae Piranensis, Confessionis Helveticae.

## Dominorum Patronorum Ecclesiarum Evangelicarum,

### qui in Generali Toruniensi Synodo interfuerunt, Subscriptiones.

*Andreas Lesczynski*, de Leszno, Palatinus Brestensis Cuiaviensis, personaliter praesens subscripsit, manu propria.

*Ioannes Abramowicz*, Palatinus Minscensis, Capitaneus Lidensis, ex Magno Ducatu Lithuaniae, personaliter praesens subscripsit manu propria.

*Adamus Balinski* de Chomiaza, Castellanus Bidgostiensis, Capitaneus Crusvicensis *), praesens subscripsit, manu propria.

Illustris Domini *Constantini* Ducis Ostrogensis, Palatini Kijoviensis Legatus ad praesentem Synodum, Casparus Luszkowski, manu propria.

Magni Domini *Stanislai Gostomski*, de Lezenice, Palatini Ravensis, etc. Legatus ad praesentem Synodum *Nicolaus Trzylatowski*, manu propria.

*Stanislaus Szafraniec* de Pieskowa Skala (antea Palatinus Sendomiriensis) Tribunus Cracoviensis.

*Swientoslaus Orzelski* ab Orle, Capitaneus Radziejoviensis, Director Synodi, manu propria.

*Andreas Rzeczycki*, Succamerarius Lublinensis, et Ecclesiarum eiusdem Palatinatus, Nuncius, manu propria.

*Petrus Goraiski* de Gorai, Nuncius Ecclesiarum Palatinatus Sendomiriensis, manu propria.

*Christophorus Rcii*, de *Naglowice*, Dapifer Lublinensis, ab Ecclesiis Palatinatus Lublinensis, Belzensis, et terrae Chelmensis nuncius, manu propria.

*Andreas Szafraniec* de Pieskowa Skala, Capitaneus Leloviensis, manu propria.

*Hieronymus Abrahamowicz*, Tribunus Lidensis, ex magno Ducatu Lithuaniae, manu propria.

*Georgius Latalski* Senior, Comes in Labiszyn, Palatinides Posnaniensis, manu propria.

*Laurentius Skarbek*, Capitaneus Lucinensis, manu propria.

*Sendivoius* Comes ab Ostrorog, manu propria.

*Andreas Krotoski* **), Palatinides Inowladislaviensis, manu propria.

*Andreas Zaremba* de Calinowa manu propria.

*Ioannes Christoporski*, Dapifer Siradiensis, manu propria.

*Ioannes Niemoiewski*, Iudex Castrensis Inowladislaviensis.

---

*) Synt. utr. *Crunsiensis*.

**) Synt. utr. *Krotoki*.

Digitized by Google

*Laurentius Niemoiewski.*
Marcianus Niemoiewski.
Alexander Niemoiewski.
Nicolaus Rozenski, Iudex terrestris Inowladislaviensis, manu propria.
Ioannes Ruszynowski, Vexillifer Palatinatus Inowladislaviensis manu, propria.
Martinus Trleski, Dapifer Inowladislaviensis manu propria.
Gallus Koscielski, Subiudex terrestris Brestensis, manu propria.
Ioannes Modlibog, Venator Inowladislaviensis, manu propria.
Iacobus Swierzewski, de Lescze, Nuncius ex coetu Radziejoviensi.
Albertus Koscielski, ab eodem coetu Nuncius ad Synodum.
Andreas Grodzieczki.
Martinus Bukowieczki, de Bukowiec.
Ioannes Suchorzewski.
Matthias Siedlieczki.
Christophorus Bardzki.
Petrus Zychlinski.
} Nuncii Ecclesiarum Orthodoxarum ex maiore Polonia, suo et fratrum suorum nominibus subscripserunt.
Martinus Kreza, manu propria.
Martinus Wichorski, notarius Castrensis Radzieioviensis, manu propria.
Casparus Kempski, manu propria.
Simon Ostromeczki, manu propria.
Albertus Dorpouski, manu propria.
Albertus Gadeczki, manu propria.
Stanislaus Cikowski, manu propria.
Stanislaus Skorulski*), ex Magno Ducatu Lithuaniae.
Iacobus Broniewski, manu propria.
Ioannes Koricinski de Korytnica, ex Siradiensi Palatinatu, manu propria.
Martinus Broniewski, et
Martinus Chrzastowski, nuncij ex Palatinatu Russiae, suo, et fratrum suorum eiusdem Palatinatus nominibus, manu propria.
Petrus Palczewski, ex Districtu Zatoriensi nuncius, manu propria.
Albertus Zbozy Zakrzewski, Iudex Castrensis Radzieioviensis, manu propria.
Zbozy Zakrzewski, manu propria.
Gregorius Zbozy Zakrzewski.
Albertus Zychlinski.
Andreas Kryszkowski.
Sebastianus Granowski.
} manu propria.
Iohannes Bokiey Zanislawski, ex Magno Ducatu Lithuaniae.
Raphael Soszyc Zbiroski, notarius castrensis Lidensis, ex Magno Ducatu Lithuaniae, manu propria.
Petrus Goluchowski.
Andreas Ossolinski.
} Ecclesiarum Palatinatus Sendomiriensis nuncii, manu propria.
Ioannes Lipski, de Iastrzebniki, manu propria.
Przeclaus Laszkowski, manu propria.
Raphael Nowowieyski, manu propria.
Ioannes Wassowski, manu propria.
Iohannes Cossowski, Vicecapitaneus Dyboviensis.
Ioannes Woiszewski, manu propria.
Michael Paledzki, manu propria.
Bernhardus Tloczki, manu propria.
Ianusius Lubowski.

---

*) Synt. utr. *Sorulski.*

Digitized by Google

Paulus Gniewkowski.
Casparus Iaruzel Brzezniczki.
*Balthasar Rachoczki*, Medicinae Doctor.
Henricus Girk, Senior Secularis Ecclesiae Posnaniensis, Confessionis Bohemicae, suo et aliorum fratrum eiusdem coetus nomine, manu propria.
Christophorus Ridt, Confessionem Augustanam profitens, et Senior coetus Posnaniensis, subscribo Consensui, manu propria.
Casparus Hampel, Nuncius Ecclesiae Posnaniensis, manu propria.
Georgius Gelhar, Nuncius coetus Posnaniensis, manu propria.

*Ad Hebraeos XII. Vers. XIV.*

Pacem sectamini cum omnibus, et sanctimoniam: sine qua nemo videbit *Dominum*.

FINIS.

Digitized by Google

## 3.

# ARTICULI

De quibus in synodo Londonensi Anno Dom. M. D. LII. ad tollendam opinionum dissensionem, et consensum verae religionis firmandum, inter Episcopos et alios eruditos viros convenerat:

REGIA authoritate in lucem editi.

### *De fide in Sacrosanctam Trinitatem.*

Unus est vivus et verus Deus, aeternus, incorporeus, impartibilis, impassibilis, immensae potentiae, sapientiae, ac bonitatis, creator et conservator omnium, tum visibilium tum invisibilium. Et in unitate huius divinae naturae tres sunt personae, eiusdem essentiae, potentiae, ac aeternitatis, Pater, Filius, et Spiritus sanctus.

### *Verbum Dei, verum hominem esse factum.*

Filius qui est verbum patris, in utero beatae Virginis, ex illius substantia naturam humanam assumpsit, ita ut duae naturae, divina et humana, integre atque perfecte in unitate personae fuerint inseparabiliter coniunctae, ex quibus est unus Christus, verus Deus et verus homo, qui vere passus est, crucifixus, mortuus et sepultus, ut patrem nobis reconciliaret, esset que hostia non tantum pro culpa originis, verum etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis.

### *De descensu Christi ad Inferos.*

Quemadmodum Christus pro nobis mortuus est et sepultus, ita est etiam credendus ad inferos descendisse. Nam corpus usque ad resurrectionem in sepulchro iacuit, Spiritus ab illo emissus, cum spiritibus qui in carcere sive in inferno detinebantur, fuit, illisque praedicavit, quemadmodum testatur Petri locus.

### *Resurrectio Christi.*

Christus vere a mortuis resurrexit, suumque corpus cum carne, ossibus, omnibusque ad integritatem humanae naturae per-

Digitized by Google

tinentibus, recepit, cum quibus in coelum ascendit, ibique residet quoad extremo die ad iudicandos homines revertatur.

*Divinae Scripturae doctrina sufficit ad salutem.*

Scriptura sacra continet omnia quae sunt ad salutem necessaria, ita ut quicquid in ea nec legitur neque inde probari potest, licet interdum a fidelibus, ut pium et conducibile ad ordinem et decorum admittatur, attamen a quoquam non exigendum est, ut tanquam articulus fidei credatur, et ad salutis necessitatem requiri putetur.

*Vetus Testamentum non est reijciendum.*

Testamentum Vetus, quasi Novo contrarium sit, non est repudiandum, sed retinendum, quandoquidem tam in veteri quam in novo per Christum, qui unicus est mediator Dei et hominum, Deus et homo, aeterna vita humano generi est proposita. Quare non sunt audiendi, qui veteres tantum in promissiones temporarias sperasse confingunt.

*Symbola tria.*

Symbola tria, Nicenum, Athanasij, et quod vulgo Apostolicum appellatur, omnino recipienda sunt. Nam firmissimis divinarum scripturarum testimonijs probari possunt.

*Peccatum Originale.*

Peccatum originis non est (ut fabulantur Pelagiani, et hodie Anabaptistae repetunt) in imitatione Adami situm, sed est vitium et depravatio naturae cuiuslibet hominis ex Adamo naturaliter propagati, qua fit ut ab originali iustitia, quam longissime distet, ad malum sua natura propendeat, et caro semper adversus spiritum concupiscat: unde in unoquoque nascentium, iram Dei atque damnationem meretur. Manet etiam in renatis haec naturae depravatio, qua fit ut affectus carnis, graece φρόνημα σαρκὸς, quod alij sapientiam, alij sensum, alij affectum, alij studium vocant, legi Dei non subijciatur. Et quanquam renatis et credentibus nulla propter Christum est condemnatio, peccati tamen in sese rationem habere concupiscentiam fatetur Apostolus.

*De libero arbitrio.*

Absque gratia Dei, quae per Christum est, nos praeveniente ut velimus, et cooperante, dum volumus, ad pietatis opera facienda, quae Deo grata sint et accepta, nihil valemus.

*De Gratia.*

Gratia Christi, seu spiritus sanctus qui per eundem datur, cor lapideum aufert, et dat cor carneum. Atque licet ex nolen-



Digitized by Google

tibus quae recta sunt, volentes faciat, et ex volentib. prava, nolentes reddat, voluntati nihilominus violentia nullam infert. Et nemo hac de causa, cum peccaverit, seipsum excusare potest, quasi nolens aut coactus peccaverit ob eam causam accusari non mereatur aut damnari.

### *De hominis iustificatione.*

Iustificatio ex sola fide Iesu Christi, eo sensu quo in Homilia de iustificatione explicatur, est certissima et saluberrima christianorum doctrina.

### *Opera ante iustificationem.*

Opera quae fiunt ante gratiam Christi, et Spiritus eius afflatum, cum ex fide Iesu Christi non prodeant, minime Deo grata sunt. Neque gratiam (ut multi vocant) de congruo merentur. Imo cum non sint facta ut Deus illa fieri voluit et praecepit, peccati rationem habere non dubitamus.

### *Opera Supererogationis.*

Opera quae Supererogationis appellant, non possunt sine arrogantia et impietate praedicari, nam illis declarant homines non tantum se Deo reddere quae tenentur, sed plus in eius gratiam facere quam deberent: cum aperte Christus dicat, Cum feceritis omnia quaecunque praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus.

### *Nemo praeter Christum est sine peccato.*

Christus in nostrae naturae veritate, per omnia similis factus est nobis, excepto peccato, a quo prorsus erat immunis, tum in carne tum in spiritu. Venit ut agnus absque macula esset, qui mundi peccata per immolationem sui semel factam tolleret: et peccatum (ut inquit Ioannes) in eo non erat: sed nos reliqui etiam baptizati, et in Christo regenerati, in multis tamen offendimus omnes, et si dixerimus quia peccatum non habemus, non ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.

### *De peccato in spiritum sanctum.*

Non omne peccatum mortale post baptismum voluntarie perpetratum, est peccatum in spiritum sanctum et irremissibile: proinde lapsis a baptismo in peccata, locus poenitentiae non est negandus. Post acceptum spiritum sanctum possumus a gratia data recedere atque peccare, denuoque per gratiam Dei resurgere ac resipiscere. Ideoque illi damnandi sunt, qui se quamdiu hic vivant, amplius non posse peccare affirmant, aut vere resipiscentibus poenitentiae locum denegant.

Digitized by Google

*Blasphemia in spiritum sanctum.*

Blasphemia in spiritum sanctum, est cum quis verborum Dei manifeste perceptam veritatem, ex malitia et obfirmatione animi, convicijs insectatur, et hostiliter insequitur. Atque huiusmodi, quia maledicto sunt obnoxij, gravissimo sese adstringunt sceleri. Unde peccati hoc genus Irremissibile a Domino appellatur, et affirmatur.

*De praedestinatione et electione.*

Praedestinatio ad vitam, est aeternum Dei propositum, quo ante iacta mundi fundamenta suo consilio, nobis quidem occulto, constanter decrevit eos quos elegit ex hominum genere, a maledicto et exitio liberare, atque ut vasa in honorem efficta, per Christum ad aeternam salutem adducere: unde qui tam praeclaro Dei beneficio sunt donati, illi spiritu eius, opportuno tempore operante, secundum propositum eius vocantur, vocationi per gratiam parent, iustificantur gratis, adoptantur in filios, unigeniti Iesu Christi imagini efficiuntur conformes, in bonis operibus sancte ambulant, et demum ex Dei misericordia pertingunt ad sempiternam felicitatem.

Quemadmodum praedestinationis et electionis nostrae in Christo pia consideratio, dulcis, suavis, et ineffabilis consolationis plena est vere pijs et his qui sentiunt in se vim spiritus Christi, facta carnis et membra quae adhuc sunt super terram mortificantem, animumque ad coelestia et superna rapientem, tum quia fidem nostram de aeterna salute consequenda per Christum, plurimum stabilit atque confirmat, tum quia amorem nostrum in Deum vehementer accendit: Ita hominibus curiosis, carnalibus, et spiritu Christi destitutis, ob oculos perpetuo versari praedestinationis Dei sententiam, perniciosissimum est praecipitium, unde illos diabolus pertrudit vel in desperationem, vel in aeque perniciosam impurissimae vitae securitatem. Deinde licet praedestinationis decreta sunt nobis ignota, promissiones tamen divinas sic amplecti oportet, ut nobis in sacris literis generaliter propositae sunt: et Dei voluntas in nostris actionibus ea sequenda est, quam in verbo Dei habemus diserte revelatam.

*Tantum in nomine Christi speranda est aeterna salus.*

Sunt et illi anathematizandi qui dicere audent, unumquemque in lege aut secta quam profitetur esse servandum, modo iuxta illam et lumen naturae accurate vixerit: cum sacrae literae tantum Iesu Christi nomen praedicent, in quo salvos fieri homines oporteat.

*Omnes obligantur ad moralia legis praecepta servanda.*

Lex a Deo data per Mosen, licet quo ad caeremonias et ritus, christianos non astringat, neque civilia eius praecepta in ali-



Digitized by Google

qua Republica necessario recipi debeant, nihilominus ab obedientia mandatorum quae Moralia vocantur nullus quantumvis christianus est solutus: quare illi non sunt audiendi, qui sacras literas tantum infirmis datas esse perhibent, et spiritum perpetuo iactant, a quo sibi quae praedicant suggeri asserunt, quauquam cum sacris litteris apertissime pugnent.

### *De Ecclesia.*

Ecclesia Christi, visibilis est coetus fidelium, in quo verbum Dei purum praedicatur, et sacramenta quoad ea quae necessario exiguntur, iuxta Christi institutum recte administrantur.

Sicut erravit ecclesia Hierosolymitana, Alexandrina, et Antiochena, ita et erravit ecclesia Romana, non solum quoad agenda et caeremoniarum ritus, verum in his etiam quae credenda sunt.

### *De Ecclesiae authoritate.*

Ecclesiae non licet quicquam instituere, quod verbo Dei scripto adversetur: neque unum scripturae locum sic exponere potest, ut alteri contradicat: quare licet ecclesia sit divinorum librorum testis et conservatrix, attamen ut adversus eos nihil decernere, ita praeter illos nihil credendum de necessitate salutis debet obtrudere.

### *De authoritate conciliorum generalium.*

Generalia concilia sine iussu et voluntate Principum congregari non possunt: et ubi convenerint, quia ex hominibus constant, qui non omnes spiritu et verbis Dei reguntur, et errare possunt, et interdum errarunt, etiam in his quae ad normam pietatis pertinent: ideo quae ab illis constituuntur, ut ad salutem necessaria, neque robur habent neque autoritatem, nisi ostendi possint e sacris literis esse desumpta.

### *De Purgatorio.*

Scholasticorum doctrina de purgatorio, de Indulgentijs, de veneratione et adoratione tum Imaginum tum reliquiarum, necnon de invocatione sanctorum, res est futilis, inaniter conficta, et nullis scripturarum testimonijs innititur, imo verbo Dei perniciose contradicit.

### *Nemo in Ecclesia ministret nisi vocatus.*

Non licet cuiquam sumere sibi munus publice praedicandi, aut administrandi Sacramenta in Ecclesia, nisi prius fuerit ad haec obeunda legitime vocatus, et missos existimare debemus, qui per homines, quibus potestas vocandi ministros atque mittendi in vineam Domini publice concessa est in ecclesia, cooptati fuerint et asciti in hoc opus.

Digitized by Google

*Agendum est in ecclesia lingua quae sit populo nota.*

Decentissimum est et verbo Dei maxime congruit, ut nihil in ecclesia publice legatur aut recitetur lingua populo ignota: Idque Paulus fieri vetuit, nisi adesset qui interpretaretur.

*De Sacramentis.*

Dominus noster Iesus Christus sacramentis numero paucissimis, observatu facillimis, significatione praestantissimis, societatem novi populi colligavit, sicuti est Baptismus et Coena Domini.

Sacramenta non instituta sunt a Christo ut spectarentur aut circumferrentur, sed ut rite illis uteremur: et in his duntaxat qui digne percipiunt, salutarem habent effectum, idque non ex opere (ut quidem loquuntur) operato, quae vox ut peregrina est et sacris literis ignota, sic parit sensum minime pium, sed admodum superstitiosum: qui vero indigne percipiunt, damnationem (ut inquit Paulus) sibijpsis acquirunt.

Sacramenta per verbum Dei instituta, non tantum sunt notae professionis christianorum, sed certa quaedam potius testimonia et efficatia signa gratiae, atque bonae in nos voluntatis Dei, per quae invisibiliter ipse in nobis operatur, nostramque fidem in se non solum excitat verum etiam confirmat.

*Ministrorum malitia non tollit efficatiam institutionum divinarum.*

Quamvis in ecclesia visibili, bonis mali sint semper admixti, atque interdum ministerio verbi et sacramentorum administrationi praesint, tamen cum non suo sed Christi nomine agant, eiusque mandato et authoritate ministrent, illorum ministerio uti licet, cum in verbo Dei audiendo, tum in sacramentis percipiendis: neque per illorum malitiam effectus institutorum Christi tollitur, aut gratia donorum Dei minuitur, quoad eos qui fide et rite sibi oblatata percipiunt, quae propter institutionem Christi et promissionem efficatia sunt, licet per malos administrentur.

Ad Ecclesiae tamen disciplinam pertinet, ut in eos inquiratur accusenturque ab hijs, qui eorum flagitia noverint, atque tandem iusto convicti iuditio, deponantur.

*De Baptismo.*

Baptismus, non est tantum signum professionis, ac discriminis nota, qua Christiani a non Christianis discernuntur, sed etiam est signum regenerationis, per quod tanquam per instrumentum recte Baptismum suscipientes Ecclesiae inseruntur, promissiones de remissione peccatorum atque adoptione nostra in filios Dei per Spiritum Sanctum visibiliter obsignantur, fides confirmatur, et vi divinae invocationis, gratia augetur. Mos Ecclesiae baptizandi parvulos et laudandus est, et omnino in Ecclesia retinendus.

Digitized by Google

### *De Coena Domini.*

Coena Domini non est tantum signum mutuae benevolentiae christianorum inter sese, verum potius est sacramentum nostrae per mortem Christi redemptionis. Atque adeo rite, digne et cum fide sumentibus, panis quem frangimus est communicatio corporis Christi: Similiter poculum benedictionis, est communicatio sanguinis Christi.

Panis et vini transubstantiatio in Eucharistia, ex sacris literis probari non potest, sed apertis scripturae verbis adversatur, et multarum superstitionum dedit occasionem.

Quum naturae humanae veritas requirat, ut unius eiusdemque hominis corpus in multis locis simul esse non possit, sed in uno aliquo et definito loco esse oporteat, idcirco Christi corpus, in multis et diversis locis, eodem tempore, praesens esse non potest. Et quoniam, ut tradunt sacrae literae, Christus in coelum fuit sublatus, et ibi usque ad finem seculi est permansurus, non debet quisquam fidelium carnis eius et sanguinis Realem et Corporalem (ut loquuntur) praesentiam in Eucharistia vel credere vel profiteri.

Sacramentum Eucharistiae ex institutione Christi non servabatur, circumferebatur, elevabatur, nec adorabatur.

### *De unica Christi oblatione in cruce perfecta.*

Oblatio Christi semel facta, perfecta est redemptio, propitiatio et satisfactio pro omnibus peccatis totius mundi, tam originalibus quam actualibus: neque praeter illam unicam est ulla alia pro peccatis expiatio. Unde Missarum sacrificia, quibus vulgo dicebatur, sacerdotem offerre Christum in remissionem poenae aut culpae pro vivis et defunctis, figmenta sunt, et pernitiosae imposturae.

### *Coelibatus ex verbo Dei praecipitur nemini.*

Episcopis, presbyteris et diaconis non est mandatum ut coelibatum voveant: neque iure divino coguntur matrimonio abstinere.

### *Excommunicati vitandi sunt.*

Qui per publicam Ecclesiae denuntiationem rite ab unitate ecclesiae praecisus est et excommunicatus, is ab universa fidelium multitudine, donec per poenitentiam publice reconciliatus fuerit, arbitrio iudicis competentis, habendus est tanquam Ethnicus et Publicanus.

### *Traditiones Ecclesiasticae.*

Traditiones atque caeremonias easdem non omnino necessarium est esse ubique, aut prorsus consimiles, nam et variae sem-

Digitized by Google

per fuerunt, et mutari possunt pro Regionum et morum diversitate, modo nihil contra Dei verbum instituatur.

Traditiones et caeremonias ecclesiasticas quae cum verbo Dei non pugnant, et sunt authoritate publica institutae atque probatae, quisquis privato consilio volens et data opera publice violaverit, ut is quis peccat in publicum ordinem ecclesiae, quique laedit authoritatem magistratus, et qui infirmorum fratrum conscientias vulnerat, publice, ut caeteri timeant, arguendus est.

### *Homiliae.*

Homiliae nuper ecclesiae Anglicanae per iniunctiones Regias traditae atque commendatae, piae sunt atque salutares, doctrinamque ab omnibus amplectendam continent: quare populo diligenter, expedite clareque recitandae sunt.

### *De libro Praecationum et caeremoniarum Ecclesiae Anglicanae.*

Liber qui nuperrime auctoritate Regis et Parliamenti Ecclesiae Anglicanae traditus est, continens modum et formam orandi, et sacramenta administrandi in ecclesia Anglicana: Similiter et libellus eadem authoritate editus de ordinatione ministrorum ecclesiae, quoad doctrinae veritatem, pij sunt et salutari doctrinae evangelij in nullo repugnant sed congruunt, et eandem non parum promovent et illustrant, atque ideo ab omnibus ecclesiae Anglicanae fidelibus membris, et maxime a ministris verbi, cum omni promptitudine animorum et gratiarum actione recipiendi, approbandi, et populo Dei commendandi sunt.

### *De civilibus Magistratibus.*

Rex Angliae est supremum caput in terris post Christum ecclesiae Anglicanae et Hibernicae.

Romanus Pontifex nullam habet iurisdictionem in hoc regno Angliae.

Magistratus civilis est a Deo ordinatus atque probatus, quamobrem illi non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam obediendum est.

Leges civiles possunt Christianos propter capitalia et gravia crimina morte punire.

Christianis licet ex mandato magistratus arma portare, et iusta bella administrare.

### *Christianorum bona non sunt communia.*

Facultates et bona christianorum non sunt communia, quoad ius et possessionem, ut quidam anabaptistae falso iactant, debet tamen quisque de his quae possidet, pro facultatum ratione, pauperibus eleemosynas benigne distribuere.

Digitized by Google

### *Licet christianis iurare.*

Quemadmodum iuramentum vanum et temerarium a Domino nostro Iesu Christo et ab Apostolo eius Iacobo christianis hominibus interdictum esse fatemur, ita Christianam religionem minime prohibere censemus, quin iubente magistratu, in causa fidei et charitatis iurare liceat, modo id fiat iuxta Prophetae doctrinam, in iustitia, in iudicio et veritate.

### *Resurrectio mortuorum nondum est facta.*

Resurrectio mortuorum non adhuc facta est, quasi tantum ad animum pertineat, qui per Christi gratiam a morte peccatorum excitetur, sed extremo die quoad omnes qui obierunt, expectanda est: tunc enim vita defunctis (ut scripturae manifestissime testantur) propria corpora, carnes et ossa restituentur, ut homo integer, prout vel recte vel perdite vixerit, iuxta sua opera, sive praemia sive poenas reportet.

### *Defunctorum animae neque cum corporibus intereunt, neque otiose dormiunt.*

Qui animas defunctorum praedicant usque ad diem iudicij absque omni sensu dormire, aut illas asserunt una cum corporibus mori, et extrema die cum illis excitandas, ab orthodoxa fide, quae nobis sacris literis traditur, prorsus dissentiunt.

### *Millenarij.*

Qui millenariorum fabulam revocare conantur, sacris literis adversantur et in Iudaica deliramenta sese praecipitant.

### *Non omnes tandem servandi sunt.*

Hij quoque damnatione digni sunt, qui conantur hodie perniciosam opinionem instaurare, quod omnes, quantumvis impij, servandi sunt tandem, cum definito tempore a iustitia divina poenas de admissis flagitijs luerunt.

---

Digitized by Google

## 4.

# ANGLICANA CONFESSIO FIDEI,

IN ARTICULIS DE QUIBUS CONVENIT INTER ARCHIEPISCOPOS et Episcopos utriusque provinciae et Clerum universum: in Synodo Londinensi, anno Domini 1562, ad tollendam opinionum dissensionem, et ad consensum in vera Religione firmandum.

### *De Fide In Sacrosanctam Trinitatem.*

I. Unus est vivus et verus Deus, aeternus, incorporeus, impartibilis, impassibilis, immensae potentiae, sapientiae, ac bonitatis: creator et conservator omnium tum visibilium, tum invisibilium. Et in unitate huius divinae naturae tres sunt personae, eiusdem essentiae, potentiae ac aeternitatis, *Pater*, *Filius*, et *Spiritus sanctus*.

### *De Verbo, sive Filio Dei qui verus homo factus est.*

II. Filius qui est Verbum patris, ab aeterno a patre genitus, verus et aeternus Deus, ac patri consubstantialis in utero beatae Virginis, ex illius substantia naturam humanam assumpsit, ita ut *duae naturae*, divina et humana integre atque perfecte in unitate personae fuerint inseparabiliter coniunctae, ex quibus est unus Christus verus Deus et verus homo, qui vere passus est, crucifixus, mortuus et sepultus, ut patrem nobis reconciliaret, essetque hostia, non tantum pro culpa originis, verum etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis.

### *De descensu Christi ad inferos.*

III. Quemadmodum Christus pro nobis mortuus est et sepultus, ita est etiam credendus ad inferos descendisse.

### *De Resurrectione Christi.*

IV. Christus vere a mortuis resurrexit, suumque corpus cum carne, ossibus, omnibusque ad integritatem humanae naturae pertinentibus, recepit, cum quibus in coelum ascendit, ibique residet quoad extremo die ad iudicandos homines reversurus sit.

Digitized by Google

### *De Spiritu sancto.*

V. Spiritus sanctus, a patre et filio procedens, eiusdem est cum patre et filio essentiae, maiestatis et gloriae, verus ac aeternus Deus.

### *De divinis Scripturis quod sufficiant ad salutem.*

VI. Scriptura sacra continet omnia quae ad salutem sunt necessaria, ita ut quicquid in ea nec legitur, nec inde probari potest, nou sit a quoquam exigendum, ut tanquam articulus fidei credatur, aut ad salutis necessitatem requiri putetur.

Sacrae scripturae nomine eos *Canonicos libros* veteris et novi Testamenti intelligimus, de quorum authoritate in Ecclesia nunquam dubitatum est.

### *De nominibus et numero librorum sacrae Canonicae Scripturae veteris Testamenti.*

| | |
|---|---|
| Genesis. | Ruth. |
| Exodus. | Prior liber Samuelis. |
| Leviticus. | Secundus liber Samuelis. |
| Numeri. | Prior lib. Regum. |
| Deuteron. | Secundus liber Regum. |
| Prior liber Paralipomenon. | Liber Iob. |
| Secundus liber Paralipomenon. | Psalmi. |
| Primus liber Esdrae. | Proverbia. |
| Secundus liber Esdrae. | Ecclesiastes vel Concionator. |
| Liber Esther. | Cantica Salomonis. |
| Iosuae. | 4 Prophetae maiores. |
| Iudicum. | 12 Prophetae minores. |

Alios autem libros (ut ait *Hieronymus*) legit quidem Ecclesia, ad exempla vitae et formandos mores, illos tamen ad dogmata confirmanda non adhibet, ut sunt,

| | |
|---|---|
| Tertius liber Esdrae. | Baruch Propheta. |
| Quartus liber Esdrae. | Canticum trium puerorum. |
| Liber Tobiae. | Historia Susannae. |
| Liber Iudith. | De Bel et Dracone. |
| Reliquum libri Esther. | Oratio Manasses. |
| Liber Sapientiae. | Prior liber Machabaeor. |
| Liber Iesu filii Sirach. | Secundus liber Machab. |

*Novi Testamenti* omnes libros (ut vulgo recepti sunt) recipimus et habemus pro Canonicis.

### *De veteri Testamento.*

VII. Testamentum vetus novo contrarium non est, quandoquidem tam in veteri quam in novo per Christum, qui unicus est

Digitized by Google

mediator Dei et hominum, Deus et homo, aeterna vita humano generi est proposita. Quare male sentiunt qui veteres tantum in promissiones temporarias sperasse confingunt. Quanquam lex a Deo data per Mosen (quoad ceremonias et ritus) Christianos non astringat, neque civilia eius praecepta in aliqua republica necessario recipi debeant, nihilominus tamen ab obedientia mandatorum (quae moralia vocantur) nullus quantumvis Christianus est solutus.

### *De tribus Symbolis.*

VIII. Symbola tria, *Nicenum*, *Athanasii*, et quod vulgo Apostolorum appellatur, omnino recipienda sunt, et credenda: nam firmissimis Scripturarum testimoniis probari possunt.

### *De peccato originali.*

IX. *Peccatum originis* non est (ut fabulantur *Pelagiani*) in imitatione Adami situm, sed est vitium et depravatio naturae cuiuslibet hominis ex Adamo naturaliter propagati, qua fit ut ab originali iustitia quam longissime distet, ad malum sua natura propendeat, et caro semper adversus spiritum concupiscat, unde in unoquoque nascentium iram Dei atque damnationem meretur. Manet in renatis haec naturae depravatio: qua fit ut affectus carnis, (Graeci φρόνημα σαρκός, quod alii sapientiam, alii sensum, alii affectum, alii studium carnis interpretantur) legi Dei non subiiciatur. Et quanquam renatis et credentibus nulla propter Christum est condemnatio, peccati tamen in sese rationem habere concupiscentiam, fatetur Apostolus.

### *De libero Arbitrio.*

X. Ea est hominis post lapsum Adae conditio, ut sese naturalibus suis viribus et bonis operibus ad fidem et invocationem Dei convertere ac praeparare non possit. Quare absque gratia Dei quae per Christum est nos praeveniente ut velimus, et cooperante dum volumus ad pietatis opera facienda, quae Deo grata sunt et accepta, nihil valemus.

### *De hominis iustificatione.*

XI. Tantum propter meritum Domini ac Servatoris nostri Iesu Christi per fidem, non propter opera et merita nostra, iusti coram Deo reputamur. Quare sola fide nos iustificari doctrina est saluberrima, ac consolationis plenissima, ut in homilia de iustificatione hominis fusius explicatur.

### *De bonis operibus.*

XII. Bona opera quae sunt fructus fidei et iustificatos sequuntur, quanquam peccata nostra expiare et divini iudicii severitatem

Digitized by Google

ferre non possunt, Deo tamen grata sunt et accepta in Christo atque ex vera et viva fide, necessario profluunt, ut plane ex illis aeque fides viva cognosci possit, atque arbor ex fructu iudicari.

*De operibus ante iustificationem.*

XIII. Opera quae fiunt ante gratiam Christi, et Spiritus eius afflatum, cum ex fide Iesu Christi non prodeant minime Deo grata sunt, neque gratiam (ut multi vocant) de congruo merentur. Immo cum non sint facta ut Deus illa fieri voluit et praecepit, peccati rationem habere non dubitamus.

*De operibus supererogationis.*

XIV. Opera quae *supererogationis* appellant, non possunt sine arrogantia, et impietate praedicari. Nam illis declarant homines non tantum se Deo reddere quae tenentur, sed plus in eius gratiam facere, quam deberent, cum aperte Christus dicat, *Cum feceritis omnia quaecunque praecepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus.*

*De Christo qui solus est sine peccato.*

XV. Christus in nostrae naturae veritate per omnia similis factus est nobis, excepto peccato, a quo prorsus erat immunis, tum in carne, tum in spiritu. Venit ut agnus absque macula, qui mundi peccata per immolationem sui semel factam tolleret, *et peccatum* (ut inquit Iohannes) *in eo non erat:* sed nos reliqui etiam baptizati, et in Christo regenerati, in multis tamen offendimus omnes. Et si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.

*De peccato post Baptismum.*

XVI. Non omne peccatum mortale post Baptismum voluntarie perpetratum, est peccatum in Spiritum sanctum, et irremissibile. Proinde lapsis Baptismo in peccata, locus poenitentiae non est negandus: post acceptum Spiritum sanctum possumus a gratia data recedere, atque peccare: denuoque per gratiam Dei resurgere, ac resipiscere: ideoque illi damnandi sunt qui se quandiu hic vivant, amplius non posse peccare affirmant, aut vere resipiscentibus veniae locum denegant.

*De Praedestinatione et Electione.*

XVII. Praedestinatio ad vitam est aeternum Dei propositum, quo ante iacta mundi fundamenta suo consilio, nobis quidem occulto, constanter decrevit, eos quos in Christo elegit ex hominum genere a maledicto et exitio liberare, atque (ut vasa in honorem efficta) per Christum ad aeternam salutem adducere. Undo qui

Digitized by Google

tam praeclaro Dei beneficio sunt donati, illi spiritu eius, opportuno tempore operante, secundum propositum eius vocantur, vocationi per gratiam parent, iustificantur gratis, adoptantur in filios Dei, unigeniti eius Iesu Christi imagini efficiuntur conformes, in bonis operibus sancte ambulant, et demum ex Dei misericordia pertingunt ad sempiternam felicitatem.

Quemadmodum praedestinationis et electionis nostrae in Christo pia consideratio, dulcis, suavis et ineffabilis consolationis plena est vere piis, et iis qui sentiunt in se vim spiritus Christi, facta carnis et membra quae adhuc sunt super terram mortificantem, animumque ad coelestia et superna rapientem: tum quia fidem nostram de aeterna salute consequenda per Christum plurimum stabilit atque confirmat, tum quia amorem nostrum in Deum vehementer accendit: Ita hominibus curiosis, carnalibus, et Spiritu Christi destitutis ob oculos perpetuo versari praedestinationis Dei sententiam, perniciosissimum est praecipitium, unde illos diabolus protrudit vel in desperationem, vel in aeque perniciosam impurissimae vitae securitatem. Deinde promissiones divinas sic amplecti oportet, ut nobis in sacris literis generaliter propositae sunt, et Dei voluntas in nostris actionibus ea sequenda est quam in verbo Dei habemus diserte revelatam.

### *De speranda aeterna salute tantum in nomine Christi.*

XVIII. Sunt et illi anathematizandi qui dicere audent unumquenque in lege aut secta, quam profitetur, esse servandum, modo iuxta illam et lumen naturae accurate vixerit, cum sacrae literae tantum Iesu Christi nomen praedicent, in pro salvos fieri homines oporteat.

### *De Ecclesia.*

XIX. Ecclesia Christi visibilis est coetus fidelium, in quo verbum Dei purum praedicatur, et Sacramenta, quoad ea quae necessario exiguntur, iuxta Christi institutum recte administrantur. Sicut erravit Ecclesia *Hierosolymitana*, *Alexandrina*, et *Antiochena*: ita et erravit Ecclesia *Romana*, non solum quoad agenda, et ceremoniarum ritus, verum in iis etiam quae credenda sunt.

### *De Ecclesiae authoritate.*

XX. Ecclesiae non licet quicquam instituere quod verbo Dei adversetur, neque unum Scripturae locum sic exponere potest, ut alteri contradicat. Quare licet Ecclesia sit divinorum librorum testis, et conservatrix, attamen ut adversus eos nihil decernere, ita praeter illos, nihil credendum de necessitate salutis debet obtrudere.

Digitized by Google

### *De authoritate Conciliorum generalium.*

XXI. Generalia Concilia sine iussu et voluntate principum congregari non possunt, et ubi convenerint, quia ex hominibus constant, qui non omnes spiritu et verbo Dei reguntur, et errare possunt, et interdum errarunt etiam in his quae ad normam pietatis pertinent: ideoque quae ab illis constituuntur, ut ad salutem necessaria, neque robur habent neque authoritatem, nisi ostendi possint e sacris literis esse desumpta.

### *De Purgatorio.*

XXII. Doctrina Romanensium de Purgatorio, de indulgentiis, de veneratione et adoratione tum imaginum, tum reliquiarum, nec non de invocatione Sanctorum, res est futilis, inaniter conficta, et nullis Scripturarum testimoniis innititur, imo verbo Dei contradicit.

### *De vocatione Ministrorum.*

XXIII. Non licet cuiquam sumere sibi munus publice praedicandi, aut administrandi Sacramenta in Ecclesia, nisi prius fuerit ad haec obeunda legitime vocatus et missus. Atque illos legitime vocatos et missos existimare debemus, qui per homines, quibus potestas vocandi Ministros atque mittendi in vineam Domini publice concessa est in Ecclesia, coaptati fuerint, et asciti in hoc opus.

### *De precibus publicis dicendis in lingua vulgari.*

XXIV. Lingua populo non intellecta publicas in Ecclesia preces peragere, aut Sacramenta administrare, verbo Dei et primitivae Ecclesiae consuetudini plane repugnat.

### *De Sacramentis.*

XXV. Sacramenta a Christo instituta, non tantum sunt notae professionis Christianorum, sed certa quaedam potius testimonia, et efficacia signa gratiae atque bonae in nos voluntatis Dei, per quae invisibiliter ipse in nos operatur, nostramque fidem in se non solum excitat, verum etiam confirmat.

Duo a Christo Domino nostro in Evangelio instituta sunt Sacramenta, scilicet: *Baptismus*, et *Coena Domini*.

Quinque illa vulgo nominata Sacramenta: scilicet *confirmatio*, *poenitentia*, *ordo*, *matrimonium*, et *extrema unctio*, pro Sacramentis Evangelicis habenda non sunt, ut quae partim a prava Apostolorum imitatione profluxerunt, partim vitae status sunt in Scipturis quidem probati: sed Sacramentorum eandem cum Baptismo et Coena Domini rationem non habentes, ut quae signum aliquod visibile seu ceremoniam a Deo institutam non habeant.

Digitized by Google

Sacramenta non in hoc instituta sunt a Christo ut spectarentur, aut circumferrentur, sed ut rite illis uteremur, et in iis duntaxat qui *digne* percipiunt salutarem habent effectum: qui vero indigne percipiunt, damnationem (ut inquit Paulus) sibi ipsis acquirunt.

### *De vi institutionum divinarum, quod eam non tollat malitia hominum.*

XXVI. Quanvis in Ecclesia visibili, bonis mali semper sunt admixti, atque interdum ministerio verbi, et Sacramentorum administrationi praesint: tamen cum non suo, sed Christi nomine agant, eiusque mandato, et authoritate ministrent, illorum ministerio uti licet, cum in verbo Dei audiendo, tum in Sacramentis percipiendis. Neque per illorum malitiam effectus institutorum Christi tollitur, aut gratia donorum Dei minuitur, quoad eos qui fide et rite sibi oblata percipiunt, quae propter institutionem Christi et promissionem efficacia sunt, licet per malos administrentur.

Ad Ecclesiae tamen disciplinam pertinet, ut in malos ministros inquiratur, accusenturque ab his qui eorum flagitia noverint, atque tandem iusto convicti iudicio deponantur.

### *De Baptismo.*

XXVII. Baptismus non est tantum professionis signum ac discriminis nota, qua Christiani a non Christianis discernantur, sed etiam est signum regenerationis, per quod tanquam per instrumentum recte Baptismum suscipientes, Ecclesiis inseruntur, promissiones de remissione peccatorum atque adoptione nostra in filios Dei per Spiritum sanctum visibiliter obsignantur, fides confirmatur, et vi divinae invocationis gratia augetur.

*Baptismus parvulorum* omnino in Ecclesia retinendus est, ut qui cum Christi institutione optime congruat.

### *De Coena Domini.*

XXVIII. Coena Domini non est tantum signum mutuae benevolentiae Christianorum inter sese, verum potius est Sacramentum nostrae per mortem Christi redemptionis.

Atque adeo rite digne et cum fide sumentibus, panis quem frangimus est communicatio corporis Christi: similiter poculum benedictionis est communicatio sanguinis Christi.

Panis et vini *transsubstantiatio* in Eucharistia ex sacris literis probari non potest, sed apertis Scripturae verbis adversatur, Sacramenti naturam evertit, et multarum superstitionum dedit occasionem.

Corpus Christi datur, accipitur, et manducatur in Coena,

Digitized by Google

*tantum coelesti et spirituali ratione.* Medium autem quo corpus Christi accipitur et manducatur in Coena fides est.

Sacramentum Eucharistiae ex institutione Christi non servabatur, circumferebatur, elevabatur, nec adorabatur.

### *De manducatione corporis Christi, et impios illud non manducare.*

XXIX. Impii et fide viva destituti licet carnaliter, et visibiliter (ut *Augustinus* loquitur) corporis et sanguinis Christi Sacramentum dentibus premant, nullo tamen modo Christi participes efficiuntur; sed potius tantae rei Sacramentum seu symbolum ad iudicium sibi manducant et bibunt.

### *De utraque specie.*

XXX. Calix Domini Laicis non est denegandus, utraque enim pars dominici sacramenti ex Christi institutione et praecepto omnibus Christianis ex aequo administrari debet.

### *De unica Christi oblatione in cruce perfecta.*

XXXI. Oblatio Christi semel facta perfecta est redemptio, propitiatio, et satisfactio pro omnibus peccatis totius mundi tam originalibus quam actualibus. Neque praeter illam unicam est ulla alia pro peccatis expiatio: unde Missarum sacrificia quibus vulgo dicebatur sacerdotem offerre Christum in remissionem poenae aut culpae pro vivis et defunctis, blasphema figmenta sunt et perniciosae imposturae.

### *De coniugio Sacerdotum.*

XXXII. Episcopis, Presbyteris, et Diaconis nullo mandato divino praeceptum est ut aut coelibatum voveant, aut a matrimonio abstineant. Licet igitur etiam illis, ut caeteris omnibus Christianis, ubi hoc ad pietatem magis facere iudicaverint, pro suo arbitratu matrimonium contrahere.

### *De excommunicatis vitandis.*

XXXIII. Qui per publicam Ecclesiae denunciationem rite ab unitate Ecclesiae praecisus est et excommunicatus, is ab universa fidelium multitudine (donec per poenitentiam publice reconciliatus fuerit, arbitrio Iudicis competentis) habendus est tanquam ethnicus est publicanus.

### *De traditionibus Ecclesiasticis.*

XXXIV. Traditiones atque ceremonias easdem non omnino necessarium est esse ubique aut prorsus consimiles: nam ut va-

Digitized by Google

riae semper fuerunt, et mutari possunt pro regionum, temporum, et morum diversitate, modo nihil contra verbum Dei instituatur.

Traditiones et ceremonias Ecclesiasticas, quae cum verbo Dei non pugnant, et sunt authoritate publica institutae atque probatae, quisquis privato consilio volens, et data opera, publice violaverit, is, ut qui peccat in publicum ordinem Ecclesiae, quique laedit authoritatem magistratus, et qui infirmorum fratrum conscientias vulnerat, publice ut caeteri timeant, arguendus est.

Quaelibet *Ecclesia particularis* sive *nationalis*, authoritatem habet instituendi, mutandi, aut abrogandi ceremonias, aut ritus Ecclesiasticos, humana tantum authoritate institutos: modo omnia ad aedificationem fiant.

## *De Homiliis.*

XXXV. Tomus secundus *Homiliarum*, quarum singulos titulos huic articulo subiunximus, continet piam et salutarem doctrinam, et his temporibus necessariam non minus quam prior tomus Homiliarum, quae editae sunt tempore *Eduuardi sexti*: itaque eas in Ecclesiis per ministros diligenter et clare ut a populo intelligi possint recitandas esse iudicavimus.

## *De nominibus Homiliarum.*

*Of the right use of the church.* (De recto usu Ecclesiae.)
*Agaynst perill of Idolatrie.* (Contra periculum Idololatriae.)
*Of repairing and keping cleane of Churches.* (De reparatione et munditie Ecclesiarum s. templorum.)
*Of Good vvorkes.* (De bonis operibus.)
*First of Fastyng.* (De Ieiunio primo.)
*Agaynst gluctony and drunkennes.* (Contra voracitatem et ebrietatem.)
*Of the Nativitie of Christ.* (De Nativitate Christi.)
*Of the passion of Christ.* (De Passione Christi.)
*Of the resurrection of Christ.* (De Resurrectione Christi.)
*Of the vvhorthy rereiving of the Sacrament of the body and bloude of Christ.* (De digno usu Sacramenti corporis et sanguinis Christi.)
*Of the giftes of the holy ghost.* (De donis Spiritus Sancti.)
*Agaynst excesse of apparel.* (Contra luxum in vestitu et ornatu.)
*Of prayer.* (De precibus.)
*Of the place and time of prayer.* (De loco et tempore precum.)
*That common prayers and Sacramentes ought to be ministred in a knovvne tonge.* (De precibus publicis et Sacramentis lingua usitata administrandis.)
*Of the reverent estimation of Gods vvord.* (De debita verbi divini aestimatione et reverentia.)
*Of almesdoyng.* (De Eleemosynis.)



Digitized by Google

*Of the Rogation dayes.* (De Rogationum diebus.)
*Of the state of matrimonie.* (De Matrimonio.)
*Of repentance.* (De Resipiscentia.)
*Agaynst Idlenes.* (Contra otium.)
*Agaynst rebellion.* (Contra rebellionem.)

### *De Episcoporum et Ministrorum consecratione.*

XXXVI. Libellus de consecratione Archiepiscoporum et Episcoporum, et de ordinatione Presbyterorum et Diaconorum editus nuper temporibus Eduuardi sexti, et authoritate Parlamenti illis ipsis temporibus confirmatur, omnia ad eiusmodi consecrationem et ordinationem necessaria continet, et nihil habet quod ex se sit aut superstitiosum, aut impium: itaque quicunque iuxta ritus illius libri consecrati aut ordinati sunt, ab anno secundo praedicti regis Eduuardi, usque ad hoc tempus, aut in posterum iuxta eosdem ritus consecrabuntur aut ordinabuntur, rite atque ordine atque legitime statuimus esse et fore consecratos et ordinatos.

### *De civilibus Magistratibus.*

XXXVII. Regia maiestas in hoc Angliae regno ac caeteris eius dominiis *summam habet potestatem*, ad quam omnium statuum huius regni, sive illi Ecclesiastici sint, sive Civiles in omnibus causis suprema gubernatio pertinet, et nulli externae iurisdictioni est subiecta, nec esse debet.

Cum Regiae Maiestati summam gubernationem tribuimus, quibus titulis intelligimus animos quorundam calumniatorum offendi, *non damus Regibus nostris, aut verbi Dei, aut Sacramentorum administrationem*, quod etiam iniunctiones ab *Elizabetha* Regina nostra, nuper editae, apertissime testantur. Sed eam tantum praerogativam, quam in sacris Scripturis a Deo ipso, omnibus piis Principibus videmus semper fuisse attributam: hoc est, ut omnes status atque ordines fidei suae a Deo commissos, sive illi Ecclesiastici sint sive Civiles in officio contineant, et contumaces ac delinquentes gladio civili coërceant.

*Romanus Pontifex* nullam habet iurisdictionem in hoc regno Angliae.

Leges Regni possunt Christianos propter capitalia, et gravia crimina, morte punire.

Christianis licet ex mandato magistratus arma portare et iusta bella administrare.

### *De illicita bonorum communicatione.*

XXXVIII. Facultates et bona Christianorum non sunt communia, quoad ius et possessionem, (ut quidam *Anabaptistae* falso

Digitized by Google

iactant) debet tamen quisque de his, quae possidet, pro facultatum ratione, pauperibus eleemosynas benigne distribuere.

### *De Iureiurando.*

XXXIX. Quemadmodum iuramentum vanum et temerarium a Domino nostro Iesu Christo et Apostolo eius Iacobo, Christianis hominibus interdictum esse fatemur: ita Christianorum Religionem minime prohibere censemus, quin iubente magistratu in causa fidei et charitatis iurare liceat, modo id fiat iuxta Prophetae doctrinam in iustitia, in iudicio et veritate.

### *Confirmatio Articulorum.*

XL. Hic liber antedictorum articulorum iam denuo approbatus est per assensum et consensum Serenissimae Reginae Elizabethae Dominae nostrae, Dei gratia Angliae, Franciae, et Hiberniae Reginae, defensoris fidei etc. retinendus, et per totum Regnum Angliae exequendus. Qui Articuli et lecti sunt, et denuo confirmati subscriptione D. Archiepiscopi et Episcoporum superioris domus, et totius Cleri inferioris domus in Convocatione Anno Domini 1571.



Digitized by Google

5.

# REPETITIO BREVIS,

## SIMPLEX ET PERSPICUA ORTHODOXAE CONFESSIONIS,

QUAM

## AMPLECTUNTUR ECCLESIAE PRINCIPATUS ANHALTINI IN ALIQUOT ARTICULIS, INTER NONNULLOS HOC TEMPORE CONTROVERSIS.

ITEM

## DE MYSTERIO INCARNATIONIS VERBI

ET UNIONIS HYPOSTATICAE, CONTRA UBIQUITATEM, ET REALEM COMMUNICATIONEM IDIOMATUM,

*ASSERTIO CATHOLICA*

*EXTRUCTA SUPER FUNDAMENTUM S. LITERARUM, IUXTA CONSENSUM TOTIUS ORTHODOXAE ANTIQUITATIS, ET SCHOLASTICORUM SINCERIORUM, CUM QUIBUS CONSENTIT ET LUTHERUS, UBI HUNC LOCUM EX PROFESSO ET SOLIDE TRACTAT.*

### TYPOGRAPHUS LECTORI SALUTEM.

*Incidi forte fortuna in pagellas, recitantes Confessionem a Theologis Ecclesiae Anhaltinae, anno 79, mense Martio, in conventu Cassellano Theologis Hassis, ut intellexi, et legatis reliquis exhibitam. Quas cum vel hoc nomine maximopere non possem non probare, quod de summis fidei Christianae articulis sententias veras, atque orthodoxas non tantum perspicua brevitate, verum etiam debita cum modestia, et sine animorum acerbitate, omissis pungendi alios aculeis, pie recitari et rotunde explicari perspicerem: Visus mihi fui operae pretium facturus, si easdem typis illustrarem, et ut publici usus essent, in lucem ederem. Quanquam autem fieri posset, ut autores istius Confessionis hisce turbulentis temporibus editionem suspendi, et differri maluissent: tamen rogarim, ne moleste ferant, orthodoxae et Catholicae ve-*

Digitized by Google

*ritatis potiorem me rationem habuisse, quam ut ipsorum prius consensum de publicatione expetierim. Interest enim Ecclesiae, cuius civem esse, teste Basilio, unica laus est, veritatem omnibus modis illustrari: Nec video, quisnam iure offendi hac opera mea possit, cum autores ipsi sine praeiudicio omnium recte iudicantium censurae suas sententias pie subiiciant. Quinetiam exemplum tractandi arduum hoc religionis negotium ἀντὶ παθῶν, hinc alii capere poterunt: nedum nescio quo zelo inflammati, veritatis assertores videri volunt, occultam naturae feritatem prodant, atque ita veritatem caussae vel evertant feri, vel turpi caecorum affectuum impotentia polluant.*

*Sed te pie et candide Lector, pro aequitate, quae Christianos decet, etiam atque etiam rogatum volo, cum finem consilii atque instituti mei intelligas, sinistre ne accipias, quae dextre porrigo. Vale.*

*Anno Confessionis Catholicae.*

*SaLVator noster VerUs DeUs, et*
*VerUs hoMo est.*

---

## ANHALTINORUM PRAEFATIO.

*Gravissimum extat praeceptum Zachar. 8. quod inprimis Christianae fidei consortes obligat: ut veritatem et pacem colamus. Quemadmodum enim sine pace, seu consensu eorum, qui veram Dei agnitionem profitentur, non potest Ecclesiae congregatio durare, sed tristis tandem dissipatio sequitur: ita veritas, solidae pacis fundamentum est: et omnis pacificatio, spectans praesertim ad fidem et conscientiam, irrita esse solet, quae super veritate (solius autem Dei verbum est aeterna, et immota veritas) non extruitur.*

*Invocamus igitur Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, qui non tantum salutiferae pacis instaurator et autor est, sed etiam ipsa est via, veritas ac vita, ut sanctificet nos in veritate verbi sui: Et haec duo summa bona, puritatem incorruptam doctrinae Evangelii, piamque animorum consensionem, inter nos perpetuo tueatur ac conservet, et procul ab Ecclesia, quam sibi in hac mundi senecta colligit, diabolum mendacem et homicidam repellat.*

*Sicut autem has preces exaudiri a Filio Dei minime dubitamus, cum et ipse, ut summus noster sacerdos, ardentissima haec vota pro nobis faciat: Sancte Pater conserva eos in nomine tuo, quos Tu mihi dedisti, ut unum sint, sicut et nos unum sumus etc. Ita ne quis dubitet de studio nostro circa mutuum Christianae pacis vinculum, ut illud, quantum in nobis est, sartum tectum custodiamus, et quasi de manu in manum fideliter ad posteros propagemus, qua poterimus perspicuitate, et brevitate, recitabimus*

Digitized by Google

*summam doctrinae, quam Dei ineffabili gratia semel amplexi, ad extremum usque vitae halitum, Duce eiusdem Spiritu, pie et constanter retinebimus, inque eius confessione placide obdormiscentes, coelitus reversuro generis nostri Servatori hilari olim fronte obviam ibimus. Neque vero novam hic Confessionem proferemus, sed de praecipuis tantum articulis repetemus sententiam nostram, ab omnibus piis, inde usque ab initio repurgatae Evangelii doctrinae, imo quamdiu Ecclesia fuit, unanimi semper consensu, etsi aliis plus, aliis minus a Deo lucis contigit, agnitam et approbatam. Nemini tamen quicquam a nobis praescriptum volumus, neminem odio prosequimur, neminem pungimus, nedum ut quempiam damnemus. Liberum sane, per nos quidem, suum cuique iudicium esto. Uni enim, eidemque, cuius omnes servi sumus, stabit quisque, cadetve Domino. Tantum nobis etiam conscientiae maneat integra libertas, ut in nostris Ecclesiis, quae verbo Dei ἀνάλογα esse firmis adducti Scripturae testimoniis persuasum habemus, inventis et placitis hominum anteferre liceat.*

*Si quid autem, praeter nostram opinionem, obscurius adhuc videatur alicui, ne propterea in suspicionem, quisquis sit, rapiat quaesumus. Quin potius explicationem petat, ad quam pro mutua, quae inter Christianos vigere debet, caritate, nos ultro et prolixe, quoties opus fuerit, quam promptissimos et aequissimos offerimus. Interea Lectores oramus, ut in iudicando candorem, piis mentibus dignum, adhibeant. Omnes enim ex parte cognoscimus, et videre est, etiam optimos alioquin, ac doctissimos viros, alios aurum, argentum et gemmas: Alios ligna, stipulas et foenum uni illi, solidoque fundamento superaedificare. Scimus difficilem et periculosam esse veritatis confessionem, sed et cultum Deo gratum esse scimus, saepius repetere veram doctrinae explicationem, et nostra nostrorumque flagitat necessitas, ut in his turbis, et opinionum confusionibus, ob posteritatem praesertim, orthodoxae fidei testimonium perhibeamus. Cumque velit Deus, esse in Ecclesia iudices, ad tales viros, qui intelligunt controversias, seriamque veritatis investigationem cum pacis studio coniungunt, nec sophismatum praestigias amant, pie provocamus, ac talium colloquia exloptamus.*

*Postquam igitur, inenarrabili Dei Optimi Maximi beneficio, ux veritatis iam olim ex densissimis tenebris emersit, et inprimis Germaniae, patriae nostrae, illuxit, gratis mentibus hanc Dei erga nos clementiam praedicamus, et ingenue profitemur, nos aliam nec agnoscere, nec approbare seu fidem, seu religionem, quam quae Sacrae Scripturae Canoni, hoc est, scriptis Propheticis et Apostolicis, in nativo Spiritus sancti autoris intellectu, vere congruit. Hanc unicam fidei, cultuum, et morum amussim, hanc normam statuimus, ad quam, tanquam ad Lydium lapidem, omnia examinamus et probamus.*

*Quicquid igitur ab hac aeterna, et immota veritatis regula*

Digitized by Google

*discrepat, id sine respectu et affectu, in nullius hominis vel odium, vel gratiam repudiamus. Quicquid autem huic ἀνάλογον est, recipimus, memores severissimae obligationis: In praeceptis meis ambulate, Ne quid vel addideris, vel demeris. Hunc audite etc. Deinde, ut ab omnibus corruptelis, et fanaticorum opinionibus toto pectore abhorremus: Sic obviis ulnis amplexamur orthodoxae fidei explicationem in symbolis receptis, Apostolico, Niceno et Athanasiano, inque decretis Conciliorum, Antiocheni contra Samosatenum, Niceni contra Arium, Constantinopolitani contra Macedonium, Ephesini contra Nestorium, Chalcedonensis contra Eutychem, et similium, quae publico Ecclesiae calculo sunt approbata, dilucide comprehensam.*

*Tertio nominatim subscribimus Confessioni, invictissimo Imperatori Carolo V. Caesari Augusto, in comitiis Augustae anno Christi M. D. XXX. exhibitae, ut videlicet anno sequenti, una cum Apologia Witebergae in lucem est edita: utque paulo explicatior postea anno XL. iterata: et denique publico Saxonicarum Ecclesiarum nomine anno LI. ut Synodo Tridentinae exhiberetur, repetita fuit. Nullam enim in his diversitatem ad res ipsas et fundamentum fidei quod attinet agnoscimus, sed unam, eandemque Confessionem nostrarum Ecclesiarum toties iteratam, repetitam et illustratam esse, diserte affirmamus. Quam et Illustrissimi Electores, ac Principes, anno LXI. Numburgae sua manu subscriptam, non tantum unanimi consensu, tanquam fidei suae Symbolum approbarunt, verum etiam Caesareae Maiestati publico Protestantium nomine denuo exhibendam ablegarunt: Et in omnibus synodis, ac colloquiis, Maiores atque Praeceptores nostri, adversus Pontificios constanter professi sunt, ac pie defenderunt: et huc usque in omnium manibus publice ac privatim, Deus clementer conservavit. Nec potuit haec ipsa Confessionis Carolo V. semel exhibitae vel iteratio, vel repetitio, in foedere pacificationis Passaviensis non comprehendi, cum tum temporis sola fere extaret, et in omnium manibus versaretur.*

*Quarto grata mente approbamus orthodoxae fidei consensum, articulis Schmalcaldicis anno XXXVII. repetitum, et inprimis libellos Catecheticos Lutheri, cum quibus Corporis doctrinae Philippi Melanthonis divinum opus ita congruit, ut quasi florum verticem decerpat, et medullam repurgatae per Lutherum fidei illustri methodo proponat, inque communem omnium cuiuscunque captus usum mirabili simplicitate, et dexterrima perspicuitate transferat.*

*Inter caetera denique beneficia, quibus affatim Deus Optimus Maximus inclytum ducatum Anhaltinum cumulavit, nequaquam silentio praetereundum existimamus, quod ex illustrissima Ascaniorum familia, laudatissimum iam olim Principem Georgium statim sub renascentis Evangelii aurora excitavit, veritatis repurgatae testem, assertorem et Antistitem, ingeniique ubertate, iu-*

Digitized by Google

*dicii gravitate, zeli puritate, constantiae nobilitate, eloquentiae flumine, officii sedulitate, vitaeque sanctitate ornatissimum. Quale pietatis exemplum (absit invidia dicto) nulla praeter Ascaniorum familiam, allegare stirps illustris et Regia potest. Huius igitur tanti Theologi scripta plane aurea et Principe Christiano dignissima, quibus divinitus accensam fidei orthodoxae lucem non erubuit viva voce illustrare, et subditorum animis paterne instillare, adque posteros pie et feliciter propagare, debito reverentiae cultu veneramur. Cumque arctissimum eidem per totius vitae curriculum, non tantum cum Luthero, quo familiarissime usus est; sed vel maxime cum Philippo, quicum eiusdem aliquando calumniae virus expertus fuit, amicitiae foedus intercesserit: non admittimus inter haec Ecclesiae novissimi seculi lumina ullam, ad doctrinae fundamentum quod attinet, discrepantiae, nedum dissensionis suspicionem. Sed ut in illorum: ita etiam in huius divini Ascaniorum Esrae sapientissimis monumentis ita acquiescimus, ut omnia ipsorum dicta et scripta secundum fidei analogiam, ad sacrae Scripturae Canonem pie examinemus, dextre interpretemur, et fideliter amplexemur. Quemadmodum procul dubio nec aliter pro infucata, qua ceteris praeluxerunt, pietate sua, fuerunt affecti: nec in contrariam partem quicquam statuendi, pro gravi sua modestia, cogitationem ullam in animum induxerunt. Id quod iure aspergendum hic duximus, contra quorundam (nihil tamen cuiusquam existimationi detractum volumus) intemperiem, nescio quid pro quo excerpentium et mirabiles, ni mavis absurdissimas inde paradoxorum consequentias extruentium.*

*Ut autem unicam tantum agnoscimus normam, ad quam reliqua, sicut dictum est, omnia examinanda iudicamus: Ita magni quidem facimus, et tanquam singularia Ecclesiae lumina, colimus illos ipsos viros summos, Lutherum, Philippum, Georgium Anhaltinum, et horum similes, pietate, doctrina, zeloque excellentes: Quorum fideli ministerio suam Deus Ecclesiam, hoc novissimo mundi seculo, repurgavit et instauravit: Quorum etiam cum reverentia memoriam servamus, et praeclaris illorum lucubrationibus, ut iam dictum est, pie fruimur: sed ab unico tamen Iesu Christo, Salvatore nostro, Christiani denominari, et esse cupimus, cum nec alius, ut victima, pro nobis in crucem suffixus sit, nec in alterius nomen baptizati simus, et eam fidem, atque doctrinam, corde sincero, et clara voce profiteamur, quam ex solius Iesu Christi mandato Apostoli tradiderunt, Martyres roboraverunt, omnesque fideles in hunc usque diem constanter tuentur.*

*Haec itaque praefati, in nomine sanctae individuae Trinitatis, Dei patris, Filii et Spiritus sancti, iam accedimus ad explicandam simplicem fidei nostrae sententiam, de iis Christianae religionis capitibus, quae hodie in controversiam apud nonnullos venerunt. Iterum autem rogamus omnes Lectores, ut in iudicando*

Digitized by Google

*candorem adhibeant, convenientem iis, qui nobiscum se pretioso Iesu Christi sanguine redemptos pie gloriantur. Nequaquam enim augere dissidia cupimus, sed potius, si vel cum vitae nostrae dispendio praestare id possemus, sanare vulnera Ecclesiae, quantum in nobis est, studemus.*

*Ideoque breviter, et modeste, nostram sententiam repetemus: Doceri, ac cedere parati, si quisquam saniora et planiora, ex verbo Dei proferat.*

## I.

## DE PECCATO ORIGINIS.

De peccato originis perspicue affirmamus, nos retinere consensum verae Ecclesiae Dei, inde usque a primis Patribus, Prophetis et Apostolis traditum. Et diserte fatemur, maiorem esse huius mali atrocitatem, quam ut mente assequi, nedum verbis eloqui, in hac infirmitate possimus. Ideoque cum Scriptura loquimur, quae peccatum ἀνομίαν esse definit, hoc est, quicquid est contrarium iustitiae Dei, cuius norma est Decalogus, obligans vel ad perfectam obedientiam vel ad aeternam poenam, utque haec definitio complectitur omnem immunditiem seu inobedientiam, repugnantem voluntati divinae in Lege expressae, tam originalem, quam actualem: Ita peccatum originis est reatus non tantum propter lapsum primorum parentum, sed etiam propter hanc ipsam depravationem, quae lapsum illum sequuta est, et nobiscum nascitur: omnesque homines, naturali ordine progenitos, facit obnoxios irae Dei, et dignos aeterna damnatione, nisi fiat remissio propter Mediatorem. Depravatio enim ista nequaquam res levis, sed omnium virium in hominis natura post lapsum tristissima et horrenda confusio, seu ἀταξία est, nimirum densissima caligo, et dubitationes mentis, ac privatio lucis, firmaeque agnitionis Dei, quae in nobis fulsisset: aversio voluntatis a Deo, expers timoris, fidei et dilectionis Dei, et contumacia cordis repugnans legi mentis, denique omnis illa immundities, pravaeque inclinationes quae nobiscum nascuntur: et hominem non esse templum Dei, sed carere gloria innocentiae, et gratia praesentiae Dei, massamque ream esse et miserrimam sine Deo et iustitia, inimicam Deo, et damnatam a Deo. Sicut autem a tanti mali extenuatione, qualem Pelagius et Monachi finxerunt, tota mente abhorremus: Ita etiam detestamur contrariam Manichaeorum blasphemiam, de binis coaeternis principiis, bono et malo: et improbamus hyberbolen eorum, qui ex peccato faciunt substantiam, cum Apostolo diserte peccatum non sit substantia, sed κακὸν παρακείμενον, id est, malum, substantiae adiacens. Ro. 7. Ubi id ipsum, malam concupiscentiam appellat: Et Eph. 4. iisdem nobiscum verbis describit, quod sit vanitas mentis, tenebris obscuratus intellectus, igno-

Digitized by Google

rantia haerens in nobis et caecitas cordis. Quid? quod omnis substantia Deum habet autorem: Et Filius Dei nobis secundum naturam assumtam revera consubstantialis, expers tamen peccati est: et haec ipsa massa nostra, peccato penitus olim abolito, resuscitabitur ad vitam aeternam. Etsi igitur hoc malum tenacissime inhaeret toti substantiae, seu naturae hominis, et una cum substantia propagatur in posteros, natura corrupta gignente ex se corruptam, sicut dicitur in psalmo, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea: tamen peccatum nec pars est substantiae, nec per se subsistit. Quid ergo dicendum? Respondet Basilius, Malum, nequaquam essentiam viventem, animaque praeditam esse, sed affectionem animae virtuti contrariam, desidiosis et inertibus, propterea quod a bono deciderunt, ingenitam ac inditam. Hom. 2. Hexaem. Et memorabilis est Damasceni sententia lib. 4. fidei orthodoxae cap. 21. Malitia neque substantia est, neque substantiae idioma, seu proprium, sed accidens, id est, ex eo, quod secundum naturam, in id, quod praeter naturam, voluntaria aversio, quod quidem est peccatum. Unde et Catechumeni nominatim huius olim erroris refutationem symbolo inserebant, teste Nazianzeno in sacrum baptisma.

## II.

## DE CONVERSIONE HOMINIS.

Etiam hic perpetuum verae Ecclesiae consensum tuemur, et distinctione utimur. Alia enim quaestio est, quid homo non renatus in rebus spiritualibus ex se, aut suis viribus possit. Alia quomodo ad Deum convertatur.

Ad priorem expedita responsio est contra Pelagianos, qui in immensum amplificant vires humanas, et extenuant beneficia Filii Dei, ac Spiritus sancti: et voluntati hominis tribuunt efficaciam sine Spiritu sancto. Horum errorem vehementer improbamus. Nihil enim omnino ex se, aut suis viribus potest in rebus spiritualibus homo non renatus, iuxta dicta, Ioh. 1: Qui non ex sanguinibus etc. sed ex Deo nati sunt.

Ioh. 15: Sine me nihil potestis facere. 1 Corinth. 2: Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi.

Genes. 6: Omnis formatio cogitationum cordis humani vana, et mala est omni tempore, id est, ea, quae format ipsa natura cordis, non *Deus*, vana et mala sunt.

Ioh. 8: Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.

Augustinus de novo Cantico cap. 8: Quid enim valeat liberum arbitrium non adiutum, in ipso Adamo demonstratum est. Ad malum sufficit sibi: ad bonum, non, nisi adiuvetur a Deo.

Item de peccatorum meritis, et remissione, lib. 2. cap. 18: Laborant homines invenire in nostra voluntate, quid boni sit no-

Digitized by Google

strum, quod nobis non sit ex Deo. Et quomodo inveniri possit, ignoro.

Nominamus autem res spirituales verum timorem Dei, veram fidem, invocationem et dilectionem Dei, adeoque interiorem obedientiam debitam legi Dei: Et hos motus interiores ab externa disciplina, seu iustitia carnis, distinguimus. Manifestissimum est igitur, non posse deponi viribus naturalibus ἀταξίαν, quae nobiscum nascitur, et ne quidem inchoare posse hominem, sibi relictum, interiorem novitatem praeceptam in Lege Dei: Tantum abest, ut ex se, aut suis viribus, sine Evangelio, et sine Spiritu sancto, ad Deum se ipsum convertere possit. Quomodo igitur fit conversio?

Ut autem priorem quaestionem Pelagianis et Monachis: ita hanc Manichaeis et Enthusiastis, opponimus. Semper enim Ecclesiam hi duo exercitus circunsident. Respondemus igitur: Cum nihil aliud sit conversio, quam fides in Christum, vivificans corda in doloribus inferorum: fides autem, quae solius Dei donum est, sit ex auditu, auditus per verbum Dei, alium quidem Sanctificatorem, praeter Dei Spiritum, haud agnoscimus (sanctificationem enim, seu conversionem nostram, solius Christi merito, et Spiritus sancti efficaciae, in solidum ascribimus) servato tamen ordine divinitus sancito et revelato, ut verbum Dei audiamus et discamus, nec indulgeamus diffidentiae. Totum enim opus conversionis ab initio usque ad finem, estque manetque solius Dei beneficium, sicut Propheta clamat: Converte me Domine, et convertar: Quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi poenitentiam.

Verum observato, minimeque inverso et neglecto, seu repudiato ordine, quem Deus ipse sanxit, ut in nobis fiat conversio, Spiritu sancto per verbum auditum, seu lectum et cogitatum, trahente ac movente voluntatem ne repugnet, neve expectet coactionem, sed ut abiiciat peccata contra conscientiam, et comes fiat Spiritus sancti eam ducentis, ut Rom. 8. dicitur. Nam donec omnino repugnat voluntas Deo trahenti, nulla fit conversio. Et si perpetuo reiiceret oblatum beneficium, nunquam acciperet Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus, Abba Pater.

Ideo semper Ecclesiae nostrae docuerunt, in conversione hominis concurrere haec tria: verbum Dei, Spiritum sanctum, quem Pater et Filius mittunt, ut accendat nostra corda, et trahat per verbum, voluntatis denique, per verbi meditationem divinitus motae, assensum. Nec quicquam haec doctrina detrahit gloriae Dei, cuius potius erga nos ineffabilem clementiam et misericordiam, suavissime illustrat: habetque testimonium veritatis apud pios in quotidianis poenitentiae exercitiis. Continuatur enim conversio per totum vitae huius curriculum, et non nisi in altera vita perfectio sanctis continget. Eodemque modo incoatur, quo continuatur ac crescit: neque per momentaneam gratiae impres-

Digitized by Google

sionem, qualem Enthusiastae fingunt, initium conversionis seu renovationis nostrae, a continuis poenitentiae exercitiis divellendum, aut separandum est.

Ordimur autem a verbo, non ratione dignitatis, sed ratione ordinis divinitus, ut dictum est, sanciti. Et ipse sane concurrentium ordo testatur, quod haec doctrina Spiritus sancti efficaciae nihil prorsus deroget, cum voluntatis assensum praecedat saltem ordine (licet tempore concurrant) sanctificatoris motus, trahentis nos, sed per verbum. Non enim agit Spiritus sanctus, ut in statua: sed concurrunt mens, cogitans verbum Dei, et voluntas amplectens seu assentiens, non quidem suis viribus, verum adiuta, vel potius tracta per verbum a Spiritu sancto, et accensa, ut fiant opera salutaria, iuxta illud Prosperi: Libertate agimus, sed libertate redemta.

Etsi igitur fatemur, valde multa fieri a solo Deo in collectione et gubernatione Ecclesiae: Et in omnibus sanctis multos esse magnos dolores de peccatis, poenisque propriis ac publicis: et rursus mirandas consolationes, motusque singulares in actionibus, quae sunt propriae vocationum uniuscuiusque: Item multas mirandas liberationes et eventus, in quibus *Deus* multa sic agit, ut voluntas humana se tantum, ut subiectum patiens, habeat: sicut etiam in conversione, respectu meriti, vere nos habemus pure passive, et in peccatis mortui sumus, oppressi tyrannide Diaboli, reique irae Dei: tamen, ut de communibus exercitiis fidei et invocationis, Paulus inquit: Mente servio legi Dei: sic aliter procul dubio sanctificamur ad vitam spiritualem, quam olim nostri cineres in hanc vitalem auram revocabuntur. Neque enim sine lucta fit conversio, quae et cum lucta incipit, et in lucta crescit: ut voluntas humana, quatenus sanari coepit, non est otiosa, sed comes Spiritus sancti, agentis per verbum: nec, cum adiuvatur seu trahitur a Spiritu sancto, habeat se ut truncus, aut scopulus.

Cumque conversionis subiectum sit cor hominis, quod sic conditum est, et ad hunc finem renascitur ac sanctificatur, ut non vi, sed verbo regatur: fieri non potest, quin pertinaces verbi contemptores suapte culpa pereant, iuxta comminationes: Quia repulisti scientiam, repellam te. Quia noluisti, erit domus vestra deserta. Percutiet te Dominus amentia et furore mentis. Ecce sto ante ostium, et pulso. Videte quomodo audiatis. Hodie, si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Item, quoties volui, at tu noluisti etc. Recte enim Augustinus: Magna gratiae commendatio: Nemo venit, nisi tractus etc. Semel, inquit, accipe, et intellige. Non traheris? Ora ut traharis. Quid hic dicimus fratres? Si trahimur ad Christum, ergo inviti credimus? Ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur? Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, credere non potest, nisi volens. Si corpore crederetur, fieret in nolentibus. Apostolum audi dicentem: Corde creditur

Digitized by Google

ad iustitiam etc. Noli cogitare, te invitum trahi. Trahitur animus et amore.

Item: Quomodo voluntate credo, si trahor? Ego dico, parum est volnntate, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Haec ille tractatu 26. in Iohannem.

Idem de Spiritu et litera cap. 34: Profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine et in omnibus misericordia eius praevenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriae voluntatis est. Quae res non solum non infirmat, quod dictum est: Quid enim habes quod non accepisti? verum etiam confirmat. Accipere quippe, et habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo. Ac per hoc, quid habeat, et quid accipiat, Dei est: Accipere autem et habere, utique accipientis et habentis est.

Congruunt huc etiam veterum dicta (quae dextre intellecta plana sunt, et nihil habent impietatis) praeeunte gratia, comitante voluntate. Tantum velis, et Deus praeoccurrit. Item: Trahit Deus, sed volentem trahit. Nolentem praevenit Deus, ut velit: volentem subsequitur, ne frustra velit. Item: liberum arbitrium est in homine renascente, quatenus sanari coepit, facultas applicandi se ad gratiam, id est, audiendi promissionem, et assentiendi, et abiiciendi peccata contra conscientiam, vel, ut a Petro Lombardo definitur lib. 2. distinct. 24: Liberum arbitrium est facultas rationis et voluntatis (in homine nimirum, qui iam regenerari coepit) qua bonum eligitur assistente gratia: vel malum, eadem desistente.

Et Nazianzenus verecunde loquens de voluntate, sic ait: Omne bonum opus a Deo est, datur autem vocatis, adeoque annuentibus. Orditur a verbo. Vocari et trahi inquit voluntatem, quae non expectet coactionem, sed repugnet dubitationi, et luctetur, ut promissioni assentiatur. Hoc cum fit, nihilominus conversio manet Dei opus, non hominis.

Ut enim in gubernatione locomotivae, quam Deus in homine gravissimas ob causas post lapsum voluit adhuc aliquo modo esse reliquam, naturam nervorum a se creatam nequaquam destruit, aut debilitat, sed potius in sanctis cogitatione verbi adiuvat et confirmat: ita in conversione hominem psychicum, ut Paulus loquitur, non redigit Spiritus sanctus in naturam brutam, nec tractat, ut rem inanimatam, nec extinguit facultates animae a se creatas, sed potius ad conversionis nostrae divinum suum opus perficiendum, et nos ad sanctificationem resuscitandos, iisdem tanquam organis a se conditis, atque ipsa regeneratione instaurari et sanctificari incipientibus utitur. Imo, ut abusum membrorum tam interiorum quam exteriorum severissime prohibet: Ita verum ac legitimum eorundem usum a nobis serio requirit, iuxta illud Rom. 6: Admovete membra vestra arma iustitiae Deo.

Digitized by Google

## III.
## DE IUSTIFICATIONE HOMINIS CORAM DEO.

Omnium dulcissimus est articulus: Credo remissionem peccatorum. Cum enim omnes natura simus rei irae Dei, et ex Lege in conspectu Dei nullus homo iustus sit: manifestum est, iustificare iuxta doctrinam Evangelii proprie respicere gratuitam culpae poenaeque aeternae, remissionem seu condonationem, et significare, ex reo non reum facere. Nam hoc agitur in veris doloribus, quaeritur remissio peccatorum, et reconciliatio, sicut Propheta clamat: Salvum me fac propter misericordiam tuam.

Et ad hoc caput, tanquam ad finem potissimum, referuntur omnes articuli fidei nostrae, qui recitantur in symbolo. Ideo enim credimus, Christum Deum et hominem natum esse ex virgine, crucifixum et resuscitatum, ut per et propter eum accipiamus remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

Est igitur nostra coram Deo iustificatio nihil aliud, quam gratuita peccatorum propter solius Christi meritum remissio, reconciliatio cum Deo, imputatio iustitiae, et acceptatio ad vitam aeternam. Quae sic accipitur cum homo in veris doloribus et pavoribus conscientiae sustentat se voce Evangelii, et fide intuetur Mediatorem, hoc est, cum in contritione audit promissionem Evangelii propriam, de Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, qui constitutus est Mediator, Propitiator, Redemptor, Iustificator et Salvator: ac propter hunc Mediatorem, Deum et hominem, non tantum aliis, sed sibi etiam *Gratis*, fide peccata remitti statuit propter misericordiam.

Hac fide cum erigitur homo, certum est ei donari remissionem peccatorum, et reconciliationem, et imputationem iustitiae, et effici eum haeredem vitae aeternae: simulque vivificari per Filium Dei, et accipere donationem Spiritus sancti *Gratis*, sola fide, non propter propriam dignitatem, seu propter virtutes propria, aut propria opera seu merita: sed solius Iesu Christi merito et efficacia.

Quanquam autem simul inchoatur novitas: tamen nequaquam persona coram Deo iusta est in hac vita propter novas qualitates, sed propter ipsum Mediatorem, passum, resuscitatum, regnantem, deprecantem pro nobis, nos obumbrantem et vivificantem, non enim desinit Filius esse Mediator. Et cum perpetuo haereant in nobis reliquiae peccatorum, tenenda est haec consolatio, perpetuo placere personam propter Filium, imputata nobis ipsius iustitia seu obedientia et merito, iuxta dicta Psal. 32: Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Et pro hoc orabunt omnes sancti.

Act. 10: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.

Digitized by Google

Act. 4: Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, per quod oporteat nos salvos fieri.

Rom. 3: Iustificamur gratis, gratia ipsius per redemtionem, quae facta est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem, in sanguine eius per fidem.

Eph. 2: Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis. Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.

Basilius in concione de humilitate: Qui gloriatur, in Domino glorietur, dicens, quod Christus nobis factus sit a Deo sapientia, iustitia et sanctificatio, sicut scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Haec est enim perfecta et integra gloriatio in Deo, quando neque propter iustitiam suam quisquam effertur, sed agnoscit, se indigere vera iustitia, fide autem *Sola* in Christum iustificari.

Hilarius in Matth. cap. 8: Movet Scribas remissum ab homine peccatum, hominem enim tantum in Iesu Christo contuebantur, et remissum ab eo, quod Lex laxare non poterat, Fides enim *Sola* iustificat.

Ambrosius in Paulum 1 Corinth.: Hoc constitutum est a Deo, ut qui credit in Christum, salvus sit sine opere, *Sola* fide, gratis accipiens remissionem peccatorum.

Chrysost. hom. 7. ad Rom. Si fide, tanquam opere iustificaremur, esset operis nostri iustitia, sed iam nobis imputatur iustitia Dei. Fides autem, quae apprehendit iustitiam Dei, *Sola* iustificat, quia solummodo ex fide nobis imputatur iustitia.

August. psal. 88: E fide enim vivimus, et de fide dictum est: Fide mundans corda eorum. Et quia *Sola* fides Christi mundat, non credentes in Christum soluti sunt ab emundatione.

## IV.

## DE BONIS OPERIBUS.

Bona opera, tam interiora, quam exteriora, nominamus, quae congruunt cum praeceptis Decalogi. Vult enim Deus et fidem et opera, regi suo verbo. Ideo tenenda est norma de bonis operibus interioribus et exterioribus, quae continetur in Decalogo recte intellecto, iuxta regulam. Quae praecipit *Deus*, haec sancte cogita. Item: In praeceptis meis ambulate, et facite ea. Haec opera interiora et exteriora, fiunt cultus Dei, cum fiunt in fide, et referuntur ad hunc finem, ut Deus hac obedientia celebretur. Placet enim haec incoata obedientia, non propter sui perfectionem, seu dignitatem, cum sit adhuc multis inquinata sordibus, sed propter Mediatorem, in quo sumus Deo reconciliati, sicut scriptum est: Offerte Deo hostias spirituales, placentes Deo propter Iesum Christum.

Etsi autem non est extenuandum peccatum, quod reliquum est in Sanctis in hac vita, quod, quo magis proficiunt pii, magis agnoscunt et deplorant: tamen ipsa vox divina discernit peccata.

Digitized by Google

Manent enim peccata in Sanctis, donec in hac lachrymarum valle obambulant, sed non ea, quae fiunt contra conscientiam. Ideo dicitur: Retinete fidem et bonam conscientiam. Nec est in sanctis defensio idololatriae aut erroris, qui pugnat cum fundamento, id est, qui delet articulum fidei, sive fiat ea defensio ab intelligente, sive a non intelligente, praesertim si fiat pertinaciter. Qui enim in doctrina Christi non manet, Deum non habet. 2 Iohan. 1.

Etsi igitur nec usurpamus, nec defendimus hanc propositionem: Bona opera sunt necessaria ad salutem: Quia hac additione *Ad Salutem* intelligitur meritum, quod soli Mediatori competit. Et expresse reiicimus Pontificios, qui dicunt, se bonis operibus mereri vitam aeternam, contra dictum Pauli: Donum Dei est vita aeterna: tamen vera est, et constanter retinenda doctrina, quod in hac vita novae obedientiae incoatio necessaria sit. Quia hic ordo divinus et immutabilis est, ut creatura rationalis Deo creatori obediat. Nec potest vera fides cum proposito peccandi coniuncta esse. Nec ideo sustinuit ineffabiles dolores in agone et morte, Filius Dei, ut homo furenter laxet frenum cupiditatibus, cum potius venerit ad destruendum opera Diaboli et merito et efficacia sua.

Nec exclusivae (sola fide, sine operibus, gratis) proposito novae obedientiae opponi debent, ut vel non adsit, vel non sequatur: cum tantum operum fiduciam et gloriationem excludant: Nam meritum, seu caussa iustificationis, transfertur a nostris operibus ad Mediatorem, ut sit beneficium certum, non ut ipsi nihil agamus: sed multo magis, ut sciamus, quomodo in tanta infirmitate qualiscunque nostra obedientia Deo placeat.

1 Ioh. 3: Qui facit peccatum ex Diabolo est.

Rom. 8: Debitores sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus.

Item: Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.

Gal. 5: Talia facientes, regnum Dei non possidebunt.

Eph. 5: Nemo vos seducat inanibus verbis, propter haec enim venit ira Dei in filios diffidentiae.

1 Timoth. 1: Milita bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam.

Matth. 5: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificetur per ea Pater vester coelestis.

1 Iohan. 4: Et nos *Debemus* nos mutuo diligere.

Nazianzen. Fides sine operibus mortua est, ut et opera sine fide.

Luth. in Postill. maioribus de Evangelio Ascensionis: fol. 94. b. Fides non opera, sed meritum excludit.

Digitized by Google

## V.

## DE DISCRIMINE LEGIS ET EVANGELII.

Adeo neccessaria est vera cognitio discriminis inter Legem et Evangelium, ut hoc omisso, nec quid sit Ecclesia Dei, nec quomodo differat ab Ethnica sapientia, nec quomodo detur remissio peccatorum, nec quae sint beneficia Filii Dei, intelligi possit. Praeter alias autem valde illustres differentias ex ratione notitiarum, forma promissionum, obiectis, et effectis seu finibus sapienter petitas: toto etiam genere differunt Lex et Evangelium. Quia manifestum est, aliud esse aeternam et immotam normam iustitiae in mente divina, praecipientem integram obedientiam, et simpliciter ac immutabiliter damnantem non habentes integram obedientiam, omni prorsus in aeternum spe veniae praecisa: Et aliud concionem non tantum mitigantem hunc rigorem, lapsisque spem veniae aperientem, verum etiam modum, viamque seu ordinem, post lapsum, amissam Dei gratiam recuperandi, suavissime commonstrantem.

Cum ergo Lex utrumque per se ignoret, et gratiae promissionem, et modum redeundi in gratiam: apte complexus est Christus summam Evangelii, Lucae ultimo, iubens praedicari in *Nomine Suo* poenitentiam et remissionem peccatorum. Nec in hac definitione improprie vox Evangelii ponitur, cum utrumque velit annuntiari in *Nomine Suo*, hoc est, propter suum officium, ad quod nominatim venit in hunc mundum.

Ut autem officium Mediatoris, nomenque Christi crucifixi et resuscitati, ministerio Legis per se, id est, sine Evangelii interpretatione, procul dubio ignotum est: (nusquam enim in Lege sine declaratione Evangelii mentio ulla fit officii, causae missionis, et beneficiorum Filii, sed tantum in Evangelio) Ita Filius Dei suum ministerium, quod postea commendavit Apostolis, propriissime describit Matth. 9: cum se venisse affirmat, ut vocaret peccatores ad poenitentiam, hoc est, ut alibi explicat, ad evangelizandum pauperibus. Ac Petrus dulcissime inquit, Christum resuscitatum et exaltatum esse dextra Dei, atque constitutum a Deo Salvatorem ad dandam poenitentiam ac remissionem peccatorum. Unde consequitur, et vim Legis, et officium Mediatoris, adeoque virtutem mortis et resurrectionis Christi obscurari, denique haec ipsa doctrinae capita periculose confundi, nisi Evangelium proprie loquendo profiteamur esse vocem promissionis gratiae, simul praedicantis poenitentiam, hoc est, praecipientis Salutarem ad Deum conversionem, quam Apostoli nominant *μετάνοιαν*, cuius partes sunt I. Contritio ex Lege, sed temperata balsamo Evangelii, sine quo timor servilis existit, qui est fuga et fremitus adversus Deum. Lex enim per se est tantum ministerium aeternae damnationis et mortis. II. Fiducia in Christum ex solo Evangelio, quod est ministerium Spiritus ac vitae, adeoque potentia Dei ad salutem



Digitized by Google

omni credenti. III. Sequitur nova obedientia, tanquam individua comes fidei, seu poenitentiae fructus, constituens tertiam conversionis partem, cuius quidem norma Lex manet. Quomodo vero in hac tanta naturae humanae infirmitate, coniuncta cum tantis Diaboli insidiis, et tanta periculorum mole, quae vitae ac vocationis nostrae cursum miris modis impediunt et perturbant, vel inchoari queat, vel tot adhuc inquinata sordibus Deo placeat, sola rursus Evangelii ἐπιείκεια commonstrat.

Ordimur igitur conciones poenitentiae a Lege, sed temperata voce Evangelii: ne videlicet ex agnitione peccatorum, quae per Legem revelantur, ruamus in peccatum illud summum, maximum, ultimum et nulla satisfactione piandum in tota aeternitate, in contemptum, inquam, Mediatoris, incredulitatem et desperationem. Quod peccatum Legi, rationi et conscientiae nostrae per se ignotissimum, ex solo Evangelio patefit et agnoscitur, iuxta dicta: Quicquid non est ex fide, scilicet in Christum Mediatorem, peccatum est. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quod non credunt in *Me*.

Qui credit in Filium, habet vitam aeternam: Qui non credit, ira Dei manet super eum.

Item: Qui credit in Filium, non iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus est.

Quae voces, ut simul dulcissimas promissiones credentibus in Mediatorem, atque severissimas comminationes, perseverantibus in Mediatoris ignoratione et contemtu, proponunt: Ita sine contradictionis implicatione non possunt ad Legem potius, quae tantum arguit et damnat, quam ad Evangelium, referri: Quod simul cum arguit, lapsos ad Mediatorem, cuius meritum vera fide apprehendi vult, invitat, et a desperatione, quam Lex urget, avertit: monstratque ideo Deum concludere omnes sub peccatum, non ut secundum Legis rigorem ad aeternas poenas damnet, sed ut omnium in Christo, qui Legis impletio est, misereatur: unde dulcissimum ac inenarrabile temperamentum iustitiae et misericordiae in Deo, Legi per se rursus ignotum, relucet. Quomodo enim proprie Mediatoris contemtum Lex argueret, quem per se ignorat? Aut si proprie etiam incredulitatem in Christum, ut caetera peccata, Lex coarguit, quomodo vel ante, vel post lapsum, primis parentibus, nondum ex sinu Patris Evangelio per Filium revelato, cum totius Legis, praesertim ante lapsum cognitionem haberent, mysterium de mittendo Mediatore absconditum esse omnino potuit?

Ratum igitur et firmum manet: tantum eam partem doctrinae Christianae docere remissionem peccatorum, quae docet poenitentiam: et invitare ad poenitentiam esse eiusdem generis, cuius est spem veniae proponere. Iuxta aeternum et immutabile decretum divini iuramenti, quod certum est, non esse legalem concionem, sed Evangelicam: et quidem utriusque partis tam poenitentiae,

Digitized by Google

quam remissionis peccatorum suavissimam copulativam *Vivo Ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.*

## VI.

## DE USU LEGIS.

Cum in hac vita maneant etiam in renatis peccati reliquiae, et procul omnes a perfecta cum Archetypo conformitate, hoc est, a perfecta dilectione Dei, et proximi, ex quibus quasi principiis Decalogi Lex nata est, absimus: nec velit nisi secundum normam praescriptam Deus coli. Has igitur et alias ob causas firmiter statuimus, quod vox Legis nequaquam aboleri, aut conticescere debeat, sed perpetuo extare, atque exaudiri in toto genere humano, et in primis sonare in Ecclesia, iuxta severissimum mandatum, quod nominatim Ecclesiam obligat. Deut. 6. Acues Legem Filiis tuis. Ac ne quis frustra vel editam vel conservatam Legem putet, profitemur Legis usum esse triplicem.

Primum nominamus paedagogicum seu politicum, qui ad omnes homines pertinet, etiam non renatos et Ethnicos. Obligat enim omnes, ne ruant contra externam disciplinam, et sancit poenas etiam corporales in hac vita adversus eos, qui admittunt externa delicta, quas Deus vel per Magistratum, vel aliis modis, sumit de sontibus. De quo usu dicitur 1 Timoth. 1: Lex posita est iniustis, inobsequentibus, impiis, peccatoribus, sceleratis et contaminatis, mendacibus, periuris ect:

Alter usus spiritualis est, videlicet iudicium universale, accusans totam depravationem, et peccata interiora et exteriora in hominibus, quaecunque pugnant cum Lege Dei, iuxta dicta: Lex iram operatur. Per Legem cognitio peccati. Aculeus mortis peccatum est, potentia peccati Lex est, id est, Legis sententia horrendum est iudicium, quo Deus ostendit in corde peccatoris horribilem suam iram adversus peccatum, cuius sensus ipsa morte corporis acerbior cruciatus in conscientia est, adeoque initium aeternarum poenarum, nisi voce Evangelii per Filium Dei homo liberetur. Et hic usus in Ecclesia proprie ad eos spectat, qui vivunt sine Lege, ut Apostolus loquitur, id est, ad profanos, securos et hypocritas.

Sed nequaquam omittendus est et tertius usus, ad renatos pertinens, quibus Lex non tantum calcar est ad continuanda quotidianae poenitentiae exercitia, id est, ad peccatum carnis mortificandum, et magis in dies magisque expurgandum vetus fermentum: cum ne quidem Sancti in hac vita sint ab omni immudicie prorsus, ut debebant, immunes: verum etiam normam cultuum Deo placentium praescribit. Vult enim Deus fidem et bona opera nostra, regi verbo suo, nec cultibus, nostro electis arbitrio, de-



Digitized by Google

lectatur, iuxta dicta: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Psal. 119. Frustra me colunt mandatis hominum. Matth. 15.

Ad Legem et ad testimonium Isa. 8.

Quodcunque dixerit vobis, facite. Iohan. 2.

## VII.
## DE COENA DOMINI.

*Quemadmodum* Apostoli in prima Coena simpliciter intenti fuerunt in verba institutionis Christi, omissis omnib. curiosis et frivolis quaestionibus, cum quidem corpus Domini nondum esset vel glorificatum vel ad dextram Dei exaltatum: Ita nos, remotis disputationibus, quibus articuli distincti in symbolo periculose inter se miscentur et confunduntur, religiosa fide statuimus, et diserte profitemur, praesentiam veri corporis ac sanguinis Christi in Coena, nequaquam alii ulli fundamento inniti, quam veris, firmis atque immotis verbis institutionis Domini nostri Iesu Christi, quae quidem et ab Evangelistis diligenti cura, unanimique consensu, descripta, et a Paulo accurate repetita et declarata sunt. Hoc igitur vero, solido et unico fundamento contenti, ab omni profanatione tremendi huius mysterii toto pectore abhorremus; Nec assentimur vel in defectu, vel in excessu, a regia institutionis via deflectentibus. Retinemus autem hanc simplicissimam, rectissimam, ac minime fallentem verborum institutionis sententiam, quod in Coena Domini cum pane et vino, vere distribuatur et percipiatur illud ipsum corpus, quod in ara crucis pro nobis traditum est, et ille ipse preciosus sanguis, qui pro nobis in remissionem peccatorum largissime profusus, ex sacrosanctis Christi vulneribus effluxit.

Testator enim ipse Dominus noster Iesus Christus, in huius sacrosanctae Coenae suae actione a se instituta, vere ac substantialiter adest, et cum externis ac visibilibus symbolis, pane et vino, vere praesens distribuit verum suum corpus, pro nobis in ligno crucis traditum, verumque suum sanguinem pro nobis effusum. Atque ita participes nos facit non tantum meriti et efficaciae, sed etiam substantiae corporis et sanguinis sui, ut certi simus, vere nobis remitti peccata propter passionem et mortem ipsius, et velle ipsum in nobis habitare, nosque tanquam insitos sibi palmites gestare, et ad vitam aeternam sustentare.

Ut autem Filius Dei promissionem corporis sui non fecit pani, sed vescenti, hoc est, servanti ordinem a se institutum, extra quem nihil rationem Sacramenti habet: ita indigne vescentes, non quidem nudum aut communem panem calicemque manducant et bibunt, sed ipsum corpus et sanguinem Domini in Sacramento Coenae manducantes ac bibentes, foedo ore suo polluunt, adeoque rei fiunt corporis et sanguinis Domini, ac iudicium sibi manducant, bibuntque, propterea quod non diiudicant corpus Domini. Unde etiam in graves, huius et futuri seculi, poenas in-

Digitized by Google

currunt, nisi serio ad Deum conversi, mitigationem et gratiam impetrent, ut gravissime Apostolus comminatur. Illud ipsum enim manducant bibuntque, de quo Filius Dei in verbis institutionis diserte affirmat: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Item: Bibite ex hoc omnes, Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis effunditur. Hoc facite in mei commemorationem.

Hanc perspicuam, simplicem et planam sententiam cum verbis institutionis, a quibus in nativo Testatoris sensu ne latum quidem unguem nobis deflectendi animus est, vere congruere minime dubitamus. Cumque in nullius creaturae sit potestate, Sacramenti vel institutio, vel immutatio, merito nos abstinere iudicamus a profana curiositate praeter et extra verbum vel inquirendi, vel definiendi modum, quo nobis suum Filius Dei corpus sanguinemque communicat, ita ut fiamus caro de carne eius, et os ex ossibus eius, sicut dulcissime inquit Hilarius: Domini professione, et fide nostra, vere caro est et sanguis: Haecque accepta et hausta, faciunt ut Christus in nobis, et nos in Christo simus. Quin potius Filium Dei rogamus, ut aberrantes circa hoc sacrosanctum mysterium clementer in viam reducat, et faciat nos unum in corpore suo: sicut iam

tum unus panis et unum corpus multi sumus, de uno pane eodemque calice participantes. Et improbamus secus docentes.

## VIII.
## DE PERSONA CHRISTI.

Cum vera Domini nostri Iesu Christi agnitio, quae fundamentum est Ecclesiae 1 Corinth. 3. et ipsa vita aeterna, Iohan. 17. complectatur simul Filii Dei personam et officium, sincero corde credimus, et clara voce profitemur, quicquid nobis de eiusdem tam persona, quam officio, perspicuo verbo Dei praescriptum et revelatum est. Obviis enim ulnis et ambabus manibus, imo tota mente et corde amplexamur regulam omni exceptione maiorem, quae docet: Nihil de Dei sive essentia, sive voluntate, deque eius Filio, Domino nostro Iesu Christo, vel credendum, vel asseverandum esse, quod a sacrae Scripturae Canone discrepet.

Retinemus igitur sancta et religiosa fide, totius Ecclesiae Catholicae et orthodoxae consensum: nimirum, unicam esse Domini nostri Iesu Christi personam, sed duas naturas, divinam et humanam. Divina, λόγος nomiatur, quae vere ab aeterno persona est distincta a Patre et Spiritu sancto, et tamen eiusdem essentiae cum Patre et Spiritu sancto: qui Pater, λόγος, et Spiritus sanctus, est super omnia Deus, unus in essentiae, et trinus in personis, benedictus in secula. Sed humana natura certo tempore assumta est a λόγῳ ex Deipara virgine Maria, nobis per omnia aequalis, accepto peccato.

Digitized by Google

1. Unio hypostatica.

Hoc mirandum foedus seu mysterium duarum naturarum in Christo, nominamus unionem hypostaticam, quae non est Verbi per carnis incredibilem quandam capacitatem inclusio, nec transmutatio, nec confusio naturarum aut proprietatum, aut operationum inter sese: sed copulatio, ut tota scripsit antiquitas, vere ineffabilis, qua Verbum, hoc est, secunda persona divinitatis, massam certam ex genere humano, nobis, secundum integram animam et integrum corpus, vere consubstantialem, in utero virginis a Spiritu sancto sanctificatam, definito tempore assnmpsit, et sibi copulavit non solum inseparabiliter, verum etiam secundum hypostasin: non quod ex duabus naturis, humana videlicet et divina, tertia coaluerit aliqua, quae partim divina sit, partim humana: aut quod adiectionem personae sancta Trinitas susceperit ex incarnato Deo Verbo: sed quod una in Christo persona sit ac maneat, ipsius nimirum Verbi propria, quae humanam naturam assumtam gestet, sustentet, ac foveat.

Non enim assumta natura in Christo, secundum quam nobis per omnia, excepto peccato, aequalis est, personae rationem habet, sed dependet ab assumentis Verbi Deitate tali ordine, ut ne quidem esset, nisi sic a Deo Verbo sustentaretur et conservaretur.

Utque haec persona λόγος aeterna est: ita postea impossibile est, hanc massam ipsi insertam, non simul manere. Nunquam enim ὁ λόγος naturam, quam semel assumsit, deserit: imo nec in morte animam aut corpus deseruit, etsi tum vere facta est séparatio animae a corpore.

Personae itaque unitatem et naturarum unionem tuemur: adeoque unum eundemque Dominum nostrum Iesum Christum, Dei et Mariae Filium, in duabus naturis absque omni confusione, permutatione, distractione atque separatione, nunquam sublata essentiali differentia naturarum propter unionem: sed potius salvis utriusque naturae proprietate, voluntate et operatione, in unamque coëuntibus hypostasin, confitemur: utrumque et impiae divulsionis, et impiae confusionis scopulum evitantes.

Quod enim ab aeterno erat Filius Dei, permansit: quod non erat, assumsit: non amittendo, quod suum erat, sed suscipiendo, quod nostrum erat, inquit Vigilius. Et λόγος in tota quidem assumta natura, ut in ferro ignito flamma, lucet: nec tamen colligatus est corpori, sed ipse corpus continet, ut et in eo sit, et extra omnia, et in sinu Patris: neque cum sit in omnibus, fit pars aliorum, sed omnia ab eo vitam, sustentationemque accipiunt, secundum Athanasium. Nec dissolvitur personalis unio, tametsi Caro, a qua nunquam separatur Verbum, non sit ubicunque est Verbum. Quae enim in Deo sunt, non sunt ubique ut Deus, teste Augustino. Sique hominis anima, necessitate naturae copulata

Digitized by Google

corpori ubique est celeritate cogitationum, salva personae integritate: Quae necessitas cogit nos dicere, naturae carnis Deitatem inclusam, aut pariter cum Deitate carnem ubique locorum adeoque infinitam esse? ut praeclare Nyssenus in Catechesi argumentatur. Huc merito regulam Cassiani referimus: Non minoris erroris est, Domino nostro Iesu Christo impropria addere, quam propria derogare. Quod enim non ita dicitur, ut est: etiamsi honor videatur, iniuria est.

### 2. Officium Christi.

Etsi autem mysterium hoc omnem omnium creaturarum captum excedit: Tamen officii consideratio causas tam mirandae unionis utcunque explicat. Missus enim est Filius Dei propter nos homines, et propter nostram salutem, ut esset summus Rex et Sacerdos generis humani, hoc est, ut fieret Mediator, Redemptor, Iustificator, et Salvator noster.

Cumque redemptio nostra simul et perpessionem et destructionem mortis, ut brevissime rem maximam eloquamur, flagitaret, nec in unam, eandemque naturam actiones contrariae caderent: congruebat omnino ex mirabili iustitiae et misericordiae divinae temperamento, ut persona mediatrix distinctas haberet naturas, ne vel morte inferior, vel ab eiusdem gustu prorsus immunis esset: sed ut nostris quod remediis congruebat (Leonis enim verba referamus) unus atque idem Mediator Dei, et hominum, homo Christus Iesus, et mori posset ex uno, et mori non posset ex altero, iuxta dictum Irenaei: Sicut homo erat, ut tentaretur, sic et Verbum erat, ut glorificaretur, requiescente quidem Verbo, ut posset tentari, crucifigi et mori: et tamen humanitati unito, ut posset vincere, et perferre, et benefacere, et resuscitare, et recreare.

Quemadmodum igitur naturarum distinctio nequaquam dissolvit personae unitatem, nec personae unitas confundit naturas: Ita unum et commune officium est, ad quod utraque natura quod suum est, confert: Verbo quidem, quod Verbi est, operante: carne vero, quod carnis est, exequente, sicut vetustas olim certe locuta est. Divina enim natura suas habet actiones cum Patre et Spiritu sancto, vere divinas et immensas: humana vero natura agit, et patitur, quae humanae naturae conveniunt. Ex utriusque autem naturae actionibus distincte simul et inseparatim concurrentibus, oriuntur communia illa beneficia, seu apostelesmata, quae sunt totius personae, et nominantur actiones theandricae. Verbi gratia: Resuscitat divina natura humanam, nec resuscitat seipsam humana, nec moritur divina, sed humana tantum: et tamen voluntas τοῦ λόγου approbat hanc obedientiam, in eamque consentit, ac meritum non minus quam ipsamet obedientia, et per consequens universae redemptionis nostrae opus, seu beneficium, est potius personae, tanquam actio theandrica, qualibet agente natura

Digitized by Google

quod suum est. Sic et miracula fiunt a persona, naturarum utraque cum communione alterius agente, quod cuiusque proprium est.

Propria est enim divinae naturae vis, ac potentia edendi miracula, ut cum quinque panibus pascuntur quinque millia, cum resuscitatur Lazarus, cum sanantur leprosi, cum mutis usus linguae redditur, cum aqua in vinum mutatur: sed exerit sese haec vis atque potentia naturae divinae in natura assumta, ut cum manu frangit panes, cum attingit loculum, cum clara voce evocat mortuum, cum digitis tangit corpus. Ita miracolorum fons est omnipotentia divinae naturae, sed fiunt ministerio naturae assumtae, agentis quod suum est. Non quod perinde atque redemptionis nostrae opus, utramque naturam coniunctim requirit: ita necesse sit, omnia miracula ministerio carnis perfici, sed ut sint testimonia comprobantia Deitatem Messiae, adeoque declarantia missionem et officium Filii Mediatoris.

Hinc natae sunt regulae: Quod in scripturae dictis discernendae sint appellationes, quae significant proprietates naturarum, et appellationes officii. Quodque aliud sit loqui de proprietatibus et actionibus naturarum in Christo: aliud vero de toto redemtionis et salvationis generis humani opere. Item: Quod necesse sit in scriptura discernere dicta de statu humiliationis Christi, et exaltationis, ad quam intravit per passionem, et resurrectionem suam, cum quidem neuter horum unionem hypostaticam imminuerit.

### 3. Communicatio Idiomatum.

Et hae regulae sunt fundamentum utilissimae maximeque necessariae doctrinae de communicatione idiomatum, quam ecclesia vetus orthodoxa singulari cura ex Scripturae dictis, quae de Christo propter diversitatem naturarum dissimiliter loquuntur, fideliter extructam, tam Eutychianae, quam Nestorianae haeresi, opposuit. Quae nequaquam est ipsa unio hypostatica, sed potius mirandae illius unionis, qualiscunque enunciatio.

Est enim communicatio Idiomatum, praedicatio, seu forma loquendi, qua proprietas aut operatio, uni naturae conveniens, tribuitur personae, certa lege ac modo, videlicet in concreto, quod totum agens hyphistamenon significat, habens utramque naturam: quia haec duo, λόγος, et humanitas assumpta, sunt una hypostasis: non autem in abstracto, quo alterutra natura secundum considerata significatur.

Et has ipsas formas loquendi, in quibus alterutrius naturae propria personae tribuuntur, declaramus per particulam distinctivam κατὰ, secundum vel iuxta. Idque exemplo vocis divinae: natus ex semine David secundum carnem. Mortuus secundum carnem ect:. Vera est enim Idiomatum communicatio, quatenus res est vera: et sicut naturae unitae sunt, sic etiam naturarum attributa

Digitized by Google

permutantur, ut sapienter et pie Nazianzenus ad Cledonium scripsit. Atque ita nequaquam nudos Christo titulos attribuimus, sed demonstramus ex verbo Dei, non factam esse physicam, aut realem Idiomatum transfusionem, neque ad utramque naturam accommodandam esse vel proprietatem, vel actionem, quae de Persona secundum alterutram naturam praedicatur. Nam inde necessario sequeretur unionis hypostaticae abolitio, totiusque huius mysterii deletio, et naturarum identitas, iuxta regulam Lutheri: Negans proprietates, negat naturas. Et Athanasii: Quorum operatio est eadem, eadem est natura. Si vero una natura est Christus, quomodo ipsi tribuentur contraria? secundum Theodoretum dialogo 2.

Quin potius quae de Christo dicuntur (inquit Cyrillus libro 5. de Trinitate) sic intelligenda sunt, ut nec quae Deitate conveniunt, humanitati ipsius tribuantur: nec quae humanitatis propria sunt, ad Deitatem ipsius detorqueantur. Unus enim idemque Christus est, (inquit Fulgentius lib. 3. ad Thrasimund.) qui quod humanum est, habet Deus in veritate humanae: Et quod divinum est, habet homo in veritate divinae naturae. Rectam ergo fidem tuebimur, (teste Athanasio serm. 4. contra Arianos) si quod utriusque naturae proprium est, consideremus, et ab uno utrumque praestari animadvertamus. Id si a nobis fiat, nunquam in errorem prolabemur.

### 4. Maiestas Christi.

Hinc iam dependet vera de maiestate Christi sententia, quam distincte explicamus iuxta regulam Nazianzeni: Alia est consideratio Filii ratione essentiae, alia ratione oeconomiae, hoc est, mysterii incarnationis et officii. Ut enim scholastici erudite distinxerunt inter gratiam unionis, gratiam Capitis, et gratiam praerogativae sigularis, quam et gratiam habitualem non inepte appellarunt: Ita iuxta hos tres gradus commodissime declarari et intelligi posse censemus omnia tam Scripturae, quam Patrum dicta, quibus aliquid Christo homini in tempore datum asseritur. Quicquid enim eminentiae habet Christus homo, id habet vel ratione unionis hypostaticae cum λόγῳ, ut aeternus et verus Deus: vel respectu officii, ut Ecclesiae caput: vel ratione donorum, quae in sese, et secundum sese caro Christi accepit partim ante, partim post glorificationem, ut ditata, et uncta supra consortes.

De Maiestate igitur Domini nostri Iesu Christi profitemur, nos indubitata fide credere, quod secundum Deitatem suam aeterno Patri, et Spiritui sancto, per omnia aequalis sit, eiusdem cum utroque essentiae, earundem proprietatum essentialium, eiusdem maiestatis et gloriae, iuxta symbolum: Patris, Filii, et Spiritus sancti, una Deitas, aequalis gloria, coaeterna maiestas. — Huc etiam Cyrilli dictum spectat: Missio et obedientia non tollunt aequalitatem essentiae, aut potentiae, sed distinguunt ordinem personarum.

Humanitatem vero ipsius fatemur creaturam esse, quae in se

Digitized by Google

nec essentia, nec proprietatibus, nec actionibus, nec maiestate Deo aequalis facta sit. Sicut enim Verbum ab aequalitate paternae gloriae non recessit: Ita Caro naturam nostri generis non reliquit, ut rursus Leonis aphorismo utamur. Quanquam vero non minus quam divina natura, proprietates suas essentiales perpetuo etiam humana natura Christi retinet: Tamen et ante et post glorificationem, longe superat dignitatem, dona et excellentiam omnium creaturarum rationalium. Nam quod aeternus ac unigenitus Dei Filius hanc massam naturae assumptae sibi propriam fecit, eamque unione hypostatica, seu personali, inseparabiliter ac inconfuse sibi copulavit: id nulli sanctorum Angelorum, aut hominum contigit, neque hanc dignitatem quisquam Angelorum aut hominum sanctorum consequetur in tota aeternitate. Hic enim est mirabilis ille Gigas geminae substantiae, Patre et matre orbus: Qui secundum naturarum, ex quibus constat, differentiam consideratus, simul et Patri et Spiritui sancto, iuxta divinam: Nec non et matri, et nobis, ut caro de carne nostra, et os ex ossibus nostris, iuxta humanam naturam, etiam in gloria, est, manetque ὁμοούσιος. Ratione vero individuae singularitatis, seu unionis in hypostasi, secundum quam nec nudus Deus, nec nudus homo est, sed utrumque in una eademque persona: Differt et a Patre et a Spiritu sancto, et a matre, et a nobis, ut Damascenus testatur lib. 3. fidei orthodoxae c. 3.

Quae autem maior hominis potest esse maiestas et gloria, quam non tantum obumbratione altissimi, rerum praeter seriem a Spiritu sancto conceptum, ex illibata matre Virgine nasci, et inde usque ab origine omnis peccati in aeternum expertem esse, Verum etiam cum *Verbo* constituere unam hypostasin? Propter hanc enim unionem hypostaticam de solo hoc homine, seu Filio Mariae, recte dicitur: Quod homo Christus sit aeternus, et omnipotens Dei filius, quod de nemine alio vel Angelorum vel hominum dici potest. Non enim Angelos, sed semen Abrahae, assumsit, Ebr. 2. Et hanc unionis hypostaticae maiestatem, non tantum quotidianis miraculis suae Christus Ecclesiae, sed universo insuper mundo, vel maxime per gloriosam illam carnis suae resuscitationem, visibilemque Spiritus sancti effusionem, quam evidentissime, quasi ad oculum virtute omnipotentiae demonstravit, ut Apostolus testatur Rom. I.

Propter hanc etiam unionem haec persona, quae est filius Dei, et filius Mariae, ab omnibus creaturis rationalibus, Angelis et hominibus, adoratur et invocatur, una eademque adoratione et invocatione, cum Deo Patre, et Deo Spiritu sancto.

Praeterea cum Filius Dei totum opus redemtionis generis humani, in hac massa naturae assumtae perfecerit: sociam eam, seu κοινωνὸν, id est, participem reddidit omnium victoriarum suarum adversus regnum peccati et mortis. Quam enim in humana natura passionem et mortem sustinuit Christus, ea sola est sacri-

Digitized by Google

ficium propiciatorium, et λύτρον sufficiens pro peccatis totius mundi. Ideoque haec sola Christi caro, quia nimirum facta est propria Verbi cuncta vivificare valentis, ut Cyrillus loquitur, vivifica est, qua mundo vita restituitur: sicut ex solius Iesu Christi plenitudine et merito, tanquam ex vitae et salutis perenni fonte, Sancti omnes hauriunt gratiam coniunctam cum dono per gratiam.

Accedit huc, quod in hac ipsa natura Christus a morte suscitatus in eaque ad dextram Patris collocatus, et ad regnum et sacerdotium, perpetuo exaltatus est, factus caput Ecclesiae suae, et perficiens omnia in omnibus: Ita ut solus in arcanum consilium Patris, adeoque in sancta sanctorum perpetuo ingrediatur, videat et intelligat voluntatem Patris, colligat sibi ex genere humano Ecclesiam, servet ministerium Evangelii, intercedat pro nobis, obumbret ac tegat nos, suae passionis, mortis, effusionis sanguinis, et totius obedientiae, merito, remittat peccata, effundat Spiritum sanctum, restituat iustitiam, vitam, ac laetitiam acquiescentem in Deo: Eamque servet contra portas inferorum, et contra Tyrannorum, ac haereticorum potentiam et furores: denique et mortuos tandem resuscitet, et Electis vitam, atque laetitiam aeternam communicet, posteaquam eos in coelum ad sese transtulerit.

Praeter hosce gradus maiestatis, pertinentes ad excellentiam personae et officii Christi; supra ipsos Angelos, nedum consortes, natura humana Salvatoris nostri, gratiis, donis, ornamentis, perfectionibus, eminentiis, praerogativis, adeoque potestate, maiestate et gloria, secundum Spiritus sancti plenitudinem citra mensuram etiam in sese, gradatim ab ipso unitionis momento locupletata et quasi inuncta est, adeo, ut impletis iam omnibus ad salutem nostram in hoc mundo necessariis, gloriae et honoris coronam, nomenque supra omne nomen, tanquam obedientiae praemium adepta; in sublimi praesertim illo sacerdotalis, et regiae exaltationis, fastigio, sola Deitate sit inferior, et a creatis ceteris rebus licet non genere, tamen gloriae, vitae, lucis, sapientiae, iustitiae, potentiae, ac laetitiae abundantia et supereminentia, hoc est, numero et gradibus donorum, quam longissime differat. Quae tamen omnia ut vere a nobis nec animo comprehendi, nec enarrari lingua possunt: sic ab idiomatis naturae divinae, quae sunt aeterna, infinita, et essentialia, necessario discernenda sunt, iuxta dicta: Cum autem subiecta ei sint omnia, excipitur procul dubio is, qui subiecit ei omnia. 1 Corinth. 15. Item, Caput vero Christi Deus. 1 Corinth. 11. Sicut Christus caput est Ecclesiae. Eph. 5.

Unde Augustinus: Christus in quantum Deus, cum Patre sibi nos subiectos habet: In quantum Sacerdos, nobiscum illi subiectus est. Lib. I. de Trinitate cap. 8. Et recte Magister sententiarum de assumta Christi natura concludit: Non est carni datum, posse omnia facere, quae Deus facit, ne omnipotens, et per hoc Deus, putaretur. lib. 3. distinct. 14.

Digitized by Google

Hoc enim discrimen nisi accurate observetur et retineatur, neque divinitas Christi, quae aeterna et infinita est, ab humanitate discerni: neque essentia et proprietas creaturarum, ac Creatoris, distingui recte possunt. Cavendum est ergo, ne ita divinitatem astruamus Christi Hominis, ut veritatem corporis auferamus. Gloria enim infirmitatem, non veritatem, carni abstulit, secundum Augustinum. Et sicut Deus non mutatur miseratione: ita homo non consumitur dignitate, ut iam olim columna fidei orthodoxae sententiam gravissime decisam edidit. Estque res eiusdem periculi, aut divinam Christi tantummodo, aut humanam fateri, naturam, quia unum sine alio non proficit ad salutem, ut Vigilius Martyr testatur lib. 3. contra Eutychen. Et Hilarius. lib. 9. de fide.

## IX.

## DE DESCENSU CHRISTI AD INFEROS.

*Sicut* articulum ascensionis in allegoriam minime transformamus: ita descensum ad inferos, simpliciter, iuxta symboli historiam, ut sonat litera, intelligimus. Totus enim Christus mortuus, sepultus, descendit, resurrexit. Cumque descensus ad inferos, ut clare symbolum testatur, praecesserit corporis ex sepulcro resuscitationem, acquiescimus in orthodoxae antiquitatis sententia, quam Vigilius Matyr recitat lib. 2. contra Eutychen his verbis: Constat, dominum nostrum Iesum Christum feria sexta crucifixum, et ipsa die ad infernum descendisse, ipsa die in sepulcro iacuisse, ipsa die latroni dixisse: Hodie mecum eris in Paradiso. Caro igitur ipso die non fuit in Paradiso, nec in inferno, sed exanimis iacuit in sepulcro. Anima per illud triduum in inferno, non in sepulcro. Et iure tamen dicimus, Dominum Iesum Christum in sepulcro iacuisse, sed in sola carne: Dominum Iesum Christum non derelictum in inferno, sed in sola anima. Et cum in his omnibus Christus, et in his singulis Christus sit, unus tamen est Christus: cuius sic aliud fuit in sepulcro, aliud in inferno, ut tamen ipse unus atque totus ubique fuerit.

Sic et Fulgentius ad Thrasim. regem lib. 3. Humanitas ergo vera (inquit) Filii Dei, nec tota in sepulcro fuit, nec tota in inferno, sed in sepulcro secundum veram carnem Christus mortuus iacuit, et secundum animam ad infernum Christus descendit. Secundum eandem animam ab inferno ad carnem, quam in sepulcro reliquerat, rediit. Secundum divinitatem vero suam, quae nec loco tenetur, nec fine concluditur, totus fuit in sepulcro cum carne, totus in inferno cum anima, ac per hoc plenus fuit ubique Christus, quia non est Deus ab humanitate, quam susceperat, separatus. Hactenus illi.

Fatemur autem hoc articulo, qui in symbolo triumphi Christi initium est, (mortuus enim propter nos, ut victima, descendit pro nobis, ut victor) destructam esse fidelibus a Salvatore tyrannidem

Digitized by Google

Diaboli et inferorum, hoc est, liberatos omnes, qui credunt in Christum, a potentia Diaboli, et inferis, iuxta illud Oseae 13: Ero pestis tua inferne. Et hanc victoriam certo modo Filius Dei Diabolis ostendit. Nec dubium est, Diabolos sensisse, suam potentiam ab hoc victore frangi: et vere caput serpentis a semine mulieris contritum esse. Est igitur simplicissima sententia: Quod Christus ostenderit suam victoriam Diabolis, et eos terruerit, sed quomodo hoc factum sit, non scrutamur.

## X.

## DE ADIAPHORIS, SEU CEREMONIIS HUMANA AUTORITATE IN ECCLESIA INSTITUTIS.

Cum adiaphora sint ceremoniae, seu ritus externi, nullo verbo Dei vel mandati, vel prohibiti, sed ut omnia in Ecclesia fiant ornate et decenter, ab hominibus instituti: statuimus usum horum indifferentem ac liberum esse: salva tamen fide et caritate, quae solae libertatis huius moderatrices sunt. Nam ut fides novit, quid liceat: ita caritas spectat, quid prosit.

In primis igitur doctrinae puritatis, et legitimi Sacramentorum usus habenda ratio est, in quibus nulla creatura quicquam mutandi potestatem unquam habuit, habetve, aut habitura est. His autem salvis et integris, nequaquam Ecclesiae congregationem vel turbandam, vel deserendam esse iudicamus propter ceremonias, aut ritus, cum verbo Dei non pugnantes. Sed et in temporum et lectionum, et aliorum rituum ordine, pro locorum, personarum, et similium circunstantiarum diversitate, utiliter sanciendo servandum esse decorum, cum gravitate coniunctum: ut semper vitentur superstitio ac scandalum, ac omnia dirigantur ad aedificationem et pacem, sine opinione cultus, et ceremoniarum necessitatis. Rituum enim dissimilitudo non scindit Ecclesiae unitatem, nec Christiana confessio nisi expresso verbo niti potest, debetque: et extra casum dati scandali ceremoniae humana autoritate introductae, ac cum verbo Dei non pugnantes, sine peccato usurpari, mutari, recipi, vel omitti liberrime possunt. Coloss. 2: Nemo vos iudicet in cibo et potu, aut vicibus dierum festorum. Gal. 5: In libertate in qua *Christus* vos vocavit, state, et non iterum iugo servitutis subiiciamini.

Augustinus Epist. 118. ad Ianuarium: Totum hoc genus liberas habet observationes. Nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcunque forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores, iniungitur, indifferenter est habendum, et pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est.

Digitized by Google

## XI.
## DE PRAEDESTINATIONE.

Etsi futurorum eventuum, antequam fiant, praescientiam in Deo minime negamus: et liberrimae voluntatis divinae providentiam, rerum omnium gubernatricem, adiuvantem bona, et metam seu finem malis, ne pro Satanae, mundique libidine in infinitum grassentur, sapienter determinantem, denique recte, iusteque de omnibus decernentem, reverenter agnoscimus, pieque contra Epicureos et Stoicos praedicamus: Tamen de praedestinatione, seu electione Ecclesiae ad vitam et salutem aeternam cogitantes, simpliciter ad consilium et decretum factum de reparatione lapsi generis humani, et patefactum in Evangelio, respicimus: nec aliam iustificationis, aliam electionis, causam quaerimus, nec vel ex ratione, vel ex Lege, sed ex solo Evangelio, de electione iudicamus: adeoque totum salvandorum numerum non nisi a posteriori, ex fide nimirum in Christum, hoc est, ex seria ad Mediatorem conversione, aestimamus.

Certissimi enim sumus, quantacunque disputationum moles cumuletur, necessario tamen in veris agonibus, ne vel in profanam securitatem et hypocrisin, vel in horribilem desperationem, homines praecipitentur, ad hanc quasi arcem tandem confugiendum esse: videlicet, quod de voluntate Dei iudicandum sit ex verbo expresso: quod utraque concio, poenitentiae et gratiae, sit universalis: quod in Deum nec prosopolepsia, nec voluntatis contradictio, cadat: quod denique mandatum Dei aeternum sit et immutabile, audire Filium, et assentiri promissioni.

Est igitur haec simplicissima sententia, in qua praecisis omnium disputationum labyrinthis, pie et firmiter acquiescimus: Cum Deus primos parentes post lapsum vel in nihilum redigere penitus, vel cum diabolis in aeternum summo iustissimoque iure, abiicere, et pro infinita sua potentia novos sibi cultores excitare potuisset: ex abundantia tamen misericordiae pepercisse lapso generi humano, ad imaginem suam condito, et secundum beneplacitum, ac consilium clementissimae voluntatis suae, per ac propter Christum, ut Mediatorem: et in Christo, tanquam capite, in quo nos iam ante fundamenta mundi iacta dilexerit, decreto immutabili destinasse vitae aeternae omnes ad Christum Redemptorem vera fide confugientes, et in hac usque ad finem vitae perseverantes: abiectis omnibus, qui hunc Propitiatorem, a Deo propositum, pertinaci impoenitentia respuerent.

Atque ita causa praedestinationis ad vitam non est in nobis, sed in Deo: εὐδοκία nimirum, perspicuo verbo revelata, quam Augustinus misericordissimam Dei voluntatem nominat. Reprobationis autem causa, procul dubio peccatum in hominibus est, qui vel prorsus non audiunt, nec accipiunt Evangelium, vel antequam hinc discedant, fidem abiiciunt. Nam, ut verissima est sententia,

Digitized by Google

Deum non esse causam peccati, nec velle peccatum: ita promissio requirit fidem, non quidem ratione dignitatis, sed apprehensionis.

Etsi autem fides solius Dei donum est, et opus Spiritus sancti: tamen ordinarium ad consequendam fidem instrumentum est praedicatio Evangelii, iuxta illud: Omnis, qui audit a Patre, et discit, venit ad me. Item: Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Per id enim trahit Deus, et assentientes certo recipit: sicut pertinaciter rebelles, et in impoenitentia morientes absque omni dubio non aliam ob causam, quam propter hunc ipsum Mediatoris contemptum reiicit, iuxta gravissimam sententiam: Qui credit in Filium, non iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomen unigeniti Filii Dei. Iohan. 3.

Huc congruit querela Domini apud Esaiam: Tota die expandi manus meas ad populum contumacem et contradicentem. Ex quo testimonio Paulus ipse rebellionem Iudaeorum, causam reiectionis eorum fuisse concludit. Nec severius praeceptum extat, quam aeterni Patris de Filio: Hunc audite: Matth. 17. Qui hunc Prophetam respuerit, eradibabitur. Deut. 18. Sicut e contrario nec dulcior consolatio, nec certior Electorum nota esse potest, quam quod ipse Spiritus sanctus beatos pronuntiat omnes, qui in Domino, hoc est, in vera agnitione et invocatione Christi Mediatoris ex hac vita emigrant. Apoc. 14. Beati enim omnes, qui confidunt in eo. Psal. 2. Et quisquis invocaverit nomen Domini, servabitur. Rom. 10.

Etsi igitur Deus pro immensitate sapientiae suae, cum Electorum, tum Reproborum numerum, praevidet: Tamen iudicandum est de utrisque ex verbo Dei revelato, nec ex praevisione divina praetextus aliquis, aut excusatio securitati et flagitiis hominum, quaerenda, nec culpa incredulitatis et exitii in Deum conferenda est, iuxta dictum: Perditio tua ex te, o Israel: ex me autem salus tua.

Et praedestinatio proprie non ad numerum, qui in Deo mentis est actio, sed potius ad consilium liberrimae ipsius voluntatis referri debet. Ad consilium, inquam, seu propositum, et decretum Dei aeternum et immotum, de unico illo, eodemque modo recipiendi homines post lapsum in gratiam, sine prosopolepsia, per et propter solum Filium Mediatorem, vera fide apprehensum. Qui modus patefactus in Evangelio, ut est immutabilis, et nulla Diaboli vi, aut fraude, nullaque calamitatis acerbitate, vel everti, vel irritus piis reddi potest: sic neminem prorsus, quo quidem ad paternam clementissimi Dei voluntatem, excludit: cum simul cum assumpta natura toti generi humano communi, communem etiam salutis nostrae caussam in se receperit Mediator, nec venerit aliquos saltem, sed totum genus humanum salvare, quod perierat.

Unde etiam universalem gratiae promissionem tot asseveratio-

Digitized by Google

nibus repetitam, sanctissimo insuper non tantum iuramento, sed et Baptismi, ad quem omnes gentes invitat, sacramento, tanquam universali sigillo obsignare dignatus est: sititque omnium hominum salutem adeo, ut ad agendam poenitentiam nequaquam aliquos duntaxat, sed omnes inde usque ab instauratae Ecclesiae initio, usque ad finem mundi, severissimo mandato obligat, a cuius obedientia nemini unquam immunitatem concessit, nec concessurus est, donec in hoc orbe terrarum Evangelii vox exaudietur. 2 Timoth. 2: Fundamentum Dei stat firmiter, habens hoc sigillum: *Novit Dominus Suos.* Et discedat ab iniquitate omnis, qui invocat nomen Christi.

Ioh. 1: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt, in nomen eius.

Ioh. 3: Sic enim *Deus* dilexit *Mundum*, ut filium unigenitum dederit, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.

Ioh. 6: Haec est voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam.

Matth. 18: Non est voluntas ante Patrem meum, qui in coelis est, ut pereat unus de pusillis istis.

1 Timoth. 2: Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis pervenire.

2 Pet. 3: Deus longanimis est erga vos, non volens ullos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.

Rom. 8: Quos elegit, hos et vocavit, id est, Quisquis Evangelii vocem pertinaciter aspernatur, non est electus. Vocatio enim poenitentiam seu conversionem flagitat.

Iohann. 10: Oves meae vocem meam audiunt. Et ego novi eas, et persequuntur me, et ego vitam aeternam do iis, et non peribunt in aeternum, et nemo rapiet eas de manibus meis.

*Bernhardus:* Prodit in lucem ad miseri consolationem magnum consilium, quod ab aeterno latuerat in sinu aeternitatis: Quod nolit videlicet Deus mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, et vivat.

Augustinus lib. de praedestin. et gratia, c. 15. Tom. 7: Nabuchodonosor et Pharao, quantum ad naturam, homines ambo erant Quantum ad dignitatem, ambo Reges. Quantum ad caussam, ambo populum Dei captivum possidebant. Quantum ad poenam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit diversos? nisi quod unus manum Dei sentiens in recordatione propriae iniquitatis ingemuit: alter libero contra misericordissimam Dei voluntatem pugnavit arbitrio.

Atque ita (Deo sit laus et gloria) recitavimus nostram de articulis inter nonnullos hodie controversis sententiam, qua potuimus perspicuitate et brevitate: quam quidem universae Scripturae Canonicae, et fidei orthodoxae analogon esse, adeoque totius Catholicae Ecclesiae consensu, et omnium recte iudicantium calculo,

Digitized by Google

approbari, plane confidimus. Ut autem ad uberiorem explicationem, ac fraternam declarationem in singulis articulis, quandocunque et ubicunque opus fuerit, nos sponte offerimus: Ita candidos Lectores denuo rogamus, et per sacrosancta Domini nostri Iesu Christi vulnera, quibus redemti sumus, obtestamur, ut dextre porrecta sinistre ne accipiant, sed de gravi hac causa sine affectu et praeiudicio, iudicent, tanquam in conspectu Domini, qui est scrutator cordium, et aliquando vindex erit, iuxta gravissimam comminationem: Qui perturbat vos, portabit iudicium suum, quisquis sit Gal. 5.

Ceterum epilogi loco, ut animorum nostrorum studium ad veram cum omnibus, quantum quidem salva pietate et conscientia, fieri fas est, concordiam pie ineundam, et sancte colendam, publice testificemur, subiicere libet Nazianzeni de componendis tandem, aut saltem moderandis, Ecclesiae controversiis, consilium, ut ad communem pacem accommodatissimum, ita longe aequissimum, et tanto Theologo, quod nomen propter eruditionis, pietatis et constantiae excellentiam sortitus est, dignissimum:

Debebant enim (inquit) Christianorum contentiones vel ideo esse moderatiores, quia inter tot Dei virtutes ac nomina, λόγον quoque, hoc est, Verbum colimus, Ioh. 1. Quod si ergo inimicitias atque odia extinguere non possumus: illud saltem inter nos conveniat, ut mystica mystice, et sancta sancte, proloquamur: nec in prophanas aures, quae in vulgus efferri nefas est, proiiciamus, nec in perniciem nostram gladios hostibus porrigamus: qui cum in suis dogmatibus nihil sibi praesidii roborisque constitutum cernant, hoc in nostrarum rerum imbecillitate venantur: ac proinde quemadmodum muscae vulneribus, ita nostris calamitatibus, aut si mavis, erratis imminent. Hactenus ille Orat. 1. de Theolog.

Commendamus autem et Ecclesiam, et nos ipsos, Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, quem scimus voce Evangelii colligere sibi aeternam haereditatem, quam non patietur infinita Satanae et mundi rabie divexari. Eumque oramus, ut nos regat paracleto Spiritu suo, nec sinat extingui lucem Evangelii sui, aut deleri coetus ipsum vere invocantes, sed ut etiam inter nos sanctum semen sibi conservet, et omnem idolomaniam ac blasphemiam a nobis et posteris clementer avertat. Amen. Die Concordiae, Anno plorVM aVXILIator erIt DeVs.

---



Digitized by Google

## 6.

# CONFESSIO FIDEI IOANNIS SIGISMUNDI, ELECTORIS BRANDENBURGICI.

Nachdem der Durchläuchtigste Hochgeborne Fürst und Herr, Herr Iohann Sigmund, Marggraff zu Brandenburg, des Heil. Röm. Reichs Ertz-Cämmerer und Churfürst, in Preussen, zu Gülich, Cleve und Berg, zu Stettin in Pommern, der Cassuben Wenden, auch in Schlesien zu Crossen und Jägerndorff Hertzog, Burggraff zu Nürnberg, Fürst zu Rügen, Graff von der Marck, Ravenspurg und Mörss, Herr zu Ravenstein, Seiner Churfürstl. Gnaden sich gnädigst und Christlich erinneret, was der heilige Geist beym Propheten Esaia am 30, v. 8. auffzeichnen lassen: Fürsten werden Fürstliche Gedancken haben, und drüber halten, und bei sich gnädigst erwogen, dass unter allen Fürstlichen Considerationen und Gedancken freylich die allererste und nothwendigste sey, weil doch GOTT der Allmächtige die Könige zu Pflegern und die Fürsten zu Seugammen[a]) seiner lieben Kirchen verordnet, mit allem Ernst darob zu seyn, und dahin zu trachten, damit das reine klare Wort GOttes allein aus dem Brünnlein Israels[b]) ohne alle Menschliche Satzung[c]), ohn allen Sauerteig[d]) falschor irriger Lehre, ohn allen Zusatz und Abbruch[e]), in Kirchen und Schulen möge gelehret und geprediget, die heiligen Sacramenta auch nach der Einsetzung des HErrn Christi ohne alle Papististische Superstition, und abgöttische, oder von menschlicher Andacht ertichtete Ceremonien aussgespendet, und also der wahre Gottesdienst recht und wol allein nach Form und Norm[f]) der Göttlichen heiligen Schrifft möge bestellet, und auf die liebe Posterität gebracht werden. Und über das S. Churfürstl. Gn. bey Sich gnädigst betrachtet, wie der mildreiche barmhertzige GOtt, welcher allein Gewalt hat über der Menschen Königreiche, und

a) Esa. 49, 23. b) Ps. 68, 27. c) Matth. 15, 9. d) 16, 6. 1 Cor. 5, 7. e) Deut. 12, 32. Prov. 30, 6. Apoc. 22, 19. f) Esa. 8, 10. Ioh. 5, 39. 1 Cor. 1, 6.

Digitized by Google

giebt sie, wem Er will[g]), Sr. Churfürstl. Gn. so viel Fürstenthümer, Land und Leute untergeben, und in stoltzer Ruhe[h]), wie die Schrift redet, bis anhero väterlich erhalten, damit dieselbe vor allen Dingen nebens dem zeitlichen Schatz auch die geistlichen Güter und Schätze durch das gepredigte reine Wort Gottes und rechten seligen Brauch der heiligen Sacramenten zu ihrer Seligkeit erlangen und behalten mögen: Als haben demnach Se. Churfürstl. Gn. durch Anregung des heiligen Geistes, Ihr nichts liebers und mehrers angelegen seyn lassen, dann dass Sie in deroselben Lande, und sonderlich im geliebten Vaterlande Chur- und Marck-Brandenburg, was noch etwan von Papistischer Superstition, oder anderer menschlichen ungebotenen devotion in Kirchen und Schulen übrig verblieben, folgends gemählich abgethan, und alles nach der Richtschnur Göttliches Worts und der Apostolischen ersten Kirchen, so viel immer müglich und von nöthen, angestellet werde, und damit ja niemands zu Gedancken ziehe, oder von Widerwertigen und Friedhässigen sich einbilden lasse, als wann Se. Churfürstl. Gn. etwas neues, oder was in Gottes Wort nicht aussdrücklich gegründet, anzuordnen, und deroselben Unterthanen beyzubringen, entschlossen, haben Se. Churfürstl. Gn. zugleich Ihre Churfürstliche Confession oder Glaubensbekänntniss hiermit publiciren wollen, auff dass in der gantzen Christenheit kund und offenbar werde, dass Se. Churfürstl. Gn. dem Könige der Ehren die Thore in Ihrem Lande weit und breit eröffnen[i]), dem Herrn die Ehre allein geben[k]), die erkante göttliche Warheit ohne Scheu und Furcht aller Widersacher und Feinde Christi, wie dieselbe immer Namen haben, frey und standhafftig zu bekennen, zu vertheidigen, und durch Krafft und Beystand Göttlicher Gnaden weit fortzupflantzen, gnädigst gemeynet, auss keiner andern Ursach, dann wegen ernsten Befehls Gottes, und nach löblichen Exempeln frommer Könige[l]) und Fürsten Josaphats[m]), Ezechiä[n]), Josiä[o]), Constantini, Theodosii[p]) und vieler andern mehr, dann auch auss schuldiger Danckbarkeit gegen GOtt, der die Warheit selber ist, und zur Ehre seines allerheiligsten Namens, auch zu dero Unterthanen ewiges Heyl und Seligkeit.

Anfänglich und fürs erste, bekennen sich Se. Churfürstl. Gn. von Hertzen zu dem wahren unfeilbaren und allein seligmachendem[q]) Wort Gottes, wie dasselbige in den Schrifften der heiligen Propheten und Aposteln in der heiligen Bibel verfasset, welches aller Frommen einige Richtschnur ist, und seyn sol, Psalm. 119. v. 104. welches vollkommen und gnugsam ist zur

---

g) Dan. 4, 14. h) Esa. 32, 18. i) Ps. 24, v. 7. 9. k) Ps. 115, 1. et 29, v. 2. l) Ps. 2, 11. 1 Reg. 2, 3. m) 2 Paral. 19, v. 4. und n) 29, v. 5. und o) 34, 8. p) Euseb. lib. 4. de vita Constantini. Ambr. in orat. funeb. q) 2 Tim. 3, v. 15. 16. 17. Ps. 119.



Digitized by Google

Seligkeit, auch allen Religionsstreit zu unterscheiden, und bleibet ewiglich r). Hernacher auch zu den Christlichen und allgemeinen Haupt-Symbolis, als den Apostolischen, Athanasianischen, Nicenischen, Ephesinischen, und Chalcedonischen, darinnen die Artickul Christliches Glaubens, kurtz und rund begriffen, und wider alte und neue Ketzereyen auss der Schrifft gnugsam bewähret und behauptet sind: Denn zu der Augspurgischen Confession, so Anno 1530 Kaiser Carolo V. von den protestirenden Fürsten und Ständen übergeben, und nachmals in etlichen Punkten nothwendig übersehen und verbessert worden.

Zu den andern Schrifften, weil sie nicht allein von Menschen, so vielfältig irren können, concipiret, sondern auch viel streitiges, offt widriges und Göttlichem Wort nicht überall gemess, sich darinnen enthaltet, wollen Se. Churfürstl. Gn. weder Sich selbst, noch ihre liebe Unterthanen mit Bedränguiss der Gewissen verbinden lassen, weil doch alle Glaubens-Sachen eintzig und allein auff das Wort GOttes müssen gegründet seyn, und Menschen-Schrifften nicht weiter, als sie mit dem Wort Gottes übereinstimmen, sollen und können angenommen werden, wie Herr Lutherus selbst bekennet s): Die Schrifft ist allein der rechte Lehrer und Meister über alle Schrifft und Lehr auff Erden. Item t), diese Kayserin, die heilige Schrifft, sol herrschen und regieren, und alle andere, sie heissen auch, wie sie wollen, ihr unterthan und gehorsam seyn, sollen nicht ihre Meister und Richter, sondern nur allein schlechte Zeugen, Schüler und Bekenner seyn, es sey gleich der Pabst, Luther, Augustinus, Paulus oder ein Engel vom Himmel herab, es sol auch in der Christenheit keine andere Lehre geprediget noch gehöret werden, dann das reine lautere Wort GOttes, oder sollen beyde Lehrer und Zuhörer verflucht und verdammt seyn.

Belangende etliche Artickul Christliches Glaubens, darüber so viel Streits und Disputation eine geraume Zeit hero durch Anregung des Störenfrieds, des höllischen Geistes in allen Landen erwecket worden, als von der Person des HERRN CHristi, von der Tauffe, vom heiligen Nachtmal, von der Prädestination, Versehung oder Erwählung zum ewigen Leben, bekennen Se. Churfürstl. Gn. hiermit öffentlich, dass Sie im Artickul von der Person Christi von Hertzen gläuben, wie in Christo zwo unterschiedliche Naturen, die Göttliche und Menschliche also persönlich vereiniget und verbunden, dass sie nun und nimmermehr mögen oder können von einander getrennet werden, und dass jede Natur seine gewisse natürliche Eigenschafften habe und behalte, auch in der Persönlichen Vereinigung, und dennoch eine wahre

r) Esa. 40, 8. Matth. 24, v. 35. Luc. 21, 33. 1 Pet. 1, v. 25.
s) Tom. I. Germ. Ien. p. 369. t) Tom. I. Wit. pag. 33.

Digitized by Google

Communion und Gemeinschafft sey, also, dass man recht und wol von Christo alles was von GOtt, und alles was von einem wahren Menschen mag gesaget werden, reden könne, als dass der Mensch Christus sey von Ewigkeit[u]), nemlich, nach seiner Göttlichen Natur, dass der Sohn GOttes gebohren sey auss dem Saamen Davids nach dem Fleisch, Röm. 1, v. 3. Dass der HErr der Herrlichkeit gecreutziget, dass GOtt gestorben sey nach dem Fleisch[x]), dass Christus bey uns sey und bleibe bis ans Ende der Welt[y]), nach seiner unendlich Natur, nach seiner Göttlichen Majestät und kräfftigen Beystand[z]), nicht aber nach der Natur, nach welcher Er gen Himmel gefahren, und von dannen wiederkommen wird[a]), welche ohn Vertilgung ihrer Eigenschafft, auch in der höchsten Glori wesentlich nicht kan überall seyn. Augustin. tract. 109. in Ioh. sintemal überal seyn, mit der göttlichen Natur zugeschrieben wird. Psalm. 139, v. 6. 7. 8. 9. Ier. 23, v. 24. Actor. 17, v. 27. Item dass er unser Mittler, unser Hoherpriester, und unser König sey und bleibe nach beyden Naturen. Item, dass der Herr Christus zwar nach seiner angenommenen Menschheit mit hohen und übernatürlichen Gaben gezieret und gekrönet worden, laut des 8. Psalm. v. 6. dennoch die Menschliche Natur nicht in die Gottheit verwandelt, noch derselben verglichen worden sey, welches der Eutychianische Irrthumb ist.

Die Locutiones abstractivas, das ist, solche Art zu reden, die Gottheit Christi hat gelitten, die Menschheit Christi ist allmächtig überall gegenwärtig, und dergleichen, weil sie in der heiligen Schrifft nicht zu finden, und den Haupt-Symbolis entgegen, auch extensionem, exaequationem et abolitionem naturarum et naturalium proprietatum, das ist, eine Aussdehnung, Vergleichung und Abtilgung der Naturen und Natürlichen Eigenschafften auff dem Rücken tragen, wollen Seine Churfürstl. Gn. aussgesetzet, und niemand zu derselben gantz gefährlichen und hochärgerlichen Gebrauch gezwungen wissen, in sondere Erwegung, dass, weder die orthodoxi Patres, noch Lutherus also gelehret, und dass durch solche und dergleichen locutiones die Artickul Christliches Glaubens, wo nicht gantz und gar verleugnet, doch meistentheils verdunckelt und zweiffelhafftig gemachet, und viele mercklich bishero seyn damit geärgert worden.

Von der heiligen Tauffe, als dem ersten Sacrament des Neuen Testaments, gläuben und bekennen Seine Churfürstl. Gn. dass dieselbe sey wahrhafftig ein Bad der Wiedergeburt und Erneuerung im Heiligen Geist[b]), und dass niemand in das Himmelreich kommen kan, es sey dann, dass er wiedergeboren werde

---

u) Ioh. 1, 18. c. 5, 8. x) 1 Pet. 3, v. 18. und 4, v. 1. y) Matth. 28, v. 20. z) Marc. 16, v. 19. a) Actor. 1, 9. Phil. 3, 20. b) Tit. 3, 5.

Digitized by Google

durchs Wasser und Geist[c]), nicht dass das eusserliche Wasserbad von Sünden waschen, und widergebähren könne, sowol die Ungläubigen als die Gläubigen, sondern dass in solchem heiligen Sacrament die Gläubigen zu Kindern Gottes angenommen, durch das Blut Christi und den H. Geist von ihren Sünden abgewaschen, und durch dieses sichtbare Zeichen des Gnadenbundes gleichsam durch ein gewiss Siegel versichert werden ihrer Seligkeit, wie der Apostel Petrus saget: das Wasser macht uns selig in der Tauffe, die durch jenes (die Arca Noe) bedeutet ist, nicht das Abthun des Unflats am Fleisch, sondern der Bund eines guten Gewissens mit Gott[d]), das ist, wie es D. Luther Tom. 9. Witt. p. 290. am Rande selbst glossiret, stipulatio, dass GOtt sich uns mit Gnaden verpflichtet, und wir es annehmen, oder wie er anderswo von der Tauffe redet, ist dieselbe nicht allein ein ledig Zeichen, oder Losung unter den Christen, sondern ein Zeichen und Werck Gottes, darinnen unser Glaube gefordert, durch welchen wir wiedergeboren werden. Wenn ich gläube, schreibt er an einem andern Ort, Tom. 2. Witt. p. 461. ist mir die Tauffe nütze, wiederumb, wann ich nicht gläube, so ist mir die Tauffe in Ewigkeit nichts nütze. Denn also sagt Christus: Wer da gläubet und getaufft wird: Das ist das Wort Gottes und wird also bestehen. Diesem Wort Gottes gläuben demnach Se. Churfürstl. Gn., dass die heilige Tauffe allein nütze und fromme den Gläubigen, die sich ihres Bundes mit GOtt allezeit, auch da sie etwan in schwere Fälle gerathen, zu getrösten haben. Nicht aber den Ungläubigen, welche dis Gnadenzeichen so wenig hilfft, als die Ungläubigen die Beschneidung, und dass derwegen der gläubigen Christen Kinder, da sie die heilige Tauffe, wegen unverhoffter schleuniger Todesgefahr nicht erreichen können, keinesweges zu verdammen, weil der Sohn Gottes sagt: Wer da gläubet und getaufft wird, der wird selig, wer aber nicht gläubet, der wird verdammet. Denn Herr Lutherus in seiner Kirchenpostillen wol geschrieben: Es ist alle Zeit einträchtiglich gehalten, dass ob jemand gläubte und doch ungetaufft stürbe, der würde darumb nicht verdammet, denn es mag etwan der Fall fürfallen, dass einer gläube, und ob er wol der Tauf begehrte, doch durch den Tod übereylet würde, wie es bisweilen mit jungen Kindern geschehen kan, vor, in oder nach ihrer Geburt, welche doch zuvor durch ihrer Eltern oder anderer Glauben und Gebeth Christo geopffert und ihm befohlen seyn, welche er auch, laut seiner Wort, Lasset die Kindlein zu mir kommen, ohne Zweiffel annimmt. Biss daher Lutherus.

Den Exorcismum anlangende, welcher aus dem Pabstthumb bey der Tauffe in Kirchen verblieben, halten Se. Churfürstl. Gn. dafür, weil derselbe weder von Christo befohlen, noch von den

c) Ioh. 3, 5. d) 1 cap. 3, v. 21.

Digitized by Google

heiligen Aposteln bey der Tauffe jemals gebrauchet, auch eine abergläubische Ceremoni ist, so die Krafft und Wirkung der heiligen Tauffe verkleinert, den Einfältigen ärgerliche Gedancken ihrer Kinder halben, als wann dieselbe leiblich besessen, verursachet, und bey der ersten Kirchen, da noch die Gabe Wunder zu thun, und sonderlich die Teuffel auszutreiben, gewähret, gar einen andern Gebrauch und effectum gehabt, der Herr Christus auch aussdrücklich bezeuget e), dass die bösen Geister durch Fasten und Bethen, nicht durch exorcismos, Menschliche Beschwerung aussgetrieben werden, wie dann die heiligen Apostel, Paulus Ephes. 6, v. 13. und Petrus 1 Cap. 5, v. 8., wann sie einen Christlichen Ritter wider den Satan mit allerley Waffen aussrüsten thun, des exorcismi mit keiner Syllaben gedencken: Auss solchen und vielen mehr Ursachen nunmehr billich einzustellen, und bey den Rechtgläubigen gäntzlich abzuschaffen sey.

Im heiligen Abendmal, welches das andere Sacrament im Neuen Testament, gläuben und bekennen S. Churfl. Gn. weil zweyerley Ding daselbst zu befinden, die eusserliche Zeichen, Brodt und Wein, und der wahre Leib Christi, so für uns in den Tod gegeben, und sein heiliges Blut, so am Stamm des heiligen Kreutzes vergossen, dass auch auff zweyerley Weise dieselben genossen werden. Das Brodt und Wein mit dem Munde, der wahre Leib und das wahre Blut Christi eigentlich mit dem Glauben, und dass demnach wegen der Sacramentlichen Vereinigung in dieser heiligen Action beyde zusammen seyn, und zugleich aussgespendet und genommen werden, gleich wie das geistliche Manna oder Himmelbrodt des Worts geistlich genossen, und in dem Reich Christi, welches nit ist von dieser Welt f), alles geistlich besteht: Also gläuben S. Churfl. Gn., dass das heilige Abendmal auch eine geistliche Speise der Seelen sey, dadurch dieselbe erquicket, getröstet, gestärcket, und mit dem vereinigten Leibe der Unsterblichkeit, gespeiset und erhalten wird. Bleiben demnach stracks ohn allen Zusatz bei den heiligen Worten der Einsetzung, das Brodt sey der wahre Leib Christi, und der Wein sein heilig Blut, Sacramentlich, auf die Art und Weise, wie Gott die heiligen Sacrament, Altes und Neues Testaments eingesetzet und verordnet, dass sie seyn sichtliche und wahre Zeichen der unsichtbaren Gnaden, und der HErr Christus selbst anzeiget, dass das heilige Abendmal ein Zeichen, doch aber nicht bloss oder leer sey, des neuen Bundes, eingesetzet zum Gedächtniss Christi, oder wie es der Apostel Paulus 1 Cor. 11. v. 26. erkläret, zu steter Gedächtniss und Verkündigung seines Todes, damit es sey ein Trostgedächtniss, Danckgedächtniss, Liebgedächtniss.

---

e) Matth. 12, v. 21. Iren. lib 4. c. 34. f) Ioh. 18, v. 30.

Digitized by Google

Und dieweil der Glaube gleichsam der Mund ist, dadurch des HErrn Christi gecreutzigter Leib und sein vergossenes Blut empfangen wird, halten es S. Churfl. Gn. beständig dafür, dass den Ungläubigen, Unbussfertigen solches Sacrament nicht nütze, sie auch des wahrhafftigen Leibes und Blutes Christi nicht theilhafftig werden, weil der Sohn GOttes, da er beym Ioh. 6, v. 54. vom seligen Gebrauch dieses Abendmals redet, rund ausssaget: Wer mein Fleisch isset und trincket mein Blut, der hat das ewige Leben, und zuvor v. 47.: Warlich, warlich, ich sage euch, Wer an mich gläubet, hat das ewige Leben; da Er dann zu verstehen giebt: Dass sein heilig Fleisch und Blut mit dem Glauben müsse selig genossen werden, Und der Herr Lutherus im Kinder-Katechismo bezeuget, dass der recht würdig sey und wolgeschickt, der den Glauben hat an diese Wort: Für euch gegeben, für euch vergossen, denn das Wort, Für Euch, fodert eitel gläubige Hertzen. Wie er denn anderswo auch spricht, wiewol das Sacrament eine rechte Speise ist, doch wer es nicht nimmt mit dem Hertzen durch den Glauben, den hilfft es nichts, denn es macht niemand gläubig, sondern es erfordert, dass er zuvor fromm und gläubig sey.

Die Ceremonien anlangend im heiligen Abendmal, kan ja nicht verleugnet werden, dass der Stiffter dieses Sacraments natürlich ungesäuert Brodt, wie es dazumal bey den Jüden in den Oesterlichen Feyertagen im Gebrauch war, auch die H. Apostel gemein Haussbrodt in ihrer Zusammenkunfft, und nicht eine sonderliche Oblat oder Hostien, wie mans nennet, genommen, welches auch über hundert Jahr in den Kirchen Christi gewähret, biss zu den Zeiten Alexandri I. umb das 119. Jahr, oder wie andere wollen, um das 601. Jahr Christi, zur Zeit des Kaysermörders Phoco. Darumb billich zu erwegen, ob nicht vielmehr auf die erste Einsetzung, dann Menschliche Veränderungen, auf die Weissheit Gottes mehr, denn der Menschen, auch auf die Warheit der Zeichen mehr, denn auf den Schein zu sehen, und ob nicht, wie ein natürlicher Warhafftiger Wein, so gut er vom Weinstock aussgepresset, also auch natürliches und warhafftiges Brodt zu nehmen und zu gebrauchen sey, sonderlich umb der Bedeutung, so von den Alten verzeichnet, und dahin der Apostel selbst weiset 1 Cor. 10, v. 17. Dann gleichwie das natürliche Brodt des Menschen Leib erhält, und wie im 104. Psal. geschrieben, des Menschen Hertz stärcket, also ist der Leib Christi, eine geistliche himmlische Speise, dadurch die Seele genähret, gespeiset und zum ewigen Leben erhalten wird.

Ob nun die Oblaten und Scheinbrodt auch die Krafft und Wirckung haben eines natürlichen Brodts, das da sättigen und stärcken kan, und ob die angeregte Bedeutung dabey gelten möge, lässet man Verständige für sich selbst urtheilen. So kan auch keinesweges geleugnet werden, dass der Herr Christus das Brodt

Digitized by Google

genommen, und gebrochen, und nach dem Brechen allererst ausgetheilet habe, wie denn solches nicht allein von den drey Evangelisten, Matth. am 26. Marc. 14. Luc. 22. ausdrücklich gesetzet, sondern auch vom heiligen Apostel 1 Cor. 11. wiederholet wird, da er bezeuget, er habs also vom HErrn im dritten Himmel empfangen, dass er nemlich das Brodt genommen und gebrochen, und seinen Jüngern gegeben habe, da dann keine ταυτολογία, keine Wiederholung des vorigen, viel weniger eine περισσολογία oder redundantia, ein unnötiges oder überflüssiges Wort den heiligen Evangelisten und dem heiligen Apostel, ja dem heiligen Geist selbst zuzuschreiben, als wenn Brechen nur so viel hiesse, als ausstheilen, wie anderswo, weil da ja nicht vergebens darauff gesetzet: Brachs und gabs.

Wie dann das Brodtbrechen also nach dem Exempel Christi und der Apostel gar viel Jahr in dem üblichen Gebrauch geblieben, dass auch die gantze Handlung des Abendmals fractio Panis, ein Brodtbrechen, per synecdochen oder excellentiam quandam genennet worden, wie zu sehen, Actor. 2. v. 42. zugeschweigen der sonderlichen Bedeutung, dass, gleichwie das Brodt für den Augen der Communicanten gebrochen wird, also hab auch Christus müssen getödtet werden, zu dessen stetwährendem Bildniss das Brodtbrechen im heiligen Abendmal zu behalten, wie dahin der Apostel weisen thut, wenn er spricht, das ist mein Leib, der für euch gebrochen wird. 1 Cor. 11, v. 24.

Demnach erachten S. Churfl. Gn., dass hierinnen nicht auff der Päpste unzeitige Klugheit, nicht auff die alte Gewonheit, nicht auf menschliche Authorität, sondern auf des Herrn Christi ungeänderte erste Einsetzung mehr zu sehen, und die Verrichtung des heiligen Abendmals allein auff die Form und Weise, so der Herr Christus selbst und auss seinem Munde die heiligen Apostel mit deutlichen Worten fürgeschrieben, folgend anzustellen sey. Und ob zwar S. Churfl. Gn. zu solcher Administration niemand mit Gewalt anzuhalten gemeynet, wollen Sie doch hierbey männiglich in Gnaden zu bedencken anheim stellen, welches besser sey, Christo oder dem Anti-Christ, der Warheit oder falschen Gewonheit, der Göttlichen oder Menschlichen Weissheit, dem aussdrücklichen Befehl Christi, (hoc facite) oder der sichern Freyheit der Welt zu folgen, und zu weichen, sondern weil Herr Lutherus selbst Tom. 7. Witt. germ. p. 297. bekennet: Es muss kein Sacrament, sol es anders Christi Einsetzung und Exempel gemess seyn, gehalten werden, es werde dann das Sacrament gebrochen und vom Priester unter viele aussgetheilet. Item, daselbst schreibt er: Nun halte sie gegen einandor, die Anti-Christen und Christum, dieser, Christus, bricht das Brodt, und giebt jedermann davon, jene brechens nicht, und geben niemand davon, behalten es allein, sie haben allein einen Schein des brechens erfunden, wo bleibt nun das Wort Christi: Das thut? Warumb thun sie

Digitized by Google

anders, und wider Christum? Und Tom. 2. Witt. f. 231.: Der Text Pauli, das ist mein Leib, der für euch gegeben wird, ist schlecht zu verstehen vom brechen und ausstheilen über Tisch, wie er auch sagt, 1 Cor. 10. das Brodt, das wir brechen, ist der aussgetheilte Leib Christi.

Im Artickel von der ewigen Gnadenwahl oder Versehung zum ewigen Leben, erkennen und bekennen S. Churfl. Gn., dass derselbe der allertröstlichsten einer sey, darauff sich nicht allein die andern alle, sondern auch unsere Seligkeit am meisten gründet, dass nemlich Gott der Allmächtige aus pur lauter Gnaden und Barmhertzigkeit, ohn alles Ansehn der Menschen Würdigkeit, ohn allen Verdienst und Werck, ehe denn der Welt Grund geleget worden[g]), zum ewigen Leben verordnet und ausserwählet hat alle, so an Christum beständig[h]) gläuben, wisse auch und erkenne gar wol die Seinen[i]), und wie er sie von Ewigkeit geliebet, also schenckt er auch ihnen auss lauter Gnaden den rechtschaffenen wahren Glauben[k]) und kräfftige Beständigkeit bis ans Ende, also dass dieselbe niemand auss der Hand Christi reissen[l]), und niemand von seiner Liebe scheiden könne, dass ihnen auch alles, sey gutes oder böses zum besten gereichen müsse[m]), weil sie nach dem Fürsatz beruffen sind. So hab auch Gott nach seiner strengen Gerechtigkeit alle, die an Christum nicht gläuben, von Ewigkeit übersehen, denselben das ewige höllische Feuer bereitet[n]), wie denn aussdrücklich geschrieben stehet: Wer an den Sohn nicht gläubet, der ist schon gerichtet[o]); wer an den Sohn nicht gläubet, der wird das Leben nicht sehen, sondern der Zorn Gottes bleibet (ergo ist er zuvor schon) über ihm, nicht dass Gott eine Ursach sey des Menschen Verderben, nicht dass er Lust habe an der Sünder Tod[p]), nicht dass er ein Stiffter und Antreiber der Sünde sey, *nicht dass er nicht alle wolle selig haben*[q]), denn das Wiederspiel durchauss in der heiligen Schrifft zu finden ist, sondern dass die Ursach der Sünde und des Verderbens allein bey dem Satan und in den Gottlosen zu suchen, *welche wegen ihres Vnglaubens und Vngehorsams von Gott zum Verdammniss verstossen.* Item, *dass an niemand Seligkeit zu zweiffeln, so lang die Mittel der Seligkeit gebraucht werden*, weil allen Menschen unwissend, zu welcher Zeit Gott die Seinen kräfftiglich beruffen, wer künfftig gläuben werde oder nicht, weil Gott an keine Zeit gebunden, und alles nach seinem Wolgefallen verrichtet. Hierentgegen verwerfen S. Churfl. Gn. alle und jede zum Theil gottslästerliche, zum Theil gefährliche

g) Eph. 1, 4. h) Matth. 10, v. 22. und 24, 13. Rom. 8, v. 29. 30. i) 2 Tim. 2, 19. Ioh. 10, 14. Ioh. 6, 29. k) Rom. 9, v. 18. c. 11, v. 7. 9. Phil. 2, 13. l) Ioh. 10, 28. m) Rom. 8, v. 26. 28. n) Matth. 13, 42. c. 25, 48 o) Ioh. 3, v. 18. und 36. Es. 13, v. 9. p) Ez. 18, v. 31. 32. 33. q) 1 Tim. 2, v. 4. 2 Petr. 3, 9. Matth. 10.

Digitized by Google

Opiniones und Reden, als dass man in den Himmel hinauff mit der Vernunft klettern, und allda in einem sonderlichen Register oder in Gottes geheimen Cantzley und Rathstuben erforschen müsse, wer da zum ewigen Leben versehen sey oder nicht, da doch Gott das Buch des Lebens versigelt hat, dass ihm wol keine Creatur hinein gucken wird, 2 Tim. 2. v. 19.

Item, dass Gott propter fidem praevisam, *wegen des Glaubens, so er zuvor ersehen*, etliche ausserwählet habe, welches Pelagianisch, dass er dem *meisten Theil die Seligkeit nicht gönne, welchen er absolute, blosshin, ohn einige Ursach, auch nicht wegen der Sünde, verdammet*, da doch der gerechte GOTT niemand zur Verdammniss beschlossen, denn wegen der Sünde, und derwegen *der Rathschluss der Verwerfung zur Verdammniss nicht ein absolutum decretum, ein freyer lediger Rathschluss zu achten*, wie der Apostel von den verstossenen Jüden bezeuget r): *Sie, die Zweige, sind zerbrochen, umb ihres Vnglaubens willen. Item, dass die Ausserwählten leben mögen, wie sie immer wollen, dagegen helffe denen, so nicht erwählet, kein Wort, kein Sacrament, keine Frömmigkeit, da doch auss Gottes Wort offenbar, dass kein guter Baum faule Früchte bringe* s), *und dass auch uns Gott erwählet, dass wir sollen seyn heilig und unsträfflich vor Ihm in der Liebe, wie geschrieben, Ephes.* 1, *v.* 4. *Und dass, welcher, als ein edler Rebe, im Weinstocke Christi bleibet, viel Früchte bringe, wer aber nicht in ihn bleibet, weggeworffen werde, wie ein Rebe, und verdorre, und man sammle sie, und werffe sie ins Feuer, und muss brennen, wie Christus der Herr selbst geredet. Ioh.* 15, *v.* 5. 6.

Schliesslichen bekennen S. Churfl. Gn. sich zu den Reformirten Evangelischen Kirchen in diesen und andern Religionspunkten, als welche sich auff Gottes Wort allein fundiren, und alle menschliche traditiones, so viel müglich, abgeschaffet haben. Und obwol S. Churfürstl. Gn. zwar in ihrem Hertzen und Gewissen gnugsam gesichert, dass solch Bekänntniss Gottes Wort allerdings gemess und auffrichtig sey, auch nichts liebers erleben und wünschen möchten, dann dass Gott der Herr auss lauter Gnade und Barmhertzigkeit derselben getreue Vnterthanen mit dem Liecht der unfeilbaren Warheit beseligen und erleuchten wolle, jedoch weil der Glaube nicht jedermanns Ding ist, 2 Thes. 3. v. 2. sondern ein Werck und Geschenck GOttes t), und niemand zugelassen über die Gewissen zu herrschen, oder wie der Apostel Paulus redet u), ein Herr seyn wollen über den Glauben, welches allein dem Hertzenkündiger zustehet, Als wollen S. Churfl. Gn. auch zu dieser Bekänntniss keinen Vnterthanen öffentlich oder heimlich wider seinen Willen zwingen, sondern den

r) Rom. 11, 20. s) Matth. 7, 18. t) Ioh. 6, 29. Phil. 1, 29. Ephes. 3, 8. u) 2 Cor. 1, 24.

Digitized by Google

Curs und Lauff der Warheit GOtt allein befehlen, weil es nicht an Rennen und Lauffen, sondern an Gottes seinem Erbarmen gelegen[x]), verhoffen aber gäntzlich, begehren auch in Gnaden, und befehlen hiermit ernstlich, dass Vnterthane und andere, so entweder die streitige Religionssache nicht verstehen, oder noch zur Zeit nicht gnugsam darinnen informiret seyn, des lästerns, schmähens, diffamirens, wider die Orthodoxos und Reformatos, die man aus lauterm Hass und Neid für Calvinisch mit vollem Mund aussruffen thut, gleich wie vor Zeiten Tertullianus in Apologetico von den Christen geschrieben: Oditur in innocuis innocuum nomen, sich gäntzlich enthalten, mit den Schwachgläubigen, so sie vermeinen starck zu seyn, Gedult tragen, nach der Ver. mahnung des Apostels Pauli[y]) und was sie selbst nicht gelesen, noch bissanhero gnugsam verstanden, nicht bald verketzern oder verdammen, sondern in der Schrifft mit Fleiss forschen, das Urtheil heimgeben dem, der da recht richtet, welcher auch wird ans Licht bringen, was im finstern verborgen ist, und den Rath der Hertzen offenbaren, alsdann wird einem jeglichen von GOtt Lob widerfahren etc. 1 Cor. 4. v. 6.

---

x) Rom. 9, 16. y) Gal. 4, 1. Rom. 14, 1.

Digitized by Google

## 7.

# COLLOQUIUM LIPSIENSE,

Das ist,

## DIe Vnterredung

deren zu Leipzig im Jahr 1631. anwesenden Chur-Sächsischen, Chur-Brandenburgischen vnd Fürstlichen Hessischen Theologen,

Von denen zwischen den Evangelischen streitigen Religions Puncten.

Wiederholet vnd nachgedruckt Zu Franckfurt an der Oder durch Michael Kochen Buchdrückern, Im Jahr M. DC. XL.

ALS durch sonderbahre schickung des Allmächtigen GOttes, die Hochlöblichste vnd Hochlöbliche Evangelische vnnd protestirenden Chur-Fürsten vnnd Stände, in zimlicher starcker anzahl, zu Leipzig, auff dem angestalten *Convent* sich befunden, vnd in Churf. Durchl. zu Brandenburg, vnsers gnädigsten Churfürsten vnnd Herrn, *Comitat*, dero *Theologus* vnd Hoffprediger Herr *D. Johann Bergius*, wie auch an Ihrer Fürstl. Gn. Herrn Landgraff Wilhelms zu Hessen, vnsers gnädigsten Fürsten vnd Herrn Hoffstadt dero *respective Theologus* vnd Hoffprediger Herr *D. Johann Crocius*, vnnd Herr *Theophilus Newberger* gewesen, haben dieselbe, theils der Churf. Durchl. zu Sachsen, etc. vnsers gnädigsten Churfürsten vnd Herrn, anwesenden Ober-Hoffprediger *Doctori Matthiae* Hoë von Hoenegg, theils aber den beyden Herren *primariis Professoribus Theologis* zu Leipzig, als *Doctori Polycarpo* Leysern, Superintendenten, vnd *Doctori Henrico Höpffnero*, zugesprochen, denselben auss friedliebenden Gemüt zu erkennen gegeben, vnd beklaget, dass zwischen beyder *Religion* zugethanen *Theologen* bisshero so hefftige Streitigkeiten fürgegangen, vnnd dadurch die Papisten zu nicht geringer Frolockung verursachet worden weren. Man hette auch gnugsam verspüret,

Digitized by Google

was für vngemach darauss entstanden, vnd wie das Pabstumb solcher Trennung vnnd Zwiespalts zwischen vns beyderseits zu ihrem mächtigen Vortheil sich gebrauchet hetten. Nun aber nicht allein ihnen, sondern auch ihren Gnädigsten vnd Gnädigen Chur- vnd Fürstlichen Herrschafften nichts liebers vnd angenehmers seyn vnd wiederfahren würde, alss wenn entweder die bishero fürgefallene Streitigkeiten gäntzlich verglichen, oder doch zum wenigsten gemildert vnd gemindert werden möchten. So ersuchten sie die Chur-Sächsische freundlich, ob denselben beliebte, dissfals mit ihnen Vnterredе zu pflegen, vnd zu versuchen, wie weit bey jetziger gelegenheit man beyderseits in einem so guten vnd der Evangelischen Kirchen zuträglichen fürhaben kommen vnd gelangen könte: Mit angehefftem bedinge, dass diese *conferentz* vnnd gantze pur lautere *Privat*handlung allerdings vnverfänglich vnd *vnpräjudicirlich* seyn solte: Sie weren auch geneiget, alles zu thun vnd zu leisten, was nur zur erhebung vnd *facilitir*ung dess fürhabenden Werckes sie ohne nachtheil ihres Gewissens thun vnd willigen könten. Wüsten hierüber, dass Sie bey ihren Chur- vnd Fürstlichen Herrschafften mit dergleichen Werck nicht anstreichen, sondern denen zu gnädigsten vnd gnädigen gefallen handeln thäten.

Worauff die Chur-Sächsische obbemeldte drey *Theologen* sich erkleret, ihnen sey vnverborgen, vnnd beklagten es gleicher gestalt höchlich, dass den Evangelischen Kirchen zu grossen schaden die Streitigkeiten bisshero dermassen gewachsen, vnnd sich von Tage zu Tage gleichsam gehäuffet hetten. Wünschten ihres theils von Hertzen, dass GOtt heilsame Mittel vnd Wege zur Vergleichung geben vnd bescheren wolte: Vnd da sie mit darsetzung ihres Bluts die Einigkeit gebürlicher weise, vnd der Göttlichen Warheit allerdings ohne nachtheil, befördern könten, dass Sie darzu williger als willig sich erfinden lassen wolten.

Ob aber, weil das Werck von hoher *Importantz*, vnnd die sämptliche Kirchen vnd *Theologen* beyderseits betreffe, denen man vberall nichts zum verfang handeln vnd begeben möchte, in solcher enge, vnd zwischen so wenig Personen, etwas fruchtbarliches aussgerichtet werden könte, da stünden sie nicht wenig an. Es were den Herrn Chur-Brandenburgischen vnd Fürstlichen Hessischen *Theologen* bekandt, dass es auch dissfalls heisse: *Quod omnes tangit, ab omnibus curari debet.* Was alle angehe, das müsse auch mit aller Einwilligung abgehandelt werden. *Item: Quod capita, tot sensus:* viel Köpff, viel Sinn. So müsten die Chur-Sächsische es in alle wege an Ihre Churf. Durchl. zu Sachsen, ihren gnädigsten Herrn, vnd dero hochansehnliche Herren geheime Räthe bringen, ohne deren vorbewust Ihnen durchauss nicht gebührete, dissfalls auch im wenigsten etwas fürzunehmen, weil die Sache in den *Statum publicum* sehr lauffe. Welches erinnern die Chur-Brandenburgischen vnnd Fürstliche

Digitized by Google

Hessischen *Theologi* zwar wol vermercket, dabey aber angedeutet, Sie zweiffelten nicht, So man hier nur einen anfang machte, vnd gleichsam einen guten Grund zu legen versuchete, es würden die andern vnd übrigen *Theologi* in Deutschland sich desto leichter bequemen, Nachmaln auch in andern Königreichen vnd Landen, so viel das *principal* Werck betrifft, der Beyfall wol erfolgen, so zumahl mit der zeit die hohen Häupter vnd Obrigkeiten, dieses hochwichtige Werck zu befördern sich bemüheten, Gestalt ihre gnädigste vnnd gnädige Chur- vnnd Fürsten darzu gantz begierig vnd willig sich finden lassen würden: Sie lebten auch der gewissen zuversicht, weil sie nichts verfängliches oder gefährliches suchten, Sondern nur von Hertzen wünscheten, fleiss anzuwenden, ob der schädliche Riss der Evangelischen Kirchen könte geheilet werden, es würde Churf. Durchl. zu Sachsen Ihr dieses Werck nicht zuwider seyn lassen.

Vnd demnach höchstermeldete Ihre Churf. Durchl. zu Sachsen, neben dero geheimbten Räthen, auff vorhergegangenes gebürliches hinterbringen, endlich so weit das fürhaben *placitiret*, dass es gantz vnd gar mehr nicht, dann zu diesem mahle nur eine *privat* vnd allerdings vnverfängliche *conferentz*, auch allein dahin gemeinet seyn solle, zu vernehmen, anzuhören vnd zu erwegen, Ob vnd wie fern man in der Augspurgischen *Confession* einig, oder ob vnnd wie man auff beyden theilen näher zusammen rücken möchte, So sind beyderseits *Theologi* im Namen der Allerheiligsten Dreyfaltigkeit zum ersten mahl den 3. Martii, vor Mittag, in dess Churf. Sächsischen Ober-Hoffpredigers der zeit innengehabten Losament, zusammen kommen, Da dann anfänglich die Chur-Brandenburgischen vnd Fürstliche Hessische *Theologi* sich freywillig erkleret, dass sie mit Mund vnd Hertzen zu der *Anno* 1530. den 25. *Junii*, Käyser *Carolo* dem Fünfften hochlöblichster gedechtnüss von den Evangelischen Chur-Fürsten vnnd Ständen zu Augspurg, auff dem Reichstag, vbergebener *Confession* sich bekenneten, vnd derselben, wann vnd wo es begehret würde, ohne einiges bedencken vnterschreiben wolten, sogar, dass ihnen auch nicht zuwieder were, mit vnterschreibung eben dessjenigen Exemplars, so im Chur-Sächsischen Augapffel befindlich, ihren *consens* zu bezeugen. Vnd wolten solches vmb so viel desto lieber vnd mehr thun, weil nicht allein Sie an ihrem Ort die Pflicht auff die Augspurgische *Confession* geleistet, Sondern auch zu derselben, so wol als ihre Gnädigste vnd Gnädige Herrschafften, in der Chur-Brandenburg, vnd im Fürstenthumb Hessen, sich öffentlich jederzeit bekennet, Sie auch in ihren Kirchen vnnd Schulen getrieben hetten.

Belangend aber die *Edition*, so *Anno* 1540. zu Wormbs, vnd *Anno* 1541. zu Regenspurg auff seiten der Evangelischen, in denen mit den Papisten angestalten Gesprächen vbergeben worden, könten vnd begehrten Sie solche auch nicht zu verwerffen: Sondern richteten sich dissfals nach der Erklerung der Evange-

Digitized by Google

lischen Chur-Fürsten, vnd Stände, die Sie von solcher *Edition* der Augspurgischen *Confession* im Naumburgischen *Convent*, *Anno* 1561. gegen Käyser *Ferdinando* dem Ersten höchstrühmlichster gedechtniss gethan hetten. Welches die Chur-Sächsischen zwar dahin haben gestallt seyn lassen; Sich aber ihres theils, wegen der Naumburgischen Handlung, auff die Erklerung, so die Evangelischen Chur-Fürsten vnd Stände in der Vorrede dess *Concordien*-Buchs gethan, hingegen beruffen.

Nach diesem hat beyderseits *Theologen* beliebet, durch alle Articul der Augspurgischen *Confession speciatim* vnd absonderlich zu gehen, vnd wegen derselben ihre meinung zu eröffnen: Da sie dann den Ersten Articul von Gott allerdings, vnd von wort zu wort gut geheissen: Auch die Chur-Brandenburgische vnd Fürstl. Hessische dabey aussdrücklich vermeldet, Sie gläubten mit vnd neben den Chur-Sächsischen fest, dass Gott einig sey im Wesen, vnd drey in Personen: dass auch die Einigkeit des Göttlichen Wesens, vnd das geheimniss der drey vnterschiedenen Personen in der Gottheit, im Alten vnd Newen Testament, mächtig vnd vnwiedertreiblich gegründet sey; vngeachtet etlicher Sprüche anderwertiger Ausslegung, so von etlichen Lehrern in ihren Schrifften geschehen seyn mag. Sie gläubten auch, so wol als die Chur-Sächsische, von Hertzen, dass Gott *simpliciter*, vnd allerdings, ein ewiges, vnleibhafftes vnd vntheilhafftes Wesen, ohne Ende, vnnd ohn einige Verschrenckung, also vnermesslich allmächtig sey, dass Er alles thun könne, was Er nur wolle, vnnd dass ihm gantz nichts vnmüglich, denn allein was nach aussweisung Göttliches Worts, seiner Natur vnd Willen zuwieder vnd entgegen ist. In allen vbrigen Punkten auch, die im Ersten Artickel, so wol im gegensatz begriffen, weren sie durch vnd durch einmütig vnd einstimmig.

Vom andern Artickel haben beyderseits *Theologen* sich erkläret: Sie gläubten, dass nach dem Fall Adae alle Menschen, so natürlich geboren werden, auch der gläubigen Kinder, warhafftig in Sünden empfangen vnd geboren werden, dass auch dieselbe Seuche vnd Erbsünde in ihnen warhafftig Sünde sey, vnd alle diejenigen vnter dem ewigen GOttes Zorn verdamme, so nicht durch die Tauffe vnnd den Heiligen Geist wiederumb new geboren werden, Darbey es also in der Ersten *Conferentz* verblieben.

Nach Mittage am dritten, wie auch am vierdten *Martii*, ist der dritte *Articul* der Augspurgischen *Confession* in fleissige Erwegung gezogen worden. Vnd zwar so haben die Chur-Brandenburgische vnd Fürstl. Hessische sich dahin erkleret, dass sie dem Buchstaben vnd Worten nach, alles das annehmen vnd für wahr halten thäten, was in dem *Articul* stehe: Denn Sie nicht weniger als die Chur-Sächsischen vnwidersprechlich gläubeten, Gott der Sohn sey wahrer Mensch worden, geboren auss der Jungfrawen Maria, welche vor, in vnd nach der Geburt eine reine

Digitized by Google

Jungfraw geblieben, vnd nicht nur eine Menschengebärerin, auch nicht nur *Χριστοτόκος*, oder eine Christgebärerin, sondern warhafftig eine *Θεοτόκος* oder Gottsgebärerin sey. Dieser wahrer Gott vnd Mensch sey in einer vnzertrenten Person warhafftig geboren, Er habe warhafftig gelitten, Er sey gecreutziget, gestorben, begraben, warhafftig am dritten Tage von den Todten auffersanden, auffgefahren gen Himmel, sitzend zur Rechten Gottes, dass Er ewig herrsche vber alle Creaturen vnd regiere, dass Er alle, so an Ihn gläuben, durch den heiligen Geist heilige, reinige, stercke, tröste, ihnen auch Leben vnd allerley Gaben vnd Güter ausstheile, vnd wieder den Teuffel vnd wieder die Sünde schütze vnnd beschirme, vnd wie die Wort des Artickels weiter lauten. Wünschten auch, das sie bey solcher *summa*rischen Bekentnüss gelassen werden möchten.

Weil sie aber nicht in abrede gewest, dass die Wort des dritten Artickels nicht auff gleiche weise von den Chur-Sächsischen vnd den Chur-Brandenburgischen vnd Hessischen *Theologen* verstanden würden, vnd dass in vnterschiedlichen Puncten zimlich harter vnd hefftiger Streit bisshero fürgegangen: So haben sie ihnen nicht zuentgegen seyn lassen, dass vnter einander weiter von solchen hohen vnd wichtigen Puncten vnterredē gehalten würde: Da dann nach hin vnd her beschehener erwegung es endlich dahin gerichtet worden, dass die Chur-Sächsische, vnd auch Chur-Brandenburgische vnd Fürstl. Hessische anwesende *Theologen* in nachfolgenden *Puncten* sich verglichen:

1. Dass der Sohn GOttes eine vollkommene, auss Seel vnd Leib bestehende Menschliche Natur, allein im Leib der Jungfrawen *Mariä*, inn die Einigkeit seiner Göttlichen Person angenommen, Also, dass krafft der Persönlichen vereinigung der Sohn Gottes nicht nur *verbaliter* oder den worten nach, Sondern warhafftig vnd in der That selb Mensch, vnd hingegen der Mensch nicht nur wörtlich, Sondern auch warhafftig GOttes Sohn sey, vnd dass dieselbe Person alle Eigenschafften beyder Naturen gemein habe, Solche auch von Ihr recht gesaget werden.

2. Dass die zwo Naturen in Christo, die Göttliche vnd die Menschliche, also vnaufflösslich vnd vnzertrenlich mit einander vereiniget seyn, dass zu keiner Zeit vnd an keinem einigen Ort, sowol im Stande der Erniedrigung, als der Erhöhung, einige zertrennung oder sonderung zwischen den Naturen geschehen, vnd keine jemaln von der andern abgeschieden gewesen, auch im Tode selbst nicht. Denn ob wol dazumahl das Band des Leibes vnd der Seelen zertrennet worden, So sey doch das Bandt der Persönlichen Vereinigung beyder Naturen vnzertrennet vnd vnaufflösslich geblieben, krafft dessen auch der Sohn Gottes ausser, das ist, ohne sein Fleisch, vnd von demselben abgesondert, weder jemaln oder irgends, nach der Empfängniss gewesen, vnd ohne sein angenommenes Fleisch jemaln vnd irgends seyn werde.



Digitized by Google

3. Dass nicht allein die beyden Naturen gantz vnzertrenlich vnd vnaufflösslich auffs aller innerste, sondern auch *inconfuse*, vnd ohn einige Vermengung, Vermischung vnd *exaequation* oder gleichmachung, so wol der Naturen, als derselben Eigenschafften, mit einander vereiniget seyn. Dann wie die Göttliche Natur durch die Persönliche vereinigung nicht die Menschliche Natur, noch diese die Göttliche Natur worden: Sondern die Göttliche Natur Göttlich bleibet; die Menschliche auch eine wahre Menschliche Natur ist vnd bleibet in Ewigkeit: Also auch sind die Göttlichen Eigenschafften der Göttlichen Natur Eigenschafften gebliehen, vnd niemaln der Menschheit Eigenschafften worden: Gleich wie auch die Menschheit ire Eigenschafften behalten, vnd solche der Göttlichen Natur Eigenschafften nicht worden sind.

4. Ist man dessen beyderseits einig worden, Ob wol Leyden vnd Sterben allein der Menschlichen Natur Eigenschafften sind, So habe doch nicht eine blosse Menschheit gelitten, Sondern GOttes Sohn selbst, der Herr der Herrligkeit 1 Cor. 2. der Fürst des Lebens, Act. 3. der gelobte GOtt von Ewigkeit, habe nach dem Fleisch gelitten, vnnd ihm das Leiden seines Fleisches appropriiret vnd zugeeignet, Rom. 9. 1 Pet. 4. Vnd sey das für vns vergossene Blut, nicht nur ein blosses Menschen Blut, Sondern auch des Sohnes GOttes Blut, 1 Ioh. 1. oder GOttes eigenes Blut, wie S. Paulus redet, Actor. 20.

5. Dass die Reden, die Gottheit selbst hat gelitten, *Item*, die blosse Menschheit allein hat gelitten, beyde vnschrifftmessig seyn, Derowegen man deroselben sich billich enthalte.

6. Sind beyderseits *Theologi* dessen einig gewesen, dass in Christo, nicht nur den blossen Worten nach, sondern warhafftig die gantze fülle der Gottheit leibhafftig wohne, Col. 2. vnd das der gantze Christus ohne zertrennung der Naturen, allwissend, allmechtig vnd allgegenwertig sey, Nicht zwar, als ob die allwissenheit, allmacht vnd allgegenwart auch der Menschlichen Natur eigenschafften weren, oder derselben in, an, vnd auss ihr selbst zustünden: Vielweniger, als ob diese Eigenschafften wesentlich in dem Fleisch Christi hafften, Sondern sie seyn vnd bleiben allein der Göttlichen Natur Eigenschafften, vnd werden der gantzen Person, GOtt vnd Menschen, vmb der innerlichen Persönlichen Vereinigung beyder Naturen willen, zugeschrieben.

7. Ist man beyderseits einig, dass der gantze JEsus Christus in einer vnzertrenten Person, als GOtt vnd Mensch, ohn einige ausssschliessung oder absonderung der Menschlichen Natur, anzuruffen, vnd das vertrawen auff ihn vnd seinen allerheiligsten Verdienst zu setzen sey, Allermassen im *Ephesini*schen Concilio hievon beschlossen worden.

8. Bekennen beyde Theil, dass der gantze JEsus in einer vnzertrenten Person, GOtt vnd Mensch, im Himmel vnd auff Erden allgegenwertig (jedoch ohne eine leibliche Räumligkeit) alles regiere

Digitized by Google

vnd behersche, von einem Meer biss zum andern, Ps. 72. dass ihm alles vnter seine Füsse gethan sey, Ps. 8. dass er einen Fuss auff dem Meere, den andern auff der Erden habe, Apoc. 10. dass er bey vns seyn vnd bleiben werde biss ans Ende der Welt, Matth. 28. Vnnd wo ihrer zween oder drey in seinem Namen beysammen sind, dass er alsdann auch gantz mitten vnter ihnen sey, Matth. 18; dass er alles in allem erfülle, Ephes. 4. Vnd dass nach *S. Pauli* ausspruch, GOtt der Vater den HErrn JEsum aufferwecket von den Todten, dass er ihn gesetzet zu seiner Rechten im Himmel vber alle Fürstenthumb, gewalt, macht, Herrschaft, vnd alles was genandt mag werden, nicht allein in dieser Welt, sondern auch in der zukünfftigen.

9. So lassen beyderseits *Theologi* die Hellefahrt des HErrn einen schweren vnd wichtigen Glaubens-Artickel bleiben, der so wenig als der Artickel vom Sitzen zur Rechten mit Menschlicher Vernunft könne erreichet vnd begriffen werden, vnd bekennen, dass der gantze Christus, Gott vnd Mensch, zur Helle gefahren, den Teuffel vberwunden, der Hellen Gewalt zerstöret, vnd dem Teuffel alle seine Macht genommen habe.

10. Ist man auff beyden Theilen darinnen einig, dass der HErr Christus nicht schon in Mutterleibe, sondern allererst den viertzigsten Tag nach seiner Aufferstehung gen Himmel gefahren sey: Ob Er aber wol warhafftig, räumlich vnd sichtiglich, vnd nicht etwan verschwindungsweise gen Himmel gefahren, vnd der Himmel, dahin Er gefahren, vnd in welchem die gebenedeyten des himmlischen Vaters seyn, eine liebliche Wohnung, vnd gewisser ausser dieser Welt in der höhe befindlicher von GOtt verordneter Ort ist, da wir vnsere Wohnunge haben sollen, Ioh. 4. So sey doch der HErr im Himmel nicht eingeschlossen.

11. Gestehen beyde Theile, dass durch die Rechte des Allmächtigen Vaters weder gewisser oder erschaffener Ort, vnnd durch das sitzen zur Rechten GOttes kein leibliches oder räumliches sitzen verstanden werde: Sondern die Rechte GOttes heisse so viel als die Majestät, Krafft vnnd Allmacht Gottes, daher sie die Rechte der krafft GOttes genennet wird, Luc. 22. *Item*, die Rechte der Majestät in der Höhe, Hebr. 8. die Rechte, so den Sieg behelt, Ps. 118. die Rechte, für welcher niemand sich verbergen oder entwenden kann, Ps. 139. Das sitzen aber zur Rechten GOttes sey, dass Christus ewig regiere vnd hersche, welches auch von ihm nach der Himmelfahrt vollkömmlich vnd herrlich, nach beyden Naturen, vber alle Creaturen geschicht, Sonderlich aber regieret Er seine Kirche, als dero Häupt, durch welches der Vater alles beherschet, vnd welches Er von männiglichen wil geehret vnd angebetet wissen.

12. So sind beyderseits *Theologi* von dem Ampt des HErrn Jesu Christi dessen einig, dass der HErr Christus habe nach beyden Naturen das H. Mitler- vnd Erlösungs-Ampt verrichtet:



Digitized by Google

Gottes Sohn habe in, mit vnd durch das angenommene allerheiligste Fleisch gewircket: Vnd sey demnach die angenommene Menschheit von wahrer verrichtung vnd kräfftiger *cooperation* oder mitwirckung der Amptswercke des Herrn, als von der Lebendigmachung, von der Rechtfertigung, von der Seligmachung der Menschen vnd dergleichen, durchauss nicht ausgeschlossen, Daher das Fleisch des Sohns GOttes ein lebendigmachendes Fleisch genennet werde, Ioh. 6. Vnd das Blut des Sohns Gottes habe die Krafft, alle Menschen zu reinigen von allen ihren Sünden, 1 Ioh. 1.

Vber dieses aber haben die Chur-Sächsische *Theologi* ferner die vnfehlbare gründliche Warheit zu seyn bekennet, dass der HErr JEsus nicht allein nach der Göttlichen, sondern auch nach der Menschlichen Natur, warhafftig allwissend, allmechtig vnd allgegenwertig sey: Jedoch dass die Allwissenheit, Allmacht vnd Allgegenwart der Menschlichen Natur nicht alss natürliche Eigenschafften, Sondern alss durch die Persönliche vereinigung, vnd durch die zur Rechten GOttes erfolgete Erhöhung mitgetheilet, auch in der Person vnd nicht ausser derselben absonderlich zugeschrieben werden. Wie denn auch die Chur-Sächsischen bey der Regul vnverrückt geblieben, Alles was von Christo gesaget werde, dass Er in der zeit an Herrligkeit, Macht, Majestät vnd Ehre empfangen, dass solches nicht nach der Göttlichen, sondern allein nach der Menschlichen Natur zu verstehen sey, nach welcher Christus habe können erhaben, vnd ihme auss gnaden der Name vber alle Namen gegeben werden, wie die alte Regel lautet: *Excelsus non exaltatur, sed caro excelsi exaltata est.* Der schon als GOtt von Natur hoch, ja der Allerhöheste ist, der kan nicht erst in der zeit erhöhet werden, das Fleisch aber des Allerhöchsten ist in der zeit, jedoch nicht ausser der Person, sondern in der Person, zu der vnendlichen Göttlichen Majestät, Ehre vnd Herrligkeit erhaben worden.

Hierauff haben sich die Chur-Brandenburgische vnd Fürstl. Hessischen also erkleret, Sie bekenneten gar gerne, dass die Gottheit, oder Christus nach seiner Gottheit, eigentlich nicht erhöhet, dass er auch keine newe innerliche Herrligkeit, Macht, Majestät noch Ehre nach der Gottheit an ihr selbst empfangen: Dann nach derselben ist vnd bleibet er von Ewigkeit der Allerhöchste, Mächtigste vnd Vollkommenste: Jedoch, dass auch nicht die Menschliche Natur für sich allein vnd absonderlich erhöhet, gleich wie sie nicht allein vnnd absonderlich gelitten, Sondern das die Person des Sohns Gottes im Fleische bis zum Tode des Creutzes erniedriget, vnd im Fleische durch seine Aufferstehung, Himmelfahrt vnd sitzen zur Rechten Gottes erhöhet sey, durch welche Erhöhung die Menschheit an ihr selbst verkläret, vnd vber alle Creaturen erhaben, die Gottheit aber nicht an ihr selbst, sondern nur vns Menschen vollkömlicher verkläret vnd offenbaret ist, dass

Digitized by Google

auch das Mitlerampt, vnd gantze Amptsgewalt vnnd Ehre, nicht der einen oder andern Natur absonderlich, sondern der gantzen Person, dem Sohne Gottes im Fleische, vom Vater gegeben sey, welches Ampt Er auch, wie zuvor erkläret, nach beyden Naturen zugleich führet vnd verrichtet. Sie bekennen ferner, dass zwar Christus nicht allein nach der Gottheit, sondern auch nach der Menschheit, durch erleuchtung vnd mitwirckung der Gottheit, alle ding wisse vnd alle ding zu thun vermöge, die einigesweges zu seinem Mitlerampt gehören; dass Er auch nicht nach der Gottheit allein, Sondern auch nach der Menschheit seiner Kirchen auff Erden mit seiner kräfftigen wirckung, gnad vnd hülffe stets gegenwertig sey, dieselbige mechtiglich schütze, erhalte vnd regiere mitten vnter seinen Feinden, nach der Verheissung: Ich bin bey euch biss an der Welt ende, vnd, Wo zwey oder drey in meinem Namen versamlet sind, da bin ich mitten vnter ihnen.

Nur allein verneinen sie festiglich vnd haltens der H. Schrifft zuwieder seyn, dass Christus nach der Menschheit, oder die Menschliche Natur vnd Wesen, oder der Leib Christi seiner *Substantz* vnd Wesen nach, vnsichtbarer weise, an allen Orten vnnd bey allen Creaturen sey, weder im Stande der Erniedrigung, noch im Stande der Erhöhung, weder wegen der Persönlichen vereinigung, noch wegen des sitzens vnd herschens zur Rechten Gottes. Sie verneinen auch, dass die andern Göttlichen Eigenschafften, Allwissenheit oder Allmacht der Menschlichen Natur also mitgetheilet seyn, dass dieselbe, in einerley vnendlichen Macht vnd Wissenschafft mit der Göttlichen, allwissend oder allmechtig worden sey, vnnd ihr solches *in abstracto*, wie man in Schulen redet, das ist, mit Natur Namen, recht zugeschrieben werden könne.

Schliesslich halten sie es dafür, dass kein besser Mittel zur vergleichung in diesem Punkt sey, als dass man in diesem hohen Geheimniss bey denen Redens-Arten allein, welche in der heiligen Schrifft, inn den vhralten allgemeinen *Conciliis*, vnd in der Augspurgischen *Confession* aussdrücklich gebraucht worden, verbleibe, wie sie denn ihres theils zu keinen andern Reden sich verbinden wollen. Welches letztere die Chur-Sächsische auff künfftige fernere Vnterreduung vnd mehrer Aussführung haben gestellet seyn lassen. Vnnd so viel vom dritten Articul. Bey welchem beyderseits *Theologi* angehenget, dass sie von Hertzen verdampten vnd verwürffen, alle Irthümb der alten vnd newen *Arrianer*, *Nestorianer*, *Eutychianer*, *Monotheliten*, *Marcioniten*, *Photinianer*, vnnd wie sie immer Namen haben möchten, dargegen sich zum Apostolischen, Nicenischen, Athanasianischen *Symbolen* mit Mund vnd Hertzen bekennen theten.

Im vierden Artickel sind beyderseits *Theologi* auch einstimmig gewesen, vnd haben die Chur-Brandenburgische vnd Fürstl. Hessische sich erkleret, dass der vierde Artickel gleichesfallss jedes-

Digitized by Google

mals von ihnen sey beliebet, vnd darbey gelehret worden, dass Christus der HErr vnd Heiland für alle Menschen gestorben, vnd mit seinen Todt für die Sünde der gantzen Welt völlig, vollkömlich, vnd in sich kräfftiglich genug gethan habe: Dass es auch nicht nur ein Scheinwille were, Sondern dass es sein eigentlicher ernster wille vnd befehlich, dass alle Menschen an ihn solten gläuben, vnnd durch den Glauben selig werden: Also, dass keiner von der Krafft vnd Nutz der gnugthuung Christi ausgeschlossen sey, alss der sich selbst durch den Vnglauben ausschliesse.

Den Fünfften, Sechsten, Siebenden vnd Achten Artickel haben Sie durch vnnd durch, ohne einigen Ausszug, gleich den Chur-Sächsischen angenommen, alss die jederzeit in ihren Kirchen also gelehret worden.

Den Neundten ingleichem, vnd dabey aussdrücklich gemeldet, dass die heilige Tauffe vmb des Göttlichen befehlichs willen, als ein verordnetes Mittel zur Seligkeit nötig sey, Vnd ob wol die Gnade Gottes durch die Tauffe nicht *ex opere operato*, oder vmb des blossen Wercks willen, wie auch nicht durch die blosse eusserliche abwaschung oder besprengung, die Seligkeit wircke: So geschehe es doch krafft des Worts der Einsatzung vnd Verheissung, vermittelst der Tauffe. Sie haben auch mit vnnd neben den Chur-Sächsischen dafür gehalten, dass recht vnd nötig sey die Kinder zu tauffen, vnd wenn man sie durch die Tauffe Gott fürtrage, dass sie auch alssdann dadurch in die Gnade GOttes, GOttes Ordnung nach, an vnd auffgenommen werden.

Den Siebenden *Martii* ist vor vnd nach Mittage zu den vbrigen Artickeln geschritten, vnd dieselben erwogen worden. Da denn die Chur-Brandenburgische vnd Fürstl. Hessische *Theologi* den zehenden Artickel vom heiligen Abendmahl gantz, wie er in der *Anno* 1530. vbergebenen *Confession* lautet, von worten zu worten acceptiret vnd angenommen. Hierüber haben sie namentlich neben den Chur-Sächsischen verworffen die Päbstliche verwandelung, Ingleichen die *Concomitantz*, die stetswerende Sacramentliche gegenwart des Leibs vnd Bluts ausser der befohlnen Handlung, die *συνουσίαν*, die coëxistentiam, Inexistentiam, alle räumliche vnd leibliche art der gegenwart des Leibs, vnd die anbetung, so zum Brod oder zur gestalt des Brods gerichtet wird.

Sie haben weiter bekand, dass im H. Abendmahl nicht nur warhafftig gegenwertig seyn die eusserlichen *Elementa* dess Brodts vnd Weins: Auch nicht nur die krafft vnd wirckung, oder die blossen Zeichen des Leibes vnd Bluts, sondern dass der wahre wesentliche Leib, so für vns gebrochen, vnd das wahre wesentliche Blut Jesu Christi selbst, so für vns vergossen worden, vermittelst des gesegneten Brodts vnd Weins, warhafftig vnd gegen-

Digitized by Google

wertig gereichet, aussgetheilet vnd genossen werden, krafft der *Sacramentlichen* Vereinigung, welche bestehet nicht in der blossen bedeutung, auch nicht nur in der versieglung, Sondern auch in sämptlicher vnzertrenten ausstheilung der irdischen *Element*, vnd des wahren Leibs vnd Bluts Jesu Christi: Jedoch habe diese *Sacramentliche* vereinigung nicht statt, ausser der von Christo befohlnen handlung, sondern allein in derselben.

Weiter ist man dessen einig gewesen, dass auch in der Geistlichen Niessung nicht nur die krafft, nutz vnd wirckung, sondern das Wesen vnd die *Substantz* des Leibes vnd Bluts Jesu Christi selbst, im gebrauch des H. Abendmals, so allhie auff Erden geschicht, genossen, dz ist, geistlicher weise durch den wahren glauben gessen vnd getruncken werde, vnd dass diese geistliche Niessung zum seligen gebrauch des hochwirdigen Abendmals hochnotig sey.

Nicht weniger sind beyde Theil darinnen einstimmig gewesen, dass in der Sacramentlichen Niessung die irdischen *Element*, vnd der Leib vnd Blut Christi zugleich vnd mit einander genossen werden. Dass aber solche Niessung mit dem *organo oris* oder mündlich, so wol von den vnwürdigen, alss von den würdigen geschehe, das haben die Chur-Brand. vnd Fürstl. Hessische nicht zugeben wollen. Zwar gestünden sie, dass vermittelst des gesegneten Brodts vnd Weins, der wahre Leib vnd Blut Christi gegenwertig empfangen werde, aber nicht mit dem Munde, sondern allein durch den Glauben, durch welchen der Leib vnd Blut des HErrn mit denen, die das Abendmal wirdiglich geniessen, geistlicher weise vereiniget: den vnwürdigen aber der Leib vnd das Blut nur angeboten, aber von ihnen vmb ihres vnglaubens willen nicht genossen vnd empfangen, sondern verstossen vnd verworffen werde.

Dahingegen die Chur-Sächsische darauff beharret, dass im heiligen Abendmahl, vermittelst der gesegneten *Element* der wahre Leib vnd Blut des HErrn Jesu Christi mündlich gessen vnd getruncken werden, wie die wort lauten: Esset vnd trincket. Vnd ob wol das gesegnete Brodt vnd der Leib des HErrn in der *Sacramentlichen* Niessung, von allen *Communicanten*, uno et eodem organo oris, oder mit dem leiblichen Munde empfangen werde, dass doch die Niessung, so viel den Modum oder die weise anlanget, auff unterschiedene art geschehe: In deme man mit dem Munde das Brod vnd den Wein ohne Mittel vnd mündlicher weise geniesse: den Leib vnd Blut Jesu Christi aber nicht ohne Mittel, sondern krafft der gesegneten Element, auff himlische vnd vbernatürliche GOtt allein bekante weise, vnd also ohne einige Fleischliche natürliche verschlingung, oder käwung, oder verzehrung des Leibes vnd Bluts, mit dem Mund empfange.

Ob nun wol, so viel den zehenden Articul anlanget, in

Digitized by Google

diesem passu der mündlichen Niessung, keine vergleichung der zeit hat seyn wollen, Sondern derselbe, wie vor diesen zu Marpurg, *Anno* 1529. aussgesetzet worden: so haben doch die Chur-Brandenburgische vnd Fürstliche Hessische dafür gehalten, Es köndte nichts desto weniger eine Christliche vereinigung geschehen, oder doch zum wenigsten eine *Tolerantz* erfolgen, Sie begehrten auch vmb dieses Punctes willen diejenigen, so sie nicht verdammen, noch ihre Meinung ihnen für einen nötigen Glaubens Artickel auffdringen wollen, keines weges zu verdammen: Nicht zweifelnde, weil man in den vbrigen *Principal*stücken dieses Artickels allerdinges einig, dass man dennoch für einen Mann wieder das Pabstumb stehen könte. Demnach aber die Chur-Sächsische diesen Fürschlag dafür gehalten, dass ihme weiter in der furcht des HErrn nachzudencken, vnnd mit mehren *Theologen* davon Christliche Vnterrede zu pflegen sey, So ist solches auch für dissmahl dahin gestellet worden.

Bey dem Eilfften Artickel der Augspurgischen *Confession* haben die Chur-Brandenburgische vnd Fürstl. Hessische sich dahin erkleret, Sie hielten die in etlichen Evangelischen Kirchen vbliche Beicht, wenn sie ohne missbrauch, vnd alss ein Mittelding geschicht, für eine freye Christliche vnd gute *Ceremoni*, die mit nutz in der Kirchen GOttes könne gebrauchet, vnd wo sie schon gebräuchlich ist, wol möge behalten werden. Die Päbstliche Zwang vnd Nothbeichte aber, so wol andere fürgehende Missbräuche, seyn gantz vnrecht vnd verwerfflich.

Vom Zwölfften, Dreyzehenden, Viertzehenden, Funffzehenden, Sechzehenden, Siebenzehenden, Achtzehenden, Neunzehenden, Zwantzigsten, Ein, Zwey, Drey, Vier, Fünff, Sechs, Sieben, Acht vnd Zwantzigsten Artickel ist man durch vnd durch ohne wiedersprechen einig gewesen. Vnd haben die Chur-Brandenburgische vnd Fürstl. Hessische bey dem Neunzehenden sich absonderlich dahin erkleret, dass Gott keine vrsache noch vrsacher der Sünden sey: keinen Menschen zur Sünden oder zum Vnglauben geschaffen, noch in oder auss einen blossem Rathschluss entweder zur Sünden, oder zur Verdammniss verordnet habe.

Vnd ob wol in der Augsp. *Confession* die Lehre von der ewigen Gnadenwahl nicht aussdrücklich berühret ist, So haben doch beyderseits *Theologen* für rathsam erachtet, auch in diesem Punct, vber welchen bisher viel streitens gewesen, ihre Lehr vnd meinung zu erkleren, Da dann die Chur-Brandenb. vnd Hessische dieses ihre einhellige Lehre vnd Glauben zu seyn bekennet:

Dass Gott von Ewigkeit her in Jesu Christo auss dem verderbten Menschlichen Geschlecht, nicht alle, sondern etliche Menschen, deren zahl vnd Namen ihm allein bekandt seyn, erwehlet habe, die er zu seiner zeit, durch krafft vnd wirckung

Digitized by Google

seines Worts vnd Geistes, zum Glauben an Christum erleuchtet vnd ernewert, auch in demselben biss ans ende erhelt, vnnd endlich durch den Glauben ewig selig machet.

Dass er auch keine vrsach, oder anlass, oder vorhergehendes Mittel, oder *Condition* solcher Wahl in den Erwehlten selbst gefunden, oder zuvor ersehen, weder ihre gute Wercke, noch iren Glauben, oder auch die erste heilsame Neigung, Bewegung oder einwilligung zum Glauben, sondern dass alles gute, das in ihnen ist, allein auss der lautern freywilligen Gnaden Gottes, die ihnen für andern in Jesu Christo von Ewigkeit verordenet vnd gegeben ist, vrsprünglich herfliesse.

Dass auch Gott von Ewigkeit die jenigen, die in ihren Sünden vnd Vnglauben beharren, zum ewigen Verdammniss verordnet vnd verstossen habe, nicht auss einem solchen absoluto decreto, oder blossen Willen vnd Rathschluss, alss ob Gott den meisten Theil der Welt, oder einigen Menschen, ohne ansehung ihrer Sünden vnd Unglaubens, zum ewigen Verdammniss, oder zur vrsach desselben entweder von Ewigkeit verordnet, oder in der Zeit erschaffen: Sondern die Verstossung, so wol alss die Verdammung, sey geschehen auss seinem gerechten Gerichte, dessen vrsach in den Menschen selbst ist, nemlich, ihre Sünde, Vnbussfertigkeit vnd Vnglauben: dass also die gantze Schuld vnd Vrsach der Verstossung vnd Verdammung der Vngläubigen sey in ihnen selbst; die gantze Vrsach aber der Wahl vnd Seligkeit der Gläubigen sey allein die pur lautere Gnade Gottes in JEsu Christo, nach dem Wort des HErrn: Israel du bringest dich selbst in Vnglück: dein Heyl aber stehet allein bey mir.

Dass demnach auch ein jeder seiner Wahl vnd Seligkeit nicht *a priori*, auss dem verborgenen Raht Gottes, sondern allein *a posteriori*, aus dem geoffenbahrten Wort Gottes, vnd auss seinem Glauben vnd Früchten des Glaubens an Christum gewiss seyn solle vnd könne: vnd gar nicht folge, wie etwa die ruchlose Welt diesen hohen Artickel spötlich missbraucht, viel weniger also gelehret werden könne, Wer erwehlet sey, der möge in seiner Gottlosigkeit beharren, so lange er wolle, er müsse doch selig werden, Wer nicht erwehlet, wann er gleich an Christum warhafftig gläubete vnd Gottselig lebte, müste doch verdammet werden.

Wann aber jemand in diesem hohen Geheimniss weiter forschen vnd grübeln, vnd ausser Gottes freyem, gnädigen, gerechten Willen, andere vrsachen suchen wolte, warumb GOtt vnter den Menschen, da sie von Natur gleich gewesen, da er sie auch nach seiner Allmacht wol hette allesampt gläubig vnd selig machen können, dennoch etliche für andern in der That gläubig gemacht, dargegen die vbrigen in ihren Sünden, vnd freywilliger, halsstarriger Vnbussfertigkeit vnd Vnglauben gelassen? Da sprechen sie mit dem Apostel: Mensch wer bistu, dass du mit

Digitized by Google

GOtt rechten wilt? Hat nicht der Töpffer macht, auss einen vnreinen Sündenklumpen zu machen ein Fass zu Ehren, auss lauter Gnaden, das ander zu unehren, auss gerechtem Gerichte? O welch eine Tieffe des Reichthums vnd Erkentniss Gottes! Wie vnbegreifflich sind seine Gerichte, vnd vnerforschlich seine Wege? Wer ist sein Rathgeber gewesen? Oder wer hat seinen Sinn erkandt, Oder wer hat ihm etwas zuvor gegeben, dass ihm wieder vergolten würde?

Hingegen die Chur-Sächsischen nachfolgenden gestalt sich erkleret:

1. Dass Gott von Ewigkeit her, vnd ehe der Welt Grund geleget worden, in Christo nicht alle, sondern etliche Menschen zur ewigen Seligkeit erwehlet habe.

2. Dass die zahl vnd Namen der Ausserwehlten Gott allein bekandt sey, wie der HErr spricht: Er kenne seine Schaffe, Ioh. 10. vnd wie S. Paulus saget: Gott kenne die seinen.

3. Dass Gott die jenigen von Ewigkeit her erwehlet habe, welche er gesehen, dass sie in der Zeit, durch krafft vnd wirckung seines Worts vnd Geistes, an Christum gläuben, vnd in demselben biss an ihr ende verharren würden, Vnd ob wol die Ausserwehlten eine zeitlang auss der Gnaden GOttes fallen können, So sey es doch vnmüglich, dass solches *finaliter* vnd beharrlich geschehe.

4. Dass Gott in der erwehlung keine vrsach oder anlass solcher Wahl in den erwehlten selbst gefunden, auch keine ersten heilsame neigung, bewegung oder einwilligung zum Glauben, Sondern dass alles das gute, so in den Ausserwehlten ist, auss der pur lautern freywilligen Gnaden GOttes, die ihnen in Jesu Christo von Ewigkeit her gegeben ist, vrsprünglich herfliesse.

5. Dass GOtt von Ewigkeit her allein die jenigen, so Er gewust, dass sie in ihren Sünden vnd Vnglauben verharren würden, zum ewigen Verdammniss vnd Verstossung verordenet habe.

6. Dass diese Verstossung gar nicht geschehen auss einen *absoluto decreto* oder blossen Rathschluss vnd willen, Alss ob Gott ohne ansehung der Menschen Vnglaubens, jemanden, allein nach seinem gefallen, verdammet habe. Dann kein solcher, blosser Rathschluss in Gott gewesen, krafft welches Er entweder den grösten Theil der Menschen, oder auch nur einen einigen Menschen, zum ewigen Verdamniss, oder zur vrsach desselben, entweder von Ewigkeit her verordnet, oder in der zeit geschaffen habe.

7. Dass aber gleichwol so viel Menschen ewig verlohren vnd verdammet werden, dass geschehe zwar auss dem gerechten Gerichte Gottes: Aber die vrsache solcher Verdamniss sey in den Menschen selbst, nemlich, ihre herschende Sünden, ihr Vnglaube vnd Vnbussfertigkeit, dass also die gantze Schuld vnd Vrsach der verstossung vnd verdammung der Vngläubigen in ihnen selbst,

Digitized by Google

die gantze vrsach aber der Wahl vnd Seligkeit der Gläubigen, die pur lautere Gnade Gottes in JEsu Christo sey, nach dem Wort des HErrn: Israel du bringest dich selbst in Vnglück, dein Heyl aber stehet allein bey mir. Hos. am 13. Cap.

8. Dass ein jeder seiner Wahl vnd Seligkeit nicht *a priori*, auss dem verborgenen Rath GOttes, sondern allein *a posteriori*, auss dem geoffenbarten Wort GOttes, vnd auss seinem Glauben an Christum gewiss seyn solle vnd könne, vnd gar nicht folge, wie etwa die Ruchlose Welt diesen hohen Artickel spöttlich missbraucht, vielweniger also gelehret werden könne oder solle: Wer erwehlet sey, der möge in seiner Gottlosigkeit beharren, so lange er wolle, Er müsse vnd würde dennoch selig werden: Wer nicht erwehlet sey, der müsse dennoch verdampt werden, ob er gleich noch so gewiss an Christum gläubete, oder noch so Gottselig leben thäte.

9. Dass in diesen hohen Geheimniss der Gnadenwahl viel Fragen von den Menschen erreget werden, die wir in dieser Sterbligkeit nicht verstehen, noch anders alss auss S. Paulo beantworten können: Mensch wer bistu, dass du mit Gott rechten wilt. Rom. 9. Item: O welch eine Tieffe des Reichthums, der Weissheit vnd Erkendtniss Gottes? Wie vnbegreifflich sind seine Gerichte? vnd wie unerforschlich sind seine Wege? Wer ist des HErrn Rathgeber gewesen? Vnd wer hat seinen Sinn erkandt? Oder wer hat ihm etwas zuvor gegeben, dass ihm wieder gegeben werde. Rom. 11. Cap.

10. Vber dieses alles haben die Chur-Sächsische *Theologen* sich erkleret, dass sie auch ferner für recht vnd der H: Schrift gemäss hielten, alles das jenige, so in dem *Concordien*buche von diesem Artickel der Gnadenwahl gelehret werde. Vnd das namentlich, GOtt zwar auss gnaden in Christo vns erwehlet, aber dergestalt, dass Er vorher gesehen, Wer beharrlich vnd warhafftig an Christum gläuben würde, vnd welche Gott vorher gesehen, dass sie also gläuben würden, die habe Er auch verordnet vnd erwehlet, selig vnd horrlich zu machen.

Ist also diese gütliche, vnverfängliche *privat-Conferentz* den 23. Martii geendet, darbey aber nochmaln *protestiret* worden, dass man auff keinem Theil, weder den hohen Potentaten vnd Obrigkeiten, noch andern *Interessirten Theologen*, am allerwenigsten beyderseits gantzen Kirchen, hierdurch im geringsten zu *präjudiciren* begehrte: Sondern dass es allein dahin gemeinet gewesen, für allen dingen anfänglich *Summariter* zu vernehmen, Ob vnd wie weit beyde Theil in den Acht vnd zwantzig Artickeln der Augspurgischen *Confession* einig seyn: vnd ob nicht zu hoffen, vnd dahin sich durch fernere der mehrern friedliebenden *Theologen Conferentz*, zuforderst auch Christlicher hoher Obrigkeiten Autoritet zu bemühen, damit eine nähere Zusammenhaltung an vnd auffgerichtet, vnd durch solches Mittel die wahre

Digitized by Google

Kirche GOttes erweitert vnd vermehret, den Papisten auch die Hoffnung, welche sie bisshero, wegen fürgegangener Spaltung, gehabt, in etwas benommen werden möchte.

Inmittelst, vnd ehe das erfolget, solle alles, was bey jetziger *Conferentz* vorgegangen, in dem Stande seyn, alss ob nichts fürgangen were: Vnd kein Theil sich vnterfangen, ohne des andern aussdrückliche bewilligung, diese beschehene Handelung vnd *Consignation* zur vngebür zu *spargiren*, oder vorgreifflich auszubreiten. Es wollen auch beyderseits *Theologi* einander Christliche Liebe ins künfftige erzeigen. Alles trewlich vnd ohne gefehrde.

Der GOtt der Warheit vnd des Friedens, gebe Gnade, dass wir alle in ihm eins werden, vnd in eines vollkommen seyn, wie Er vnd der Sohn eines sind, Ioh. 17. Amen, Amen, im Namen JEsu Christi, Amen.

*Actum* Leipzig, bey wehrendem der Hochlöblichsten vnd Hochlöblichen Evangelischen vnd *protestirenden* Chur-Fürsten vnd Stände hochansehnlichem *Convent*, im Monat *Martio*, *Anno* 1631.

*Matthias* Hoë von Hoenegg *D. mp.* *Iohannes Crocius D. mp.*
*Polycarpus* Leyser *D. mp.* *Theophilus* Newberger, *Ecclesiastes Aulae Cassel. Hass. mp.*
*Henricus Höpfner D. mp.*
*Iohannes Bergius D. mp.*

Digitized by Google

## 8.

# GENERALIS PROFESSIO.

**Doctrinae Ecclesiarum Reformatarum in Regno Poloniae, Magno Ducatu Lithuaniae, annexisque Regni Provinciis, in Conventu Thoruniensi, Anni 1645. ad liquidationem Controversiarum maturandam, exhibita d. 1. Septembris.**

Profitemur itaque, inprimis quidem, nos amplecti Sacras Canonicas Veteris et Novi Testamenti Scripturas, in Veteri Hebraea, in Novo Graeca lingua, a Prophetis et Apostolis, instinctu Spiritus Sancti, primitus scriptas, quas solas Fidei et Dei et Cultus nostri Regulam perfectam esse agnoscimus: in quibus aperte posita inveniuntur illa omnia, quae ad salutem omnibus sunt necessaria, seu, ut B. Augustinus loquitur, quae continent Fidem, moresque vivendi, Spem scilicet et Caritatem.

Quarum etiam velut Compendium quoddam, quoad credenda, Symbolo Apostolico, in quod omnes baptisati sumus, quoad facienda, Decalogo, cuius summa consistit in Dilectione Dei et Proximi; quoad petenda et speranda, Oratione Dominica continetur. Quae et ipsa a Domino nostro IESU CHRISTO, institutione tum Baptismi, ceu Sacramenti initiationis, sive Regenerationis, tum S. Eucharistiae, ceu Sacramenti Nutritionis Spiritualis confirmata sunt.

In his ergo Capitibus Summam Doctrinae salvificae consistere censemus: Cui in Ecclesia propagandae et conservandae, Sacrum etiam Evangelii praedicandi et Sacramentorum administrandorum Ministerium Dominus noster instituit, et Potestate Clavium spirituali adversus incredulos et immorigeros, armavit.

Si quid vero, in hisce Doctrinae Christianae capitibus, dubitationis aut controversiae de genuino eorum sensu exoriatur, profitemur porro, nos amplecti ceu interpretationem Scripturarum certam et indubitatam, Symbolum Nicenum et Constantinopolita-

Digitized by Google

num, iisdem plane verbis, quibus in Synodi Tridentinae Sessione tertia, tanquam Principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessario conveniunt, et Fundamentum firmum et unicum, contra quod portae inferorum nunquam praevalebunt, proponitur.

Cui etiam consonare Symbolum, quod dicitur Athanasianum, agnoscimus: nec non Ephesinae primae, et Chalcedonensis Synodi Confessiones: Quinetiam, quae Quinta et Sexta Synodi, Nestorianorum et Eutychianorum reliquiis opposuere: Quaeque adversus Pelagianos olim Milevitana Synodus et Arausicana secunda ex scripturis docuere. Quinimo, quicquid primitiva Ecclesia ab ipsis usque Apostolorum temporibus, unanimi deinceps et notorio consensu, tanquam Articulum fidei necessarium, credidit, docuit, idem nos quoque ex Scripturis credere et docere profitemur.

Hac igitur Fidei nostrae professione, tanquam Christiani vere Catholici, ab omnibus Veteribus et recentibus Haeresibus, quas prisca universalis Ecclesia unanimi consensu ex Scripturis reiecit atque damnavit, nos nostrasque Ecclesias segregamus.

Caeterum eas Controversias, quae Patrum nostrorum memoria Ecclesias Occidentis infelici dissidio disiunxerunt, quod attinet, profitemur, ei nos sententiae accedere, quae tum in Augustana Confessione, superioris seculi Anno trigesimo Imperatori Carolo V. a Principibus et Civitatibus Imperii Protestantibus exhibitia, sive eam invariatam, sive repetitam aut emendatam dixeris: tum etiam in Bohemica et Sendomiriensi, ex Scripturis explicata est, et in Ecclesiis huius Regni reformatis integrum iam ferme seculum obtinuit: Prout tres illae Confessiones, quamvis verbis nonnihil discrepantes, tamen ut reipsa cum Scripturis et inter sese, in Capitibus Fidei necessariis, consentientes Sendomiriensi Consensu Anno 1570. in Ecclesiis nostris receptae unitaeque sunt, atque etiam Confoederatione Pacis et securitatis publicae in hoc Regno firmatae ac munitae.

## Specialis declaratio.

### De Regula Fidei et Cultus.

1. Sacrae scripturae in Libris Veteris Testamenti per Mosen et Prophetas, in Libris Novi Testamenti per Evangelistas et Apostolos divinitus traditae, sunt Unica, Infallibilis, et perfecta Fidei et Cultus Christiani Norma ac Regula, tam Politicis, quam Ecclesiasticis proposita. In quibus tam multa perspicue et aperte sunt posita, ut in iis inveniantur omnia, quae continent Fidem moresque vivendi, seu quae omnibus ad salutem sunt necessaria: prout in nupera nostra de Verbo Dei Declaratione pluribus est explicatum.

2. Libri illi, qui non in Hebraeo Veteris Testamenti Ca-

Digitized by Google

none, sed tantum in Graeco Textu habentur, sunt Apocryphi, eoque Divino Canoni, praesertim sub Anathemate, accenseri non debent, etsi utiliter ad aedificationem Ecclesiae legi possunt.

3. Laicis Scripturarum Lectio in linguis vernaculis minime prohibenda aut dissuadenda est, tanquam periculosa vel noxia, sed ut libera et utilis permittenda, imo suadenda.

4. Versiones Scripturarum legitimae, etsi publico Ecclesiae iudicio approbandae sunt, nullae tamen, ne quidem Vulgata Latina, ipsis Fontibus adaequandae vel praeferendae, vel simpliciter et per se pro Authenticis habendae, multo minus sub Anathemate decernendae sunt, sed tantum, quatenus cum ipsis Fontibus Hebraeis in Veteri, et Graecis in Novo Testamento consentiunt. Quod ipsum, etsi in obscurioribus locis tantum ab eruditis, in perspicuis tamen et apertis, a quibusvis fidelibus, ex ipso diversarum Versionum consensu agnosci potest.

5. Nullum hodie Verbum Dei exstat, aut certo ostendi potest, de Dogmatibus Fidei, aut Praeceptis Vitae ad salutem necessariis, quod non sit scriptum, aut in Scripturis fundatum, sed sola Traditione non scripta Ecclesiae commissum.

6. Quae nec aperte in Scripturis sunt tradita, neque ex illis certa, necessaria, et evidenti consequentia deduci, et Primitivae Ecclesiae Consensu firmari possunt, ea nullus in terris Pontifex vel Episcopus, aut Episcoporum Coetus, tanquam supremus et infallibilis Iudex, potestate sua iudiciaria, ut Articulum fidei credendum imperare, aut sub Anathemate decernere potest.

7. Multo minus Spiritum privatum ipsorum Fidelium Scripturae Iudicem aut Fidei Regulam esse statuimus, sed tum credentium, tum docentium Spiritum, et iudicium omne secundum Scripturas, ceu Unicam Regulam et Legem summi Iudicis infallibilem, regulandum, et ab Ecclesia, eiusque Pastoribus, diiudicandum agnoscimus.

## De S. S. Trinitate, deque Persona et Officio Christi.

1. De S. S. Trinitate et de Persona Domini nostri Iesu Christi *Θεανθρώπου*, Articulum totius Christianae Fidei maxime fundamentalem agnoscimus, sancteque credimus. Sed eius explicatione iam supersedemus, cum de eo nulla sit inter nostras Ecclesias, et Romanam dissensio. Etsi quorundam Scholasticorum, de tam sublimibus mysteriis, simplici potius fide secundum apertissimas Scripturas credendis, quam nimia curiositate scrutandis, Quaestiones plerasque et Disputationes spinosiores ac subtiliores, quam utiliores, merito aversamur.

2. De Officio autem Domini nostri Iesu Christi, Articulum itidem fundamentalem credimus, quod ipse Filius Patris Unigenitus, ex Maria semper Virgine Homo factus, sit Redemptor et Me-

Digitized by Google

diator noster Unicus: eoque et solus Fundamentum, Caput, Summus Sacerdos, et Propheta itemque Rex unicus, et Sponsus Ecclesiae, in quo solo tota plenitudo Potestatis, Gratiae et Vitae residet, quae ab ipso, ceu Capite, per eundem Spiritum, in membra omnia, pro cuiusque mensura diffunditur.

3. Cum igitur solus Christus sit Mediator et Redemptor noster, nullus utique Sanctorum, ne quidem ipsa Beatissima Virgo Maria, (etsi eam benedictam inter mulieres, et prae omnibus celebrandam et venerandam, utpote Deiparam, agnoscimus) Mediatrix Dei et hominum appellanda est: neque illi, ceu Reginae Coelorum, dominium in omnes Creaturas, quod soli Christo proprium est, tribuendum: nec praeter illud, quo Christo redemptori obstricti sumus, peculiari servitio quisquam ei mancipandus, aut devovendus est.

4. Multo minus ulli in terris Episcopo, aut Pontifici, Tituli illi, aut Potestas soli Christo propria tribuenda est, quod sit Fundamentum, Caput, Sponsus, Monarcha totius Ecclesiae, quod, ceu Dei Christique Vicarius, Potestatis plenitudinem habeat, tum in Spiritualibus, tum etiam, sive directe, sive indirecte, in Temporalibus: ita, ut Reges Regnis deiicere, subditos a iuramento fidelitatis absolvere, de Votis Deo dicatis, aliisque, Dei loco dispensare, Sanctos in Coelos Canonizare, animas ex Purgatorio liberare, et liberandi privilegium aliis dare, atque ita potestatem suam non tantum in omnes terras, sed etiam in Coelos usque et Inferos quodammodo extendere possit.

## De Peccato.

1. Deus nequaquam est Autor ullius peccati, sed Fons et Autor omnis boni, Osor vero et Ultor mali.

2. Mera igitur Calumnia est, cum Ecclesiis nostris horrenda illa Blasphemia impingitur, quod Deum faciant Autorem peccati, quam toto pectore detestamur. Interim Providentiam Dei circa peccatum, et supra ipsos peccatores, eandem plane, quam et plerique Romanae Ecclesiae Theologi docent, agnoscimus.

3. Non minus gravis calumnia est, quod doceamus, Christum ipsum peccasse, aut in Cruce desperasse, a qua Blasphemia toto item animo abhorremus.

4. Omnes homines, solo Christo excepto, in peccato Originali concepti et nati sunt, etiam ipsa Sanctissima Virgo Maria.

5. Peccatum Originis non tantum in Iustitiae nuda carentia, sed etiam in pravitate, seu pronitate ad malum, ex Adamo in omnes propagata consistit.

6. Etsi Liberi Arbitrii Facultas naturalis post lapsum manet, quoad Naturalia et Civilia, tamen nulla eius est facultas ad bonum Supranaturale et Spirituale, vel intelligendum, vel volendum,

Digitized by Google

vel faciendum, aut ad legem quoad substantiam operis implendam. Quo respectu non tam liberum Arbitrium, quam peccati servum, et in peccatis mortuum merito dicitur, donec per Christi Gratiam excitetur et liberetur.

7. Etsi in Renatis Peccatum Originis, quoad culpam et reatum, gratuita remissione deletur, et quoad pravitatem magis magisque per Christi gratiam mortificatur, manent tamen in ipsis, quamdiu in carne vivunt, eius pravitatis reliquiae, videlicet pravae inclinationes et motus Concupiscentiae, quae proinde vere et proprie peccatum dicitur, non tantum, quatenus est poena et causa peccati, sed etiam quatenus ipsa cum Legi Dei, tum Spiritui gratiae repugnat. Atque haec Doctrina, cum ab ipso Apostolo aperte tradatur, non ut erronea reiici, ne dum sub Anathemate, ut haeretica, damnari potest.

8. Omne Peccatum proprie sic dictum sua natura est Mortale, quia ἀνομία, legi repugnans, eoque maledictionem legis promerens: nec tamen omnia peccata sunt aequalia, etsi nullum sua natura, sine Christi gratia, sit Veniale.

9. In Renatis autem, peccata ignorantiae et infirmitatis, quamvis per se et sua natura, si Deus ex rigore legis cum ipsis agere vellet, sunt mortalia, tamen, quamdiu Fidem et Caritatem, bonumque Propositum non tollunt et quotidiana Poenitentia eluuntur, per gratiam Dei non sunt mortalia, sed venialia, quia ad mortem non imputantur, sed propter Christum in ipsum credentibus remittuntur.

## De Gratia.

1. A Peccato et Morte nulla est Redemptio, aut Iustificatio per vires Naturae, aut per iustitiam Legis, sed per solam Dei Gratiam in Christo, qui nos in peccatis mortuos, unico mortis suae Sacrificio, et perfectissimae Obedientiae Merito, pro nostris, nec tantum pro nostris, sed totius mundi peccatis plenissime satisfaciendo, ab ira et maledictione redemit:

2. Qui Redemptos per Verbum Evangelii et Spiritum gratiae ex Regno Peccati et Mortis, ad Regnum Gratiae et Vitae efficaciter vocavit, et per Sacramenta gratiae obsignavit:

3. Qui vocatos et sincere Resipiscentes, propter solum Christi Meritum, fide viva apprehensum, et fidelibus, ceu ipsius Christi membris, ex mera gratia imputatum, a peccatis iustificat seu absolvit, et in filios adoptat:

4. Simulque Spiritu Caritatis in corda nostra effuso, ad sincerum Sanctimoniae et Obedientiae novae Studium indies magis magisque renovat et sanctificat, seu iustos et sanctos facit:

5. Qui denique in Fide illa et Caritate, per eandem ipsius gratiam, ad finem usque vitae perseverantes, ceu haeredes Regni



Digitized by Google

coelorum, non ex ullo merito, sed ex gratia in Christo promissa, aeternum glorificabit:

6. Atque ita etiam Bona ipsorum Opera, in Christi Fide et Caritate, per Sancti Spiritus gratiam facta, praeter ac supra meritum abundantissimo, imo infinito praemio, paterne propter Christum remunerabit:

7. Prout eosdem ab aeterno, non ex ulla praevisa Fide, aut Operum Merito, vel dispositione, sed ex mera itidem et indebita gratia, tum ad eandem illam Redemptionis, Vocationis, Iustificationis, Adoptionis et perseverantis Sanctificationis, quam in tempore dedit, Gratiam, tum ad Vitae aeternae Coronam et Gloriam, per illa media participandam, in Christo elegit:

8. Caeteris, qui veritatem in iniustitia detinent, et gratiam Christi oblatam contumaciter respuunt, iusto iudicio reiectis.

Ex hac Doctrina de gratia, qua tota Salutis nostrae ratio continetur, summatim ita exposita,

1. Manifestum esse speramus, quod nequaquam sentiamus cum Socino, qui Satisfactionem et Meritum Christi, adeoque ipsam Redemptionem in Sanguine ipsius factam, blaspheme negat et oppugnat.

2. Negamus vero, praeter Mortem Christi, Sacrificiis, aut Meritis, aut Satisfactionibus, vel Sanctorum, vel propriis, ullam vel minimam Redemptionis et Salvationis nostrae partem tribuenpam.

3. Negamus etiam, homines non renatos, per aliquod meritum congrui, si faciant quod in se est, ad primam Vocationis Gratiam seipsos disponere.

4. Nec efficaciam Gratiae Vocantis a libero hominis arbitrio suspendimus, quasi non Deus, per specialem gratiam, sed ipse, per arbitrium proprium, seipsum discernat.

5. Falso autem accusamur, Quasi Mortis et Meriti Christi pro omnibus Sufficientiam negemus, aut Virtutem imminuamus, cum potius idem hic, quod ipsa Synodus Tridentina Sess. 6. Cap. 3. doceamus, videlicet: „*Etsi Christus pro omnibus mortuus sit, non tamen omnes mortis eius beneficium recipere, sed eos duntaxat, quibus Meritum Passionis eius communicatur.*“ Causam etiam seu culpam, cur non omnibus communicetur, nequaquam in morte et merito Christi, sed in ipsis hominibus esse fatemur.

6. Falso item accusamur: Quasi non omnes Verbo Evangelii vocatos, serio et sincere, aut sufficientur a Deo ad poenitentiam et salutem vocari doceamus, sed plerosque tantum simulate et hypocritice, sola externa Voluntate signi, cui nulla interna Voluntas beneplaciti subsit, ut, qui nullo modo omnium salutem velit. A qua sententia, ex male intellectis, aut etiam incommodis nonnullorum verbis, in nos detorta longissime nos abesse, et Deo Ter Opt. summam veritatem et sinceritatem, in omnibus dictis eius ac factis, inprimis vero in Verbo Gratiae ad salutem

Digitized by Google

vocantis, tribuere, nec ullas contradictorias in ipso Voluntates fingere sanctissime profitemur.

7. Quasi omnem inhaerentem Iustitiam fidelibus negemus, eosque sola externa Iustitiae Christi imputatione, quae sit sine ulla interna renovatione, iustificari statuamus. Cum tamen solis poenitentibus et viva fide in Christum credentibus, Iustitiam imputari, simulque per eandem fidem a Spiritu S. corda contrita vivificari, ad ardentem erga Christum Caritatem, et novae obedientiae studium excitari, a pravis vero cupiditatibus mundari atque ita Iustitiam et Sanctitatem vitae novae inchoari, et indies perfici doceamus. Id tantum addimus, per hanc inhaerentem Iustitiam propriam, quia in hac vita imperfecta est, neminem coram severo Dei Iudicio posse consistere, aut in ea confidere, ut a reatu mortis per eam iustificetur seu absolvatur, sed per et propter solam perfectissimam Christi Iustitiam ac Meritum viva fide apprehensum.

8. Quasi fide sola, quae sit sine operibus, quaeque tantum credat sibi propter Christum remissa esse peccata, quamvis sine ulla resipiscentia in illis perseveret, hominem iustificari fingamus: Cum potius talem fidem omnino falsam esse, eaque hominem non modo non iustificari, sed multo etiam gravius damnari ultro fateamur, ut, quae gratiam Dei tranferat ad peccandi licentiam. Veram autem fidem iustificantem eam demum dicimus, quae Promissionem Evangelii, qua resipiscentibus Remissio et Vita in Christo offertur, Assensu Practico seu fiduciali amplectitur, et corde vere contrito sibi applicat, quaeque deinde per Caritatem est efficax. Solam autem iustificare dicimus, non quod sola sit, sed quod sola Promissionem Evangelii, adeoque ipsam Iustitiam Christi apprehendat, per et propter quam solam, gratis, sine ullo proprio merito, iustificamur.

9. Quasi per hanc Doctrinam studium bonorum operum tollamus, eorumve necessitatem negemus; cum tamen nec Fidem iustificantem, nec ipsam Iustificationem sine Sanctificatione et bonorum operum studio in adultis ullo modo posse consistere, ex iam dictis manifestum sit. Quo sensu etiam ad salutem omnino necessaria esse agnoscimus, quamvis non ut causas iustificationis aut salutis meritorias.

10. Quasi Praecepta Christi nullo modo a fidelibus servari posse statuamus: Cum tamen illa, non quidem propriis viribus, sed per gratiam Spiritus Sancti, non tantum servari posse, sed etiam omnino servari ab omnibus debere doceamus, et quidem non voto solum aut proposito inefficaci, sed etiam ipso opere, et vero, sincero, ac perseveranti totius vitae studio. Quamvis in hac vita non ita perfecte a quoquam serventur, aut servari possint, ut Legi Dei per opera nostra satisfaciamus, eamque per omnia impleamus, sed ut simul ex imperfectionis et infirmitatis propriae



Digitized by Google

sensu, variorum lapsuum et delictorum veniam quotidie humiliter a DEO petere opus habeamus.

11. Quasi statuamus, semel Iustificatos Dei Gratiam eiusve certitudinem, et ipsum Spiritum Sanctum non posse amittere, quamvis in peccatis pro lubitu volutentur: Cum contra potius doceamus, ipsos etiam Renatos, quoties in peccata contra conscientiam recidunt, in iisque aliquandiu perseverant, nec Fidem vivam, nec Dei Gratiam Iustificantem, nedum eius Certitudinem, aut Spiritum Sanctum pro illo tempore retinere, sed novum irae ac mortis aeternae Reatum incurrere, ac propterea, nisi Speciali Dei Gratia excitante (quod in Electis fieri non dubitamus) ad resipiscentiam iterum renoventur, reipsa etiam damnandos esse.

12. Negamus porro, fidem in Christum iustificare tantum dispositive, praeparative, initialiter, quia nempe ad Caritatem caeterasque virtutes, ceu Iustitiam inhaerentem disponat.

13. Negamus etiam, per Iustitiam illam inhaerentem propriam nos ita iustificari, ut per ac propter eam coram Iudicio Dei a reatu mortis absolvamur, in filios adoptemur, et vita aeterna digni pronunciemur: quo sensu forensi vox Iustificandi a Spiritu Sancto in hac Doctrina usurpatur. Etsi enim sano sensu dici possit, fideles per Caritatem aliasque Virtutes infusas iustificari, i. e. iustos sanctosque fieri, haec tamen iustitia in hac vita imperfecta est, eoque, ut supra dictum, coram severo Dei Iudicio nequaquam potest consistere, quod solum in hac Doctrina maxime spectatur.

14. Hinc etiam non assentimur iis, qui docent Renatos per bona opera Iustitiae Dei pro peccatis suis satisfacere, et remissionem aut vitam proprie mereri, et quidem ex Condigno, seu ex intrinseca ipsorum operum dignitate, vel cum praemiis aequalitate: omni etiam pacto, aut promissione, ut nonnulli volunt, secluso.

15. Neque iis, qui docent Renatos Legem Dei perfecte in hac vita posse implere, perfectione non tantum partium, sed etiam graduum, ita ut sine ullo peccato vivant, quod in se et sua natura sit mortale: quin etiam posse facere Opera Supererogatoria, perfectionem Legis transcendentia, ac per ea non sibi tantum, sed etiam aliis mereri:

16. Quique nihilominus docent, neminem sine speciali revelatione certo scire posse, se gratiam Dei esse consecutum, tali certitudine, cui falsum subesse non possit, eoque semper omnes de gratia dubitare debere. At nos etsi fatemur, etiam fideles et iustificatos non temere et secure de Gratia Dei debere praesumere, variis imo angoribus et dubitationibus saepe conflictari, tamen ex Scripturis docemus, eos et posse et debere ad eam certitudinem in hac vita contendere, et Divina gratia adiuvante pervenire, qua Spiritus S. testatur Spiritui nostro, quod filii et haeredes Dei simus: Cui testimonio non potest subesse falsum, etsi

Digitized by Google

non omnes, qui Spiritum Dei iactant, vere illud testimonium habent.

17. Denique docemus quidem, non omnes homines electos esse, et qui electi sunt, non ex praeviso operum merito, aut praevisa fidei in ipsis dispositione, aut voluntatis assensu, sed ex mera in Christo gratia electos esse: certum etiam esse apud Deum Electorum et Salvandorum numerum.

18. Interim alienam a mente nostra sententiam nobis ab illis tribui dicimus, qui nos accusant, quasi aeternam Electionem et Reprobationem absolute, sine ullo fidei aut infidelitatis, bonorúm aut malorum operum respectu, factam esse statuamus: Cum contra potius in Electione Fidem et Obedientiam, non quidem, ut Causam, aut rationem ipsius Electionis, in eligendis esse praevisam, sed tamen, ut Medium ad salutem, a Deo ipsis praeordinatam: In Reprobatione vero, non tantum Peccatum Originale, sed etiam, quoad adultos, Infidelitatem et impoenitentiam contumacem, non a Deo proprie praeordinatam, sed in ipsis Reprobis, ut Causam Desertionis et Damnationis meritoriam, praevisam atque permissam, iustissimoque iudicio reprobatam esse statuamus.

Adeoque de sublimi hoc Praedestinationis mysterio eandem plane sententiam teneamus, quam ex Scripturis inprimis Augustinus contra Pelagium olim asseruit, quamque ipsi Romanae Ecclesiae Doctores praecipui, praesertim Thomae Aquinatis Sectatores, hodieque retinent.

## De Cultu Dei.

1. Solus verus Deus, Essentia Unus, Personis Trinus, Omniscius, Omnipotens, Omnipraesens, bonorum omnium Autor et Dator, malorum Depulsor et Salvator sufficientissimus, misericordissimus, Religioso a nobis Cultu, privatim et publice colendus est, et quidem secundum eum modum, quem ipse Verbo suo praescripsit.

2. Aliam quamcunque rem aut Personam, quae non est Deus, Religioso seu Divino Cultu colere, Idololatria est; Deum vero ipsum verum alio Cultu in Scripturis non praescripto nec fundato colere velle superstitiosum et frustraneum, nonnunquam etiam Idololatricum est.

3. Cultus ille Deo debitus consistit, primo, in Adoratione religiosa, tum inprimis Interna, per profundissimam animi submissionem et subiectionem coram Deo, ceu Domino omnium supremo atque sanctissimo, et cordium ac renum inspectore et Iudice praesentissimo: tum Externa, per inclinationem aut prostrationem corporis, manuumque sublationem, aliosve similes gestus, qui ex interna adoratione pendent, et secundum eam aestimantur, cum alioqui Civili etiam honore usurpari possint.

4. Deinde in Invocatione, qua tum Corporalium, tum Spi-

Digitized by Google

ritualium bonorum largitionem, malorumque depulsionem a Deo petimus, quae ut ipsi grata et rata sit, in solo nomine et sola fiducia Unici Mediatoris Iesu Christi fieri debet.

5. Huc etiam pertinet Laudum Divinarum per Psalmos et Hymnos Celebratio, pro beneficiis acceptis Gratiarum Actio, Verbi Divini devota Auditio, Sacramentorum fidelis Communio, itemque iusiurandum legitimum, quo Deum cordium inspectorem, ut veritatis testem, et falsitatis vindicem appellamus. Denique Votum sacrum, quo vel nos ipsos, vel res aut actiones nostras Deo, velut sacrificium quoddam spirituale, consecramus et devovemus.

6. Sacrificia externa, per oblationem Victimarum Cerimonialium et Typicarum, Veteris Testamenti sunt propria, per Unicum Christi Sacrificium in Cruce consummata atque abolita.

7. Cultus sic enumerati partes omnes et singulas non tantum privatim, quod ubivis locorum et temporum fieri potest, sed vel maxime etiam publice, seu in Coetu Ecclesiae publico, Deo exhibendas esse, eique rei loca etiam certa, seu Templa et Aedes sacras, cum haberi possunt, constituendas agnoscimus.

8. In cultu publico seu Ecclesiastio Linguam adhiberi convenit omni populo intellectam, ut quivis fidelis ad Preces aut Hymnos et Sermones sacros possit Amen dicere.

9. Tempora etiam certa Cultui publico destinanda sunt, prout nos quidem et diem Dominicam per totum annum et certa Festa solennia, ut Nativitatis Christi, Circumcisionis, Passionis, Resurrectionis, Adscensionis, Pentecostes, etc. observamus.

10. Quin et dies quosdam Sanctorum memoriae dicatos, ut Beatae Mariae Virginis, Michaelis Archangeli, et Apostolorum, feriatos agimus, non ad Cultum religiosum ipsismet proprie exhibendum, sed ut Gratiam Dei illis aut per illos praestitam, grata commemoratione celebremus, nosque ipsos ad eorundum imitationem excitemus.

11. Insuper Magistratui etiam Christiano, cum Praepositis Ecclesiae, permissum arbitramur, ut quandoque vel Festa Eucharistica propter singulare aliquod beneficium, vel dies Ieiuniorum et Precum propter grave aliquod periculum, aut urgens negotium instituere liceat.

Vero Cultui, pro modo Novi Testamenti sic descripto, repugnare credimus:

1. Cum post Sacrificium Christi semel in Cruce peractum, aliud quoddam Incruentum Sacrificium propitiatorium proprie dictum, pro vivis et mortuis quotidie peragendum statuitur: quale nos in Novo Testamento nec institutum unquam, nec usurpatum, nec approbatum esse asserimus.

2. Cum Hostia consecrata sub nomine Christi adoranda proponitur, aut circumgestatur.

3. Cum Adoratio aut Invocatio Religiosa, Externa vel Interna, ad res aut personas creatas, sive Angelos, sive Sanctos

Digitized by Google

defunctos, ut Intercessores, vel etiam Opitulatores, bonorumque Datores dirigitur: Psalmis etiam aut Hymnis, qui soli Deo dicati sunt, ad illos accommodatis.

4. Cum vel Deus ipse invisibilis et incomprehensibilis, vel Christus, vel Sancti defuncti, in Imaginibus sculptis, fusis, pictis coluntur: imo et ipsae Imagines, non solum per accidens et improprie, vel ut vicem gerunt Exemplaris, sed etiam per se et proprie, Religioso Cultu venerandae docentur.

5. Cum Reliquiae Sanctorum, sive verae, sive dubiae et suspectae, Cultu quodam religioso, fiducia etiam aliqua in iis collocata, afficiuntur.

6. Cum Sanctis Festa dicantur, Templa dedicantur, Vota nuncupantur, Confessiones, vel iuramenta in eorum nomine concipiuntur.

7. Cum Oratio Dominica et Salutatio Angelica, aliaeve Precum formulae, vel Deo ipsi, vel Sanctissimae Virgini, aliisque Sanctis, ad certum numerum reiterantur, cum opinione Meriti, aut Satisfactionis pro peccatis.

8. Cum Vota Monastica, ceu Opera Meritoria et Supererogatoria, Cultui Divino accensentur.

9. Cum Status et Coelibatus Clericorum, citra speciale continentiae donum, non sine incontinentiae periculo susceptus, non tantum laudabilis, vel excusabilis, sed etiam Cultus quidam Dei meritorius censetur.

10. Cum Peregrinationes ad loca Sancta, praesertim Annis, quos vocant, Iubilaeis, ex persuasione singularis cuiusdam gratiae Divinae et remissionis peccatorum impetrandae, instituuntur.

11. Cum Creaturae Dei, Aqua, Sal, Oleum, Cerei, etc. non tantum ad usus naturales a Deo ordinatos usurpantur, sed etiam ad usus spirituales, vel praeternaturales ita consecrantur, ut iisdem Virtus quaedam ad arcenda Daemonum maleficia, vel ad salutem Animae et Corporis, tribuatur.

12. Denique cum Ieiunia, inprimis Quadragesimae, per se Deo grata ac meritoria, vel etiam satisfactoria esse censentur: et quidem non tantum vera Ieiunia, qualia Primitiva Ecclesia, ceu utilia poenitentiae exercitia, usitata fuerunt, sed quae in delectu potius, quam defectu ciborum consistunt, et a multis per cupedias saepius, quam per inediam transiguntur.

13. Hisce et similibus, quae enarrare longum sit, a vero Cultu remotis, retineri de reliquo in Ecclesia posse arbitramur, nec cum periculo Offensionis temere abrogandum censemus, quicquid in ritibus, Caerimoniisque ex antiquo aut diuturno usu receptis, tale esse deprehenditur, ut nec Dei Verbo repugnet, nec ratione probabili destituatur, nec denique eventu ipso plus ad corruptionem depravationemque, quam ad profectum et aedificationem Ecclesiasticam facere animadversum fuerit.

Digitized by Google

## De Sacramentis.

1. Sacramenta sunt externa et in oculos incurrentia Signa, Sigilla et testimonia Voluntatis Divinae, per Verbum Elemento additum, a Deo ipso instituta, ad invisibilem gratiam, quae Verbo Foederis promittitur, obsignandam, et mediantibus illis signis exhibendam.

2. Sacramenta Novi Testamenti, vere et proprie dicta, sunt tantum duo: Baptismus et Coena Domini. Quae a Sacramentis Veteris Testamenti eo maxime differunt, quod illa Christum venturum significabant, haec vero reipsa iam exhibitum testantur.

3. Veritas seu Integritas Sacramentorum, non aestimanda est ex dignitate vel indignitate Ministrorum, aut sumentium, sed tantum ex Veritate et Voluntate DEI instituentis.

4. Nec proinde operantur aut conferunt Gratiam ex opere operato, sine bono motu utentis, sed virtute Promissionis, quae vera fide acceptanda est.

5. Itaque Efficacia etiam Sacramenti non pendet ab intentione Ministri, modo in ipsa actione seu administratione servetur forma divinae Institutionis.

6. Etsi Ritus ad εὐταξίαν seu bonum ordinem pertinentes libertati Ecclesiae permittuntur, tamen praeter eos, quos Christus ipse instituit, nulli Ritus, tanquam ad Sacramenti Essentiam aut Integritatem necessarii, sub Anathemate, ab ulla Ecclesia, eiusve Pastoribus sanciri possunt. Si qui vero per abusum, aut superstitionem irrepserint, merito aboleri debent.

7. Ex dictis etiam patet, nequaquam nos Signa nuda, inania, et ineſficacia, aut tantum Notas externae Professionis statuere, cum praeter mysticam ex instituto Dei Significationem, certam etiam Divinarum Promissionum Obsignationem, simulque veram et infallibilem Rerum promissarum, modo ipsis convenienti et proprio, Exhibitionem, fide viva acceptandam Sacramentis tribuamus.

8. Quo respectu etiam fieri credimus, ut soli vere fideles Bonorum Signo et Verbo oblatorum, reipsa participes fiant; Incredduli vero et Hypocritae, quia Signis utuntur indigne, et res signatas fide viva non acceptant, reatum et iudicium sibi ipsis accersant.

## De Baptismo.

1. Baptismus est Sacramentum N. Test. a Christo Domino institutum et a Ministris Verbi, tam Infantibus in Ecclesia natis, quam Adultis ad Ecclesiam per Fidei professionem accedentibus, administrandum, per ablutionem Aquae cum Invocatione SS. Trinitatis: ad significandum et contestandum internam per Sanguinem Christi a peccatis absolutionem, seu eorum Remissionem,

Digitized by Google

simulque inchoandam per Spiritum S. renovationem, seu Regenerationem.

2. Hoc igitur Sacramentum, propter ipsam Christi institutionem, ut Medium salutis ordinarium, omnino necessarium esse, religiose asserimus: quamvis necessitatem illam adeo absolutam esse non statuamus, ut, quicunque sine Baptismo externo ex hac vita excesserit, sive infans, sive Adultus, quocunque id casu, etiam citra omnem contemptum accidat, propterea necessario damnandus sit. Hic potius Regulam illam maxime valere credimus, quod non Privatio, sed contemptus Sacramenti damnet.

## De Sacra Coena.

1. Sicut Baptismus est Sacramentum Spiritualis nostrae in Christo Regenerationis, ita Sacra Coena est Sacramentum spiritualis in eodem Nutritionis, quo Christus ipse per externa Symbola Panis et Vini, Verbo eius sanctificata, quae in sui Sacrificii memoriam corporaliter et visibiliter edere et bibere iussit, Corpus suum pro nobis traditum et Sanguinem N. Test. pro nobis effusum, in Cibum ac Potum spiritualem Vitae aeternae, nobis se exhibere et communicare testatur.

2. Constat igitur hoc Sacramentum Rebus terrenis, Pane et Vino, et Coelestibus, Corpore et Sanguine Domini, quae diverso quidem modo, utraeque tamen verissime, realissime ac praesentissime nobis exhibentur; nempe, Terrenae modo Naturali, Corporali et Terreno: Coelestes vero modo Spirituali, Mystico et Coelesti, quem Rationi et Sensui inscrutabilem sola Fide tenemus; qua Verba promissionis, et Rem ipsam promissam, videlicet Christum crucifixum cum omnibus suis beneficiis, apprehendimus.

3. Hinc etiam Res terrenae, Panis et Vinum, vere sunt et dicuntur ipsum Corpus et Sanguis Christi, non quidem substantialiter, aut Corporaliter, sed Sacramentaliter et Mystice, ceu, per et propter Unionem Sacramentalem, quae non consistit in nuda Significatione, neque tantum in Obsignatione, sed etiam in coniuncta illa et simultanea Rei Terrenae et Coelestis, quamvis diversimoda, Exhibitione et Communicatione.

4. Eodem sensu dixerunt Veteres, et nos cum ipsis: *Panem et Vinum in Corpus et Sanguinem mutari*, non quidem ipsa substantia et Natura, sed Usu et Officio, in quo Sacra haec Symbola non tam id esse dicuntur, quod sensu percipitur, quam id, quod vi Promissionis in iis intuetur et acceptat fides.

5. Hinc et tota actio S. Coenae Sacrificium a Veteribus merito dicitur, videlicet Eucharisticum: quia Sacra haec Symbola, quae mystice sunt Corpus et Sanguis Christi, Eucharistica prece Deo offeruntur, et nobis communicantur, in gratam Commemorationem, et fidelem Applicationem Unici illius Sacrificii, vere et proprie Propitiatorii, semel in Cruce peracti.

Digitized by Google

6. Etsi igitur non statuimus Transsubstantiationem, qua elementa Panis et Vini quoad substantiam annihilentur, aut substantialiter in Corpus Christi mutentur.

7. Nec ullam Inclusionem, Inexistentiam, Coëxistentiam, aut localem et corporalem Praesentiam, aut talem Elementorum cum Christi Corpore Unionem, per quam illud Oraliter tam ab indignis et impiis, quam a fidelibus, manducetur.

8. Nec verum et proprie dictum ipsius Corporis et Sanguinis in Coena Sacrificium Propitiatorium.

9. Etsi quoque Adorationem Christi (quam caeteroqui in Actione Sacrae Coenae vel maxime necessariam esse ultro fatemur) non ad ipsa Elementa; aut corpus aliquod invisibile sub iis latens, sed ad Christum ipsum ad dextram Patris gloriose regnantem, dirigimus:

10. Nequaquam tamen statuimus nuda, vacua, inania Signa, sed potius id quod significant, et obsignant, simul exhibentia, tanquam certissima Media et efficacia Instrumenta, per quae Corpus et Sanguis Christi, adeoque Christus ipse, cum omnibus suis beneficiis, singulis vescentibus exhibetur seu offertur, credentibus vero confertur, donatur, et ab ipsis in cibum animae salutarem et vivificum acceptatur.

11. Nequaquam etiam negamus veram Corporis et Sanguinis Christi in Coena Praesentiam, sed tantum localem et corporalem praesentiae Modum, et Unionem cum Elementis substantialem: ipsam vero nobiscum Praesentiam sancte credimus, et quidem non imaginariam, sed verissimam, realissimam et efficacissimam, nempe ipsam illam Christi nobiscum Unionem mysticam, quam ipsemet, ut per Verbum promittit, et per Symbola offert, ita per Spiritum efficit, quamque nos per Fidem acceptamus, per Caritatem sentimus, secundum vetus illud dictum: *Motum sentimus, Modum nescimus, Praesentiam credimus.*

12. Unde et patet, non solam Virtutem, efficaciam, operationem, aut beneficia Christi nobis praesentari et communicari, sed inprimis ipsam Substantiam Corporis et Sanguinis Christi, seu ipsam illam Victimam, quae pro mundi vita data est, et in Cruce mactata, ut per fidelem huius Victimae Communionem, et cum Christo ipso Unionem, consequenter etiam Meritorum et Beneficiorum, Sacrificio eius partorum, participes simus, et sicut ipse in nobis, ita nos in ipso maneamus.

13. Et quidem non tantum, quoad Animam, sed etiam quoad Corpus nostrum. Etsi enim, ut Ore Corporis Rem terrenam, ita fide cordis, ceu Organo proprio, rem Coelestem acceptamus, secundum veterem illum Versiculum: „*Ventrem, quod terimus, Mentem, quod credimus, intrat:*“ tamen fide illa mediante, non solum Animae, sed et ipsa Corpora nostra, Christi Corpori, per eiusdem Spiritum, ad spem Resurrectionis et Vitae aeternae inseruntur et uniuntur, ut simus caro de carne eius, et os de ossi-

Digitized by Google

bus eius, adeoque Unum cum ipso Corpus mysticum, quod Apostolus merito dixit Mysterium magnum esse.

14. Denique de Ritibus huius Sacramenti hoc saltem iam addimus, quod Christus ipse omnes ex Calice bibere non minus, quam panem edere iusserit. Quodque Ritus ab ipso institutos ex parte aut toto abolendi, vel ad alienos fines ac usus transferendi, vel alios Ritus, tanquam necessarios, sub Anathemate addendi, nemini mortalium potestas competat.

## De Confirmatione.

1. Credimus probabile esse, Impositionis manuum Doctrinam, quae Heb. 6, v. 12. iungitur Doctrinae Baptismatum, referri ad Curam illam Ecclesiae, qua pueri in Doctrina Catechetica instituti, priusquam admitterentur ad Sacrae Coenae participationem, Ecclesiae sistebantur, de fide sua responsuri, et precibus Deo commendabantur, adiecto Ritu manuum Impositionis, qui Actus erat orantium et benedicentium tempore Patriarcharum, et deinceps usitatus. Hanc Orationem et commendationem adulti fidelis ad Deum, post legitimum examen, Confirmationem vocari facile permittimus, sicut etiam Ritus ipse in Ecclesiis nostris rite servatur.

2. Negamus autem:

1. Confirmationem esse Sacramentum Novi Test. vere et proprie dictum.

2. Imprimere Characterem indelebilem in anima.

3. Utrumque hoc sub Anathemate credendum esse.

4. Confirmationem non solum Baptismo conferendam, sed etiam in duobus praeferendam esse, videlicet dignitate Ministri, qui est solus Episcopus, et perfectione effectus.

## De Poenitentia.

1. Non controvertitur hic, an ad Remissionem peccatorum requiratur Conversio mentis ad Deum, et interna peccatorum cum dolore detestatio. Asserimus enim talem poenitentiam, ut perpetuam conditionem ad remissionem peccati, requisitam fuisse in utroque Testamento, qua peccator non quidem eam meretur, (hoc enim efficit solum Meritum et Satisfactio Christi, cum eam nobis fide viva applicamus) sed per eam praerequisita conditio impletur, qua aptus fit ad divinam misericordiam consequendam. Hanc solam internam Poenitentiam sufficere affirmamus in peccatis latentibus, quorum sibi conscius peccator, et quae soli Deo nota sunt.

2. Liberum tamen censemus, et utilissimum Conscientiis anxiis, ad eorum consilium confugere, qui ex officio peccatorum naturam et circumstantiam propius norunt, et a proprio Pastore consolationem petere, per aliquam peccatorum declarationem, qui-

Digitized by Google

bus sollicitus animus torquetur, atque ob eam etiam causam Absolutionem privatam utiliter retineri existimamus.

3. In Peccatis autem gravioribus, quae cum Ecclesiae scandalo commissa, in plurium notitiam pervenerunt, externam et publicam poenitentiam requirimus, et adversus tales peccatores Ecclesiam eiusque Praepositos Clavium potestate uti posse ac debere, ut eos Censuris suis ligent, et post poenitentiae fructus productos solvant, ministerio sibi in eam rem a Deo concesso, asserimus.

4. Negamus autem, 1) Poenitentiam ullam externam, sive privatam, sive publicam, seu Ritus poenitentis, seu Actus Ministri, seorsim aut coniunctim consideremus, esse verum et proprium Novi Test. Sacramentum, ac pro tali sub Anathemate habendum.

2. Confessionem per enumerationem omnium et singulorum peccatorum mortalium, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habetur, etiam occultorum, et quae sunt contra ultimum Decalogi praeceptum et circumstantiarum, quae peccati speciem mutant, necessariam esse ad remissionem peccatorum, Iure Divino, ut fiat secreto soli Sacerdoti, et hoc sub Anathemate credendum esse.

3. Cum sola Satisfactio et Meritum Christi nos liberet, non tantum a culpa, sed etiam ab omni poena proprie satisfactoria, negamus necessarias esse ad redimendas Poenas aeternas aut temporales, vel in hac Vita Satisfactiones Canonicas, vel, post hanc Vitam Satispassiones in Igne aliquo Purgatorio.

4. Negamus item ullum usum esse Indulgentiarum, quales hodie usurpantur.

5. Per iniuriam nobis affingitur, quod omnem Poenitentiam reiiciamus, et quod peccatoribus, sine Contritione et vitae anteactae detestatione, seriaeque Emendationis promisso, reconciliationem promittamus.

## De Extrema Unctione.

1. Fatemur, Apostolos unxisse aegros Oleo, quo et Corporalem sanitatem consecuti sunt. Fatemur etiam Iacobi Epistolam iubere, presbyteros Ecclesiae ad aegrotos vocari, ut eos Oleo ungant, et pro iis orent ad sanitatem consequendam. Officium etiam hodie Ministrorum Ecclesiae exigere, ut aegrotos visitent, eosque tam praedicatione Evangelii, quam dispensatione Sacrae Coenae consolentur, ac una cum Ecclesia pro eorum salute orent.

2. Negamus autem, 1) Cum desierit Donum miraculose sanandi, Ritum hunc Unctionis amplius in Ecclesia esse utilem.

2. Esse Sacramentum Novi Test., a Christo institutum, vere ac proprie dictum, et pro tali sub Anathemate habendum.

Digitized by Google

## De Ordine.

1. Omnia in Ecclesia ordine et decenter institui debere, nec quenquam, nisi legitime, sive per Vocationem Dei immediatam et extraordinariam, sive per mediatam et ordinariam, non tantum interno Spiritus S. instinctu, et donorum sufficientium collatione praecunte, sed, et externo cuiusque Ecclesiae et inprimis eius Antistitum assensu subsequente, per Electionem Ecclesiae ad Ministerium vocatum, et per Ordinationem, seu manuum impositionem a Presbyterio confirmatum, Ministerium in Ecclesia exercere iure posse. Quosdam etiam, inter Verbi Dei Ministros, a Deo constitutos esse Officii et Donorum gradus agnoscimus.

2. Negamus autem, 1) Ordinem esse Sacramentum Novi Testamenti proprie dictum.

2. Gratiam ex opere operato conferre, et Characterem in anima Ordinati inprimere.

3. Utrumque hoc sub Anathemate credendum esse.

4. Ecclesiarum Nostrarum Pastores legitima seu Verbo Dei consentanea Missione, Vocatione, et Ordinatione caruisse, aut carere.

## De Matrimonio.

1. Matrimonium Sanctam et Divinam esse Institutionem affirmamus, ac proinde ab illis cum Apostolo dissentimus, qui matrimonium prohibent, aut palam vituperant, vel oblique perstringunt, quasi non Sanctum, sed immundum sit.

2. Interim negamus, 1) Illud vere et proprie Sacramentum N. Testamenti, ac sub Anathemate habendum esse.

2. Conjugium Clericorum vel a Christo, vel a primitiva Ecclesia interdictum esse.

## De Ecclesia.

1. Ex iis, quae de Verbo Dei, de Christo Capite Ecclesiae, deque Christi Gratia, nec non de Sacramentis, et Cultu Divino dicta sunt, facile intelligitur, quid de Vera, falsave Ecclesia, tam Universali, quam Particulari sentiamus. Vera enim Ecclesia nihil aliud est, quam Coetus fidelium, sub uno Capite Christo, per eundem Spiritum gratiae, ex potestate tenebrarum ad Regnum Dei Verbo Evangelii evocatorum, et tum interna eiusdem Fidei, Caritatis et Spei, tum externa eorundem Sacramentorum, et totius Cultus Divini, sanctaeque Disciplinae Communione sociatorum.

2. Unde, quamvis illi soli vera et viva Ecclesiae Membra sint, qui tam interna, quam externa Communione Christo ceu Capiti, et Ecclesiae ceu Corpori eius mystico coniuncti sunt, tamen, cum interna Ecclesiae Communio et Unio sit res invisibilis,

Digitized by Google

Iudicio Caritatis omnes illi pro Membris Ecclesiae habendi sunt, qui in externa Visibili eiusdem salvificae Fidei professione, et veri Cultus ac Disciplinae Communione perseverant, quamvis aliqui coram Deo forte Hypocritae sint.

3. Universalis igitur Ecclesia est Coetus fidelium omnium, toto terrarum Orbe dispersorum, qui omnes sunt et manent Una Catholica Ecclesia, quamdiu sub Uno in Coelis Capite Christo, per unum salvificae Fidei et Caritatis Spiritum, unamque eiusdem Professionem uniti manent: quamvis nullo Communi externo in terris Regimine socientur, aut etiam sociari possint, sed in Regionibus et Regnis, aut Rebuspublicis disiunctissimis, vel etiam hostilibus dispersi, et quoad externam societatem, aut Ecclesiasticum Regimen plane disiuncti sint.

4. Particulares autem Ecclesiae sunt, quae etiam externo Regimine Ecclesiastico, eiusdem Urbis aut populi ad Communionem Sanctorum ordinatam coniunctae sunt.

5. Quae proinde ex iisdem etiam Notis, num Verae an Falsae sint Ecclesiae, agnosci possunt et debent: videlicet ex eiusdem salvificae fidei, secundum indubitatum Dei Verbum, Professione; eorundem Sacramentorum a Christo institutorum integra administratione: nec non eiusdem Cultus a Deo mandati, et sanctae Disciplinae Communione: ad quas omnes aliae Notae Accidentales, quae afferri possunt, reducendae, et ex iis aestimandae sunt.

6. Interea non diffitemur, inter has ipsas Ecclesias varios esse Puritatis et Perfectionis gradus, nec statim desinere esse veram Christi Ecclesiam, si quae non per omnia, vel in Doctrina, vel in Sacramentorum Usu, vel in reliquo Cultu, Ritnumque et Disciplinae Sanctitate pura sit, sed salvificae Fidei aliquos errores, Sacramentorum usui aliquos abusus, Cultui Divino aliquas Superstitiones, Disciplinae Sanctitati aliquam Scandalorum licentiam admistam habeat: modo interim Fidei et Cultus Doctrinam et Praxin fundamentalem et salvificam retineat, et Christianae ac Fraternae cum aliis Ecclesiis Caritatis vinculum non plane dissolvat.

7. Si quae vero fundamentum Fidei et Cultus salvifici evertat, et Vinculum Christianae Caritatis, cum aliis Fundamentum retinentibus Ecclesiis, pertinaciter abrumpat, eam non amplius Veram Ecclesiam, sed Falsam esse statuimus.

8. Id vero etsi Universali toto Orbe Ecclesiae unquam accidisse, aut accidere posse pernegamus, ut a salvifica Fide et Cultu tota deficiat, tamen nulli particulari, quaecunque tandem illa sit, tale prae aliis Privilegium a Christo datum agnoscimus, ut in fide nunquam possit errare aut deficere, sed quamvis in disciplina variis scandalis, aeque ac aliae Ecclesiae, obnoxia sit, tamen in Doctrina Fidei, et in Praxi Cultus Divini ab omni semper errore, aut, errandi possibilitate, immunis et pura maneat.

Digitized by Google

9. Regimen Ecclesiae quod attinet, etsi id vere Monarchicum est, respectu Christi Unici Regis et Monarchae totius Universalis Ecclesiae, tamen Particularium Ecclesiarum Regimen in terris externum, ex institutione Christi, Aristocraticum esse censemus: sed ita, ut Episcopis seu Superintendentibus, vel Inspectoribus, Ordinis et Regiminis aliquam super reliquos Presbyteros prioritatem non negemus.

10. Negamus vero, ullum in terris Caput aut Monarcham iure Divino constitutum esse, cui omnes et singulae toto terrarum Orbe Ecclesiae, earumque Episcopi, aut singuli fideles, de necessitate salutis, et sub Anathemate, subiecti sint, aut esse debeant, ita, ut sine hac subiectione nec Christi, nec Ecclesiae Catholicae vera membra esse possint.

Atque haec est specialior Declaratio Doctrinae Ecclesiarum huius Regni Reformatarum de hisce Controversiis, quae D. D. Romano-Catholicis iam ante quidem exhibita, et d. 16. Septembr. in publica Sessione praelecta est.

Cum vero animos eorum quibusdam Verbis nonnihil offensos esse intelligeremus, ita quidem, ut eam Actis minime inserendam esse protestati sint, Nos re mature deliberata, ne forte culpa aliqua nostra Caritativi huius Colloquii abrumpendi causam praebuisse videremur, iterum illis condescendendum censuimus, eoque nonnulla, quae in proponendi modo illis displicuisse, aut ad secundam potius huius Colloquii Actionem, videlicet ad Doctrinae Controversae probationem, quam ad eius explicationem pertinere videbantur, mutavimus, quam potestatem tum quoque, in huius Declarationis priori clausula, liberam nobis atque integram reservaveramus: prout iam quoque ad ulteriorem eorum, quae obscurius forte dicta etiamnunc videri queant, Declarationem, si eam a nobis postulent, nos ultro offerimus, et hanc declarandi nostram sententiam libertatem porro nobis reservatam volumus, eamque a Dominis Romano-Catholicis, Legibus huius Colloquii ita volentibus, haud gravatim nobis concessum iri speramus.

## Huic Declarationi subscripsere.

### Ex Equestri Ordine.

Zbygneus Gorayski de Goray, Castellanus Chelmensis, a. S. R. M. deputatus Colloquii Thoruniensis Praeses. Mppa.

Stanislaus Drohoiewski a Drohoiow, Director Consessus a parte Reformatorum. Mppa.

Adamus Rey a Naglowice, Delegatus ab Ecclesiis Palatinatus Cracoviensis. Mppa.

Digitized by Google

Iohannes de Zbaszyn Zbaski, ex Palatinatu Lublinensi Delegatus. Mppa.

Matthias Gloskowski, Camerarius Terrestris Calissiensis, ab Ecclesiis Palatinatuum Maioris Poloniae Delegatus. Mppa.

Iohannes a Glinnik Glinski, Delegatus ab Ecclesiis Palatinatus Cracoviensis. Mppa.

Albertus Dorpowski. Mppa.

## Ex Ordine Ecclesiastico.

Iohannes Bergius, SS. Theologiae Doctor, a Serenissimo Electore Brandenburgico ad hoc Colloquium delegatus subscripsit. Mppa.

Iohannes Bythnerus, Ecclesiarum Confessionis Bohemicae per Maiorem Poloniam Superattendens, et Theologorum ad Colloquium hoc ab Ecclesiis delegatorum a parte Reformatorum Praeses. Mppa.

Georgius Vechnerus, SS. Theologiae D. Mppa.

Fridericus Reichelius, SS. Theol. D. et Professor in Academia Francofortana. Mppa.

Thomas Wegierski, Ecclesiarum Reformatarum in Minori Polonia Superattendens. Mppa.

Nicolaus Wysocki, Ecclesiarum Reformatarum Districtus Podlachiae in M. Ducatu Lithuaniae Superattendens. Mppa.

Andreas Musonius, Ecclesiarum Neogardensium in M. Ducatu Lithuaniae Superattendens. Mppa.

Paulus Bochnitius, Ecclesiarum Districtus Russiae Senior. Mppa.

Albertus Wegierski, Ecclesiarum Districtus Cracoviensis Senior. Mppa.

Georgius Laetus, Ecclesiarum Districtus Lublinensis Consenior. Mppa.

Iohannes Felinus, Consenior Ecclesiarum Maioris Poloniae Deputatus. Mppa.

Samuel Plachta, Ecclesiarum Districtus Russiae Consenior. Mppa.

Reinboldus Adami, V. D. M. et Scholarum in M. Ducatu Lithuaniae Inspector. Mppa.

Daniel Stephanus, V. D. M. e Districtu Sendomiriensi Delegatus. Mppa.

Iohannes Laetus, V. D. M. ex Districtu Cracoviensi Delegatus. Mppa.

Matthias Apollos Styrzinski, V. D. M. ex Districtu Podlachiensi Delegatus. Mppa.

Digitized by Google

Daniel Kopecky, V. D. M. in Aula Ill. Domini Capitanei Stumensis. Mppa.

Georgius Gleinigius, V. D. M. ab Ecclesiis Maioris Poloniae ad Colloquium Thoruniense Delegatus. Mppa.

Christophorus Pandlowski, V. D. M. Ecclesiarum Districtus Belzensis ad Colloquium Thoruniense Delegatus, et eiusdem a parte Reformatorum Notarius iuratus. Mppa.

Beniamin Ursinus, V. D. A. ab Ecclesiis Maioris Poloniae Confessionis Bohemicae Delegatus ad praesens Colloquium, eiusdemque a parte Reformatorum Notarius iuratus. Mppa.



Digitized by Google

## 9.

# IUDICIUM SYNODI NATIONALIS REFORMATARUM ECCLESIARUM BELGICARUM,

## HABITAE DORDRECHTI ANNO MDCXVIII. ET MDCXIX.

CUI PLURIMI INSIGNES THEOLOGI REFORMATARUM ECCLESIARUM MAGNAE BRITANNIAE, GERMANIAE, GALLIAE, INTERFUERUNT,

## DE QUINQUE DOCTRINAE CAPITIBUS IN ECCLESIIS BELGICIS CONTROVERSIS:

PROMULGATUM VI. MAII MDCXIX.

## PRAEFATIO.

*In nomine Domini et Servatoris nostri Iesu Christi, Amen.*

INTER plurima, quae Dominus et Servator noster Iesus Christus militanti suae Ecclesiae in hac aerumnosa peregrinatione dedit solatia, merito celebratur illud, quod ei ad Patrem suum in coeleste sanctuarium abiturus reliquit: *Ego*, inquiens, *sum vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Huius suavissimae promissionis veritas elucet in omnium temporum Ecclesia, quae quum non solum aperta inimicorum violentia et haereticorum impietate, sed etiam operta seductorum astutia inde ab initio fuerit oppugnata, sane, si unquam salutari promissae suae praesentiae praesidio eam destituisset Dominus, pridem aut vi tyrannorum fuisset oppressa, aut fraude impostorum in exitium seducta. Sed bonus ille Pastor, qui gregem suum, pro quo animam suam posuit, constantissime diligit, persecutorum rabiem tempestive semper, et exserta saepe dextera, miraculose repressit, et seductorum vias tortuosas ac consilia fraudulenta detexit

Digitized by Google

atque dissipavit, utroque se in Ecclesia sua praesentissimum esse demonstrans. Huius rei illustre documentum exstat in historiis piorum imperatorum, regum, et principum, quos Filius Dei in subsidium Ecclesiae suae toties excitavit, sancto domus snae zelo accendit, eorumque opera, non tantum tyrannorum furores compescuit, sed etiam Ecclesiae cum falsis doctoribus religionem varie adulterantibus conflictanti, sanctarum synodorum remedia procuravit, in quibus fideles Christi servi coniunctis precibus, consiliis, et laboribus pro Ecclesia et veritate Dei fortiter steterunt, Satanae ministris, licet in angelos lucis se transformantibus, intrepide se opposuerunt, errorum et discordiae semina sustulerunt, Ecclesiam in religionis purae concordia conservarunt, et sincerum Dei cultum ad posteritatem illibatum transmiserunt.

Simili beneficio fidelis noster Servator Ecclesiae Belgicae, annos aliquam multos afflictissimae, gratiosam suam praesentiam hoc tempore testatus est. Hanc enim Ecclesiam a Romani antichristi tyrannide et horribili papatus idololatria potenti Dei manu vidicatam, in belli diuturni periculis toties miraculose custoditam, et in verae doctrinae atque disciplinae concordia ad Dei sui laudem, admirabile reipubl. incrementum, totiusque reformati orbis gaudium efflorescentem, *Iacobus Arminius* eiusque sectatores, nomen Remonstrantium prae se ferentes, variis, tam veteribus, quam novis erroribus, primum tecte, deinde aperte tentarunt, et scandalosis dissensionibus ac schismatibus pertinaciter turbatam, in tantum discrimen adduxerunt, ut florentissimae Ecclesiae, nisi Servatoris nostri miseratio opportune intervenisset, horribili dissidiorum et schismatum incendio tandem conflagrassent. Benedictus autem sit in saecula Dominus, qui postquam ad momentum faciem suam a nobis (qui multis modis iram et indignationem eius provocaveramus) abscondissit, universo orbi testatum fecit, se foederis sui non oblivisci, et suspiria suorum non spernere. Cum enim vix ulla remedii spes humanitus appareret, illustrissimis et praepotentibus Belgii foederati ordinibus generalibus hanc mentem inspiravit, ut consilio et directione illustrissimi et fortissimi principis Arausicani legitimis mediis, quae ipsorum apostolorum, et quae eos secutae Ecclesiae Christianae exemplis longo temporum decursu sunt comprobata, et magno cum fructu in Ecclesia etiam Belgica antehac usurpata, saevientibus hisce malis obviam ire decreverint, synodumque ex omnibus, quibus praesunt, provinciis, authoritate sua, Dordrechtum convocarint, expetitis ad eam et favore serenissimi ac potentissimi Magnae Britanniae Regis *Iacobi*, et illustrissimorum principum, comitum, et rerumpublicarum, impetratis plurimis gravissimis theologis, ut communi tot Reformatae Ecclesiae theologorum iudicio, ista *Arminii* eiusque sectatorum dogmata accurate, et ex solo Dei verbo, diiudicarentur, vera doctrina stabiliretur, et falsa reiiceretur, Ecclesiisque Belgicis concordia, pax et tranquillitas, divina benedictione, re-



Digitized by Google

stituceretur. Hoc est illud Dei beneficium, in quo exultant Ecclesiae Belgicae, et fidelis Servatoris sui miserationes humiliter agnoscunt, ac grate praedicant.

Haec igitur veneranda Synodus (praevia per summi magistratus authoritatem in omnibus Belgicis Ecclesiis, ad irae Dei deprecationem et gratiosi auxilii implorationem, precum et ieiunii indictione et celebratione) in nomine Domini Dordrechti congregata, divini Numinis et salutis Ecclesiae accensa amore, et post invocatum Dei nomen, sancto iuramento obstricta, se solam Scripturam sacram pro iudicii norma habituram, et in caussae huius cognitione et iudicio, bona integraque conscientia versaturam esse, hoc egit sedulo magnaque patientia, ut praecipuos horum dogmatum patronos, coram se citatos, induceret ad sententiam suam de Quinque notis doctrinae Capitibus, sententiaeque rationes, plenius exponendas. Sed cum Synodi iudicium repudiarent, atque ad interrogatoria, eo, quo aequum erat, modo respondere detrectarent, neque Synodi monitiones, nec generosorum atque amplissimorum ordinum generalium Delegatorum mandata, imo ne ipsorum quidem illustrissimorum et praepotentum DD. ordinum generalium imperia, quicquam apud illos proficerent, aliam viam eorundem Dominorum iussu, et ex consuetudine iam olim in synodis antiquis recepta, ingredi coacta fuit; atque ex scriptis, confessionibus, ac declarationibus, partim antea editis, partim etiam huic Synodo exhibitis, examen illorum quinque dogmatum institutum est. Quod cum iam per singularem Dei gratiam, maxima diligentia, fide, ac conscientia, omnium et singulorum consensu absolutum sit, Synodus haec ad Dei gloriam, et ut veritatis salutaris integritati, conscientiarum tranquillitati, et paci ac saluti Ecclesiae Belgicae consulatur, sequens iudicium, quo et vera verboque Dei consentanea de praedictis Quinque Doctrinae Capitibus sententia exponitur, et falsa verboque Dei dissentanea reiicitur, statuit promulgandum.

Digitized by Google

# SENTENTIA,

## DE

# DIVINA PRAEDESTINATIONE ET ANNEXIS EI CAPITIBUS,

Quam *Synodus Dordrechtana* Verbo Dei consentaneam, atque in Ecclesiis Reformatis hactenus receptam esse, iudicat, quibusdam Articulis exposita.

---

## PRIMUM DOCTRINAE CAPUT,

## DE

## DIVINA PRAEDESTINATIONE.

---

### Articulus primus.

*Cum* omnes homines in Adamo peccaverint, et rei sint facti maledictionis et mortis aeternae, Deus nemini fecisset iniuriam, si universum genus humanum in peccato et maledictione relinquere, ac propter peccatum damnare voluisset, iuxta illa Apostoli, *Totus mundus est obnoxius condemnationi Dei.* Rom. III, 19. *Omnes peccaverunt et destituuntur gloria Dei. vers.* 23. Et, *Stipendium peccati mors est.* Rom. VI, 23.

### II.

Verum in hoc manifestata est charitas Dei, quod Filium suum unigenitum in mundum misit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. 1 Ioan. IV, 9. Ioan. III, 16.

### III.

Ut autem homines ad fidem adducantur, Deus clementer lactissimi huius nuntii praecones mittit, ad quos vult, et quando vult, quorum ministerio homines ad resipiscentiam et fidem in Christum crucifixum vocantur. *Quomodo enim credent in eum, de quo non audierint? quomodo autem audient absque praedicante? quomodo praedicabunt, nisi fuerint missi?* Rom. X, 14. 15.

### IV.

Qui huic Evangelio non credunt, super eos manet ira Dei. Qui vero illud recipiunt, et Servatorem Iesum vera ac viva fide amplectuntur, illi per ipsum ab ira Dei et interitu liberantur, ac vita aeterna donantur.

Digitized by Google

V.

Incredulitatis istius, ut et omnium aliorum peccatorum, caussa seu culpa neutiquam est in Deo, sed in homine. Fides autem in Iesum Christum et salus per ipsum, est gratuitum Dei donum, sicut scriptum est: *Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei donum est.* Ephes. II, 8. Item: *Gratis datum est nobis in Christum credere.* Philipp. I, 29.

VI.

Quod autem aliqui in tempore fide a Deo donantur, aliqui non donantur, id ab aeterno ipsius decreto provenit; *Omnia enim opera sua novit ab aeterno:* Act. XV, 18. Ephes. I, 11. secundum quod decretum electorum corda, quantumvis dura, gratiose emollit, et ad credendum inflectit, non electos autem iusto iudicio suae malitiae et duritiae relinquit. Atque hic potissimum sese nobis aperit profunda, misericors pariter et iusta hominum aequaliter perditorum discretio; sive decretum illud *electionis* et *reprobationis* in verbo Dei revelatum. Quod ut perversi, impuri, et parum stabiles, in suum detorquent exitium, ita sanctis et religiosis animabus ineffabile praestat solatium.

VII.

Est autem electio immutabile Dei proprositum, quo ante iacta mundi fundamenta ex universo genere humano, ex primaeva integritate in peccatum et exitium sua culpa prolapso, secundum liberrimum voluntatis suae beneplacitum, ex mera gratia, certam quorundam hominum multitudinem, aliis nec meliorum, nec digniorum, sed in communi miseria cum aliis iacentium, ad salutem elegit in Christo, quem etiam ab aeterno Mediatorem et omnium electorum caput, salutisque fundamentum constituit; atque ita eos ipsi salvandos dare, et ad eius communionem per verbum et Spiritum suum efficaciter vocare ac trahere; seu vera et ipsum fide donare, iustificare, sanctificare, et potenter in Filii sui communione custoditos tandem glorificare decrevit, ad demonstrationem suae misericordiae, et laudem divitiarum gloriosae suae gratiae, sicut scriptum est: *Elegit nos Deus in Christo, ante iacta mundi fundamenta, ut essemus sancti et inculpati in conspectu eius, cum charitate; qui praedestinavit nos quos adoptaret in filios, per Iesum Christum, in sese, pro beneplacito voluntatis suae, ad laudem gloriosae suae gratiae, qua nos gratis sibi acceptos fecit in illo dilecto.* Ephes. I, 4. 5. 6. Et alibi: *Quos praedestinavit, eos etiam vocavit; et quos vocavit, eos etiam iustificavit; quos autem iustificavit, eos etiam glorificavit,* Rom. VIII, 30.

VIII.

Haec electio non est multiplex, sed una et eadem omnium salvandorum in Vetere et Novo Testamento, quandoquidem Scri-

Digitized by Google

ptura unicum praedicat beneplacitum, propositum, et consilium voluntatis Dei, quo nos ab aeterno elegit ad gratiam et ad gloriam; et ad salutem et ad viam salutis, quam praeparavit ut in ea ambulemus.

## IX.

Eadem haec electio facta est non ex praevisa fide, fideique obedientia, sanctitate, aut alia aliqua bona qualitate et dispositione, tanquam caussa seu conditione in homine eligendo praerequisita, sed ad fidem, fideique obedientiam, sanctitatem, etc. Ac proinde electio est fons omnis salutaris boni: unde fides, sanctitas, et reliqua dona salvifica, ipsa denique vita aeterna, ut fructus et effectus eius profluunt, secundum illud Apostoli: *Elegit nos* (non quia eramus, sed) *ut essemus sancti et inculpati in conspectu eius in charitate.* Ephes. I, 4.

## X.

Caussa vero huius gratuitae electionis, est solum Dei beneplacitum, non in eo consistens, quod certas qualitates seu actiones humanas, ex omnibus possibilibus, in salutis conditionem elegit; sed in eo, quod certas quasdam personas ex communi peccatorum multitudine sibi in peculium adscivit, sicut scriptum est: *Nondum natis pueris, cum neque boni quippiam fecissent neque mali*, etc. *dictum est* (nempe Rebeccae,) *Maior serviet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau odio habui.* Rom. IX, 11, 12. 13. Et, Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam aeternam. Act. XIII, 48.

## XI.

Atque ut Deus ipse est sapientissimus, immutabilis, omniscius, et omnipotens: ita electio ab ipso facta nec interrumpi, nec mutari, revocari, aut abrumpi, nec electi abiici, nec numerus eorum minui potest.

## XII.

De hac aeterna et immutabili sui ad salutem electione, electi suo tempore, variis licet gradibus et dispari mensura, certiores redduntur, non quidem arcana et profunditates Dei curiose scrutando; sed fructus electionis infallibiles, in verbo Dei designatos, ut sunt vera in Christum fides, filialis Dei timor, dolor de peccatis secundum Deum, esuries et sitis iustitiae, etc. in sese cum spirituali gaudio et sancta voluptate observando.

## XIII.

Ex huius electionis sensu et certitudine, filii Dei maiorem indies sese coram Deo humiliandi, abyssum misericordiarum eius

Digitized by Google

adorandi, seipsos purificandi, et eum, qui ipsos prior tantopere dilexit, vicissim ardenter diligendi, materiam desumunt: tantum abest, ut hac electionis doctrina atque eius meditatione in mandatorum divinorum observatione segniores, aut carnaliter securi, reddantur. Quod iis iusto Dei iudicio solet accidere, qui de electionis gratia, vel temere praesumentes, vel otiose et proterve fabulantes, in viis electorum ambulare nolunt.

## XIV.

Ut autem haec de divina electione doctrina sapientissimo Dei consilio per prophetas, Christum ipsum, atque Apostolos, sub Veteri aeque atque sub Novo Testamento, est praedicata, et sacrarum deinde literarum monumentis commendata: ita et hodie in Ecclesia Dei, cui ea peculiariter est destinata, cum spiritu discretionis, religiose et sancte, suo loco et tempore, missa omni curiosa viarum altissimi scrutatione, est proponenda, idque ad sanctissimi nominis divini gloriam, et vividum populi ipsius solatium.

## XV.

Caeterum aeternam et gratuitam hanc electionis nostri gratiam eo vel maxime illustrat, nobisque commendat Scriptura Sacra, quod porro testatur non omnes homines esse electos, sed quosdam non electos, sive in aeterna Dei electione praeteritos, quos scilicet Deus ex liberrimo, iustissimo, irreprehensibili, et immutabili beneplacito decrevit in communi miseria, in quam se sua culpa praecipitarunt, relinquere, nec salvifica fide et conversionis gratia donare, sed in viis suis, et sub iusto iudicio relictos, tandem non tantum propter infidelitatem, sed etiam caetera omnia peccata, ad declarationem iustitiae suae damnare, et aeternum punire. Atque hoc est decretum *reprobationis*, quod Deum neutiquam peccati authorem (quod cogitatu blasphemum est) sed tremendum, irreprehensibilem, et iustum iudicem ac vindicem constituit.

## XVI.

Qui vivam in Christum fidem, seu certam cordis fiduciam, pacem conscientiae, studium filialis obedientiae, gloriationem in Deo per Christum, in se nondum efficaciter sentiunt, mediis tamen, per quae Deus ista se in nobis operaturum promisit, utuntur, ii ad reprobationis mentionem non consternari, nec se reprobis accensere, sed in usu mediorum diligenter pergere, ac horam uberioris gratiae ardenter desiderare et reverenter humiliterque expectare debent. Multo autem minus doctrina de reprobatione terreri debent ii, qui cum serio ad Deum converti, ei unice placere, et e corpore mortis eripi desiderant, in via tamen pietatis et fidei eo usque, quo volunt, pervenire nondum possunt, siquidem

Digitized by Google

linum fumigans se non extincturum, et arundinem quassatam se non fracturum, promisit misericors Deus. Iis autem haec doctrina merito terrori est, qui Dei et Servatoris Iesu Christi obliti, mundi curis et carnis voluptatibus se totos manciparunt, quamdiu ad Deum serio non convertuntur.

## XVII.

Quandoquidem de voluntate Dei ex verbo ipsius nobis est iudicandum, quod testatur liberos fidelium esse sanctos, non quidem natura, sed beneficio foederis gratuiti, in quo illi cum parentibus comprehenduntur, pii parentes de electione et salute suorum liberorum, quos Deus in infantia ex hac vita evocat, dubitare non debent.

## XVIII.

Adversus hanc gratuitae electionis gratiam, et iustae reprobationis severitatem, obmurmuranti opponimus hoc apostolicum: *O homo! tu quis es qui ex adverso responsas Deo?* Rom. IX, 20. Et illud Servatori nostri, *An non licet mihi quod volo facere in meis?* Matth. XX, 15. Nos vero haec mysteria religiose adorantes, cum Apostolo exclamamus: *O profunditatem divitiarum tum sapientiae tum cognitionis Dei! Quam imperscrutabilia sunt Dei iudicia, et eius viae impervestigabiles! Quis enim cognovit mentem Domini? Aut quis fuit ei a consiliis? Aut quis prior dedit ei ut reddatur ei? Nam ex eo, et per eum, et in eum sunt omnia. Ipsi sit gloria in saecula.* Amen. Rom. XI, 33. 34. 35. 36.

---

# REIECTIO ERRORUM
## QUIBUS
# ECCLESIAE BELGICAE SUNT ALIQUAMDIU PERTURBATAE.

*Exposita doctrina Orthodoxa de Electione et Reprobatione, Synodus reiicit Errores eorum,*

## I.

QUI docent, „Voluntatem Dei de servandis credituris, et in fide fideique obedientia perseveraturis, esse totum et integrum electionis ad salutem decretum; nec quicquam aliud de hoc decreto in verbo Dei esse revelatum.“ Hi enim simplicioribus imponunt, et Scripturae sacrae manifeste contradicunt, testanti Deum non tantum servare velle credituros, sed etiam certos quos-

Digitized by Google

dam homines ab aeterno elegisse, quos prae aliis in tempore fide in Christum et perseverantia donaret; sicut scriptum est, *Manifestum feci nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi.* Ioh. XVII, 6. Item, *Crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam aeternam.* Actor. XIII, 48. Et, *Elegit nos ante iacta mundi fundamenta, ut essemus sancti,* etc. Ephes. I, 4.

II.

Qui docent: „Electionem Dei ad vitam aeternam esse multiplicem; aliam generalem et indefinitam, aliam singularem et definitam; et hanc rursum vel incompletam, revocabilem, non peremptoriam, sive conditionatam: vel completam, irrevocabilem, peremptoriam, seu absolutam.“ Item, „Aliam electionem esse ad fidem, aliam ad salutem; ita ut electio ad fidem iustificantem absque electione peremptoria ad salutem esse possit.“ Hoc enim est humani cerebri commentum extra scripturas excogitatum, doctrinam de electione corrumpens, et auream hanc salutis catenam dissolvens: *Quos praedestinavit, eos etiam vocavit; et quos vocavit, eos etiam iustificavit; quos autem iustificavit, eos etiam glorificavit.* Rom. VIII, 30.

III.

Qui docent: „Dei beneplacitum ac propositum, cuius scriptura meminit in doctrina electionis, non consistere in eo, quod Deus certos quosdam homines prae aliis elegerit, sed in eo, quod Deus ex omnibus possibilibus conditionibus (inter quas etiam sunt opera legis) sive ex omnium rerum ordine, actum fidei, in sese ignobilem, et obedientiam fidei imperfectam, in salutis conditionem elegerit; eamque gratiose pro perfecta obedientia reputare, et vitae aeternae praemio dignam censere voluerit.“ Hoc enim errore pernicioso beneplacitum Dei et meritum Christi enervatur, et homines inutilibus quaestionibus a veritate iustificationis gratuitae, et simplicitate Scripturarum avocantur; illudque Apostoli falsi arguitur: *Deus nos vocavit vocatione sancta; non ex operibus, sed ex suo proposito et gratia, quae data est nobis in Christo Iesu ante tempora saeculorum.* 2 Tim. I, 9.

IV.

Qui docent: „In electione ad fidem hanc conditionem praerequiri, ut homo lumine naturae recte utatur, sit probus, parvus, humilis, et ad vitam aeternam dispositus, quasi ab istis electio aliquatenus pendeat.“ Pelagium enim sapiunt, et minime obscure falsi insimulant Apostolorum scribentem: *Versati sumus olim in cupiditatibus carnis nostrae, facientes quae carni et cogitationibus libebant, eramusque natura filii irae, ut et reliqui. Sed Deus, qui dives est misericordia, propter multam charitatem suam, qua*

Digitized by Google

*dilexit nos, etiam nos cum in offensis mortui essemus, una vivificavit cum Christo, cuius gratia estis servati, unaque suscitavit, unaque collocavit in coelis in Christo Iesu; ut ostenderet in seculis supervenientibus supereminentes illas opes suae gratiae, pro sua erga nos benignitate in Christo Iesu. Gratia enim estis servati per fidem, (et hoc non ex vobis, Dei donum est) non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Ephes. II, 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

V.

Qui docent: „Electionem singularium personarum ad salutem, incompletam et non peremptoriam, factam esse ex praevisa fide, resipiscentia, sanctitate et pietate inchoata, aut aliquamdiu continuata: completam vero et peremptoriam ex praevisae fidei, resipiscentiae, sanctitatis, et pietatis finali perseverantia: et hanc esse gratiosam et evangelicam dignitatem, propter quam qui eligitur dignior sit illo qui non eligitur: ac proinde fidem, fidei obedientiam, sanctitatem, pietatem, et perseverantiam non esse fructus sive effectus electionis immutabilis ad gloriam, sed conditiones, et caussas sine quibus non, in eligendis complete praerequisitas, et praevisas, tanquam praestitas.“ Id quod toti Scripturae repugnat, quae haec et alia dicta passim auribus et cordibus nostris ingerit: *Electio non est ex operibus, sed ex vocante.* Rom. IX, 11. *Credebant quotquot ordinati erant ad vitam aeternam.* Actor. XIII, 48. *Elegit nos in semetipso ut sancti essemus.* Ephes. I, 4. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Ioh. XV, 16. *Si ex gratia, non ex operibus.* Rom. XI, 6. *In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexit nos, et misit Filium suum.* 1 Iohan. IV, 10.

VI.

Qui docent: „Non omnem electionem ad salutem immutabilem esse, sed quosdam electos, nullo Dei decreto obstante, perire posse et aeternum perire.“ Quo crasso errore et *Deum* mutabilem faciunt, et consolationem piorum de electionis suae constantia subvertunt, et Scripturis sacris contradicunt docentibus, *Electos non posse seduci:* Matth. XXIV, 24. *Christum datos sibi a Patre non perdere:* Iohan. VI, 39. *Deum quos praedestinavit, vocavit et iustificavit, eos etiam glorificare.* Rom. VIII, 30.

VII.

Qui docent: „Electionis immutabilis ad gloriam nullum in hac vita esse fructum, nullum sensum, nullam certitudinem, nisi ex conditione mutabili et contingente.“ Praeterquam enim quod absurdum sit ponere certitudinem incertam, adversantur haec experientiae sanctorum, qui cum Apostolo ex sensu electionis sui exultant, Deique hoc beneficium celebrant, qui *gaudent* cum di-

Digitized by Google

scipulis, secundum Christi admonitionem, *quod nomina sua scripta sunt in coelis.* Luc. X, 20., qui sensum denique electionis ignitis tentationum diabolicarum telis opponunt, quaerentes, *Quis intentabit crimina adversus electos Dei?* Rom. VIII, 33.

VIII.

Qui docent: „Deum neminem ex mera iusta sua voluntate decrevisse in lapsu Adae et in communi peccati et damnationis statu relinquere, aut in gratiae ad fidem et conversionem necessariae communicatione praeterire.“ Stat enim illud, *Quorum vult, miseretur; quos vult, indurat.* Rom. IX, 18. Et illud, *Vobis datum est nosse mysteria regni coelorum, illis autem non est datum.* Matth. XIII, 11. Item, *Glorifico te, Pater, Domine coeli et terrae, quod haec occultaveris sapientibus et intelligentibus, et ea detexeris infantibus: etiam, Pater, quia ita placuit tibi.* Matth. XI, 25. 26.

IX.

Qui docent: „Caussam cur Deus ad hanc potius, quam ad aliam gentem Evangelium mittat, non esse merum et solum Dei beneplacitum, sed quod haec gens melior et dignior sit ea, cui Evangelium non communicatur.“ Reclamat enim Moses, populum Israeliticum sic alloquens, *En Iehovae Dei tui sunt coeli, et coeli coelorum, terra, et quicquid est in ea: Tantum in maiores tuos propensus fuit amore Iehova, diligendo eos; unde selegit semen eorum post eos, vos inquam, prae omnibus populis, sicut est hodie.* Deut. X, 14. 15. Et Christus: *Vae tibi Chorazin, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes illae quae in vobis factae sunt, in sacco et cinere olim poenitentiam egissent!* Matth. XI, 21.

---

## Ita nos sentire et iudicare, manuum nostrarum subscriptione testamur.

*IOHANNES Bogermannus, Pastor Ecclesiae Leoverdiensis et Synodi Praeses.*

*Iacobus Rolandus, Pastor Ecclesiae Amstelodamensis et Praesidis Assessor.*

*Hermannus Faukelius, Pastor Ecclesiae Middelburgensis et Praesidis Assessor.*

*Sebastianus Damman, Pastor Ecclesiae Zutphaniensis et Synodi Scriba.*

*Festus Hommius, Pastor Ecclesiae Leydensis et Synodi Scriba.*

Digitized by Google

## EX MAGNA BRITANNIA.

*Georgius Episcopus Landavensis.*

*Iohannes Davenantius, Presbyter; Doctor ac Sacrae Theologiae publicus Professor in Academia Cantabrigiensi et Collegii Reginalis ibidem Praeses.*

*Samuel Wardus, Presbyter, SS. Theologiae Doctor, Archidiaconus Fauntonnensis, et Collegii Sidneyani in Academia Cantabrigiensi Praefectus.*

*Thomas Goadus, Presbyter, SS. Theologiae Doctor, Cathedralis Ecclesiae Paulinae Londinensis Praecentor.*

*Gualterus Balcanquallus, Scoto-Britannus, Presbyter, S. Theologiae Baccalaureus.*

## EX ELECTORALI PALATINATU.

*Abrahamus Scultetus, S. Theologiae Doctor et Professor in Academia Heydelbergensi.*

*Paulus Tossanus, S. Theologiae Doctor, et Consiliarius in Senatu Ecclesiastico inferioris Palatinatus.*

*Henricus Altingius, S. Theologiae Doctor et Professor in Academia Heydelbergensi.*

## EX HASSIA.

*Georgius Cruciger, S. Theologiae Doctor, Professor, et pro tempore Rector Academiae Marpurgensis.*

*Paulus Steinius, Concionator Aulicus et S. Theologiae in Collegio Nobilitatis Adelphico Mauritiano Professor, Cassellis.*

*Daniel Angelocrator, Ecclesiae Marpurgensis Pastor, et vicinarum ad Lanum et Aederam Superintendens.*

*Rodolphus Goclenius Senior, Philosophiae purioris in Academia Marpurgensi Antecessor primarius, et nunc Decanus.*

## EX HELVETIA.

*Ioannes Iacobus Breytingerus, Ecclesiae Tigurinae Pastor.*

*Marcus Rutimeyerus, S. Theologiae Doctor et Ecclesiae Bernensis Minister.*

*Sebastianus Beckius, SS. Theologiae Doctor, et Novi Testamenti Professor in Academia Basiliensi, ibidemque Facultatis Theologicae Decanus.*

*Wolfgangus Mayerus, SS. Theologiae Doctor, Ecclesiae Basiliensis Pastor.*

*Iohannes Conradus Kochius, Ecclesiae Schaphusianae Minister.*

## A CORRESPONDENTIA WEDDERAVICA.

*Iohannes Henricus Alstedius, in Illustri Schola Nassovica, quae est Herbornae, Professor ordinarius.*

Digitized by Google

*Georgius Fabricius, Ecclesiae Windeccensis in Comitatu Hanovico Pastor, et vicinarum Inspector.*

## EX REPUBLICA ET ECCLESIA GENEVENSI.

*Iohannes Deodatus, in Ecclesia Genevensi Pastor, et in eadem Schola SS. Theologiae Professor.*

*Theodorus Tronchinus, Divini verbi Minister in Ecclesia Genevensi, et ibidem SS. Theologiae Professor.*

## EX REPUBLICA ET ECCLESIA BREMENSI.

*Matthias Martinius, Illustris Scholae Bremensis Rector, et in ea Divinarum literarum Professor.*

*Henricus Isselburg, SS. Theologiae Doctor, in Bremensi Ecclesia ad B. Virginis Iesu Christi servus et in Schola Novi Testamenti Professor.*

*Ludovicus Crocius, SS. Theologiae Doctor, Ecclesiae Bremensis ad S. Martini Pastor, et in Illustri Schola Veteris Testamenti et Philosophiae practicae Professor.*

## EX REPUBLICA ET ECCLESIA EMDANA.

*Daniel Bernardus Eilshemius, Emdanae Ecclesiae Pastor Senior.*

*Ritzius Lucas Grimershemius, Emdanae Ecclesiae Pastor.*

## SS. THEOLOGIAE PROFESSORES BELGICI.

*Iohannes Polyander, SS. Theologiae Doctor, atque in Academia Leydensi Professor.*

*Sibrandus Lubertus, SS. Theologiae Doctor, et Professor in Academia Frisiorum.*

*Franciscus Gomarus, Sacrosanctae Theologiae Doctor, et Professor in Academia Groningae et Omlandiae.*

*Antonius Tysius, Sacrae Theologiae in Illustri Schola Geldro-Velavica, quae est Hardervici, Professor.*

*Antonius Walaeus, Pastor Ecclesiae Middelburgensis, et ex eiusdem urbis Illustri Schola inter Theologos ad Synodum evocatus.*

## EX DUCATU GELDRIAE, ET COMITATU ZUTPHANIAE.

*Guilielmus Stephani, SS. Theologiae Doctor, et Arnhemiensis Ecclesiae Pastor.*

*Ellardus a Mehen, Ecclesiae Hardrovicenae Pastor.*

*Iohannes Bouillet, Pastor Ecclesiae Warnsfeldensis.*

*Iacobus Verheyden Senior, Ecclesiae Noviomagensis et Scholae Rector.*

Digitized by Google

## EX HOLLANDIA AUSTRALI.

*Balthasar Lydius, M. F. Pastor Ecclesiae Dei in urbe Dordrechto.*

*Henricus Arnoldi, Ecclesiastes Delphensis.*

*Gisbertus Voetius, Ecclesiae Heusdanae Pastor.*

*Arnoldus Musius ab Holy, Baillivus Suyd-Hollandiae, Senior Ecclesiae Dordrechtanae.*

*Iohannes de Laet, Senior Ecclesiae Leydensis.*

## EX HOLLANDIA BOREALI.

*Iacobus Triglandius, Pastor Ecclesiae Amstelodamensis.*

*Abrahamus a Doreslaer, Pastor Ecclesiae Enchusanae.*

*Samuel Bartholdus, Pastor Ecclesiae Monachodammensis.*

*Theodorus Heyngius, Senior Ecclesiae Amstelodamensis.*

*Dominicus ab Heemskerck, Senior Ecclesiae Amstelodamensis.*

## EX ZELANDIA.

*Godefridus Udemannus, Pastor Ecclesiae Ziericzeanae.*

*Cornelius Regius, Ecclesiae Goesanae Pastor.*

*Lambertus de Rycke, Ecclesiae Bergizomianae Pastor.*

*Iosias Vosbergius, Senior Ecclesiae Middelburgensis.*

*Adrianus Hofferus, urbis Zirizaeae Senator, et Ecclesiae ibidem Senior.*

## EX PROVINCIA ULTRAIECTINA.

*Iohannes Dibbezius, Pastor Dordracenus, Synodi Orthodoxae Ultraiectinae Deputatus.*

*Arnoldus Oortcampius, Ecclesiae Amersfortianae Pastor.*

## EX FRISIA.

*Florentius Iohannes, Iesu Christi crucifixi Servus in Ecclesia Snecana.*

*Philippus Danielis Eilshemius, Pastor Ecclesiae Harlingensis.*

*Kempo Harinxma a Donia, Senior Ecclesiae Leoverdiensis.*

*Tacitus ab Aysma, Senior Ecclesiae in Buirgirt Hichtum, et Hartwardt.*

## EX TRANSISALANIA.

*Casparus Sibelius, Pastor Ecclesiae Daventriensis.*

*Hermannus Wiferdingius, Ecclesiae Swollanae in Evangelio Christi Minister.*

*Hieronymus Vogellius, Hasseltanae Ecclesiae Pastor, tempore deputationis inserviens Ecclesiae Orthodoxae Campensi.*

*Iohannes Langius, Ecclesiastes Vollenhovianus.*

Digitized by Google

*Wilhelmus a Broeckhuysen ten Doerne, tanquam Senior deputatus.*

*Iohannes a Lauwick, tanquam Senior deputatus.*

## EX CIVITATE GRONINGANA, ET OMLANDIIS.

*Cornelius Hillenius, Servus Iesu Christi in Ecclesia Groningana.*

*Georgius Placius, Pastor Ecclesiae Appingadammonensis.*

*Wolfgangus Agricola, Pastor Ecclesiae Bedumanae.*

*Wigboldus Homerus, Ecclesiae Midwoldanae Pastor.*

*Egbertus Halbes, Ecclesiae Groninganae Senior.*

*Iohannes Rufelaert, Senior Ecclesiae Stedumanae.*

## EX DRENTIA.

*Themo ab Asscheberg, Pastor Ecclesiae Meppelensis.*

*Patroclus Romelingius, Pastor Ecclesiae Rhuinensis.*

## EX ECCLESIIS GALLO-BELGICIS.

*Daniel Colonius, Pastor Ecclesiae Leydensis, et Regens Collegii Gallo-Belgici in Academia Leydensi.*

*Iohannes Crucius, Pastor Ecclesiae Haerlemensis.*

*Iohannes Doucher, Pastor Ecclesiae Flissinganae.*

*Ieremias de Pours, Ecclesiae Gallo-Belgicae Middelburgensis Pastor.*

*Everardus Beckerus, Senior Ecclesiae Gallo-Belgicae Middelburgensis.*

*Petrus Pontanus, Senior Ecclesiae Amstelodamensis.*

---

# SECUNDUM DOCTRINAE CAPUT,
## DE
# MORTE CHRISTI
## ET
# HOMINUM PER EAM REDEMPTIONE.

### Articulus primus.

**DEUS** non tantum est summe misericors, sed etiam summe iustus. Postulat autem eius iustitia (prout se in verbo revelavit), ut peccata nostra, adversus infinitam eius maiestatem commissa, non tantum temporalibus, sed etiam aeternis, tum animi, tum corporis, poenis puniantur: quas poenas effugere non possumus, nisi iustitiae Dei satisfiat.

Digitized by Google

II.

Cum vero ipsi satisfacere, et ab ira Dei nos liberare non possimus, Deus ex immensa misericordia, Filium suum unigenitum nobis Sponsorem dedit, qui, ut pro nobis satisfaceret, peccatum et maledictio in cruce pro nobis, seu vice nostra, factus est.

III.

Haec mors Filii Dei est unica et perfectissima pro peccatis victima et satisfactio, infiniti valoris et pretii, abunde sufficiens ad totius mundi peccata expianda.

IV.

Ideo autem haec mors tanti est valoris et pretii, quia persona, quae eam subiit, non tantum est verus et perfecte sanctus homo, sed etiam unigenitus DEI Filius, eiusdem aeternae et infinitae cum Patre et Spiritu S. essentiae, qualem nostrum Servatorem esse oportebat. Deinde, quia mors ipsius fuit coniuncta cum sensu irae Dei et maledictionis, quam nos peccatis nostris eramus commeriti.

V.

Caeterum promissio Evangelii est, ut quisquis credit in Christum crucifixum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Quae promissio omnibus populis et hominibus, ad quos Deus pro suo beneplacito mittit Evangelium, promiscue et indiscriminatim annuntiari et proponi debet cum resipiscentiae et fidei mandato.

VI.

Quod autem multi per Evangelium vocati non resipiscunt, nec in Christum credunt, sed infidelitate pereunt, non fit hoc hostiae CHRISTI in cruce oblatae defectu, vel insufficientia, sed propria ipsorum culpa.

VII.

Quotquot autem vere credunt, et per mortem CHRISTI a peccatis, et interitu liberantur ac servantur, illis hoc beneficium, ex sola Dei gratia, quam nemini debet, ab aeterno ipsis in CHRISTO data, obtingit.

VIII.

Fuit enim hoc Dei Patris liberrimum consilium, et gratiosissima voluntas atque intentio, ut mortis pretiosissimae Filii sui vivifica et salvifica efficacia sese exereret in omnibus electis, ad eos solos fide iustificante donandos, et per eam ad salutem infal-



Digitized by Google

libiliter perducendos: hoc est, voluit Deus, ut Christus per sanguinem crucis (quo novum foedus confirmavit) ex omni populo, tribu, gente, et lingua, eos omnes et solos, qui ab aeterno ad salutem electi, et a Patre ipsi dati sunt, efficaciter redimeret, fide (quam, ut et alia Spiritus Sancti salvifica dona, ipsis morte sua acquisivit) donaret, ab omnibus peccatis, tum originali, tum actualibus, tam post, quam ante fidem commissis sanguine suo mundaret, ad finem usque fideliter custodiret, tandemque absque omni labe et macula gloriosos coram se sisteret.

IX.

Hoc consilium, ex aeterno erga electos amore profectum ab initio mundi in praesens usque tempus, frustra obnitentibus inferorum portis, potenter impletum fuit, et deinceps quoque implebitur: ita quidem ut electi suis temporibus in unum colligantur, et semper sit aliqua credentium Ecclesia in sanguine Christi fundata; quae illum Servatorem suum, qui pro ea, tanquam Sponsus pro sponsa, animam suam in cruce exposuit, constanter diligat, perseveranter colat, atque hic et in omnem aeternitatem celebret.

---

## REIECTIO ERRORUM.

*Exposita doctrina orthodoxa, reiicit Synodus errores eorum:*

I.

QUI docent, „Quod Deus Pater Filium suum in mortem „crucis destinaverit, sine certo ac definito consilio quemquam no„minatim salvandi, adeo ut impetrationi mortis Christi sua necessitas, utilitas, dignitas sarta tecta, et numeris suis perfecta, completa atque integra constare potuisset, etiamsi impetrata redemptio nulli individuo unquam actu ipso fuisset appli„cata.“ Haec enim assertio, in Dei Patris sapientiam meritumque Iesu Christi contumeliosa, et Scripturae contraria est. Sic enim ait Servator: *Ego animam pono pro ovibus, et agnosco eas.* Iohan. X, 15. 17. Et de Servatore Esaias propheta: *Cum posuerit se sacrificium pro reatu, videbit semen, prolongabit dies, et voluntas Iehovae in manu eius prosperabitur.* Esai. LIII, 10. Denique articulum Fidei, quo Ecclesiam credimus, evertit.

II.

Qui docent, „Non fuisse hunc finem mortis Christi, ut no„vum gratiae foedus suo sanguine reipsa sanciret, sed tantum, „ut nudum ius Patri acquireret, quodcunque foedus, vel gratiae, „vel operum, cum hominibus denuo ineundi.“ Hoc enim re-

Digitized by Google

pugnat Scripturae, quae docet, Christum *melioris*, id est, novi *foederis Sponsorem et Mediatorem factum esse.* Hebr. VII, 22. Et, *Testamentum in mortuis demum ratum esse.* Hebr. IX, 15. 17.

III.

Qui docent, „Christum per suam satisfactionem, nullis certo „meruisse ipsam salutem et fidem, qua haec Christi satisfactio „ad salutem efficaciter applicetur, sed tantum Patri acquisivisse „potestatem vel plenariam voluntatem, de novo cum hominibus „agendi, et novas, quascunque vellet conditiones, praescribendi, „quarum praestatio a libero hominis arbitrio pendeat, atque ideo „fieri potuisse, ut vel nemo, vel omnes eas implerent.“ Hi enim de morte Christi nimis abiecte sentiunt, primarium fructum seu beneficium per eam partum nullatenus agnoscunt, et Pelagianum errorem ab inferis revocant.

IV.

Qui docent, „Foedus illud novum gratiae, quod Deus Pater, „per mortis Christi interventum cum hominibus pepigit, non in „eo consistere, quod per fidem, quatenus meritum Christi appre„hendit, coram Deo iustificemur et salvemur; sed in hoc, quod „Deus, abrogata perfectae obedientiae legalis exactione, fidem „ipsam et fidei obedientiam imperfectam, pro perfecta legis obe„dientia reputet, et vitae aeternae praemio gratiose dignam cen„seat.“ Hi enim contradicunt Scripturae, *Iustificantur gratis, eius gratia, per redemptionem factam in Iesu Christo, quem proposuit Deus placamentum per fidem in sanguine eius.* Rom. III, 24. 25. Et cum impio Socino, novam et peregrinam hominis coram Deo iustificationem, contra totius Ecclesiae consensum, inducunt.

V.

Qui docent: „Omnes homines in statum reconciliationis et „gratiam foederis esse assumptos, ita ut nemo propter peccatum „originale sit damnationi obnoxius aut damnandus, sed omnes ab „istius peccati reatu sint immunes.“ Haec enim sententia repugnat Scripturae, affirmanti *nos natura esse filios irae.*

VI.

Qui impetrationis et applicationis distinctionem usurpant, ut incautis et imperitis hanc opinionem instillent: Deum, quantum ad se attinet, omnibus hominibus ex aequo ea beneficia voluisse conferre, quae per mortem Christi acquiruntur; quod autem quidam prae aliis participes fiant remissionis peccatorum, et vitae aeternae, discrimen illud pendere ex libero eorum arbitrio, se ad



Digitized by Google

gratiam indifferenter oblatam applicante, non autem ex singulari misericordiae dono, efficaciter in illis operante, ut prae aliis gratiam illam sibi applicent. Nam isti, dum simulant se distinctionem hanc sano sensu proponere, populo perniciosum Pelagianismi venenum conantur propinare.

VII.

Qui docent: „CHR STUM pro iis, quos DEUS summe di„lexit, et ad vitam aeternam elegit, mori nec potuisse, nec de„buisse, nec mortuum esse, cum talibus morte CHRISTI non „sit opus.“ Contradicunt enim Apostolo dicenti: *Christus dilexit me, et tradidit seipsum pro me.* Gal. II, 20. Item: *Quis est, qui crimina intentet adversus electos DEI? DEUS est is, qui iustificat. Quis est qui condemnet? CHRISTUS est, qui mortuus est,* Rom. VIII, 33. 34. nimirum, pro illis. Et Salvatori asseveranti: *Ego pono animam meam pro ovibus meis,* Iohan. X, vers. 15. Et, *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis alii alios, sicut ego dilexi vos. Maiorem dilectionem nemo habet, quam ut ponat animam suam pro amicis.* Iohan. XV, vers. 12. 13.

*Huic capiti eadem quae prius subscribuntur nomina.*

---

## TERTIUM ET QUARTUM DOCTRINAE CAPUT, DE HOMINIS CORRUPTIONE, ET CONVERSIONE AD DEUM EIUSQUE MODO.

### Articulus primus.

HOMO ab initio ad imaginem DEI conditus vera et salutari sui Creatoris et rerum spiritualium notitia in mente, et iustitia in voluntate et corde, puritate in omnibus affectibus exornatus, adeoque totus sanctus fuit; sed Diaboli instinctu, et libera sua voluntate a Deo desciscens, eximiis istis donis seipsum orbavit: atque e contrario eorum loco coecitatem, horribiles tenebras, vanitatem, ac perversitatem iudicii in mente, malitiam, rebellionem, ac duritiem in voluntate et corde, impuritatem denique in omnibus affectibus contraxit.

II.

Qualis autem post lapsum fuit homo, tales et liberos procreavit, nempe corruptus corruptos: corruptione ab Adamo in omnes posteros [solo Christo excepto] non per imitationem (quod Pelagiani olim voluerunt), sed per vitiosae naturae propagationem, iusto Dei iudicio, derivata.

Digitized by Google

III.

Itaque omnes homines in peccato concipiuntur, et filii irae nascuntur, inepti ad omne bonum salutare, propensi ad malum, in peccatis mortui, et peccati servi; et absque Spiritus Sancti regenerantis gratia, ad Deum redire, naturam depravatam corrigere, vel ad eius correctionem se disponere nec volunt, nec possunt.

IV.

Residuum quidem est post lapsum in homine lumen aliquod naturae, cuius beneficio ille notitias quasdam de Deo, de rebus naturalibus, de discrimine honestorum et turpium retinet, et aliquod virtutis ac disciplinae externae studium ostendit: sed tantum abest, ut hoc naturae lumine ad salutarem Dei cognitionem pervenire, et ad eum se convertere possit, ut ne quidem eo in naturalibus ac civilibus recte utatur, quinimo qualecumque id demum sit, id totum variis modis contaminet, atque in iniustitia detineat, quod dum facit, coram Deo inexcusabilis redditur.

V.

Quae luminis naturae, eadem haec Decalogi per Mosen a Deo Iudaeis peculiariter traditi est ratio: cum enim is magnitudinem quidem peccati retegat, eiusque hominem magis ac magis reum peragat, sed nec remedium exhibeat, nec vires emergendi ex miseria conferat, adeoque per carnem infirmatus transgressorem maledictione relinquat, non potest homo per eum salutarem gratiam obtinere.

VI.

Quod igitur nec lumen naturae, nec lex potest, id Spiritus Sancti virtute praestat Deus, per sermonem, sive ministerium reconciliationis, quod est Evangelium de Messia, per quod placuit Deo homines credentes, tam in Veteri, quam in Novo Testamento, servare.

VII.

Hoc voluntatis suae mysterium Deus in Veteri Testamento paucioribus patefecit, in Novo Testamento pluribus, sublato iam populorum discrimine, manifestat. Cuius dispensationis causa, non in gentis unius prae alia dignitate, aut meliore luminis naturae usu, sed in liberrimo beneplacito, et gratuita dilectione DEI est collocanda. Unde illi, quibus praeter et contra omne meritum tanta fit gratia, eam humili et grato corde agnoscere, in reliquis autem, quibus ea gratia non fit, severitatem et iustitiam iudiciorum DEI cum Apostolo adorare, nequaquam vero curiose scrutari debent.

Digitized by Google

## VIII.

Quotquot autem per Evangelium vocantur, serio vocantur. Serio enim et verissime ostendit DEUS verbo suo, quid sibi gratum sit, nimirum, ut vocati ad se veniant. Serio etiam omnibus ad se venientibus et credentibus requiem animarum et vitam aeternam promittit.

## IX.

Quod multi per ministerium Evangelii vocati, non veniunt et non convertuntur, huius culpa non est in Evangelio, nec in Christo per Evangelium oblato, nec in Deo per Evangelium vocante, et dona etiam varia iis conferente, sed in vocatis ipsis, quorum aliqui verbum Dei vitae non admittunt securi; alii admittunt quidem sed non in cor immittunt, ideoque post evanidum fidei temporariae gaudium resiliunt; alii spinis curarum et voluptatibus saeculi semen verbi suffocant, fructusque nullos proferunt; quod Servator noster seminis parabola docet, Matth. cap. XIII.

## X.

Quod autem alii, per ministerium Evangelii vocati, veniunt et convertuntur, id non est adscribendum homini, tanquam seipsum per liberum arbitrium ab aliis pari vel sufficiente gratia ad fidem et conversionem instructis discernenti, (quod superba Pelagii haeresis statuit) sed Deo, qui, ut suos ab aeterno in Christo elegit, ita eosdem in tempore efficaciter vocat, fide et resipiscentia donat, et e potestate tenebrarum erutos, in Filii sui regnum transfert, ut virtutes eius, qui ipsos e tenebris in admirandam hanc lucem vocavit, praedicent, et non in se, sed in Domino glorientur. Scriptura apostolica passim id testante.

## XI.

Caeterum, quando Deus hoc suum beneplacitum in electis exequitur, seu veram in iis conversionem operatur, non tantum Evangelium illis externe praedicari curat, et mentem eorum per Spiritum Sanctum potenter illuminat, ut recte intelligant et diiudicent quae sunt Spiritus Dei, sed eiusdem etiam Spiritus regenerantis efficacia ad intima hominis penetrat, cor clausum aperit, durum emollit, praeputiatum circumcidit, voluntati novas qualitates infundit, facitque eam ex mortua vivam, ex mala bonam, ex nolente volentem, ex refractaria morigeram, agitque et roborat eam, ut, ceu arbor bona, fructus bonarum actionum proferre possit.

## XII.

Atque haec est illa tantopere in Scripturis praedicata regeneratio, nova creatio, suscitatio e mortuis, et vivificatio, quam Deus

Digitized by Google

sine nobis, in nobis operatur. Ea autem neutiquam fit per solam forinsecus insonantem doctrinam, moralem suasionem, vel talem operandi rationem, ut post Dei (quoad ipsum) operationem, in hominis potestate maneat regenerari vel non regenerari, converti vel non converti; sed est plane supernaturalis, potentissima simul et suavissima, mirabilis, arcana, et ineffabilis operatio, virtute sua, secundum Scripturam (quae ab Authore huius operationis est inspirata) nec creatione, nec mortuorum resuscitatione minor, aut inferior, adeo ut omnes illi, in quorum cordibus admirando hoc modo Deus operatur, certo, infallibiliter et efficaciter regenerentur, et actu credant. Atque tum voluntas iam renovata, non tantum agitur et movetur a Deo, sed a Deo acta, agit et ipsa. Quamobrem etiam homo ipse per gratiam istam acceptam credere et resipiscere recte dicitur.

## XIII.

Modum huius operationis fideles in hac vita plene comprehendere non possunt; in eo interim acquiescentes, quod per istam DEI gratiam, se corde credere, et Servatorem suum diligere sciant ac sentiant.

## XIV.

Sic ergo fides Dei donum est, non eo quod a Deo hominis arbitrio offeratur, sed quod homini reipsa conferatur, inspiretur et infundatur. Non etiam, quod Deus potentiam credendi tantum conferat, consensum vero seu actum credendi ab hominis deinde arbitrio expectet, sed, quod et velle credere, et ipsum credere in homine is efficiat, qui operatur et velle et facere, adeoque omnia operatur in omnibus.

## XV.

Hanc gratiam DEUS nemini debet. Quid enim debeat ei, qui prior dare nihil potest, ut ei retribuatur? Imo quid debeat ei, qui de suo nihil habet, praeter peccatum et mendacium? Qui ergo gratiam illam accipit, soli Deo aeternas debet et agit gratias; qui illam non accipit, is aut haec spiritualia omnino non curat, et in suo sibi placet: aut securus se habere inaniter gloriatur, quod non habet. Porro de iis, qui externe fidem profitentur, et vitam emendant, optime secundum exemplum apostolorum iudicandum et loquendum est, penetralia enim cordium nobis sunt incomperta. Pro aliis autem, qui nondum sunt vocati, orandus est Deus, qui quae non sunt vocat tanquam sint. Neutiquam vero adversus eos est superbiendum, ac si nosmetipsos discrevissemus.

Digitized by Google

## XVI.

Sicuti vero per lapsum homo non desiit esse homo, intellectu et voluntate praeditus, nec peccatum, quod universum genus humanum pervasit, naturam generis humani sustulit, sed depravavit, et spiritualiter occidit; ita etiam haec divina regenerationis gratia, non agit in hominibus tanquam truncis et stipitibus, nec voluntatem eiusque proprietates tollit, aut invitam violenter cogit, sed spiritualiter vivificat, sanat, corrigit, suaviter simul ac potenter flectit: ut ubi antea plene dominabatur carnis rebellio et resistentia, nunc regnare incipiat prompta, ac sincera Spiritus obedientia; in quo vera et spiritualis nostrae voluntatis instauratio et libertas consistit. Qua ratione nisi admirabilis ille omnis boni opifex nobiscum ageret, nulla spes esset homini surgendi e lapsu per liberum arbitrium, per quod se, cum staret, praecipitavit in exitium.

## XVII.

Quemadmodum etiam omnipotens illa Dei operatio, qua vitam hanc nostram naturalem producit et sustentat, non excludit sed requirit usum mediorum, per quae Deus pro infinita sua sapientia et bonitate virtutem istam suam exercere voluit: ita et haec praedicta supernaturalis DEI operatio, qua nos regenerat, neutiquam excludit, aut evertit usum Evangelii, quod sapientissimus DEUS in semen regenerationis, et cibum animae ordinavit. Quare, ut Apostoli, et qui eos secuti sunt doctores, de gratia hac DEI ad eius gloriam et omnis superbiae depressionem, pie populum docuerunt, neque tamen interim sanctis Evangelii monitis, sub verbi, sacramentorum, et disciplinae exercitio, eum continere neglexerunt: sic etiamnum, absit, ut docentes aut discentes in Ecclesia DEUM tentare praesumant, ea separando, quae DEUS pro suo beneplacito voluit esse coniunctissima. Per monita enim confertur gratia, et quo nos officium nostrum facimus promptius, hoc ipso DEI in nobis operantis beneficium solet esse illustrius, rectissimeque eius opus procedit. Cui soli omnis, et mediorum, et salutaris eorum fructus atque efficaciae debetur gloria in saecula. Amen.

---

# REIECTIO ERRORUM.

*Exposita doctrina orthodoxa, Synodus reiicit errores eorum,*

## I.

QUI docent: „Proprie dici non posse, quod peccatum origi„nis per se sufficiat toti generi humano condemnando, aut tempo-

Digitized by Google

„rales et aeternas poenas promerendo.“ Contradicunt enim Apostolo, dicenti Rom. V, vers. 12: *Per unum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, et ita in omnes homines mors transiit, in quo omnes peccaverunt.* Et vers. 16: *Reatus ex uno introiit ad condemnationem.* Item, Rom. VI, vers. 23: *Peccati stipendium mors est.*

II.

Qui docent: „Dona spiritualia, sive habitus bonos, et virtu„tes, ut sunt bonitas, sanctitas, iustitia, in voluntate hominis, „cum primum crearetur, locum habere non potuisse, ac proinde „nec in lapsu ab ea separari.“ Pugnat enim hoc cum descriptione imaginis Dei, quam Apostolus ponit Ephes. IV, vers. 24. ubi illam describit ex iustitia et sanctitate, quae omnino in voluntate locum habent.

III.

Qui docent: „Dona spiritualia non esse in morte spirituali „ab hominis voluntate separata, cum ea in sese nunquam corru„pta fuerit, sed tantum per tenebras mentis, et affectuum inordi„nationem impedita; quibus impedimentis sublatis, liberam suam „facultatem sibi insitam exerere, id est, quodvis bonum sibi pro„positum, ex se, aut velle, sive eligere, aut non velle, sive non „eligere possit.“ Novum hoc et erroneum est, atque eo facit ut extollantur vires liberi arbitrii, contra Ieremiae prophetae dictum, c. XVII, vers. 9: *Fraudulentum est cor ipsum supra omnia et perversum:* et Apostoli, Ephes. II, 3: *Inter quos* (homines contumaces) *et nos omnes conversati sumus olim in cupiditatibus carnis nostrae, facientes voluntates carnis ac cogitationum.*

IV.

Qui docent: „Hominem irregenitum non esse proprie nec „totaliter in peccatis mortuum, aut omnibus ad bonum spirituale „viribus destitutum, sed posse iustitiam vel vitam esurire ac si„tire, sacrificiumque Spiritus contriti, et contribulati, quod Deo „acceptum est, offerre.“ Adversantur enim haec apertis scripturae testimoniis, Ephes. II, 1. 5: *Eratis mortui in offensis et peccatis.* Et Gen. VI, 5. et VIII, 21: *Imaginatio cogitationum cordis hominis tantummodo mala est omni die.* Adhaec liberatiqnem ex miseria et vitam esurire ac sitire, Deoque sacrificium Spiritus contriti offerre, regenitorum est, et eorum qui beati dicuntur. Ps. LI, 19. et Matth. V, 6.

V.

Qui docent: „Hominem corruptum et animalem gratia com„muni, quae ipsis est lumen naturae, sive donis post lapsum

Digitized by Google

„relictis, tam recte uti posse, ut bono isto usu maiorem gratiam, „puta evangelicam, sive salutarem, et salutem ipsam gradatim ob„tinere possit. Et hac ratione DEUM se ex parte sua paratum „ostendere, ad Christum omnibus revelandum, quandoquidem me„dia ad Christi revelationem, fidem, et resipiscentiam necessaria, „omnibus sufficienter et efficaciter administret.“ Falsum enim hoc esse, praeter omnium temporum experientiam Scriptura testatur. Ps. CXLVII, 19. 20: *Indicat verba sua Iacobo, statuta sua et iura sua Israeli, non fecit ita ulli genti, et iura ista non noverunt.* Actor. XIV, 16: *Deus sivit praeteritis aetatibus omnes gentes suis ipsarum viis incedere.* Actor. XVI, vers. 6. 7: *Prohibiti sunt* (Paulus cum suis) *a Spiritu Sancto loqui sermonem DEI in Asia.* Et, *Quum venissent in Mysiam, tentabant ire versus Bithyniam, sed non permisit eis Spiritus.*

## VI.

Qui docent, „In vera hominis conversione, non posse no„vas qualitates, habitus, seu dona in voluntatem eius a Deo in„fundi, atque adeo fidem, qua primum convertimur, et a qua fide„les nominamur, non esse qualitatem seu donum a Deo infusum; „sed tantum actum hominis, neque aliter donum dici posse, quam „respectu potestatis ad ipsam perveniendi.“ Contradicunt enim haec sacris literis, quae testantur DEUM novas qualitates fidei, obedientiae, ac sensus amoris sui cordibus nostris infundere. Ier. XXXI, 33: *Indam legem meam menti eorum, ac cordi eorum inscribam eam.* Esa. XLIV, 3: *Effundam aquas super sitientem, et fluenta super aridam; effundam Spiritum meum super semen tuum.* Rom. V, 5: *Charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Repugnant etiam continuae praxi Ecclesiae, sic apud prophetam orantis: *Converte me Domine, et convertar.* Ierem. XXXI, 18.

## VII.

Qui docent, „Gratiam, qua convertimur ad Deum, nihil aliud „esse quam lenem suasionem; seu“ (ut alii explicant) „nobilis„simum agendi modum in conversione hominis, et naturae huma„nae convenientissimum esse, qui fiat suasionibus; nihilque ob„stare quo minus vel sola moralis gratia homines animales red„dat spirituales; imo Deum non aliter quam morali ratione con„sensum voluntatis producere: atque in eo consistere operationis „divinae efficaciam, qua Satanae operationem superet, quod Deus „aeterna bona, Satan autem temporaria promittat.“ Omnino enim hoc Pelagianum est, et universae Scripturae contrarium, quae praeter hunc etiam alium, et longe efficaciorem ac diviniorem Spiritus Sancti agendi modum in hominis conversione agnoscit. Ezech. XXXVI, 26: *Dabo vobis cor meum, et spiritum*

Digitized by Google

*novum dabo in medio vestri, et auferam cor lapideum, daboque cor carneum,* etc.

VIII.

Qui docent, „Deum in hominis regeneratione eas suae omni„potentiae vires non adhibere, quibus voluntatem eius ad fidem „et conversionem potenter et infallibiliter flectat; sed positis „omnibus gratiae operationibus, quibus Deus ad hominem conver„tendum utitur, hominem tamen Deo, et Spiritui regenerationem „eius intendenti, et regenerare ipsum volenti, ita posse resistere, „et actu ipso saepe resistere, ut sui regenerationem prorsus im„pediat, atque adeo in ipsius manere potestate, ut regeneretur, „vel non regeneretur.“ Hoc enim nihil aliud est, quam tollere omnem efficaciam gratiae Dei in nostri conversione, et actionem Dei omnipotentis subiicere voluntati hominis, idque contra Apostolos, qui docent, *Nos credere pro efficacitate fortis roboris Dei* Ephes. I, 9. Et: *Deum bonitatis suae gratuitam benevolentiam et opus fidei potenter in nobis complere.* 2 Thess. I, 11. Item: *Divinam ipsius vim omnia nobis donasse, quae ad vitam et pietatem pertinent.* 2 Petr. I, 3.

IX.

Qui docent, „Gratiam et liberum arbitrium esse causas par„tiales simul concurrentes ad conversionis initium; nec gratiam „ordine causalitatis, efficientiam voluntatis antecedere,“ id est, „Deum non prius hominis voluntatem efficaciter iuvare ad con„versionem, quam voluntas ipsa hominis se movet ac determinat.“ Hoc enim dogma Ecclesia prisca in Pelagianis iam olim condemnavit, ex Apostolo Rom. IX, 16: *Non est volentis nec currentis, sed Dei miserentis.* Et, 1 Cor. IV, 7: *Quis te discernit?* Et, *Quid habes, quod non acceperis?* Item Phil. II, 13: *Deus est, qui in nobis operatur ipsum velle et perficere pro suo beneplacito.*

*Huic capiti eadem quae prius subscribuntur nomina.*

---

## QUINTUM DOCTRINAE CAPUT,

## DE

# PERSEVERANTIA SANCTORUM.

### Articulus primus.

QUOS Deus secundum propositum suum, ad communionem Filii sui Domini nostri Iesu Christi, vocat, et per Spiritum Sanctum regenerat, eos quidem et a peccati dominio et servi-

Digitized by Google

tute, non autem a carne, et corpore peccati, penitus in hac vita liberat.

II.

Hinc quotidiana infirmitatis peccata oriuntur, et optimis etiam sanctorum operibus naevi adhaerescunt: quae illis perpetuam sese coram Deo humiliandi, ad Christum crucifixum confugiendi, carnem magis ac magis, per Spiritum precum et sancta pietatis exercitia mortificandi, et ad perfectionis metam suspirandi, materiam suggerunt; tantisper dum hoc mortis corpore soluti, cum Agno Dei in coelis regnent.

III.

Propter istas peccati inhabitantis reliquias, et mundi insuper ac Satanae tentationes, non possent conversi in ista gratia perstare, si suis viribus permitterentur. Sed fidelis est Deus, qui ipsos in gratia semel collata misericorditer confirmat, et in eadem usque ad finem potenter conservat.

IV.

Etsi autem illa potentia Dei vere fideles in gratia confirmantis et conversantis, maior est, quam quae a carne superari possit; non semper tamen conversi ita a Deo aguntur et moventur, ut non possint in quibusdam actionibus particularibus a ductu gratiae, suo vitio, recedere, et a carnis concupiscentiis seduci, iisque obsequi. Quapropter ipsis perpetuo est vigilandum et orandum, ne in tentationes inducantur. Quod cum non faciunt, non solum a carne, mundo, et Satana, in peccata etiam gravia et atrocia abripi possunt, verum etiam interdum iusta Dei permissione abripiuntur. Quod tristes Davidis, Petri, aliorumque Sanctorum lapsus, in sacra Scriptura descripti demonstrant.

V.

Talibus autem enormibus peccatis Deum valde offendunt, reatum mortis incurrunt, Spiritum S. contristant, fidei exercitium interrumpunt, conscientiam gravissime vulnerant, sensum gratiae nonnunquam ad tempus amittunt: donec per seriam resipiscentiam in vitam revertentibus paternus Dei vultus rursum affulgeat.

VI.

Deus enim, qui dives est misericordia, ex immutabili electionis proposito, Spiritum Sanctum, etiam in tristibus lapsibus, a suis non prorsus aufert, nec eousque eos prolabi sinit, ut gratia adoptionis, iustificationis statu excidant, aut peccatum ad mortem,

Digitized by Google

sive in Spiritum Sanctum committant, et ab eo penitus deserti, in exitium aeternum sese praecipitent.

VII.

Primo enim in istis lapsibus conservat in illis semen illud suum immortale, ex quo regeniti sunt, ne illud pereat aut excutiatur. Deinde, per verbum et Spiritum suum, eos certos et efficaciter renovat ad poenitentiam, ut de admissis peccatis ex animo secundum Deum doleant, remissionem in sanguine Mediatoris, per fidem, contrito corde, expetant, et obtineant, gratiam Dei reconciliati iterum sentiant, miserationes per fidem eius adorent, ac deinceps salutem suam cum timore et tremore studiosius operentur.

VIII.

Ita non suis meritis, aut viribus, sed ex gratuita Dei misericordia id obtinent, ut nec totaliter fide et gratia excidant, nec finaliter in lapsibus maneant aut pereant. Quod quoad ipsos non tantum facile fieri posset, sed et indubie fieret; respectu autem Dei fieri omnino non potest: cum nec consilium ipsius mutari, promissio excidere, vocatio secundum propositum revocari, Christi meritum, intercessio, et custodia irrita reddi, nec Spiritus Sancti obsignatio frustranea fieri aut deleri possit.

IX.

De hac electorum ad salutem custodia, vereque fidelium in fide perseverantia, ipsi fideles certi esse possunt, et sunt pro mensura fidei, qua certo credunt se esse et perpetuo mansuros vera et viva Ecclesiae membra, habere remissionem peccatorum, et vitam aeternam.

X.

Ac proinde haec certitudo non est ex peculiari quadam revelatione praeter aut extra verbum facta, sed ex fide promissionum Dei, quas in verbo suo copiosissime in nostrum solatium revelavit: ex testimonio *Spiritus Sancti testantis cum spiritu nostro nos esse Dei filios et haeredes.* Rom. VIII, 16. Denique ex serio et sancto bonae conscientiae et bonorum operum studio. Atque hoc solido obtinendae victoriae solatio, et infallibili aeternae gloriae arrha, si in hoc mundo electi Dei destituerentur, omnium hominum essent miserrimi.

XI.

Interim testatur Scriptura fideles in hac vita cum variis carnis dubitationibus conflictari, et in gravi tentatione constitutos

Digitized by Google

hanc fidei plerophoriam, ac perseverantiae certitudinem, non semper sentire. Verum Deus, Pater omnis consolationis, *supra vires tentari eos non sinit, sed cum tentatione praestat evasionem.* 1 Cor. X, 13. Ac per Spiritum Sanctum perseverantiae certitudinem iisdem rursum excitat.

## XII.

Tantum autem abest, ut haec perseverantiae certitudo vere fideles superbos, et carnaliter securos reddat, ut e contrario humilitatis, filialis reverentiae, verae pietatis, patientiae in omni lucta, precum ardentium, constantiae in cruce et veritatis confessione, solidique in Deo gaudii vera sit radix: et consideratio istius beneficii sit stimulus ad serium et continuum gratitudinis et bonorum operum exercitium, ut ex Scripturae testimoniis et sanctorum exemplis constat.

## XIII.

Neque etiam in iis, qui a lapsu instaurantur, lasciviam aut pietatis iniuriam procreat rediviva perseverantiae fiducia; sed multo maiorem curam de viis Domini solicite custodiendis, quae praeparatae sunt ut in illis ambulando perseverantiae suae certitudinem retineant, ne propter paternae benignitatis abusum propitii Dei facies, (cuius contemplatio piis vita dulcior, subductio morte acerbior) denuo ab ipsis avertatur, et sic in graviores animi cruciatus incidant.

## XIV.

Quemadmodum autem Deo placuit, opus hoc suum gratiae per praedicationem Evangelii in nobis inchoare; ita per eiusdem auditum, lectionem, meditationem, adhortationes, minas, promissa, nec non per usum sacramentorum, illud conservat, continuat, et perficit.

## XV.

Hanc de vere credentium ac sanctorum perseverantia, eiusque certitudine, doctrinam, quam Deus ad nominis sui gloriam, et piarum animarum solatium, in verbo suo abundantissime revelavit, cordibusque fidelium imprimit, caro quidem non capit, Satanas odit, mundus ridet, imperiti et hypocritae in abusum rapiunt, spiritusque erronei oppugnant; sed sponsa Christi ut inaestimabilis pretii thesaurum tenerrime semper dilexit, et constanter propugnavit: quod ut porro faciat, procurabit Deus, adversus quem nec consilium valere, nec robur ullum praevalere potest. Cui soli Deo, Patri, Filio et Spiritui Sancto, sit honor et gloria in sempiternum. Amen.

---

Digitized by Google

# REIECTIO ERRORUM
## CIRCA DOCTRINAM
## DE
# PERSEVERANTIA SANCTORUM.

*Exposita doctrina orthodoxa Synodus reiicit errorum eorum,*

### I.

QUI docent: „Perseverantiam vere fidelium, non esse effe„ctum electionis, aut donum Dei morte Christi partum, sed esse „conditionem novi foederis, ab homine ante sui electionem ac „iustificationem“ (ut ipsi loquuntur) „peremtoriam, libera volun„tate praestandam.“ Nam sacra Scriptura testatur eam ex electione sequi, et vi mortis, resurrectionis, et intercessionis Christi electis donari. Rom. XI, 7: *Electio assecuta est, reliqui occalluerunt.* Item, Rom. VIII, 32: *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit ipsum, quomodo non cum eo nobis omnia donabit? Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est qui iustificat. Quis est qui condemnet? Christus is est qui mortuus est, imo qui etiam resurrexit, qui etiam sedet ad dexteram Dei, qui etiam intercedit pro nobis: Quis nos separabit a dilectione Christi?*

### II.

Qui docent: „Deum quidem hominem fidelem sufficientibus „ad perseverandum viribus instruere, ac paratum esse eas in „ipso conservare si officium faciat: positis tamen illis omnibus, „quae ad perseverandum in fide necessaria sunt, quaeque Deus „ad conservandam fidem adhibere vult, pendere semper a volun„tatis arbitrio, ut perseveret, vel non perseveret.“ Haec enim sententia manifestum Pelagianismum continet; et homines, dum vult facere liberos, facit sacrilegos, contra perpetuum evangelicae doctrinae consensum, quae omnem gloriandi materiam homini adimit, et huius beneficii laudem soli divinae gratiae transcribit; et contra Apostolum testantem: *Deum esse qui confirmabit nos usque in finem inculpatos in die Domini nostri Iesu Christi,* 1 Cor. I, 8.

### III.

Qui docent: „Vere credentes et regenitos non tantum posse „a fide iustificante, item gratia, et salute totaliter et finaliter ex„cidere, sed etiam reipsa non raro ex iis excidere, atque in ae„ternum perire.“ Nam haec opinio ipsam iustificationis ac regenerationis gratiam, et perpetuam Christi custodiam irritam red-

Digitized by Google

dit, contra diserta Apostoli Pauli verba Rom. V, 8. 9. *Si Christus pro nobis mortuus est, quum adhuc essemus peccatores, multo igitur magis, iam iustificati in sanguine eius, servabimur per ipsum ab ira.* Et contra Apostolum Iohannem, 1 Ioh. III, 9. *Omnis qui natus est ex Deo, non dat operam peccato: quia semen eius in eo manet, nec potest peccare, quia ex Deo genitus est.* Nec non contra verba Iesu Christi. Iohan. X, 28. 29. *Ego vitam aeternam do ovibus meis, et non peribunt in aeternum, nec rapiet eas quisquam de manu mea; Pater meus, qui mihi eas dedit, maior est omnibus, nec ullus potest eas rapere de manu Patris mei.*

IV.

Qui docent: „Vere fideles ac regenitos posse peccare pec„cato ad mortem, vel in Spiritum Sanctum.“ Quum idem Apostolus Iohan. cap. V, postquam vers. 16. 17. peccantium ad mortem meminisset, et pro iis orare vetuisset, statim vers. 18. subiungat: *Scimus quod quisquis natus est ex Deo, non peccat* (nempe illo peccati genere), *sed qui genitus est ex Deo, conservat seipsum, et malignus ille non tangit eum.*

V.

Qui docent: „Nullam certitudinem futurae persevarentiae ha„beri posse in hac vita, absque speciali revelatione.“ Per hanc enim doctrinam vere fidelium solida consolatio in hac vita tollitur, et pontificiorum dubitatio in Ecclesiam reducitur. Sacra vero Scriptura passim hanc certitudinem, non ex speciali et extraordinaria revelatione, sed ex propriis filiorum Dei signis, et constantissimis Dei promissionibus petit. Imprimis Apostolus Paulus Rom. VIII, 39: *Nulla res creata potest nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Iesu, Domino nostro.* Et Iohann. Epist. I, cap. III, 34: *Qui servat mandata eius, in eo manet, et ille in eo: et per hoc novimus ipsum in nobis manere, ex Spiritu quem dedit nobis.*

VI.

Qui docent: „Doctrinam de perseverantiae ac salutis cer„titudine, ex natura et indole sua, esse carnis pulvinar, et pie„tati, bonis moribus, precibus, aliisque sanctis exercitiis noxiam; „contra vero de eo dubitare, esse laudabile.“ Hi enim demonstrant se efficaciam divinae gratiae, et inhabitantis Spiritus S. operationem ignorare: et contradicunt Apostolo Iohanni contrarium disertis verbis affirmanti Epist. I. cap. III, 2. 3: *Dilecti mei, nunc filii Dei sumus; sed nondum patefactum est id quod erimus: scimus autem fore, ut quum ipse patefactus fuerit, similes ei sumus, quoniam videbimus eum, sicuti est. Et quisquis habet*

Digitized by Google

*hanc spem in eo, purificat seipsum, sicut et ille purus est.* Hi praeterea sanctorum tam Veteris quam Novi Testamenti exemplis redarguuntur, qui licet de sua perseverantia et salute essent certi, in precibus tamen, aliisque pietatis exercitiis, assidui fuerunt.

## VII.

Qui docent, „Fidem temporariorum a iustificante et salvi„fica fide non differre nisi sola duratione.“ Nam Christus ipse Matth. XIII, 20. et Luc. VIII, 13. ac deinceps, triplex praeterea inter temporarios et veros fideles discrimen manifesto constituit, quum illos dicit semen recipere in terra petrosa, hos in terra bona, seu corde bono: illos carere radice, hos radicem firmam habere: illos fructibus esse vacuos, hos fructum suum diversa mensura, constanter seu perseveranter proferre.

## VIII.

Qui docent, „Non esse absurdum, hominem priore regene„ratione extincta, iterato, imo saepius renasci.“ Hi enim per hanc doctrinam negant seminis Dei, per quod renascimur, incorruptibilitatem: adversus testimonium Apostoli Petri, Epist. I. cap. I, 23: *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili.*

## IX.

Qui docent, „Christum nunquam rogasse pro infallibili cre„dentium in fide perseverantia.“ Contradicunt enim ipsi Christo, dicenti Luc. XXII, 32: *Ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua.* Et Evangelistae Iohanni testanti, Iohan. XVII, 20: Christum non tantum pro apostolis, sed etiam pro omnibus, per sermonem ipsorum credituris, orasse: vers. 11: *Pater sancte, conserva eos in nomine tuo.* Et vers. 15: *Non oro ut eos tollas e mundo, se ut conserves eos a malo.*

---

## Conclusio.

Atque haec est perspicua, simplex, ingenua Orthodoxae de Quinque Articulis in Belgio controversis doctrinae declaratio, et errorum, quibus Ecclesiae Belgicae aliquamdiu sunt perturbatae, reiectio, quam Synodus ex verbo Dei desumptam, et Confessionibus Reformatarum Ecclesiarum consentaneam esse iudicat. Unde liquido apparet eos, quos id minime decuit, citra omnem veritatem, aequitatem, et charitatem populo inculcatum voluisse:

„Doctrinam Ecclesiarum Reformatarum de praedestinatione „et annexis ei capitibus, proprio quodam genio atque impulsu, „animos hominum ab omni pietate et religione abducere; esse



Digitized by Google

„carnis et Diaboli pulvinar, arcemque Satanae, ex qua omnibus „insidietur, plurimos sauciet, et multos tum desperationis, tum „securitatis iaculis lethaliter configat: eandem facere Deum autho„rem peccati, iniustum, tyrannum, hypocritam; nec aliud esse, „quam interpolatum Stoicismum, Manicheismum, Libertinismum, „Turcismum: eandem reddere homines carnaliter securos: quippe „ex ea persuasos electorum saluti, quomodocunque vivant, non ob„esse, ideoque eos secure atrocissima quaeque scelera posse per„petrare; reprobis ad salutem non prodesse, si vel omnia san„ctorum opera vere fecerint: eadem doceri Deum nudo puroque „voluntatis arbitrio, absque omni ullius peccati respectu, vel in„tuitu, maximam mundi partem ad aeternam damnationem prae„destinasse et creasse: eodem modo, quo electio est fons et „causa fidei ac bonorum operum, reprobationem esse causam in„fidelitatis et impietatis: multos fidelium infantes ab uberibus „matrum innoxios abripi et tyrannice in gehennam praecipitari, „adeo ut iis nec baptismus, nec Ecclesiae in eorum baptismo „preces, prodesse queant.“ Et quae eius generis sunt alia plurima, quae Ecclesiae Reformatae non solum agnoscunt, sed etiam toto pectore detestantur. Quare quotquot nomen Servatoris nostri Iesu Christi pie invocant, eos Synodus haec Dordrechtana per nomen Domini obtestatur, ut de Ecclesiarum Reformatarum fide, non ex coacervatis hinc inde calumniis, vel etiam privatis nonnullorum, tum veterum tum recentium doctorum dictis, saepe etiam aut mala fide citatis, aut corruptis, et in alienum sensum detortis, sed ex publicis ipsarum Ecclesiarum Confessionibus, et ex hac orthodoxae doctrinae declaratione, unanimi omnium et singulorum totius Synodi membrorum consensu firmata, iudicent. Calumniatores deinde ipsos serio monet, viderint quam grave Dei iudicium sint subituri, qui contra tot Ecclesias contra tot Ecclesiarum Confessiones, falsum testimonium dicunt, conscientias infirmorum turbant, multisque vere fidelium societatem suspectam reddere satagunt.

Postremo hortatur haec Synodus omnes in Evangelio Christi symmystas, ut in huius doctrinae pertractatione, in scholis atque in ecclesiis, pie et religiose versentur, eam tum lingua, tum calamo, ad Divini nominis gloriam, vitae sanctitatem, et consternatorum animorum solatium accommodent, cum Scriptura secundum fidei analogiam non solum sentiant, sed etiam loquantur; a phrasibus denique iis omnibus abstineant, quae praescriptos nobis genuini sanctarum Scripturarum sensus limites excedunt, et protervis sophistis iustam ansam praebere possint doctrinam Ecclesiarum Reformatarum sugillandi, aut etiam calumniandi. Filius Dei Iesus Christus, qui ad dextram patris sedens dat dona hominibus, sanctificet nos in veritate, eos qui errant adducat ad veritatem, calumniatoribus sanae doctrinae ora obstruat, et fidos verbis sui ministros spiritu sapientiae et discretionis instruat, ut omnia ipso-

Digitized by Google

rum eloquia ad gloriam Dei, et aedificationem auditorum, cedant. Amen.

*Huic capiti eadem quae prius subscribuntur nomina.*

---

**Haec omnia de Quinque Doctrinae Capitibus Controversis supra comprehensis, ita esse gesta testamur Illustrissimorum ac Praepotentium DD. Ordinum Generalium ad hanc Synodum Deputati, manuum nostrarum subsignatione.**

## EX GELDRIA.

*MARTINUS GREGORII D. Consiliarius Ducatus Geldriae, et Comitatus Zutphaniae.*

*Henricus van Essen Consiliarius Ducatus Geldriae, et Comitatus Zutphaniae.*

## EX HOLLANDIA.

*Walravus de Brederode.*
*Hugo Muys van Holy.*
*Iacobus Boelius.*
*Gerardus de Nieuburch.*

## EX ZELANDIA.

*Simon Scotte Consiliarius et Secretarius Civitatis Middelburgensis.*

*Iacobus Campe Ordinum Zelandiae Consiliarius.*

## EX PROVICIA ULTRAIECTINA.

*Fredericus van Zuylen van Nyevelt.*
*Wilhelmus van Hardevelt.*

## EX FRISIA.

*Ernestus ab Aylva Ordinum Frisiae Consiliarius, Orientalis Dongriae Grietmannus.*

*Ernestus ab Harinxma Consiliarius primarius in Curia Provinciali Frisiae.*

## EX TRANSISALANIA.

*Henricus Hagen.*



Digitized by Google

EX CIVITATE GRONINGENSI ET OMLANDIIS.

*Hieronymus Isbrants, I. U. D.*
*Edvardus Iacobus Clant a Stedum.*
*Et Illustribus ac Amplissimis DD. Delegatis a Secretis,*
DANIEL HEINSIUS.

## SENTENTIA SYNODI DE REMONSTRANTIBUS.

EXPLICATA hactenus, et asserta, per Dei gratiam, veritate, erroribus reiectis, et dammatis, abstersis iniquis calumniis; SYNODUS HAEC DORDRECHTANA (quae ipsi porro cura superest) serio, obnixe et pro auctoritate, quam ex Dei verbo in omnia suarum Ecclesiarum membra obtinet, in Christi nomine rogat, hortatur, monet, atque iniungit omnibus et singulis in Foederato Belgio Ecclesiarum Pastoribus, academiarum et scholarum Doctoribus, Rectoribus et Magistris, atque adeo omnibus in universum, quibus vel animarum cura, vel iuventutis disciplina est damandata, ut missis quinque notis Remonstrantium Articulis, qui et erronei sunt, et mera errorum latibula, hanc sanam veritatis salutaris doctrinam, ex purissimis verbi divini fontibus haustam, sinceram et inviolatam, pro viribus et munere suo, conservent: illam populo et iuventuti fideliter et prudenter proponant et explicent; usumque eius suavissimum atque utilissimum, tum in vita, tum in morte, diligenter declarent: errantes ex grege, secus sentientes, et opinionum novitate abreptos, veritatis evidentia mansuete erudiant, si quando det ipsis Deus resipiscentiam, ad agnoscendam veritatem: ut saniori menti redditi, uno spiritu, ore, fide, charitate, Ecclesiae Dei, et sanctorum communioni, denuo accedant; atque tandem coalescat vulnus Ecclesiae, et fiat omnium eius membrorum cor unum et anima una in Domino.

At vero, quia nonnulli e nobis egressi sub titulo *Remonstrantium* (quod nomen *Remonstrantium* ut et *Contra-Remonstrantium*, SYNODUS perpetua oblivione delendum censet,) studiis et consiliis privatis, modis illegitimis, disciplina et ordine Ecclesiae violato, atque fratrum suorum monitionibus et iudiciis contemptis, Belgicas Ecclesias antea florentissimas, in fide et charitate coniunctissimas, in his Doctrinae Capitibus, graviter et periculose admodum turbarunt: errores noxios et veteres revocarunt, et novos procuderunt, publice et privatim, voce ac scriptis, in vulgus sparserunt, et acerrime propugnarunt: doctrinam, hactenus in Ecclesiis receptam, calumniis et contumeliis enormibus insectandi, nec modum nec finem fecerunt: scandalis, dissidiis, conscientia-

Digitized by Google

rum scrupulis, et exagitationibus, omnia passim compleverunt: quae certe gravia in fidem, in charitatem, in bonos mores, in Ecclesiae unitatem et pacem, peccata, cum in nullo homine tolerari iuste possint, in Pastoribus censura severissima ab omni aevo in Ecclesia usurpata, necessario animadverti debent; SYNODUS, invocato Dei sancto nomine, suae auctoritatis ex verbo Dei probe conscia, omnium legitimarum tum veterum tum recentium Synodorum vestigiis insistens, et illustrissimorum DD. Ordinum Generalium auctoritate munita, declarat atque iudicat, Pastores illos, qui partium in Ecclesia ductores, et errorum doctores sese praebuerunt, corruptae religionis, scissae Ecclesiae unitatis, et gravissimorum scandalorum, citatos vero ad hanc Synodum, intolerandae insuper adversus supremi magistratus in hac Synodo publicata decreta, ipsamque hanc venerandam Synodum, pervicaciae, reos et convictos teneri. Quas ob causas, primo Synodus praedictis citatis omni ecclesiastico munere interdicit, eosque ab officiis suis abdicat, et academicis functionibus etiam indignos esse iudicat, donec per seriam resipiscentiam, dictis, factis, studiis contrariis abunde comprobatam, Ecclesiae satisfaciant, et cum eadem vere et plene reconcilientur, atque ad eius communionem recipiantur: quod nos in ipsorum bonum, et totius Ecclesiae gaudium unice in Christo Domino nostro exoptamus. Reliquos autem, quorum cognitio ad Synodum hanc Nationalem non devenit, Synodus Provincialibus, Classibus, et Presbyteriis, ex ordine recepto, committit: quae omni studio procurent ne quid Ecclesia detrimenti vel in praesens capere, vel in posterum metuere possit. Errorum istorum sectatores spiritu prudentiae discriminent: refractarios, clamosos, factiosos, turbatores, quam primum officiis ecclesiasticis, et scholasticis, quae sunt suae cognitionis et curae, abdicent: eoque nomine monentur, ut nulla interiecta mora, post acceptum huius Synodi Nationalis iudicium, impetrata ad hoc magistratus auctoritate, conveniant, ne lentitudine malum invalescat et roboretur. Ex infirmitate, et vitio temporum lapsos, vel abreptos, et in levioribus forte haesitantes, aut etiam dissentientes, modestos tamen, sedatos, vitae inculpatae, dociles, omni lenitate, charitatis officiis, patientia, ad veram atque perfectam concordiam cum Ecclesia provocent: ita tamen, ut diligenter sibi caveant, ne quemquam ad sacrum ministerium admittant, qui doctrinae hisce synodicis constitutionibus declaratae subscribere, eamque docere recuset: neminem etiam retineant, cuius manifesta dissensione, doctrina in hac Synodo tanto consensu comprobata violari, et Pastorum concordia, Ecclesiarumque tranquillitas denuo turbari queat. Praeterea veneranda haec Synodus serio monet ecclesiasticos omnes coetus, ut invigilent diligentissime in greges sibi commissos, omnibus subnascentibus in Ecclesia novitatibus mature obviam eant, easque tanquam zizania ex agro Domini evellant: attendant scholis et scholarum moderatoribus ne qua ex privatis sententiis

Digitized by Google

et pravis opinionibus iuventuti instillatis, postmodum Ecclesiae et reipub. pernicies denuo creetur. Denique illustrissimis et praepotentibus DD. Foederati Belgii Ordinibus Generalibus, gratiis reverenter actis, quod tam necessario et opportuno tempore, afflictis et labentibus Ecclesiae rebus, Synodi remedio clementer succurrerint, probos et fideles DEI servos in suam tutelam receperint, pignus omnis benedictionis et praesentiae divinae, verbi nempe ipsius veritatem, in suis ditionibus sancte et religiose conservatam voluerint: nulli labori, nullis sumptibus ad tantum opus promovendum et perficiendum pepercerint: pro quibus eximiis officiis largissimam a Domino et publice et privatim, et spiritualem et temporalem, remunerationem toto pectore SYNODUS comprecatur: Eosdem porro Dominos clementissimos obnixe et demisse rogat, ut hanc salutarem doctrinam, fidelissime ad verbum Dei et Reformatarum Ecclesiarum consensum a Synodo expressam, in suis regionibus solam et publice audiri velint et iubeant: arceant suborientes omnes haereses et errores, spiritus inquietos et turbulentos compescant: veros et benignos Ecclesiae nutritios ac tutores sese probare pergant: in personas supra dictas sententiam pro iure ecclesiastico, patriis legibus confirmato, ratam esse velint, et auctoritatis suae adiecto calculo, synodicas constistutiones immotas et perpetuas reddant.

## NOMINE ET IUSSU SYNODI

*Sebastianus Damman, Synodi Scriba.*

*Festus Hommius, Eccl. Leydensis Pastor, et Synodi Nat. Actuarius.*

*In testimonium Actorum, Daniel Heinsius.*

## APPROBATIO

### ILLUSTRISSIMORUM AC PRAEPOTENTIUM

### DOMINORUM,

## DD. ORDINUM GENERALIUM.

*ORDINES Generales Foederati Belgii, omnibus, qui hasce visuri aut lecturi sunt, salutem. Notum facimus, Quum ad tollendas tristes et noxias illas controversias, quae aliquot abhinc annis cum magno reipubl. detrimento, et pacis Ecclesiarum perturbatione, exortae sunt super quinque notis Doctrinae Christianae*

Digitized by Google

*Capitibus, eorumque appendicibus, visum nobis fuerit, ex ordine in Ecclesia Dei, ipsaque adeo Belgica, Dordrechtum convocare Synodum Nationalem omnium Ecclesiarum Foederati Belgii; utque illa maximo cum fructu et reipubl. emblumento celebrari posset, non sine gravi molestia, magnisque impensis, ad eandem expetiverimus et impetraverimus complures praestantissimos, doctissimos et celeberrimos Reformatae Ecclesiae Theologos exteros, uti ex praedictae Synodi Decretorum subscriptione, post singula doctrinae Capita videre est; delegatis insuper ex singulis provinciis ad eiusdem directionem nostris deputatis, qui in eadem ab initio usque ad finem praesentes curam gererent, ut omnia ibidem in timore Dei, et recto ordine, ex solo Dei verbo, sincerae nostrae intentioni congruenter, possent pertractari: Cumque praedicta haec Synodus singulari Dei benedictione tanto omnium et singulorum, tam exterorum quam Belgicorum, consensu, de praedictis quinque Doctrinae Capitibus, eorumque doctoribus iam iudicarit, nobisque consultis et consentientibus sexto Maii proxime praeterito decreta et sententiam hisce praefixa promulgarit; Nos, ut exoptati fructus ex magno et sancto hoc opere (quale nunquam antehac Ecclesiae Reformatae viderunt,) ad Ecclesias hàrum regionum redundare queant, quandoquidem nihil nobis aeque cordi et curae est, quam gloria Sanctissimi Nominis Divini, quam conservatio et propagatio verae Reformatae Christianae Religionis (quae fundamentum est prosperitatis et vinculum unionis Foederati Belgii,) quam concordia, tranquillitas, et pax Ecclesiarum; itemque conservatio et communionis Ecclesiarum, quae sunt in hisce regionibus, cum omnibus exteris Reformatis Ecclesiis, a quibus nos separare nec debuimus nec potuimus, Visis, cognitis, et mature examinatis atque expensis, praedicto iudicio et sententia Synodi, ista plene in omnibus approbavimus, confirmavimus, et rata habuimus, approbamus, confirmamus et rata habemus per praesentes: Volentes ac statuentes, ut nulla alia doctrina de quinque praedictis Doctrinae Capitibus in Ecclesiis harum regionum doceatur aut propagetur, praeter hanc, quae praedicto iudicio sit conformis atque consentanea; Mandantes atque imperantes omnibus ecclesiasticis coetibus, Ecclesiarum Ministris, Sacrosanctae Theologiae Professoribus et Doctoribus, Collegiorum Regentibus, omnibusque in universum et singulis, quos haec aliquatenus concernere queant aut attingere, ut in suorum ministeriorum et functionum exercitio eadem in omnibus fideliter et sincere sequantur, iisque convenienter sese gerant. Utque bonae nostrae intentioni plene ac per omnia ubique possit satisfieri, Denunciamus et mandamus Ordinibus, Gubernatoribus, Deputatis Ordinum, Consiliariis et Ordinibus Deputatis provinciarum Geldriae et comitatus Zutphaniae, Hollandiae, et Westfrisiae, Zelandiae, Ultraiecti, Frisiae, Transisalaniae, civitatis Groningae et Omlandiarum, omnibusque aliis Officiariis, Iudicibus, et Iustitia-*

Digitized by Google

*riis, ut praedicti Iudicii Synodici, eorumque quae inde dependent, observationem promoveant et tueantur, ac promovere et tueri faciant, adeo ut nullam in hisce mutationem aut ipsi faciant, aut ab aliis ullo modo fieri permittant: Quoniam ad promovendam Dei gloriam, securitatem et salutem status harum regionum, tranquillitatem et pacem Ecclesiae, ita fieri debere indicamus. Actum sub nostro sigillo, signatione Praesidis, et subscriptione nostri Graphiarii, Hagae-Comitis, secundo Iulii, anno millesimo, sexcentesimo et decimo nono, signatum erat.*

**A. Ploos, ut**
*Et inferius*
**Ex mandato praedictorum Praepotentium**
**Dominorum Ordinum Generalium**
*Subscriptum*
**C. Aerssen.**
*Eratque spatio impressum praedictum sigillum in Cera rubra.*

---

Digitized by Google

## 10.

# FORMULA CONSENSUS

## ECCLESIARUM HELVETICARUM REFORMATARUM, CIRCA DOCTRINAM DE GRATIA UNIVERSALI ET CONNEXA, ALIAQUE NONNULLA CAPITA.

## PRAEFATIO.

Quod[a]) divinus ille Gentium Apostolus[b]) *γνησίῳ* suo *τέκνῳ* Ti- 1
motheo inculcavit serio, ut videlicet maneat in iis, quae *ἔμαθε καὶ ἐπιστώθη didicit et de quibus fides* ipsi *facta* est*): id ipsum sane deploratis his et exulceratis temporibus memoriam mentemque nostram crebro subeat oportet. Tantoque magis, quod tristis experientia testatur, hinc inde, non in uno veritatis capite, ab *ὑποτυπώσει* sanorum verborum deflecti, et fidem semel sanctis ex verbo Dei traditam, erroribus suppullulantibus labem nonnullam contrahere. Nos quod attinet, merito divinae, qua prae aliis 2
multis gentibus coelestis Pater indignos nos prosecutus est, gratiae et bonitati grata mente acceptum referimus, quod *προεστώτας* hactenus nostros, Amplissimos inprimis Proceres, Patriae Patres, Ecclesiae nutritios verissimos, Spiritu pietatis, sapientiae et fortitudinis dotavit, ut quod acceperunt a maioribus ex Dei verbo veritatis *κειμήλιον* religiose custodirent, pressisque, quod aiunt, manibus tenerent, nec paterentur, ut doctrinae corruptio accessum ad Ecclesias nostras haberet ullum. Cum vero non minor sit 3
virtus, quam quaerere, parta tueri, et Angelum ipsum Philadelphensis Ecclesiae inclamantem audiamus quotidie: *Ecce venio cito; tene quod habes, ne quis accipiat coronam tuam***), merito

---

a) Germ. add. dort. b) Germ. der heilige Apoſtel.
*) 2 Tim. 3, 14. **) Apoc. 3, 11.

Digitized by Google

flexis ad Patrem Domini nostri Iesu Christi genubus, ardenter oramus, ut is difficilimis hisce temporibus praecipuum hoc πλεονέκτημα et beneficium clementer nobis servet, ad consummationem
4 usque seculi. Ne vero, quae alibi in capitibus nonnullis ac inprimis in doctrina de gratiae divinae amplitudine invaluere opiniones sequiores, nostram quoque teneram iuventutem, atque inde ipsas etiam Ecclesias nostras successu temporis inficiant, neve, uti errore vix alia seges magis foeta et fertilis est, ex istis nimia indulgentia toleratis, deteriores alii subnascantur; uti alias factum esse vel Remonstrantismi triste exemplum documento esse potest: de efficaci et sacro repagulo aliquo, superiorum au-
5 thoritate et iussu, cogitandum nobis fuit. Nati hinc et unanimi consensu a nobis approbati sunt Canones circa doctrinam de gratia universali, et connexa, aliaque nonnulla capita, in quibus concinnandis id maxime operam dedimus, ut veritas et charitas,
6 ἡδίστῃ συζυγίᾳ ambigua, quod aiunt, palma decertent. Neque vero est, cur Venerandi Fratres Exteri, quos tanquam de caetero ἰσότιμον πίστιν λαχόντας fraterne colimus et suspicimus, ob testatum graves ob causas dissensum, nobis succenseant, vel schismatis ansam cuiquam praeberi dictitent. Salvum enim utrinque per Dei gratiam stat fundamentum fidei, cui utrobique ex Dei verbo aurum et argentum pretiosique lapides non pauci superstructi sunt. Salva unitas corporis mystici et Spiritus, *sicut et vocati sumus in una spe vocationis nostrae. Unus nobis Dominus, una fides* praecipua, et in eadem tuenda sancta conspiratio et contesseratio. *Unum baptisma, unus Deus et Pater omnium, qui est super omnia, et per omnia, et in omnibus nobis* *). Salvum denique apud nos semper tenerrimae charitatis vinculum et compages sarta et tecta sacrosancta communionis sanctorum officia per
7 Dei gratiam perstabunt. Quod super est, Deum, Patrem luminum pia in vota vocare non cessabimus, ut institutum nostrum salutare esse velit et iubeat, eique per Iesum Christum, fidei et salutis nostrae principem et consummatorem unicum, benedicere dignetur!

## Canones.

8 I. Deus T. O. M. verbum suum, quod est *potentia ad salutem omni credenti* **), non tantum per Mosen, Prophetas et Apostolos scripto mandari curavit, sed etiam pro eo scripto paterne vigilavit hactenus et excubavit, ne Sathanae astu, vel fraude
9 ulla humana vitiari posset. Proinde merito singulari eius gratiae et bonitati Ecclesia acceptum refert, quod habet, habebitque ad finem mundi *sermonem propheticum firmissimum* ***), nec non ἱερὰ γράμματα, *sacras literas* †), ex quibus, pereunte coelo et terra, *ne apex quidem vel iota unicum peribit* ††).

*) Eph. 4, 4–6. **) Rom. 1, 16. ***) 2 Petr. 3, 19. †) 2 Tim. 3, 15. ††) Matth. 5, 18.

Digitized by Google

II. In specie autem Hebraicus Veteris Testamenti Codex, 10
quem ex traditione Ecclesiae Iudaicae, cui olim *Oracula Dei commissa sunt**), accepimus hodieque retinemus, tum quoad consonas, tum quoad vocalia, sive puncta ipsa, sive punctorum saltem potestatem, et tum quoad res, tum quoad verba θεόπνευστος, ut fidei et vitae nostrae, una cum Codice Novi Testamenti sit Canon unicus et illibatus, ad cuius normam, ceu Lydium lapidem, universae, quae extant, Versiones, sive orientales, sive occidentales exigendae, et sicubi deflectunt, revocandae sunt.

III. Eorum proinde sententiam probare neutiquam possumus, 11
qui lectionem, quam Hebraicus Codex exhibet, humano tantum arbitrio constitutam esse definiunt, quique lectionem Hebraicam, quam minus commodam iudicant, configere, eamque ex LXX. seniorum aliorumque versionibus Graecis, Codice Samaritano, Targumim Chaldaicis, vel aliunde etiam, imo quandoque ex sola ratione emendare religioni neutiquam ducunt, neque adeo aliam lectionem authenticam, quam quae ex collatis inter se editionibus, ipsiusque etiam Hebraici codicis, quem variis modis corruptum esse dictitant, adhibita circa lectiones variantes humani iudicii κρίσεως erui possit, agnoscunt: Tandemque praeter editionem Hebraeam hodiernam, alios esse codices Hebraeos in veterum Interpretum deflectentibus ab Hebraeo nostro contextu versionibus, quae etiamnum variantium olim codicum Hebraeorum indicia sint, decernunt: Atque ita fidei nostrae principium, eiusque authoritatem sacrosanctam anceps in discrimen adducunt.

IV. Deus ante iacta mundi fundamenta in Christo Iesu, 12
Domino nostro, fecit *πρόθεσιν αἰώνιον propositum seculorum***), in quo ex mero voluntatis suae beneplacito, sine ulla meriti operum vel fidei praevisione, ad laudem gloriosae gratiae suae elegit certum ac definitum hominum in eadem corruptionis massa, et communi sanguine iacentium, adeoque peccato corruptorum numemerum, in tempore per Christum Sponsorem et Mediatorem unicum ad salutem perducendum, eiusdemque merito, Spiritus S. regenerantis potentissima virtute, efficaciter vocandum, regenerandum, et fide ac resipiscentia donandum. Atque ita quidem Deus 13
gloriam suam illustrare constituit, ut decreverit, primo quidem hominem integrum creare, tum eiusdem lapsum permittere, ac demum ex lapsis quorundam misereri, adeoque eosdem eligere, alios vero in corrupta massa relinquere, aeternoque tandem exitio devovere.

V. In gratioso autem illo Electionis divinae decreto ipse 14
quoque Christus includitur, non ut causa meritoria, vel fundamentum ipsam electionem praecedens, sed ut ipse quoque ἐκλεκτός *electus****) ante iacta mundi fundamenta praecognitus, adeoque

---

*) Rom. 3, 2. **) Eph. 3, 11. ***) 1 Petr. 2, 4. 6.

Digitized by Google

primarium eius exequendae electus mediator, et primogenitus frater noster, cuius pretioso merito, ad conferendam nobis, salva
15 iustitia sua, salutem, uti voluit. Scriptura enim sacra non tantum testatur electionem factam esse *secundum merum beneplacitum consilii et voluntatis divinae* *); sed etiam destinationem et dationem Christi, Mediatoris nostri, ab enixo Dei Patris erga *mundum* electorum *amore* arcessit.

16 VI. Quamobrem neque eorum suffragamur sententiae, qui docent, Deum φιλανθρωπίᾳ, seu praecipuo quodam generis humani lapsi amore motum Electioni praevio, voluntate quadam conditionata, velleitate, misericordia prima, uti vocant, desiderio inefficaci omnium et singulorum, conditionate saltem, si videlicet credant, salutem intendisse: omnibus et singulis lapsis Christum Mediatorem destinasse; ac demum quosdam consideratos, non simpliciter ut peccatores in Adamo primo, sed ut redemptos in Adamo secundo elegisse, hoc est, salutare fidei donum in tempore gratiose concedendum iis destinasse; atque unico hocce actu Ele-
17 ctionem proprie dictam absolvi. Haec enim, et si quae alia hisce affinia sunt ab ὑποτυπώσει sanorum de Electione divina sermonum non mediocriter deflectunt. Scriptura quippe propositum Dei, miserendi videlicet hominum, non ad omnes et singulos, sed ad solos electos restringit; exclusis nominatim reprobis; veluti *Esavo*, quem Deus aeterno odio prosecutus est **). Testantur eaedem sacrae literae, consilium et voluntatem Dei non nutare, sed *stare immobiliter, et Deum in coelis, quaecunque vult, facere* ***).
18 Quippe Deus procul abest ab omni imperfectione humana, qualis in affectibus et desideriis inefficacibus, temeritate, poenitentia et consilii mutatione gliscit. Destinatio quoque Mediatoris Christi aeque ac salus eorum, qui ipsi ut peculium et haereditas ἀναφαίρετος dati sunt, ab una eademque Electione arcessitur, non ei ut fundamentum substernitur.

19 VII. Sicut *ab aeterno Deo nota fuerunt omnia opera eius* ****): ita in tempore pro infinita potentia, sapientia et bonitate sua hominem, operum suorum gloriam et coronidem ad imaginem suam, adeoque rectum, sapientem et iustum condidit; conditum foederi operum subiecit, et in eo suam ei communionem, amicitiam et vitam, siquidem ad nutum eius se obedientem gereret, liberaliter promisit.

20 VIII. Porro promissio illa foederi operum annexa, fuit non terrestris tantum vitae et felicitatis continuatio, sed inprimis vitae aeternae et coelestis, in coelo videlicet, siquidem perfectae obedientiae stadium decurrisset, per ineffabile gaudium in commu-
21 nione Dei tum corpore tum anima transigendae possessio. Id ipsum enim non *Arbor* duntaxat *vitae* Adamo praefiguravit, sed

*) Matth. 11, 26. Ephes. 1, 5. 9. **) Rom. 9, 11. ***) Ies. 47, 10. Ps. 115, 3. ****) Act. 15, 18.

Digitized by Google

etiam legis potentia, quae a Christo in locum nostrum succedente completa, non aliam quam coelestem vitam in Christo, δικαίωμα τοῦ νόμου implente, nobis addicit, nec non opposita comminatio *mortis*, non temporalis duntaxat sed etiam aeternae, manifeste arguit.

IX. Quamobrem illorum sententiae nulli astipulamur, qui 22
Adamo, siquidem Deo obediret, coelestis beatitudinis praemium propositum esse negant; neque aliam foederis operum promissionem quam vitae perpetuae et affluentis omni bonorum genere, quae tum in animum tum in corpus hominis in statu integrae naturae constituti competere possunt, eiusque in Paradiso terrestri fruendae agnoscunt. Hoc enim et sano sensui verbi divini repugnat, et potentiam legis per se consideratae enervat.

X. Sicut autem Deus foedus operum cum Adamo inivit 23
non tantum pro ipso, sed etiam in ipso, ut capite et stirpe, cum toto genere humano, vi benedictionis naturae ex ipso nasciturae, et eandem integritatem, siquidem in ea perstitisset, haereditaturo: ita Adamus tristi prolapsu, non sibi duntaxat sed toti etiam humano generi, *ex sanguinibus et voluntate carnis* proventuro peccavit, et bona in foedere promissa perdidit. Censemus igitur, 24
peccatum Adami omnibus eius posteris, iudicio Dei arcano et iusto, imputari. Testatur quippe Apostolus *in Adamo omnes peccasse: Unius hominis inobedientia peccatores multos constitui;* et *in eodem omnes mori**). Neque vero ratio apparet, quemadmodum haereditaria corruptio, tanquam mors spiritualis, in universum genus humanum iusto Dei iudicio cadere possit, nisi eiusdem generis humani delictum aliquod, mortis illius reatum inducens, praecesserit. Cum Deus iustissimus totius terrae iudex nonnisi sontem puniat.

XI. Duplici igitur nomine post peccatum homo natura, in- 25
deque ab ortu suo, antequam ullum actuale peccatum in se admittat, irae ac maledictioni divinae obnoxius est; primum quidem ob παράπτωμα et inobedientiam, quam in Adami lumbis commisit: deinde ob consequentem in ipso conceptu haereditariam corruptionem insitam, qua tota eius natura depravata et spiritualiter mortua est, adeo quidem, ut recte peccatum originale statuatur duplex, imputatum videlicet, et haereditarium inhaerens.

XII. Non possumus proin, salva coelesti veritate, assen- 26
sum praebere iis, qui Adamum posteros suos ex instituto Dei repraesentasse ac proinde eius peccatum posteris eius ἀμέσως imputari negant, et sub imputationis mediatae et consequentis nomine, non imputationem duntaxat primi peccati tollunt, sed haereditariae etiam corruptionis assertionem gravi periculo obiiciunt.

XIII. Sicut Christus ab aeterno electus est ut Caput, Prin- 27
ceps et Haeres omnium eorum, qui in tempore per gratiam eius

*) (Rom. 5, 12. 19. 1 Cor. 15, 21. 22.)

Digitized by Google

salvantur: ita etiam in tempore Novi Foederis Sponsor factus est pro iis solis, qui per aeternam electionem dati ipsi sunt ut populus peculii, semen et haereditas eius. Pro solis quippe electis ex decretorio Patris consilio propriaque intentione diram mortem oppetiit, solos illos in sinum paternae gratiae restituit, solos Deo
28 Patri offenso reconciliavit et a maledictione legis liberavit. Iesus enim noster *salvat populum suum a peccatis**), qui *animam suam redemptionis pretium dedit pro multis ovibus***) suis, *ad vocem eius attonitis****), pro quibus solis etiam, tanquam divinitus vo-
29 catus Sacerdos, postposito *mundo*, intercedit****). Christo proin moriente soli Electi, qui in tempore *nova creatura* fiunt, proque quibus moriens ipse, tanquam piacularis victima, substitutus est *una mortui* et *a peccato iustificati* censentur †): atque ita voluntas Christi morientis cum consilio Patris, non alios ipsi quam Electos redimendos dantis, nec non operatione Spiritus sancti non alios quam Electos sanctificantis, et ad vivam spem aeternae vitae obsignantis *παναρμονικῶς* ita convenit et amice conspirat, ut Patris eligentis, Filii redimentis, et Spiritus S. sanctificantis aequalis *περιφορία* pateat.

30 XIV. Atque id ipsum amplius etiam inde colliquescit, quod Christus iisdem, pro quibus mortuus est, uti salutem, ita etiam media ad salutem, spiritum inprimis regenerantem et coeleste fidei
31 donum, et meruit et actu confert. Testatur quippe Scriptura, Christum Dominum venisse *ad salvandum perditas oves domus Israelis* ††), *mittere* et eundem *Spiritum sanctum*, tanquam suum, regenerationis fontem †††): interque promissiones meliores Novi Foederis, quarum is factus Mediator et Sponsor est, hanc eminere, quod *legem suam*, fidei videlicet, *cordibus suorum inscripturus sit* ††††): Venire ad Christum, per fidem videlicet, quicquid Pater ipsi dedit: Denique nos esse *electos in Christo, ut simus sancti et inculpati, adeoque filii per ipsum**). Ut vero simus sancti et filii Dei, non aliunde quam a fide et spiritu regenerationis proficiscitur.

32 XV. Ita autem Christus vice Electorum obedientia mortis suae Deo Patri satisfecit, ut in censum tamen vicariae iustitiae et obedientiae illius, universa eius, quam per totius vitae suae curriculum legi, tanquam *servus* ille *iustus*, sive agendo sive pa-
33 tiendo praestitit, obedientia vocari debeat. Nihil enim aliud fuit Christi vita, teste quidem Apostolo**), quam perpetua quidem exinanitio, submissio et humiliatio gradatim ad extremum usque terminum, mortem videlicet crucis procedens; rotundo asserit ore Spiritus Dei Christum sanctissima vita legi et iustitiae divinae

---

*) Matth. 1, 21. **) Matth. 20, 24. 28. (coll. Ioan. 10, 15.) ***) Ioan. 10, 27. 28. ****) Ioan. 17, 9. Ies. 66, 22. †) 2 Cor. 5, 17. ††) (Matth. 15, 24.) †††) Ioan. 16, 7. 8. ††††) Hebr. 8, 10. *) Eph. 1, 4. 5. **) Phil. 2, 8 sqq.

Digitized by Google

pro nobis satisfecisse, et pretium illud, quo empti sumus Deo, non in passionibus duntaxat, sed tota eius vita legi conformata collocat. Morti autem vel sanguini Christi Redemptionem nostram vendicat haud alio sensu, quam quia is per passiones consummatus est. Atque ita quidem ab extremo illo terminante et nobilissimo actu, sine quo salus nostra constare non potuisset, quique omnium virtutum speculum fuit lucidissimum, denominationem facit, ut tamen a morte vitam anteactam neutiquam secludat.

XVI. Haec omnia cum ita se omnino habeant, haud sane 34
probare possumus oppositam doctrinam illorum, qui statuunt, Christum propria intentione et consilio tum suo, tum Patris ipsum mittentis, mortuum esse pro omnibus et singulis, addita conditione impossibili, si videlicet credant; omnibus impetrasse, quae non omnibus tamen applicetur, salutem, morte sua nemini proprie et actu salutem ac fidem meruisse, sed iustitiae duntaxat divinae obstaculum removisse, et Patri potestatem acquisivisse novum foedus gratiae ineundi cum universis hominibus; denique qui iustitiam Christi activam et passivam ita partiuntur, ut asserant, activam eum sibi pro sua vindicare, passivam vero demum Electis donare et imputare. Haec omnia, et si quae his similia sunt 35
apertis Scripturis et gloriae Christi, qui fidei et salutis nostrae ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς est, repugnant, crucem eius evacuant, et per speciem augendi meriti eius, reapse illud imminuunt.

XVII. Vocatio ad salutem καιροῖς ἰδίοις, *propriis temporibus**), attemperata est. Secundum voluntatem quippe Dei modo 36
restrictior, modo latior et communior, nunquam tamen absolute universalis fuit. Etenim quidem sub Veteri Testamento *annuntiavit Deus Verbum suum Iacobo, statuta sua et iudicia Israëli, non sic fecit ulli genti***). In Novo Testamento Deus pace facta in sanguine Christi, et rupto intergerino pariete, praeconii Evangelici et vocationis externae pomoeria hactenus dilatavit, ut *nulla amplius διαστολὴ, distinctio sit inter Iudaeos et gentes, sed Deus iam est Dominus omnium, dives erga omnes ipsum invocantes****). Neque tamen sic vel absolute universalis est. Testatur enim Christus *multos esse vocatos*****), non omnes. Cumque Paulus et Timotheus Bithyniam versus Evangelii ibidem praedicandi causa contenderent, *non sivit eos Spiritus Iesu* †). Fuerunt que, et sunt hodieque, experientia teste, innumerae myriades hominum, quibus Christus ne fando quidem unquam auditus est.

XVIII. Interim Deus etiam illis, quos per verbum ad sa- 37
lutem vocare dedignatus est, *se intestatum reliquit neutiquam* ††). *Dedit* quippe *illis spectacula coeli et siderum* †††). Et *quod de Deo*, ex naturae videlicet et providentiae operibus, cognosci pot-

*) 1 Tim. 2, 6. **) Ps. 147, 19. 20. ***) Rom. 10, 12. 13. ****) Matth. 20, 14. †) Act. 16, 7. ††) Act. 14, 17. †††) Deut. 4, 19.

Digitized by Google

est, id ipsum, longanimitatem suam testaturus, illis revelavit *).
38 Neque tamen statuendum est, naturae illa et providentiae divinae opera per se sufficientia et vocationis externae vicem fungentia organa fuisse, quibus mysterium beneplaciti seu misericordiae Dei in Christo illis innotesceret. Ilico enim Apostolus addit: *Invisibilia eius e creatione mundi rebus factis animadversa conspici, aeternam videlicet eius divinitatem et potentiam* **), non arcanum beneplacitum in Christo; neque etiam hunc in finem, ut inde mysterium salutis per Christum perdiscerent, sed ut sint *ἀναπολόγητοι, inexcusabiles*, quia videlicet ne residua quidem illa notitia recte usi sunt, sed cognoscentes Deum, non tamen ut
39 Deum glorificarint neque ei gratias egerint. Quamobrem etiam Christus Deum Patrem suum glorificat, quod *haec absconderit a sapientibus et intelligentibus, ac revelaverit infantibus* ***). Et Apostolus insuper docet: *Mysterium voluntatis Dei notificari nobis secundum beneplacitum eius quod proposuit in Christo* ****).
40 XIX. Ipsa quoque vocatio externa, quae per praeconium Evangelicum fit, etiam vocantis Dei respectu, seria et sincera est. Verbo enim suo serio et verissime pandit, haud equidem, quae arcana sit sua circa singulorum salutem vel exitium intentio, sed quid nostri sit officii, et quid officium illud facientes vel omittentes maneat. Scilicet haec Dei vocantis voluntas est, ut vocati ad se veniant, tantam salutem non negligant; atque ita venientibus ad se per fidem serio quoque vitam aeternam promittit. *Fidelis* enim *est*, uti loquitur Apostolus, *sermo, si nos commortui sumus, et convivemus: si patimur, etiam conregnabimus: si negabimus, etiam nos negabit: si infideles sumus, ille fidelis manet,*
41 *negare se ipse non potest* †). Neque voluntas illa respectu eorum, qui vocationi non parent, inefficax est, quia semper Deus id, quod volens intendit, assequitur, demonstrationem videlicet officii, et secutam hinc vel salutem Electorum officium facientium, vel *ἀναπολογησίαν* reliquorum, officium praescriptum negligen-
42 tium. Spiritualis certe homo conceptum Dei internum, fidei analogum cum verbo Dei externo prolato, vel scripto, nullo negotio conciliat. Et quia porro Deus probat omnem veritatem, quae ex consilio eius fluit, idcirco recte dicitur etiam voluntas ipsius esse *ut omnis, qui videt Filium et credit in ipsum, habeat vitam aeter-*
43 *nam* ††). Quanquam hi *Omnes* sunt *Electi* soli, neque Deus ullum universale consilium inivit sine determinatione personarum, Christusque adeo non pro singulis, sed pro solis Electis sibi datis mortuus est: tamen hoc utique universaliter verum esse vult,
44 quod ex speciali et definito eius consilio consequitur. Quod vero voluntate Dei in vocatione externa universaliter ita proposita soli electi credunt, reprobi vero indurantur, id a sola gratia Dei dis-

*) Rom. 1, 19. **) ibid. vs. 20. ***) Matth. 11, 25. ****) Eph. 1, 9. †) 2 Tim. 2, 12. 13. ††) Ioan. 6, 40.

Digitized by Google

criminante proficiscitur; Electio per eandem gratiam credentibus, reprobis vero nativa malitia sua in peccato manentibus, et secundum duritiem suam et cor poenitere nescium iram sibi in diem irae et revelationis iusti iudicii Dei thesaurizantibus.

XX. Falli proin nulli dubitamus illos, qui vocationem ad 45
salutem non sola Evangelii praedicatione, sed naturae etiam ac Providentiae operibus, citra ullum exterius praeconium expediri sentiunt, adduntque, vocationem ad salutem adeo esse *ἀδιόριστον* et universalem, ut nemo sit mortalium, quin *obiective* saltem, uti loquuntur, sufficienter, sive *mediate*, eo videlicet, quod Deus Naturae lumine recte utenti gratiae lumen superadditurus sit, sive *immediate*, ad Christum et salutem vocetur; denique sine asserta absoluta universalitate gratiae, vocationem externam seriam et veram dici, vel *ἁπλότητα* et *εἰλικρίνειαν* Dei vocantis defendi posse, inficias eunt. Haec enim et S. Scripturae et experientiae 46
omnium temporum adversantur, et Naturam cum Gratia, *τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ* cum *σοφίᾳ τῇ ἐν μυστηρίῳ*, denique lumen rationis cum lumine divinae revelationis manifeste confundunt.

XXI. Qui per Evangelii praeconium ad salutem vocantur, 47
credere non possunt, neque vocantem sequi, nisi ex spirituali morte, ea ipsa potentia, qua Deus ex tenebris lucem explendescere iussit, resuscitentur et Deus Spiritus sui flexanima gratia cordibus illorum *illucescat*, ad *φωτισμὸν* seu *radiationem cognitionis gloriae Dei in facie Iesu Christi**). *Animalis* quippe *homo non recipit ea, quae sunt Spiritus Dei: stultitia ei est, neque potest cognoscere, quia spiritualiter iudicantur***). Eamque impotentiam penitissimam tot testimoniis, tot emblematibus Scriptura passim convincit, ut vix alia in re sit locupletior. Moralis qui- 48
dem ea impotentia dici possit, quatenus scilicet circa subiectum et obiectum morale versatur: Naturalis tamen esse simul et dici debet, quatenus homo *φύσει, natura*, adeoque nascendi lege, inde ab ortu est *filius irae****), illamque ita congenitam habet, ut eam haud aliter, quam per omnipotentem et vorticordiam Spiritus Sancti gratiam, excutere possit.

XXII. Censemus igitur, minus caste, neque sine periculo 49
loqui illos, qui impotentiam illam credendi *moralem* vocant, ac *naturalem* dici non sustinent, adduntque, hominem, quocunque in statu constituatur, posse credere si velit, et fidem, quacunque demum ratione, esse *ἐκ τῶν ἐφ' ἡμῖν*; quam tamen Apostolus consignatissimis verbis *Dei donum*****) nuncupat.

XXIII. Duae sunt viae et modi, quibus Deus *δικαιοχρι-* 50
*τῆς* iustificationem promisit, vel per opera seu facta propria in Lege, vel per obedientiam seu iustitiam alienam Christi, videlicet Sponsoris, quae ex gratia imputatur credenti in Evangelio. Ille modus est iustificandi hominem integrum: hic vero iustificandi

*) 2 Cor. 4, 6. **) 1 Cor. 2, 14. ***) Eph. 2, 2. ****) Eph. 2, 8.



Digitized by Google

51 hominem peccatorem et corruptum. Iuxta duplicem huncce iusti-
ficationis modum duplex etiam foedus Scriptura constituit, operum
videlicet, cum Adamo primo et singulis eius posteris in ipso ini-
tum, at per peccatum irritum factum: et gratiae, cum solis Elec-
tis in Christo, Adamo secundo percussum, quod aeternum est,
nullique ἀφανισμῷ, sicuti prius illud, obnoxium.

52 XXIV. Caeterum posterius illud Foedus Gratiae pro diver-
sitate temporum diversas etiam oeconomias recipit. Apostolus
enim indigitans τὴν οἰκονομίαν τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν,
*administrationem implementi temporum**), adeoque gubernationem
temporis ultimi, perspicue significat, aliam fuisse oeconomiam et
gubernationem temporibus τὴν προθεσμίαν seu statutum tempus
53 praecedentibus. In utraque tamen gratiosi Foederis oeconomia
non aliter electi salvati sunt, quam per *Angelum faciei***), *Agnum
illum inde a iactis mundi fundamentis mactatum****), Christum
Iesum, notitiam servi illius iusti, et fidem in ipsum, nec non Pa-
trem et Spiritum eius. Christus enim heri et hodie et in secula
54 idem est****). Et per gratiam eius credimus nos servari eundem
in modum, quo salvati sunt et illi, Patres videlicet: manentque
immotae in utroque Testamento regulae: *Beati, qui illi* (Filio)
*confidunt*†): *Qui credit in ipsum, non iudicatur; qui vero non
credit, iam condemnatus est*††): *Creditis in Deum*, Patrem vide-
55 licet, *credite etiam in me*†††). Quod si autem sancti Patres in
Christum tanquam *Goël* suum crediderunt, consequitur, ut etiam
in Spiritum S. crediderint, absque quo *nemo Iesum Dominum
nuncupare potest*. Et vero tot sunt fidei illius Patrum eiusdem-
que necessitatis in utroque Foedere clarissimae ἀποδείξεις, ut
56 neminem nisi volentem et lubentem latere possint. Tametsi vero
illa salutaris Christi et sacro-sanctae Triadis notitia, pro oecono-
mia temporis illius, non ex sola promissione, sed ex umbris etiam,
figuris et aenigmatibus operosius quam nunc in Novo Testamento
facto opus est, hauriri et erui debuit: vera tamen, et pro divinae
revelationis modulo ad procurandam electis, aspirante Dei gratia,
salutem conscientiaeque consolationem sufficiens fuit.

57 XXV. Improbamus igitur eorum doctrinam, qui tria nobis
Foedera, tota natura et medulla disparata, *Naturale* videlicet,
*Legale* et *Evangelium* cudunt, atque in iisdem explicandis, eorum-
que differentiis assignandis adeo quidem intricate versantur, ut
solidae veritatis et pietatis nucleum non parum involvant sive af-
fligant: quique de notitiae Christi et fidei in eundem eiusque
satisfactionem totamque sacro-sanctam τριάδα necessitate sub Vet.
Testamenti oeconomia, aequo quam par est, laxius, neque sine
periculo Θεολογεῖν nulli dubitant.

---

*) Eph. 1, 10. **) Ies. 63, 9. ***) Apoc. 13, 8. ****) Hebr. 13, 8.
†) Ps. 2, 12. ††) Ioan. 3, 18. †††) Ioan. 14, 1.

Digitized by Google

XXVI. Denique et nobis, quibus in praesentiarum in 58
Ecclesia, quae Domus Dei est, dispensatio credita est et universis Naziraeis nostris, iisque, qui, Deo volente et moderante, in curas quandoque nostras succedent, ad praevertendas tristes dissidiorum, quibus Ecclesia Dei passim diris modis infestatur, faces, hanc serio legem dictam esse volumus, ut in hac mundi faece, fideli monitore gentium Apostolo, *depositum* fideliter custodiamus omnes, *βεβήλους κενοφωνίας* seu *profanas vocum inanitates* devitemus *), et cognitionis illius, quae est secundum pietatem, *εἰλικρίνειαν* et simplicitatem religiose custodiamus, charitatis et fidei minime fucatae *καλὴν ξυνωρίδα*, bigam pulcherrimam, retineamus constanter. Neve adeo quisquam animum inducat, sive publice sive pri- 59
vatim proponere dubium vel novum aliquod dogma fidei, in Ecclesiis nostris hactenus inauditum, *Verbo Dei*, *Confessioni nostrae Helveticae*, *libris nostris symbolicis*, *et Synodi Dordracenae Canonibus* repugnans, et in publica *ἐπισυναγωγῇ* fratrum ex Dei verbo non evictum atque sancitum: Ut necessitatem inprimis sanctificationis diei Dominicae non tantum ex Dei verbo sincere tradamus, sed graviter etiam inculcemus, eiusque observationem instantissime urgeamus. Tandem, ut Canonem heic consignatorum 60
ex Dei indubitato verbo repetitam veritatem in Ecclesiis iuxta atque Scholis, quoties occasio postulaverit, unanimiter fideliterque retineamus, doceamus, asseramus.

Ipse vero Deus pacis in veritate sanctificet nos totos, 61
et integer noster Spiritus et anima et corpus *ἀμέμπτως* in adventum Domini nostri Iesu Christi servetur! Cui unâ cum Patre et Spiritu S. aeternus sit honor, laus et gloria. Amen!

*) 1 Tim. 6, 20.

FINIS.



Digitized by Google

## ADDIT. 1.

# CONFESSIO RELIGIONIS CHRISTIANAE,

## SACRATISSIMO IMPERATORI CAROLO V. CAESARI AUGUSTO IN COMITIIS AUGUSTAE ANNO M. D. XXX. PER LEGATOS CIVITATUM ARGENTORATI, CONSTANTIAE, MEMMINGAE, ET LINDAVIAE EXHIBITA.

*Si quis voluerit voluntatem eius obtemperare, is cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar. Ioh. VII.*

## MAGISTRATUS ET CONCILIA CIVITATUM,

Argentorati, Constantiae, Memmingae, et Lindaviae, precantur universis in Christum servatorem nostrum credentibus, incrementa sancti spiritus, et sua offerunt obsequia.

Fecit Sacratissima Caesarea Maiestas in Comitijs imperialibus, superiori anno Augustae habitis, statim dum illa auspicaretur, Principibus Electoribus, ac reliquis Principibus Sacrique Romani Imperij ordinibus, inter alia exponi, sibi cum primis in votis esse, rationem, viamque quaerere, qua grave et noxium illud circa religionem dissidium, quod Germaniam iam aliquot amos exagitasset, componeret, certamque restitueret concordiam, hacque caussa se petere, serioque poscere, ut Principes Electores, ac caeteri Imperij proceres, statusque, de hisce dissensionibus, et gravi nimium dissidio, ijs etiam quae vel ecclesiastici a profanis, vel profani ab ecclesiasticis, aut utrique a sui ordinis hominibus, indigne fieri arbitrantur, suam singuli sententiam, quaeque profutura istis remedia crederent, quantum quisque cum sua id, tum Reipub. interesse novisset, Latine et Germanice conscriberent, sibique offerrent, hoc pacto non tam rebus suis, quam publicae paci consulturi, atque ad illud haud parum commo-

Digitized by Google

daturi, ut omnis istius varietatis ac scismatis caussis, rationeque tota, penitius perspectis, cognitis, atque perpensis, pacari facilius omnia, et restitui possent, vivendique ratio reparari, sicut vere concors, ita Christo quoque digna. Huic petitioni tam seriae, atque urgenti, nostri, quos legatos ad ea comitia miseramus, volentes ut decebat morem gerere, curarunt capita eorum, quae apud nos tanquam Christi dogmata, sacris Evangelijs, caeterisque arcanis literis nixa, iam pridem doceri, tradique in ecclesijs religiosae plebi solent, per aliquot nostros concionatores, quos illis adiunxeramus, latine et germanice, in breve compendium, ad modum Confessionis, ita ut a festinantibus, et brevi eo tempore, quod ad haec concedebatur, fieri potuit, digeri, statimque ea S. Caesareae Maiestati, ita ut illa iusserat, obtulerunt. Eo et fidei ac religionis quam sectamur, eorumque quae apud nos ad Evangelij praescriptum reformata sunt, rationem illi nostro nomine reddere, et nostrum in eam studium simul testari conati. Cum autem post huiusce confessionis oblationem, per aliquot menses, nihil prorsus hac de re, cum his nostris legatis actum esset, idque preter spem, quam et ex literis, quibus S. C. M. comitia indixit, et ex prima illa, quam modo memoravimus propositione, initio comitiorum facta, non abs re conceperamus, tandem sub finem comitiorum, lecta est nostris legatis, praesente S. C. M. Principibus Electoribus, alijsque Principibus, et S. Imperij ordinibus, admissis etiam quibuslibet, Confutatio quaedam, quam Doctores quidam, Theologorum se titulo venditantes, iurati ministri partis adversariae, composuerant, Sacratissimaeque C. M. nobis loco responsionis ad nostram Confessionem, legendam, obtruserant. Iam nostra Confessio palam lecta non est, Doctores vero illi multorum nos in sua Confutatione insimularunt, et tanquam ea de nobis ipsi confessi essemus, memorarunt, quorum non modo in nostra Confessione nusquam meminimus, sed ne in mentem unquam venit: Deinde et ea quae confessi sumus, inverterunt pleraque omnia, praveque adductis scripturis, vanisque paralogismis oppugnarunt. Quibus scilicet rationibus, visum illis est S. C. M. in nos provocare, bonisque et religiosis omnibus, invisos et abominabiles reddere. Ne igitur nos tam impiae criminationi tacendo fidem facere, et diris istorum calumnijs, Christi veritatem quam profitemur, prodere quisquam existimaret, visum est, illam Confessionem nostram, in publicum aedere, adiuncta eius Apologia, quam nostris ecclesiastis pararo nuper mandavimus. Nam religio erat, salvificam Christi doctrinam, nobis singulari adeo Dei bonitate communicatam, tantis blasphemijs non adserere, et ferre, nos horrendis adeo, sed aeque falsis criminibus notatos, publicum offendiculum con-

Digitized by Google

stitui. Confutatores siquidem isti, per totam illam suam Confutationem, ipsissima Christi dogmata, impietatis et haereseos traducunt, nos vero secessionis a sacrosancta Catholica ecclesia, defectionis a syncera fide religioneque Christi, ad quoslibet pestilentissimos et portentosos errores, sectasque, denique et violatae S. C. M. fidei, negatique temere ac procaciter debiti obsequij, accusant, et altero quoque versu criminantur. Quo igitur Christiani nominis professores, cognoscere possitis, quam nulla vel species veri istis calumnijs insit, per Christi Iesu gloriam, cui uni hisce in rebus studemus, oramus, hanc nostram Confessionem, eiusque Apologiam, in qua optima fide Confutatorum verba et argumenta adducta sunt, legere, et ad scripturarum fidem omnia expendere, nostrasque et Confutatorum istorum rationes inter se librare velitis. Quod si exorari vos passi fueritis, certi sumus, vos cognituros, indubitata nos Christi praecepta sequi, et secundum hunc S. C. M. summo veroque studio dicto audientes esse, ut certe non solum huic Caesari nostro Clementissimo, quem post Deum in terris supremum rerum moderatorem colimus, per omnia obtemperare, sed quibuslibet etiam principibus et proceribus, ac Christianis universis, nos morigeros et officiosos praestare ex animo cupimus. Id quod tandem Deus, quantaslibet nunc calumniarum nebulas filij tenebrarum offundant, orbi etiam patefaciet, utque solet, sicut veritatem suam, ita nostram quoque innocentiam in lucem proferet. Cui ad hoc ipsum hac Confessionis, Apologiaeque nostrae aeditione servire voluimus, neminem vero inhumanius attingere, nedum aspergere convicijs, quamlibet ipsi a Confutatoribus immanibus calumnijs et convicijs proscissi atque dilacerati simus. Memores enim cuius caussam agimus, Apologiam nostram minime dentatam esse curavimus. Veritate namque hisce in rebus, non convicijs, victoria constat. Tum etiam nostrum est, eius quae in nobis est spei, rationem reddere cum mansuetudine, et timore, ut D. Petrus docuit. Haec vero aeditio si cui intempestiva videbitur, hunc precamur, de hoc pronunciare tantisper differat, donec lecta Apologia nostra, cognoverit, quibus modis non nos, id enim poterat utcunque ferri, sed ipsa sacrosancta Christi dogmata Confutatores illi petierint, tractarintque. Scimus profecto neminem esse, cui religio cordi est, cuique adest spiritus Christi, qui ut cognoverit, quemadmodum illi in veritatem debacchati sunt, non imminutae maiestatis Dei, teneri nos affirmaturus fuerit, si ad tantam, tamque immanem criminationem tacuissemus. Christus veritas ipsa, et pax nostra, donet, ut in ipso, profligato omni errore impietateque certam eius religionem amplexi, unum evadamus, perpetua felicique inter nos concordia victuri. Amen.

Apologia huius confessionis.

Digitized by Google

## CONFESSIONIS CAPITA.

Exordium, in quo exponitur qua ratione, quaque spe confessio exhibita sit.

De materia concionum. Cap. I.
De sacrosancta Trinitate, mysterioque incarnati Christi. Cap. II.
De iustificatione et fide. Cap. III.
De bonis operibus ex fide per dilectionem provenientibus. Cap. IV.
Cui bona opera adscribenda et quam necessaria. Cap. V.
De Christiani hominis officijs. Cap. VI.
De precibus atque ieiunijs. Cap. VII.
De ieiuniorum praeceptis. Cap. VIII.
De delectu ciborum. Cap. IX.
Nullum esse quaerendum in precibus et ieiunijs meritum. Cap. X.
Unum Deum invocandum per Christum. Cap. XI.
De Monachatu. Cap. XII.
De officio, dignitate, et potestate ministrorum in Ecclesia. Cap. XIII.
De traditionibus humanis. Cap. XIV.
De Ecclesia. Cap. XV.
De Sacramentis. Cap. XVI.
De Baptismo. Cap. XVII.
De Eucharistia. Cap. XVIII.
De Missa. Cap. XIX.
De Confessione. Cap. XX.
De cantionibus et precibus ecclesiasticorum. Cap. XXI.
De statuis et imaginibus. Cap. XXII.
De Magistratibus. Cap. XXIII.
Peroratio in qua petitur Concilium, et ratio componendi huius dissidij exponitur.

---

# CONFESSIO QUATUOR CIVITATUM,

Argentorati, Constantiae, Memmingae, et Lindaviae, qua Sacratissimae Caesareae Maiestati, Fidem suam in Comitijs Augustanis exposuerunt.

## EXORDIUM.

Iussit Sacratissima Maiestas tua, Potentissime simul ac Clementissime Caesar, ut ordines, statusque sacri Imperij,

Digitized by Google

quantum cuiusque intersit, et quisque ad tranquillandam ecclesiam Christi facturum speraverit, suam de religione, pariter et erroribus ac vitijs, quae contra illam irrepserunt sententiam, in literas utraque lingua, Latina et Germana, relatam sibi offerat, sic discutiendam, examinandamque, quo illa viam et rationem commodius inveniat, synceram Christi doctrinam, in suum locum restituendi, erroribus universis abolitis. Huic iussioni natae ex consilio, non tam religioso, rebusque ecclesiae profuturo, quam incomparabilem illam clementiam, atque humanitatem, qua se Sacratissima Maiestas tua, toti iam orbi amabilem reddidit, resipienti atque exhibenti, morem gerere, ut par est, gestimus. Nam aliud nihil hisce in rebus unquam quaesivimus, quam ut abrogatis, quae sacrosantis Evangelijs, Christique praeceptis adversantur, cum nobis, tum alijs omnibus, qui Christo nomen dederunt, puram eius doctrinam, quae sola vivifica est, sectari liceat. Proinde precamur, et quam supplicissime Sacratissimam Maiestatem tuam rogamus, eo in nos animo, quae adferemus ad reddendam eius quae in nobis est spei rationem, audire et expendere dignetur, ut de quibus nihil addubitet, id nobis ante omnia in votis esse, unicumque spectari, quo primum Deo conditori nostro, et reparatori Christo, deinde tuae quoque Sacratissimae Maiestati gratificemur, dictoque audientes nos praestemus, nec alio consilio aut spe, doctrinam a vulgari usu nonnihil variantem, amplexos esse, quam quod persuasi, sic a nobis exigere eum qui nos finxit ac refinxit, polliciti nobis quoque simus, idque propter illam eximiam laudem, qua iam pridem apud nos, religionis, pietatis et iustitiae nominibus, mirum in modum celebraris, fore tandem, ut veritatem de omnibus quae nos dudum nomine doctrinae Christi, synceriorisque religionis recepimus edocta, instututum nostrum plane probes, interque eos nos numeres, qui optima sibi fide obtemperare studuerunt. Neque enim patiebatur cantatissimum illud Sacratissimae Maiestatis tuae in veritatem et aequitatem studium, tum ardens illa in Deum pietas, vel suspicari te, nobis nondum auditis, quicquam praeiudicati contra nos allaturum, minusve benevole et attente auditurum, vel cum nos audisses, nostraque religiosa tecum expensione librasses, non statim adflante suum spiritum Deo, quo ille alijs in rebus Sacratissimam Maiestatem tuam duxit tam facileiter, animadversurum, ipsissima nos Christi dogmata esse sequutos.

## DE MATERIA CONCIONUM. CAP. I.

Primum igitur cum hinc ferme decennio, Christi doctrina, singulari Dei beneficio paulo certius et luculentiu

Digitized by Google

quam antea, passim per Germaniam tractari coepisset, et hinc ut alibi, ita et apud nos, pleraque religionis nostrae dogmata inter eruditos, et eos maxime, qui docendi Christum in ecclesijs locum obtinebant, publicitus iam, et indies gravius controverterentur, indeque ut necesse erat, Satana videlicet suum quoque negocium, agente, vulgus pugnantibus concionibus admodum periculose scinderetur, consyderantes quod Divus Paulus scribit, Scripturam divinitus inspiratam, utilem esse ad docendum, ad hoc, ut ubi peccatum sit, deprehendatur, ut corrigatur, ut iustitia quisque formetur, quo Dei homo absolutus evadat, iam ad omne opus bonum appositus, urgente etiam nos, omnemque moram rescindente, cum metu numinis, tum certo Reipublicae nostrae periculo, tandem mandavimus ijs, qui concionandi apud nos munere fungebantur, ut nihil aliud quam quae sacris literis aut continentur, aut certe nituntur, e suggestu docerent. Videbatur namque nobis haud indignum, eo in illo tanto discrimine confugere, quo confugerunt olim et semper, non solum sanctissimi Patres, Episcopi, et Principes, sed quilibet etiam privati, nempe ad authoritatem scripturae arcanae. Ad quam nobiliores Thessalonicensium auditum Christi Evangelium explorasse, Divus Lucas cum laude illorum memorat, in qua Paulus summo studio versari suum Timotheum voluit, sine cuius authoritate, nulli Pontifices suis decretis obedientiam, nulli patres suis scriptis fidem, nulli denique Principes suis legibus authoritatem unquam postularunt, ex qua demum ducendas sacras conciones, et magnum Sacri Imperij concilium Nurembergae, anno Christi M. D. XXIII. celebratum sancivit. Si enim verum Divus Paulus testatus est, per divinam scripturam hominem Dei penitus absolvi, atque ad omne opus bonum instrui, nihil poterit is veritatis Christianae, nihil doctrinae salutaris desyderare, scripturam qui consulere religiose studeat.

## DE SACROSANCTA TRINITATE, MYSTERIOQUE INCARNATI CHRISTI. CAP. II.

Ex hac igitur cum sacrae apud nos conciones ducerentur, ablegatis perniciosis contentionibus, ij mox quibus aliquod pietatis studium erat, Christi doctrinam et certius consequuti sunt, et vita exprimere ferventius coeperunt, sicut revocati ab ijs, quae dogmatis Christi male assuta sunt, ita in ijs confirmati, quae illis existunt consentanea. Inter quae illa sunt, quae Christi ecclesia de sacrosancta triade hactenus credidit, nempe unum esse substantia Deum, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, nec ullum quam personarum discrimen recipere. Servatorem quoque nostrum Iesum Christum, eun-

Digitized by Google

dem verum Deum, etiam verum hominem factum, naturis quidem impermixtis, at ita in eadem persona unitis, ut in omnia secula nunquam rursus solvantur. Nec in ijs quicquam variarunt, quae ecclesia ex sacrosanctis Evangelijs docta, credit de servatore nostro Iesu Christo, ex spiritu sancto concepto, dein ex diva virgine Maria nato, demumque postquam evangelizandi munere defunctus erat, in cruce mortuo, ac sepulto, quique ad inferna descendit, et a mortuis tertio die in immortalem vitam revocatus, cumque hanc destinatis ad hoc testibus, varijs argumentis comprobasset, in coelos ad dexteram patris evectus est, unde eum expectamus iudicem vivorum et mortuorum. Interim agnoscimus eum nihilominus ecclesiae suae, usque ad consummationem seculi praesentem, hanc instaurare, sanctificare, et tanquam unice dilectam sponsam, omnigenis virtutum decoris exornare. In his quoniam nihil a patribus, nihil a communi Christianorum consensu variamus, satis fore credimus, hunc in modum nos fidem nostram esse testatos.

## DE IUSTIFICATIONE ET FIDE. CAP. III.

Circa ea autem, quae de ratione, qua redemptionis per Christum factae, participes reddimur, doceri vulgo solent, deque officijs hominis Christiani, variare nonnihil a receptis pridem dogmatis, nostri coeperunt. In his quae nos secuti sumus, Sacratissimae Maiestati tuae quam simplicissime exponere, et simul ea scripturae loca, quibus huc compulsi sumus, bona fide indicare studebimus. Primum igitur cum iam aliquot annis, ad iustificationem hominis, requiri propria eius opera traditum sit, nostri hanc totam divinae benevolentiae, Christique merito acceptam referendam, solaque fide percipi docuerunt. Quo inter caetera scripturae loca, haec illos moverunt: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, aut voluntate carnis, aut voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, Ioh. cap. 1. Amen, amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex integro, non potest videre regnum Dei. Iohan. 3. Nemo novit filium nisi pater, et cui voluerit filius revelare. Matt. 11. Beatus es Simon Bar-Iona, caro et sanguis non revelavit tibi. Matth. 16. Nemo potest ad me venire, nisi pater meus traxerit eum. Iohan. 6. Gratia servati estis per fidem, et id non ex vobis, Dei istud donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Ipsius enim sumus figmentum conditi in Christo Iesu ad bona opera, quae praeparavit Deus, ut in eis ambulemus, Eph. 2. Etenim cum nostra iustitia, et vita aeterna, sit Deum, et servatorem nostrum Iesum Christum agnovisse, et

Digitized by Google

id adeo carnis et sanguinis opus esse nequeat, ut renasci ad hoc de integro oporteat, nec possimus ad filium, nisi trahente patre pervenire, nec patrem nisi revelante filio discere, et tam diserte Paulus scripserit, non ex nobis, non ex operibus, satis liquet, nostra opera ad hoc, ut iusti ex iniustis, quales nascimur, evadamus, nihil posse conferre, quippe qui ut natura filij irae, eoque iniusti sumus, ita nihil iustum, aut Deo gratum designare valemus, sed initium omnis nostrae et iustitiae et salutis, a miserente Deo fieri oportere, qui ex sola sua dignatione, et mortis filij sui contemplatione, primum doctrinam veritatis, et Evangelium suum, missis qui illud annuncient, offert: deinde cum homo animalis, haud possit, ut Paulus inquit, percipere quae Dei sunt, 1 Corinth. 2. facit simul oriri in tenebris cordis nostri, suae lucis radium, ut iam habere annunciato Evangelio fidem, superno scilicet spiritu de eius veritate persuasi, moxque Deum, huius spiritus testimonio freti, filiali fiducia invocare, et dicere Abba pater, valeamus, salutem inde solidam consecuturi, iuxta illud: Quisquis invocaverit nomen Domini, salvus erit.

## DE BONIS OPERIBUS, EX FIDE PER DILECTIONEM PROVENIENTIBUS. CAP. IV.

Nolumus autem haec sic intelligi, quasi salutem ac iustitiam in ignavis animi cogitationibus, fideve charitate destituta, quam informem vocant, ponamus: quandoquidem certi sumus, neminem iustum aut salvum fieri posse, nisi amet summe Deum, et imitetur studiosissime. Nam quos praescivit, eosdem et praefinivit, conformes fieri imagini filij sui, sane sicut in gloria vitae beatae, ita et in cultu innocentiae consummataeque iustitiae, figmentum enim ipsius sumus, conditi ad bona opera. Atqui Deum ante omnia amare, dignoque studio aemulari, nisi qui eum plane noverit, et de quo sibi quaeque optima polliceatur, potest nemo. Iustificari ergo, hoc est, ut iusti, ita salvi evadere, iustitia enim, ipsa nostra salus est, aliter prorsus nequimus, quam si fide cum primis donemur, qua Evangelio credentes, eoque persuasi, Deum nos in filios adoptasse, paternamque benevolentiam in sempiternum nobis exhibiturum esse, toti ab ipsius nutu pendeamus. Hanc fidem vocat D. Augustinus libro de fide et operibus, evangelicam, efficacem videlicet per dilectionem. Hac demum regeneramur, et restituitur in nobis imago Dei. Hac cum perversi nati sumus, nostris cogitationibus a puero ad malum tantum pronis, evadimus boni, rectique. Nam hinc uno Deo fonte bonorum perenni, copioseque effluo, ipsi abunde saturi, mox alijs nos deos quosdam, id est, germanos Dei filios, per

Digitized by Google

dilectionem illorum commodis pro virili studentes, exhibemus. Etenim qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et ex Deo natus est, totus novo, ac simul veteri praecepto de dilectione mutua deditus. Et haec dilectio, totius legis impletio est, dicente Paulo: Tota lex in uno verbo completur, nempe hoc: Diliges proximum tuum ut teipsum, Gal. 5. Nam quicquid lex Dei tradit, huc spectat, hoc unum requirit, ut tandem ad Dei imaginem solidam reformemur, per omnia boni, usibusque hominum et expositi, et accommodati, id quod plane fieri nequit, nisi simul omni virtutum genere simus ornati. Quis enim ad veram ecclesiae aedificationem omniumque solidam utilitatem, hoc est, iuxta legem Dei, et in gloriam Dei omnia instituat et perficiat, id quod est munus Christiani. 1 Cor. 10. nisi ordine et recte singula, et cogitet, et dicat, et gerat, habeatque ideo universum virtutum chorum plane domesticum.

## CUI BONA OPERA ADSCRIBENDA, ET QUAM NECESSARIA. CAP. V.

Atvero cum spiritu Christi aguntur, qui filij Dei sunt, potius quam agant, Rom. 8. et ex illo, et per illum, et in illum sunt omnia, Rom. 11. non debent alij quam huic ipsi spiritui omnium virtutum largitori uni transcribi, quaecunque pie, recteque gesserimus. Utcunque ille nos nequaquam cogat, verum ducat volentes, efficiens nimirum in nobis, et velle, et operari. Phil. 2. Unde scite Divus Augustinus scripsit, sua in nobis Deum opera remunerare. His bona opera, tam non reijcimus, ut prorsus negemus quenquam plene posse salvum fieri, nisi huc per spiritum Christi evaserit, ut nihil iam bonorum operum in eo desyderetur, ad quae quidem Deus illum condidit. Sumus enim diversa eiusdem corporis membra, unde nec eadem singuli officia habemus. 1 Corinth. 12. Legem siquidem impleri adeo necesse est, ut coelum et terra citius transitura sint, quam possit ex illa iota unum, vel minimus apiculus remitti. Quia tamen Deus solus bonus est, et ex nihilo omnia condidit, nosque spiritu suo penitus novos facit, agitque totos, in Christo enim non nisi nova creatura valet, nihil potest horum adscribi viribus humanis, faterique oportet, omnia esse Dei nobis ultro, nec ullo nostro merito faventis, et benevoli mera dona. Ex his iam cognosci abunde potest, quid credamus iustificationem esse, per quem nobis contingere, quaque demum ratione a nobis percipi, tum quibusnam scripturis, ut ita credamus, simus adducti. Tametsi enim ex plurimis paucas citavimus, ex his paucis tamen, cuivis vel mediocriter in scripturis versato, satis superque manifestum est, huius ge-

Lib. Arbitrium.

Digitized by Google

neris sententias, quibus nobis nihil nisi peccatum et perditio, ut Hosea inquit, Domino autem omnis nostra et iustitia et salus tribuitur, legentibus illas passim occurrere.

## DE CHRISTIANI HOMINIS OFFICIIS. CAP. VI.

Iam et illud obscurum esse haud poterit, quaenam sint Christiani hominis officia, quibusque actionibus potissimum intentum esse conveniat. Hisce nempe omnibus, quibus proximis suis, quisque pro se commodare queat. Primum quidem ad vitam aeternam, ut et illi cognoscere, colere, et revereri Deum incipiant, dein etiam ad praesentem, ne quid desyderent rerum, quas corporis quoque necessitas poscit. Quemadmodum enim universa lex Dei, quae totius iustitiae absolutissima praeceptio est, in hoc uno dicto, Diliges proximum tuum sicut teipsum, summatur Ro. 13. ita in huiusmodi dilectionis praestatione, omnem summari et absolvi iustitiam necesse est. Unde inter Christiani hominis munera, nihil omnino numerandum est, quod non momentum aliquod, rationibus proximi adferat, et hoc sane amplius quodque opus ex officio Christiani fuerit, quo plus ex eo utilitatis ad proximos pervenerit. Ea propter, post functiones ecclesiasticas, inter praecipua Christiani hominis officia ponimus, administrationem Reipub. administrantibus eam esse morigeros, nam haec ad publicam utilitatem referunt, curam quae impenditur uxori, liberis, atque familiae, honorem qui exhibetur parentibus, quod sine his vita hominum consistere nequeat, bonarum denique artium, omniumque honestarum disciplinarum professiones, quo absque harum cultu maximis, et humano generi proprijs bonis destitui necesse sit. In his tamen, et quibusvis alijs humanae vitae munijs, nihil cuiquam temere arripiendum est, sed religiose videndum, quo vocet Deus. Id demum cuiusque officium fuerit, hoc autem praestabilius, quo maiorem hominibus commoditatem attulerit.

## DE PRECIBUS ATQUE IEIUNIIS. CAP. VII.

Precationes vero et religiosa ieiunia, actiones nihilominus sanctissimas, quaeque Christianos plurimum deceant, habemus, ad quas Ecclesiastae nostri diligentissime auditores suos inhortantur. Verum namque ieiunium, quasi quaedam vitae praesentis, et malis cupiditatibus semper obnoxiae, abdicatio, et futurae, perturbationumque liberae, meditatio est. Precatio autem, animi in Deum subvectio, taleque cum illo colloquium, ut nulla alia res, coelestibus affectibus tantopere incendat, et ad Dei voluntatem mentem potentius conformet. Quamlibet autem sanctae, et Christianis necessariae istae

Quid ieiunium et precatio.

Digitized by Google

functiones sunt, cum tamen illis non tam servitur proximo, quam paratur homo ut cum fructu servire proximo queat, sanctae doctrinae, pijsque hortamentis, et monitionibus, tum etiam alijs officijs, a quibus statim proximus aliquid percipit commodi, praeferendae non sunt. Unde de servatore legimus, quod noctu precationi, die autem doctri-
1 Cor. 13. nae et sanandis aegrotis, operam dederit. Ut enim dilectio fide et spe maior est, ita quae proxime hanc referunt, certam nimirum hominibus utilitatem adferentia, cunctis alijs sacris functionibus, anteponenda credimus. Unde D. Chry-
Mat. hom. 48. sostomus scripsit, ieiunium in choro virtutum, ultimum locum sortiri.

## DE IEIUNIORUM PRAECEPTIS. CAP. VIII.

Atvero quoniam rite atque cum fructu, vel precari, vel ieiunare, nullae nisi ardentiores, et superno afflatu peculiariter incitatae mentes, possunt, credimus praestare exemplo Apostolorum ac superioris puriorisque ecclesiae, sanctis exhortationibus ad haec invitare, quam ea extorquere praeceptis, ijs praesertim, quae peccatis obligant, id quod sibi permiserunt posteriores, cum iam ordo sacerdotum haud parum degenerasset. Sic et locum, tempus, modum, tum precandi, tum ieiunandi, malumus sancto spiritui, sine quo rite nec precari, nec ieiunare quisquam potest, arbitranda relinquere, quam certis praescribere legibus, maxime quas sine piaculo transgredi non liceat. Propter iuniores tamen et imperfectiores, certum ad precandum et ieiunandum tempus, modumque constitui, quo ad haec velut sanctis progymnasmatis praeparentur, nostri haudquaquam improbant, si modo id fiat citra obstrictionem conscientiae. In hanc vero sententiam, praeterquam quod cum natura harum actionum, omnis ingrata compulsio pugnet, id nos deduxit, quod nec Christus ipse, nec Apostoli, huiuscemodi praeceptorum usquam memi-
Mat. hom. 48. nerunt. Quod et D. Chrysostomus testatur: Vides inquit, quia vita recta, magis omnibus caeteris iuvat. Rectam autem vitam appello, non ieiunandi laborem, nec cilicij aut cineris lectulum, sed si pecuniam non aliter quam oporteat, despicias, si charitate ardeas, famescentes pane tuo nutrias, si superior ira sis, si gloriam inanem non concupiscas, si
Christus non iubet 40. dies ieiunare. invidia non detinearis. Haec enim ipsius documenta sunt. Etenim non dicit ieiunium suum iste imitandum, quamvis quadraginta illos dies possit proponere, sed discite a me, quoniam mitis sum et humilis corde. Imo vero contra, omne, inquit, quod apponitur vobis edite. Sed nec veteri populo ullum solemne et statum, praeter unius diei ieiunium, indictum legimus. Nam quae a Prophetis et regibus instituta scriptura testatur, constat non fuisse stata, sed suo tantum

Digitized by Google

tempore indicta, cum id certae scilicet calamitates, vel imminentes, vel iam prementes, poscerent. Quandoquidem igitur scriptura, ut D. Paulus diserte affirmat, omni bono opere instruit, ignorat autem haec praeceptis extorta ieiunia, non videmus, qui Apostolorum successoribus licere potuerit, tanto ecclesiam tamque periculoso onere gravare. Certe Irenaeus testatur, olim variam et liberam fuisse ieiuniorum apud Ecclesias observationem, uti legitur lib. Ecclesiast. hist. octavo, cap. 14. In eodem libro meminit Eusebius, quendam Apollonium scriptorem ecclesiasticum inter caetera, etiam hoc argumento Montani haeretici doctrinam confutasse, quod primus ieiuniorum leges imposuerit. Adeo putabat istuc sanam Christi doctrinam profitentibus indignum. Inde Chrysostomus alicubi ait: Honestum ieiunium, sed nemo cogatur: Et alibi non potentem ieiunare hortatur, ut abstineat a delitijs, idque affirmat haud magno a ieiunio intervallo distare, validumque esse telum ad reprimendum furorem diaboli. Ad haec, ipsa quoque experientia plus nimio comprobat, ita ieiuniorum praecepta pietati plurimum obfuisse. Ut igitur satis constare nobis visum est, proceres ecclesiae hanc potestatem, ieiunia sic indicendi, ut peccati conscientias obstringeret, praeter scripturae authoritatem sumpsisse, ita solvi conscientias hisce laqueis permisimus, sed per scripturas, maxime autem Paulinas, quae haec mundi elementa a Christianorum cervicibus singulari studio submovent. Neque enim leve apud nos momentum, habere debuit illud Pauli: Ne quis igitur vos iudi- Col. 2.
cet de cibo aut potu, aut delectu diei festi, aut novilunij, aut sabbathorum. Et rursus: Itaque si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid tamquam viventes decretis tenemini? Si etenim D. Paulus, quo nemo unquam Christum certius docuit, in eam nos libertatem rerum externarum, per Christum adsertos contendit, ut non modo nulli creaturae ius permittat, eos, qui Christo credunt, vel illis quidem ritibus et observationibus, gravandi, quos tamen Deus ipse instituit, et suo tempore prodesse quoque voluit, sed etiam denunciat a Christo excidisse, factumque eis Christum otiosum, qui se his addici patiantur, quid iam putamus sentiendum sit de praeceptionibus, quas non solum citra omne oraculum, verum etiam absque ullo imitabili exemplo, ex se homines commenti sunt, quaeque ideo non egena tantum et infirma, sed noxia etiam, non elementa, hoc est, sacrae disciplinae rudimenta, sed omnis verae pietatis impedimenta plurimis fuere? Quanto iniustius erit, quenquam sibi hanc potestatem in Christi clerum sumere, ut huiusmodi eum servitute premat, quantumque a Christo nos remotiores fecerit, si illis nos subiecerimus? Quis enim non videat gloriam Christi, cui nos decet totos vivere, quos ille sibi, idque sanguine

Digitized by Google

suo, totos redemit, vindicavitque, plus obscurari, si praeter eius authoritatem, ijs legibus conscientiam nostram obstringimus, quae inventa hominum sunt, quam quae authorem habent Deum, etiamsi suo duntaxat tempore servandae? Minus profecto est iudaizare, quam ethnizare. Ethnicorum autem est, leges colendi Deum recipere, quae inconsulto Deo, ex humano tantum ingenio profectae sunt. Quare si uspiam alibi, hic
1 Cor. 7. certe locum habet illud D. Pauli: Empti estis precio magno, nolite fieri servi hominum.

## DE DELECTU CIBORUM. CAP. IX.

Hac eadem de caussa, remissus est et delectus ille ciborum in certos dies indictus, quem D. Paulus doctrinae daemoniorum attribuit, scribens Timotheo. Nec firmum est, quod haec quidam in solos Manichaeos, Encratitas, Tatianos, et Marcionitas dicta contendunt, qui in totum aliquibus ciborum generibus, et nuptijs interdixerunt. Apostolus damnavit hoc loco eos, qui iubent abstinere a cibis, quos Deus creavit ad sumendum etc. Iam qui etiam in certos duntaxat dies cibos aliquos sumere prohibent, ij iubent nihilominus abstinere a cibis, quos Deus creavit ad sumendum, daemoniorumque doctrinae affines existunt, id quod ex caussa quoque liquet, quam Apostolus subiecit, Nam quicquid, inquit, creavit Deus, bonum est, et nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione sumitur. Nulla siquidem tempora excipit, quamvis frugalitati, temperantiae, ac etiam selectis carnis castigationibus, iustisque ieiuniis nemo illo impensius faverit. Servanda sane est Christiano frugalitas, sed iugis, castiganda nonnunquam caro, imminuto solito dimenso, sed ad id ciborum vilitas, modusque potius, quam species aliquid conferet. Iustum denique ieiunium, identidem suscipere Christianos convenit, sed quod non certorum, verum omnium ciborum, nec horum tantum, sed simul deliciarum vitae huius quarumlibet, abstinentia sit. Quale enim hoc ieiunium, quae abstinentia, speciem tantum mutare lautitiarum, id quod etiam qui hodie religiosiores habentur, solent, cum D. Chrysostomus non agnoscat esse ieiunium, si in totum etiam sine cibis, et ad vesperam usque permaneamus, nisi cum abstinentia ciborum, a noxijs quoque continentiam exhibeamus, et circa spiritualium rerum studium, multum ocij impendamus?

## NULLUM ESSE QUAERENDUM IN PRECIBUS ET IEIUNIIS MERITUM. CAP. X.

Deinde et hoc ecclesiastae nostri circa ieiunia et preces emendandum docuerunt, quod vulgo homines doceri so-

Digitized by Google

lent, nescio quid meriti et iustificationis, hisce sibi actionibus quaerere. Gratia enim per fidem sicut salvi, ita et iusti reddimur. Et de operibus legis, inter quae et preces et ieiunia numerantur, sic scripsit Paulus: Christus vobis factus est ociosus, quicunque per legem iustificamini, a gratia excidistis. Nos enim spiritu et fide, spem iustitiae expectamus. Precandum igitur est, sed ut a Deo accipiamus, non ut illi hinc quicquam conferamus. Ieiunandum ut precemur expeditius, carnemque in officio contineamus, non ut apud Deum aliquid nobis mereamur. Hunc solum finem, usumque precum et ieiuniorum, et scriptura, et Patrum cum scripta tum exempla praescribunt. Ad haec sic res nostrae habent, ut si etiam tanta cum religione precari et ieiunare possemus, demum omnia quaecunque Deus nobis iniunxit, perficere, ut amplius nihil a nobis requiri posset, quod hactenus nemo mortalium unquam praestitit, adhuc tamen fateri oporteret, nos servos esse inutiles. Quid igitur nobis meriti fingemus? Gal. 5.

## UNUM DEUM INVOCANDUM PER CHRISTUM. CAP. XI.

Reiectus est et alius circa haec abusus, quod quidam precibus et ieiunijs, Deiparam quoque virginem Mariam, aliosque divos sic demereri volunt, ut per eorum intercessionem et merita, cum animae, tum corporis malis liberentur, bonisque omne genus cumulentur. Docent enim nostri concionatores, unicum Patrem in coelis per Christum unicum mediatorem invocare, orareque omnia, qui ut ipse testatus est, nihil nobis denegabit, quod fide modo ipsum, et in nomine Christi oraverimus. Cum itaque Paulus unum hunc hominem Iesum Christum, Dei et hominum mediatorem praedicet, et nemo nostri amantior esse possit, nemo item apud Patrem plus valere, hortari nostri solent, hoc uno apud patrem conciliatore et intercessore satis habere. Dei autem parentem sacratissimam virginem Mariam, divosque omnes, iubent summo studio colere, sed quod tum demum praestaturi simus, cum ijs rebus, quae ipsis cum primis cordi sunt, studuerimus, nempe innocentiae et pietati, quarum illi nobis tam egregia exempla praetulerunt. Cum enim Deum ex toto corde, tota anima, omnibusque viribus Divi omnes amant, haud est quod illis gratius praestemus, quam ut pariter cum eis Deum, quam ardentissime et diligamus, et emulemur. Meritis enim suis illi, nec propriam salutem adscribunt, nedum nos per ea iuvare, unquam in animum inducunt. Singuli cum hic agerent cum Paulo dicebant: Vitam autem quam nunc vivo in carne, per fidem vivo filij 1 Tim. 2.



Digitized by Google

Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. Non aspernor gratiam Dei. Si iam ipsi gratiae Dei, et redemptioni Iesu Christi, omnia accepta retulerunt, nulla re magis eis gratificabimur, quam si et nos hisce praesidijs nitamur.

## DE MONACHATU. CAP. XII.

Eadem vero caussa, quod omnis nostra iustificatio constat fide in Iesum Christum, unde libertas nobis facta est rerum externarum omnium, monachatus quoque vincula laxari apud nos permisimus. Videbamus enim hanc a D. Paulo Christianorum libertatem ubique graviter vindicari, qua quisque pro se certus ab uno Christo Iesu domino nostro, omnem iustitiam et salutem petendam, certus etiam rebus vitae huius quibuslibet, semper sicut in utilitatem proximorum, ita in gloriam Dei utendum esse, se et sua omnia, sancto Christi spiritui, verae adoptionis et libertatis largitori, arbitranda, moderanda, et cum in usus proximorum, tum gloriae Dei illustrationem, instituenda, exhibendaque, libere permittat. Hanc cum libertatem retinemus, praestamus nos servos Christi, cum hominibus eam prodimus, ipsorum nos inventis addicentes, a Christo ad homines, velut fugitivi, deficimus. Id quod hoc magis impie facimus, quo minus nos vulgari precio Christus sui iuris fecit, qui nos sibi ab exitiabili satanae servitute sanguine suo vindicavit. Et haec caussa est, cur D. Paulus scribens Galatis, tantopere detestatus sit, quod illi ceremonijs legis, licet divinae, se addixissent, cum id tamen quod et supra ostendimus, multo excusatius esset, quam earum se iugo permittere, quas ex se cónfinxerunt homines. Scripsit enim, et ex vero, qui ceremoniarum illarum iugum admisissent, eos aspernari gratiam Dei, mortemque Christi pro nihilo habere. Et inde ait se metuere, ne frustra erga eos laboraverit, hortaturque, ut in libertate, qua eos Christus liberasset, stare velint, neque rursus iugo servitutis implicari. Iam constat, monachatum nihil aliud esse quam servitutem humanarum traditionum, et plane huiusmodi, qualem nominatim Paulus, locis quos adduximus, damnavit. Omnino enim qui monachatum profitentur, inventis illis hominum spe meritorum sese devovent. Unde tantum piaculum faciunt, ab illis se ad Christi libertatem recipere. Proinde cum tam corpus quam spiritus noster Dei sint, idque duplici
1 Cor. 6. nomine, conditionis et redemptionis, haud potest Christianis licere se monasticae isti servituti mancipare, multo minus quam servis prophanis, suos mutare dominos. Ad haec, inficiari non potest, per huiusmodi mancipationem et vota vivendi mandatis hominum, necessitatem, ut semper solet, in-

Digitized by Google

duci transgrediendi legem Dei. Lex siquidem Dei requirit, Mat. 5.
ut Christianus, magistratui, parentibus, propinquis, ac alijs quibuslibet, quos illi Deus proximos fecerit, et ei iuvandos adduxerit, pro virili inserviat, quocunque id in loco, aut tempore, modove usus illorum poposcerit. Tum illud vivendi genus amplectatur, quo rationibus proximorum praecipue consulere valeat, nec coelibatum deligat, nisi datum sit propter regnum coelorum, hoc est, caussa promovendae pietatis gloriaeque Dei, seipsum castrare, matrimonio abdicato. Nam stat edictum illud Dei per Paulum promulgatum, quod nulla hominum vota possunt reddere iritum: Propter stupra vitanda, quisque (neminem excipit) suam uxorem habeat, et unaquaeque suum maritum. Neque enim capiunt omnes verbum illud, de coelibatu propter regnum coelorum suscipiendo, ut testatur Christus ipse, quo nemo, vel quid valeat ingenium humanum, vel quid placeat Patri, et novit certius, et tradidit fide meliore. Iam palam est votis illis monasticis, certo hominum generi sic mancipari eos, qui illa suscipiunt, ut iam nec magistratui, nec parentibus, nec ullis hominibus (uno coenobiarcha excepto) morigeros et officiosos se praestare, aut facultatibus suis subvenire liceat, minus omnium vero uxorem ducere, etiamsi quam maxime urantur, et ideo in quaevis vitae dedecora, necessario prolabantur. Cum itaque perspicuum sit, vota ista monastica hominem servitute Christi solutum, servituti non tam hominum, quam Satanae obnoxium facere, transgrediendique legem Dei necessitatem quandam, uti omnium humanarum traditionum natura est, inferre, ac ideo aperte cum iussis Dei pugnare, merito credimus ea irritanda esse, quando non scripta solum, sed et naturae lex rescindendam fidem iubeat, si servata bonis moribus officiat, nedum religioni. Proinde nemini obsistere potuimus, qui vitam monasticam, indubitatam iam Satanae servitutem, cum Christiana mutare voluisset. Sicut nec alijs ex ordine ecclesiastico, qui ductis uxoribus, genus vitae amplexi sunt, a quo proximis plus commodi, maiorque vitae honestas, quam ab eo in quo erant, expectari potest. Denique nec eos qui apud nos, in verbi Dei ministerio, perseverarunt, arcere a iure coniugii, quicquid castitatis voverint, ob memoratas caussas, nobis permisimus, cum divus Paulus praecipuus verae castitatis assertor, Episcopum quoque recipiat maritum. Iure etenim omnibus humanis legibus, hanc unam divinam, propter stupra vitanda, unusquisque suam habeat uxorem etc. anteposuimus. Quae certe lex, quod reiecta tamdiu fuit, omnia, quamvis infanda libidinis genera (honos sit auribus S. M. tuae optime Caesar) nimis quam horrende in ordinem ecclesiasticum inundarunt, adeo, ut nullum sit hodie mortalium genus, hoc nomine magis abominabile.



Digitized by Google

## DE OFFICIO, DIGNITATE, ET POTESTATE MINISTRORUM IN ECCLESIA. CAP. XIII.

De ministerio et dignitate ordinis ecclesiastici docetur apud nos, primum, non esse in Ecclesia potestatem nisi ad
2 Cor. 12. aedificationem. Deinde neminem huius ordinis aliter debere aestimari, quam Paulus se, Petrum, Apollo et similes aestimari voluit, nimirum ut Christi ministros, et oeconomos mysteriorum Dei, a quibus hoc praecipue requiri conveniat, ut fidus quisque reperiatur. Hi claves habent regni coelorum, ligandi et solvendi, peccata remittendi et retinendi potestatem, sic tamen, ut nihil nisi Christi ministri sint, cuius hoc ius solius et proprium est. Ut enim unus est qui potest innovare animos, ita solus quoque est, qui sua virtute coelos hominibus reserat, peccatisque solvit. Quod utrunque nobis tum demum contingit, cum datur animis innovari, habereque iam nostrum πολίτευμα in coelis. Ministrorum partes sunt, verbo plan-
1 Cor. 3. tare et rigare, quod utrunque per se nihil efficit, qui incrementum dat, Deus est. Ex se enim nemo idoneus est quicquam huiusmodi cogitare, tanquam ex se. Verum quod idoneus quis ad haec fuerit, id ex Deo est, qui quos vult facit ministros novi foederis, ut homines de Christo rite persuasos, huius vere participes reddant, nec mortuam literam, hoc est, doctrinam quae foris tantum perstrepit, animum vero non immutat, sed spiritum simul vivificantem, corque renovantem, administrent. Et sic demum cooperarij Dei sunt,
2 Cor. 3. coelum vere aperiunt, peccata remittunt. Hinc est quod Christus, cum hanc potestatem Apostolis traderet, flavit in eos, dixitque: Accipite spiritum sanctum: et tum quidem subiecit, Quorumcunque remiseritis peccata illis remittuntur. Esse itaque missos divinitus, (quomodo enim praedicabunt, nisi
Rom. 10. mittantur) hoc est, facultatem et animum annunciandi Evangelij, pascendique gregem Christi, tum cooperantem, hoc est, persuadentem cordibus, spiritum accepisse, id demum idoneos riteque unctos Ecclesiae ministros, Episcopos, Doctores et
1 Tim. 3. pastores constituit. Reliquae virtutes, quibus huius ordinis
Tit. 1. homines ornatos esse addecet, enumerat D. Paulus. Ad hunc itaque modum, qui missi, uncti, ornatique sedulam gregis dominici gesserint curam, et pascendo illum bona fide laboraverint, episcoporum, presbyterorum, et pastorum numero habendos, duplicique honore dignos agnoscimus, quorumque iussa, quivis Christianus, summa promptitudine capessere debeat. Qui autem diversis rebus dediti sunt, diverso item ipsi se loco collocant, et nomine insigniunt. Nullius tamen vita sic offendere debet, ut si e Mose, vel Christi cathedra, hoc est, ex lege vel Evangelio quid dixerit, id amplectendum sibi Christiani dubitent. Aliena vero si

Digitized by Google

qui adferant, est ovium Christi, talium vocem non audire. Ioan. 10.
In prophanis autem rebus qui potestatem acceperunt, ut a Deo illa ordinata est, ita Dei ordinationi resisteret, qui his nollet esse dicto audiens, in ijs rebus quae cum iussis Dei non pugnant. Calumnia igitur est, quod nostros quidam criminantur, ecclesiasticorum iurisdictionem labefactare. Quam enim hi temporariam habent, ea nunquam per nostros impedita est. Spiritualem vero, qua verbo Dei conscientias expedire, et Evangelio Christi fideliter pascere debent, saepe imploraverunt, tam abest ut ei unquam restitissent. Quod autem ecclesiastarum quorundam doctrinam non sustinuimus, et pro nostra necessitate alios in horum locum substituimus, aut certe per episcoporum praefectos exautoratos retinuimus, in caussa fuit, quod hi, pastoris nostri vocem pure annunciarunt, illi autem, alienorum. Etenim cum ventum est ad negocium Evangelij et doctrinae sanae, converti totos oportet ad episcopum animarum nostrarum Iesum Christum, et alienorum vocem neutiquam admittere, quicunque Christo vere credimus. In eo nemini fieri iniuria potest, siquidem vera sunt illa Pauli: Omnia namque vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura. Omnia namque vestra sunt, vos au- 1 Cor. 3.
tem Christi, Christus vero Dei. Certe si Petrus et Paulus cum toto mundo hactenus nostri sunt, nos vero haudquaquam illorum, sed Christi, et quidem sicut ille patris, nempe ut ipsi uni vivamus quanti sumus, in hoc quibuslibet tanquam nostris utentes, nemo sane ecclesiasticorum iure de nobis, quasi parum ipsi obtemperemus, queri poterit, dum constiterit Dei nos voluntatem sequi. Haec apud nos de officio, dignitate et authoritate ministrorum ecclesiae docentur, quibus ut fidem haberemus, loca scripturae quae adduximus, et his similia nos persuaserunt.

## DE TRADITIONIBUS HUMANIS. CAP. XIV.

Porro de traditionibus patrum, quasve hodie episcopi et ecclesiae sanciunt, sic habet nostrorum sententia. Nullas traditiones inter humanas, eas quidem, quae in scripturis damnantur, numerant, nisi quae cum lege Dei pugnant, quales sunt, quae de cibe, potu, tempore, alijsque rebus externis, conscientiam obstringunt, quae matrimonio, ijs quibus illo ad honeste vivendum opus est, interdicunt, et huius farinae reliqua. Nam quae cum scriptura consonant, et ad bonos mores, utilitatemque hominum institutae sunt, tametsi in scripturis ad verbum expressae non sint, nihilominus cum ex praecepto dilectionis, quae omnia quam decentissime instituit, dimanant, divinae potius quam humanae, merito ha-

Digitized by Google

1 Cor. 11. bentur. Huius ordinis erant illa Pauli, ne mulieres apertis capitibus, viri obvelatis orarent in Ecclesia, ut communicaturi se invicem expectarent. Ne quis linguis in coetu loqueretur sine interprete, ut Prophetae citra confusionem, prophetias suas in medium adferrent, a sedentibus dijudican-
1 Cor. 14. dis. Tales multas sane ecclesia hodie iure observat, et pro occasione quoque condit novas, quas qui reiecerit, is non hominum, sed Dei, cuius traditio est, quaecunque utilis est, authoritatem contemnit. Quicquid enim verum, vel dicitur, vel scribitur, illo donante dicitur et scribitur, qui est ipsa veritas, ut divus Augustinus pie scripsit. De eo autem saepe disputari solet, quae traditio prosit, quae secus, hoc est, quae pietatem promoveat, quae remoretur. Sed qui nihil sui quaesierit, atque utilitati publicae se penitus consecraverit, is nullo negocio videbit, quaenam legi Dei respondeant, quae minus. Porro cum Christianorum res sic habeant, ut et iniurijs iuventur, ne iniquis quidem legibus, contabitur parere Christianus, modo nihil iubeant impium, iuxta illud Christi: Si quis te adegerit ad miliarium unum, ito cum eo duo. Sic certe Christianus omnia omnibus fieri debet, ut nihil non in gratiam et usum hominum, et pati et facere studeat, quod modo Dei iussis non adversetur. Hinc fit, ut civilibus legibus, quae cum pietate non pugnant, eo quisque pareat promptius, quo fide Christi fuerit imbutus plenius.

## DE ECCLESIA. CAP. XV.

Iam quid de Ecclesia et sacramentis sentiamus, exponendum. Ecclesia itaque Christi, quae subinde regnum coelorum appellatur, est eorum societas, qui Christo nomen dederunt, fideique eius se totos commiserunt, quibus tamen ad finem usque mundi admixti erunt, qui fidem Christi simulant,
Mat. 13. non vere habent. Id Dominus abunde docuit parabola zizaniorum. Item rhetis quod in mare iactum, putres cum bonis pisces attrahit. Tum parabola regis, qui ad nuptias filij sui
Mat. 22. quoslibet vocari, et postea carentem veste nuptiali eijci rursus nihilominus iubet. Porro cum Ecclesia sponsa Christi
Ephe. 5. praedicatur, pro qua ille semetipsum exposuit, ut sanctificaret eam. Item cum domus Dei, columna et stabilimentum veritatis, Mons Sion, Civitas Dei viventis, Hierusalem coelestis, Ecclesia primogenitorum, qui conscripti sunt in coe-
1 Tim. 3. lis. Hae laudes, ijs tantum competunt, qui quod solide in
Hebr. 12. Christum credunt, vere locum inter filios Dei nacti sunt. In his cum vere regnet servator, proprie eius Ecclesia et sanctorum *κοινωνία* i. e. societas, ut in symbolo Apostolorum vocabulum Ecclesiae expositum est, nominantur. Hanc regit Spiritus sanctus, huic Christus nunquam abest, sed

Digitized by Google

sanctificat, ut eam sibi tandem exhibeat, non habentem maculam aut rugam. Hanc denique qui audire non sustinuerit, ut Ethnicus habendus est atque publicanus. Haec quanquam id, unde habet quod vere Ecclesia Christi sit, nempe fides in Christum, videri nequeat, ipsa videri tamen, planeque ex fructibus cognosci potest. Horum fructuum praecipui sunt animosa veritatis confessio, syncera omnibusque exposita dilectio, et fortis rerum omnium prae Christo contemptus. Quae utique abesse nequeunt, ubi Evangelium, sacramentaque eius pure obtinent. Praeterea cum Ecclesia regnumque Dei sit, atque ideo cuncta in eo optimo ordine geri necesse sit, habet varia ministrorum munera. Corpus siquidem est ex varijs membris, quibus singulis sui actus sunt, compactum. Et hi dum suo ministerio bona fide funguntur, in verbo et doctrina gnaviter laborantes, Ecclesiam vere repraesentant, ut qui eos audierit, recte dicatur audisse Ecclesiam. Verum quo istos spiritu agi, quaque facultate praeditos esse oporteat, superius cum fidem nostram de ministerio ecclesiae exponeremus, memoravimus, fideique hac in re nostrae rationem reddidimus. Nequeunt enim vicem ecclesiae Christi gerere, qui docent quae Christi mandatis pugnant. Id tamen fieri potest, et saepe fit, ut et mali in nomine Christi prophetent, ecclesiaeque sententiam adferant. At qui a dogmatis Christi aliena proponunt, etiamsi intra ecclesiam sint, quia tamen errore praeoccupati, pastoris vocem nequaquam sonant, ecclesiam, sponsam nimirum Christi, representare non possunt. Quare nec eius nomine audiendi sunt. Alienam siquidem vocem oves Christi non sequuntur. Haec nostri docent de ecclesia, quae citatis locis et similibus nituntur.

## DE SACRAMENTIS. CAP. XVI.

Porro quod Ecclesia hic in carne, et si non secundum carnem agit, visum est Domino, illam externo quoque verbo docere, monere, et hortari, quoque id commodius fieret, voluit suos externam etiam inter se societatem colere. Qua de caussa et sacra Symbola, quae sacramenta vocamus, illis dedit. Inter quae praecipua sunt Baptisma, et Eucharistia. Haec credimus veteribus sacramenta dicta, non solum quod sunt invisibilis gratiae visibilia signa (ut divi Augustini verba habent), sed etiam quod his quasi fidei professio fiat.

## DE BAPTISMO. CAP. XVII.

De Baptismate itaque confitemur, id quod passim scriptura de illo praedicat. Eo sepeliri nos in mortem Christi, Rom. 6.
Coagmentari in unum corpus, Christum induere, Esse lava- 1 Cor. 12.

Digitized by Google

Gal. 3. Tit. 3. Act. 22. 1 Pe. 3. crum regenerationis, Peccata abluere, Nos salvare. Haec vero omnia sic intelligimus, ut ea D. Petrus interpretatus est, cum ait, Cuius figurae nunc respondens baptisma, nos quoque salvos reddit, non depositio sordium in carne, sed conscientiae bonae in Deum professio. Absque fide enim impossibile est placere Deo, et gratia servamur, non nostris operibus. Cum autem baptisma sit sacramentum foederis, quod Deus cum suis icit, pollicitus se illorum et seminis eorum, Deum ac vindicem futurum, et illos ut suum populum habiturum, symbolum denique sit renovationis spiritus, quae per Christum fit, infantibus quoque illud conferendum nostri docent, non minus quam sub Mose olim circuncidebantur. Nos enim vere filij Abrahae sumus. Quare non minus ad nos, quam veteres illa pertinet promissio: Ero Deus tuus
Gal. 3. et seminis tui.

## DE EUCHARISTIA. CAP. XVIII.

De hoc venerando corporis et sanguinis Christi sacramento omnia, quae de illo Evangelistae, Paulus et sancti Patres scripta reliquerunt, nostri fide optima docent, commendant, inculcant. Indeque singulari studio hanc Christi in suos bonitatem, semper depredicant, qua is non minus hodie, quam in novissima illa coena, omnibus qui inter illius discipulos ex animo nomen dederunt, cum hanc coenam, ut ipse instituit repetunt, verum suum corpus, verumque suum sanguinem, vere edendum et bibendum, in cibum potumque animarum, quo illae in aeternam vitam alantur, dare per sacramenta dignatur, ut iam ipse in illis, et illi in ipso vivant et permaneant, in die novissimo, in novam et immortalem vitam per ipsum resuscitandi, iuxta sua illa aeternae veritatis verba: Accipite et manducate, hoc est corpus meum etc. Bibite ex eo omnes, hic calix est sanguis meus etc. Praecipua vero diligentia populi animos, nostri ecclesiastae ab omni tum contentione, tum supervacanea et curiosa disquisitione, ad illud revocant, quod solum prodest, solumque a Christo servatore nostro spectatum est, nempe ut ipso pasti, in ipso et per ipsum vivamus, vitam Deo placitam, sanctam, et ideo perennem quoque et beatam, simusque inter nos omnes unus panis, unum corpus, qui de uno pane in sacra coena participamus. Quo sane factum est, ut divina sacramenta, sacrosancta Christi coena, quam religiosissime, reverentiaque singulari apud nos et administrentur, et sumantur. Ex his quae vere ad hunc modum se habent, agnoscit S. T. M. clementissime Caesar, quam falso ab adversarijs nostris iactetur nostros verba Christi immutare, et humanis glossis concerpere, nec nisi merum panem merum-

Digitized by Google

que vinum in nostris coenis administrari, ipsamque adeo Domini coenam apud nos contemptam esse atque reiectam. Nam summo nostri studio semper docent et hortantur, ut simplici quisque fide, haec Domini verba, reiectis universis hominum commentis falsisque glossis, amplectatur, eorumque sententiae, omni submota vacillatione, animum addicat, ipsa denique sacramenta, in vivificam animarum suarum alimoniam, et gratam tanti beneficij commemorationem, identidem, quanta possit religione sumat. Id quod multo quoque iam et saepius, et religiosius apud nos, quam antea, fieri solet. Simul autem obtulerunt se nostri ecclesiastae hactenus semper, et hodie se offerunt ad reddendam, omni cum modestia, et veritate, rationem fidei et doctrinae suae, de omnibus quae tam circa hoc sacramentum, quam alia credunt ac docent. Idque non solum S. T. M. sed cuivis etiam poscenti.

## DE MISSA. CAP. XIX.

Porro cum hunc in modum Christus suam coenam, quae postea Missa vocari coepit, instituerit, nempe ut in ea fideles corpore et sanguine eius in vitam aeternam pasti mortem eius qua redempti sunt, depraedicent, ipsi hoc pacto gratias agentes, et hanc salutem alijs quoque commendantes, non potuerunt nostri ecclesiastae non damnare, quod haec passim negliguntur, et contra qui Missas celebrant, praesumunt Christum Patri offerre pro vivis et defunctis, Missamque tale opus faciunt, quo solo fere favor Dei et salus comparetur, quicquid vel credant homines, vel vivant. Unde et pudenda illa ac bis terque impia sacri huius nundinatio irrepsit, factumque est, ut nihil sit hodie Missa questiosius. Privatas itaque Missas reiecerunt, propterea quod Dominus in commune, discipulis hoc sacramentum commendavit. Unde et Paulus Corinthios iubet se invicem ad S. Coenam expectare, negatque eos agitare coenam dominicam, cum propriam unusquisque coenam inter edendum occupat. Porro quod illi se Christum offerre vice hostiae iactant, hinc nostri damnarunt, quod Epistola ad Heb. aperte testatur, sicut homines semel moriuntur, ita Christum semel oblatum esse, ut multorum peccata tolleret, tamque non posse iterum offerri, quam non mori amplius. Eoque una pro peccatis victima perfecta, perpetuo sedere eum ad dextram Dei, id quod superest expectantem, donec inimici eius ceu scabellum subijciantur pedibus eius. Unica enim oblatione perfectos effecit in perpetuum eos qui sanctificantur. Id vero quod Missam bonum opus fecerunt, quo a Deo quidvis impetretur, cum eo pugnare nostri docuerunt, quod scriptura ubique predicat nos spiritu Christi et per fidem iustificari, favorem Dei

1 Cor. 11.

Heb. 9.

Heb. 10.

Digitized by Google

percipere, de quo scripturarum testimonia superius adducta sunt. Sic quod mors Domini in Missa populo non commendatur, declararunt esse adversum ei, quod haec Christus sacramenta sumere iussit in sui commemorationem, et Paulus, ut annuncietur mors Christi, donec veniat. Quod vero iam a multis, sine omni pietatis studio, tantum alendi corporis caussa, vulgo Missae celebrantur, id demonstrarunt nostri, tam esse execrabile Deo, ut si Missa per se pietati nihil adversaretur, merito tamen, et iussu Dei tollenda esset. Esa. 1. Id quod vel ex solo Esaia liquet. Spiritus enim et veritas est Deus noster, eoque non nisi in spiritu ac veritate coli sustinet. Quam autem molesta sit Domino, invecta circa haec sacramenta, tam importuna cauponatio, et hinc monuerunt conijciendum esse, quod Christus tam saeve, et plane praeter morem suum, externa sibi vindicatione sumpta, templo ejecit vendentes et ementes, cum ij tantum ad promovenda sacrificia, quae ex lege fiebant, viderentur negociari. Tot itaque modis, cum ritus Missae vulgo celebrari solitae, scripturae Dei adversetur, sicut et modis omnibus diversus est ab eo, quem sancti Patres observarunt, damnatus est apud nos e suggestu admodum graviter, sicquo verbo Dei detestabilis factus, ut eum multi ultro reliquerint, alij, dum magistratus authoritate abrogatus est. Id quod nobis nulla alia caussa permisimus, quam quod in omni scriptura, spiritus Dei nihil sic detestetur, et tam serio tolli praecipiat, atque commentitium falsumque sui cultum. Iam nemo qui religione aliquo modo tenetur, ignorat, quam sit timenti Deum inaevitabilis indicta necessitas, cum persuasus est Deum quippiam exigere. Etenim ut laturi multi essent a nobis circa Missae ritum tam sacrosanctum aliquid novari, facile quivis praevidebat, nec erant, qui non maluissent, hic non solum T. S. M., sed ne quemvis imi subsellij principem offendere. Verum cum simul non dubitarent, vulgato illo Missae ritu, tantopere irritari Deum, eiusque gloriam, pro qua etiam vita ponenda est, obscurari, non potuerunt illum non submovere, ne et ipsi imminutae gloriae Dei se obligarent connivendo. Utique si amandus et colendus est Deus supra omnes, nihil minus ferendum pijs, quam quod ille abominatur. Hanc vero unam caussam extorsisse nobis, ut circa haec immutare quaedam auderemus, testem citamus eum, quem nullum secretum latet.

## DE CONFESSIONE. CAP. XX.

Cum vero et quae ex pietate suscipitur peccatorum confessio, a nemine praestari queat, quem huc non sua impulerit poenitudo, verusque animi dolor, haud poterit ea extor-

Digitized by Google

queri praecepto. Quare nec Christus ipse, nec Apostoli illam praecipere voluerunt. Hac ergo de caussa, hortantur nostri Ecclesiastae ad confitendum peccata, et fructum eius, quod quis apud virum Christianum ac prudentem, secreto sibi consolationem, consilium, doctrinam et exhortationem quaerat, ostendunt, praeceptis urgent neminem, sed et pietati istiusmodi praecepta officere affirmant. Nam innumeras animas illa de peccatis sacerdoti confitendis constitutio, in gravem desperationem adegit, totque alijs vitijs obnoxia est, ut pridem abrogari debuerit, et indubie abrogata fuisset, si eo zelo ad submovenda offendicula, praesides Ecclesiarum proximis saeculis arsissent, quo arsit olim D. Nestorius Episcopus Constantinopolitanus, qui secretam confessionem in sua Ecclesia sustulit, propterea quod nobilis quaedam mulier deprehensa esset, cum templum frequentius adiret, tanquam poenitentiae operibus vacatura, cum diacono crebrius concubuisse. Huiusmodi certe flagitia innumera passim admissa sunt. Ad haec requirunt Pontificum leges, talem confessionis auscultatorem et arbitrum, tam sanctum, doctum, prudentem, misericordem, ut paucissimis possit cui confiteantur contingere, inter eos maxime qui vulgo audiendis confessionibus deputantur. Iam censent et scholastici Theologi, praestare laico peccata confiteri, quam ei sacerdoti a quo non sit expectanda pietatis aedificatio. Summa est, quam confessionem non solida poenitentia et verus animi dolor ob peccata expresserit, ea plus damni quam commodi dabit. Cum ergo unus Deus dare possit, ut nos peccatorum poeniteat, vereque doleat peccasse, nihil poterit hac in re, quod salutare sit, praeceptis effici, id quod hactenus ipsa experientia plus satis manifestum fecit. D. Nestorius.

## DE CANTIONIBUS ET PRECIBUS ECCLESIASTICORUM. CAP. XXI.

Eadem vero ex caussa, ne scilicet ad Dei offensam, quae praetextu cultus eius fieret, qua nullā ipsi gravior, conniveretur, et in cantionibus ac precibus ecclesiasticorum, nostri pleraque damnarunt. Has enim a prima patrum constitutione, usuque degenerasse abunde constat. Nemo siquidem cui veterum scripta perspecta sunt, ignorat, morem illis fuisse, pauculos psalmos cum capitulo aliquo scripturae graviter recitare, simul et enarrare, cum nunc multum quidem psalmorum, sed fere absque mente decantatur, et ex scripturae lectione initia duntaxat capitulorum supersunt, innumera autem invicem assumpta, quae superstitioni potius quam pietati serviunt. Primum itaque illud nostri detestati sunt, quod sacris precibus et cantionibus, haud pauca quae scripturis adversantur,

Digitized by Google

admixta sunt, ut quibus divis tribuuntur, quae soli Christo competunt, nempe peccatis, alijsque incommodis liberare, favorem Dei, omneque genus bonorum non tam impetrare, quam donare. Deinde quod sic in immensum auctae sunt, ut attento animo cani recitarive nequeant. Iam nihil quam Dei irrisio est, quicquid sine mente cum eo geritur. Postremo quod facta sunt et haec moritoria opera, vendique solent haud parvo, ut interim taceatur, quod contra expressum spiritus sancti praeceptum, in ea omnia dicuntur et canuntur lingua, quam non solum populus non intelligit, sed nonnunquam ne ipsi quidem, qui ex illis cantionibus et precibus vivunt.

## DE STATUIS ET IMAGINIBUS. CAP. XXII.

Et in statuas denique atque imagines, nostri sacras orationes strinxerunt, eo potissimum, quod aperte coli et adorari coeperunt, inanesque sumptus in eas fieri, qui esurienti et sitienti, et nudo Christo debebantur, quod denique et cultu illarum sumptuque, quamlibet cum verbo Dei pugnante, merita apud Deum quaerunt. Huic religionis vitio obiecerunt etiam priscae authoritatem Ecclesia, cui nimirum abominabile fuit, ullam vel pictam vel sculptam in templo imaginem videre, id quod abunde vel factum Epiphanij, episcopi Salaminae Cypri, quod de se ipse testatur, comprobat. Cum enim vidisset in velo cuiusdam Ecclesiae, imaginem depictam Christi, vel sancti cuiusdam (scribit enim se non bene meminisse) tanta succensus indignatione fuit, quod contra authoritatem scripturarum, fidem et religionem nostram, ut scribit, vidisset hominis imaginem in Ecclesia pendere, ut extemplo velum ruperit, iusseritque eo pauperem aliquem mortuum involvere. Hanc epistolam, qua hic vir Dei hoc de se testatur, scribens ad Ioannem episcopum Hierosolymitanum, D. Hieronymus ut orthodoxam in Latinam linguam transtulit, nec verbo quidem hanc Epiphanij de imaginibus sententiam ut minus probam notavit. Ex qua re illud satis colligitur, nec ipsum D. Hieronymum, nec episcopum Hierosolymitanum, ad quem scribebat, aliud de imaginibus sensisse. Etenim quod dici solet, statuis et imaginibus rudiores doceri et moneri, haud quaquam ad id sufficiet, ut imagines et statuae ferri debeant, praesertim ubi a vulgo adorantur. Rudior erat populus vetus, adeo ut plurimis illum ceremonijs institui oportuerit, attamen imagines huc conducere, ut docerent, et monerent rudiores, tam non agnovit Deus, ut habere illas cum primis vetuerit. Et si dicatur vetuisse Deum habere imagines quae colerentur, statim consequitur, cum omnes adorari pridem coeperint, iam

Digitized by Google

vel propter offendiculum e templis submovendas esse universas. Sunt enim in Ecclesia omnia instituenda, ad certam aedificationem, nedum aliquid ferendum, quod queat occasionem dare ruinae, nihil vero adferre commodi. Praeterea quod de admonendo objici solet, D. Athanasius confutans Gentes, eadem caussatione sua idola defendentes, sic rejicit: Dicant quaeso, quo pacto per simulachra noscatur Deus? an per circumpositam illis materiam? an per inductam materiae formam? Si ob materiam, quae iam formae necessitas, ut non prius etiam quam ista fingerentur, per omnem prorsus materiam apparuerit Deus, cum omnia testentur gloriam suam. Porro, si superducta effigies divinae cognitionis caussa est, quid iam pictura caeteraque materia opus est, ac non magis per ipsa vera animalia, quorum formae simulachra sunt, Deus cognoscitur? Nam clarius profecto Dei gloria innotesceret, si per animata rationabilia et irrationabilia, quam per inanimata atque immobilia manifestaretur. Cum ergo intelligendi Dei gratia sculpitis aut fingitis imagines, rem profecto minime dignam facitis. Haec ille. Lactantius quoque multa contra hunc praetextum lib. 2. divi. institu. disseruit. Omnino enim ei, qui Dei admoneri cum fructu potest, praeter adhortationis verbum, ipsa Dei viva veraque opera huc longe efficacius conducent, vanis illis simulachris, quae parant homines. Hanc cum suam esse sententiam de imaginibus Deus tot scripturae locis abunde testatus sit, haud conveniet nos homines, per eas quaerere utilitatem, a quibus Deus vitare periculum iussit, maxime cum ipsi quoque experti simus, quantopere pietati officiant. Per se quidem liberum esse usum imaginum et nostri fatentur, sed quantumvis liber sit, Christiano spectandum est, quid expediat, quid aedificet, et eo loci, eaque ratione imaginibus uti, ut nemini objiciat offendiculum. Paulus enim et carnem et vinum sibi in omnem vitam interdici paratus erat, si id aliorum saluti quovis modo obstare cognovisset.

Athanasius.

Lactantius.

## DE MAGISTRATIBUS. CAP. XXIII.

In superioribus exposuimus nostros ecclesiastas obedientiae, quae exhibetur magistratibus, inter primi ordinis bona opera locum dedisse, et docere hoc unumquemque studiosius sese accommodare publicis legibus, quo syncerior fuerit Christianus fideque ditior. Iuxta docent, fungi magistratu munus esse Sacratissimum, quod quidem homini divinitus contingere possit. Unde et factum sit, quod qui gerunt publicam potestatem, Dij in scripturis vocentur. Cum enim hi recte et ordine munus suum obeunt, et doctrina et vita in populo rite habent, eo quod sic Deus res nostras moderari soleat,

Digitized by Google

ut ab ijs qui rerum potiuntur, pendeat ex bona parte subditorum et salus et pernicies. Quapropter nulli dignius magistratibus funguntur, quam qui sunt omnium Christianissimi et sanctissimi. Unde proculdubio id accidit, quod a pientiss. olim Caesaribus et Regibus, Episcopi alijque ecclesiastici viri ad externam rerum gubernationem protracti sunt. Qua in re cum illi religiosi et prudentes fuerint, hoc solum peccátum est, quod ad dignam utriusque muneris administrationem, sufficere haudquaquam potuerunt, et oportuit, aut verbo regendis ecclesijs, aut imperio gubernandae Reipubl. deesse.

## PERORATIO.

Haec sunt, invictissime ac Religiosissime Caesar, praecipua, in quibus nostri a vulgata ecclesiasticorum doctrina, sola scripturarum authoritate, omnibus alijs traditionibus merito anteponenda, adacti, non nihil recesserunt. Ea S. M. T. sic ut a nobis hoc brevi tempore fieri potuit, exposita, in hoc afferre volumus, ut et fidei nostrae rationem, tibi, quem secundum Deum in primis suscipimus, ac colimus, redderemus, et simul ostenderemus, quam necesse sit mature et serio de via et ratione consultare, qua res tanti momenti hoc pacto cognosci, expendi, ac discuti queat, uti primum observantia Dei, in cuius negotio summo utique cum timore et tremore versandum est, requirit deinde dignum est S. M. T. quae religionis ac clementiae nomine tantopere celebratur, denique ipsa poscit ratio pacis eius, quam S. M. T. molitur, certae scilicet et solidae, quae cum circa fidem et religionem dissidium sit, aliter parari haud poterit, quam animis ante omnia de veritate plane edoctis. Porro ad id nihil forsan opus fuerat nos quoque hisce de rebus tam
Saxo. multa memorare, cum Illustriss. Princ. Elector Saxonum, et alij, quae in sacra nostra religione hodie controvertuntur, S. M. T. copiose admodum et solide exposuerint. At quia S. M. T. sententiam de religione ab omnibus, quorum hoc negotij interest, exponi sibi postulavit, existimavimus et nostri officij esse, quae apud nos docentur S. M. tuae confiteri. Quanquam haec res tam late pateat, tamque multa complectatur, ut etiam quae utrimque exposuimus, pauciora adhuc, et succinctius quoque explicata sunt, quam ut speremus ex eis certum in hisce controversijs, quodque non omnibus, sed bonae saltem parti Christiani populi approbetur, in praesentiarum constitui posse. Ea est nimirum veritati subscribentium paucitas. Cum sit itaque negocium hoc tanti momenti, tamque varium et multiplex, nec possit cum fructu decidi, nisi sit a pluribus probe cognitum et excussum, oramus S. M. T. et quam supplicissime per Deum et servato-

Digitized by Google

rem nostrum, cuius gloriam proculdubio imprimis quaerit, obsecramus, ut generale, liberum, vereque Christianum Concilium indici quam primum curet, quod hactenus ad componendas res Ecclesiae, cum ipsi S. M. T. tum alijs S. imperij Principibus, adeo necessarium visum est, ut in omnibus fere Imperij conventibus, qui post exortum hoc de religione dissidium, habiti sunt, et S. M. T. commissarij, et alij Imperij Principes, palam testati sint, nulla alia via hisce in rebus, quod salutiferum sit, posse confici. Unde in proximis Spirae habitis Comitijs, spem S. M. T. fecit, Pontificem Rom. non repugnaturum, quo minus mature tale Concilium celebretur. Porro si generalis Concilij nequeat in tempore obtineri oportunitas, saltem Doctorum cuiusque ordinis et status, provincialem, quem vocant conventum, S. M. T. instituat, quem libere tutoque omnes, quos adesse retulerit, queant adire, singuli audiri, et per huiusmodi viros, cuncta expendi et iudicari, quos constet Dei timore praeditos, illius gloria nihil prius habere. Neque enim in obscuro est, qua olim gravitate, quaque diligentia, cum Imperatores, tum Episcopi in decidendis fidei controversijs, quae tamen saepe multo minoris momenti erant, quam quae modo Germaniam commovent, sese habuerint, ut haudquaquam indignum se duxerint, eadem iterum ac tertio in disquisitionem vocare. Iam qui consyderaverit, ut modo res habent, is dubitare haud poterit, hodie maiore fide, gravitate, mansuetudine et dexteritate, ad id, ut Christi religio in suum locum restituatur, opus esse, quam antea unquam. Siquidem penes nos Veritas est, quod indubitato credimus, quanto quaeso tempore et labore opus fuerit, ut eam cognoscant et hi, sine quorum consensu, aut saltem tollerantia, pax solida parari non poterit? Sin erramus, a quo abesse nos nihil ambigimus, rursus haud ignavam diligentiam, nec breve tempus, res poscet, ut in viam revocentur tot hominum millia. Quam diligentiam, et tempus insumere S. M. T. tam non dedecebit, quam par est te eius erga nos animum exhibere, cuius nobis vice imperas, Iesu Christi nostri omnium servatoris. Qui cum hoc animo venerit quaerere et salvum facere quod perierat, ut pro restituendis, qui erant perditi, mortem etiam oppetierit, non est ut S. M. T. gravetur etiamsi indubitato credat, nos a veritate excidisse, nonaginta novem oves in deserto relinquere, et centesimam quaerere inque Christi caulam reducere, hoc est, quaevis alia huic negocio posthabere, ut nobis quamlibet paucis et humilibus, Christi sensus de singulis, quae modo controvertuntur, ex scripturis diluciде, et certo exponatur. Nos certe dociles erimus, aberit omnis pervicatia, modo vocem audire liceat pastoris nostri Iesu Christi, et scripturis, quae docent quicquid bonum est,

Digitized by Google

ad quae vocabimur, omnia nitantur. Etenim si contingeret, docendi nos cura reiecta, compendia queri edictorum, quod dum res in manu T. S. M. fuerint, haudquaquam metuimus, dici non potest, in quas angustias, innumera hominum millia adducerentur, quos nimirum persuasos, Deum inprimis audiendum, tum quae sequuntur dogmata indubitatis oraculis Dei niti, istae Servatoris voces, nunquam non percellunt: Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Qui perdiderit animam suam, inveniet eam, Qui non oderit patrem, matrem, etc. ac etiam suam ipsius animam, non potest meus esse discipulus. Quem puduerit mei coram perversa et adultera hac natione, eius me pudebit coram patre meo et angelis eius, Et similes. His sane tonitruis exagitati, minime pauci, animose extrema subirent, multos mortis metus differret quidem, sed in occasionem, si imperio priusquam, doctrina, vi antea quam indicatione erroris, cum eis hoc in negotio ageretur. Quid enim valeat solidior de religione persuasio, quamque faciat non rerum modo, sed et vitae prodigos, vel hoc decennio, ut superiora secula taceamus, satis superque in quam plurimis visum est, qui non exilia tantum, et proscriptiones verum etiam vincula, cruciatus, et mortem ipsam potius susceperunt, quam ut a sententia, quam conceperant, quamque veram esse crediderant, avelli se sustinuissent. Si iam cum dissidium est de rebus illis levioribus, paucos invenias, quos in certam quis concordiam redegerit, nisi de iure vel aequitate conditionum persuasos, quomodo cum de religione dissensio sit, veram pacem, rerumque minime dubiam tranquilitatem, quam scilicet S. T. M. constituere querit, expectabimus, nisi utrimque quae probet Deus, quae congruant scripturis, constiterit? Quemadmodum enim religio iure moreque Gentium rebus alijs omnibus antefertur, ita nulla quoque mortalium inter se dimicatio vehementior duriorque esse consuevit, quam quae pro aris et numinibus suscipitur. Sed nos cum S. M. T. tam indicibili in hostes suos, et eos quidem, qui nihil hostilitatis, ut alia taceamus, praetermiserunt, usa clementia est, merito spem de eo optimam concepimus, omnia et in hoc negocio sic attemperaturam, ut multo amplius in nobis, salutis et honoris tui studiosissimis (quod re ipsa testati sumus, et testari amplius ex animo cupimus) bonitatis et humanitatis laudem quaesisse videatur. Nam omnia in hac caussa sic attemperavimus, ut bonis quibuslibet satis declaraverimus, nunquam nobis animum fuisse quenquam ledendi, aut nostra commoda aliorum incommodis aucupandi. Pericula sane hac caussa subivimus, et sumptus ingentes fecimus, lucri vero ne tantillum quidem, uno hoc excepto, quod de bonitate Dei per Christum exhibita melius edocti, futura (gratia Dei) coeperimus sperare certius. Id vero iure

Digitized by Google

tanti nobis est, ut nihil adhuc dignum eo, cum inaestimabile sit et rebus omnibus, quae vel coelum vel terra habet, anteferendum, nos vel fecisse vel pertulisse putemus. Ecclesiasticorum certe opibus, tam abest ut inhiaverimus, quod tumultuantibus agricolis, maximis impendijs et periculis, illas ipsis defenderimus. Evangelium Domini nostri Iesu Christi, ita ipse nos amet, unum id est, quod nos urget, et ad ea quae videmur novasse, adduxit omnia. Malit itaque S. M. T. exempla sequi potentissimorum et vere foelicium Caesarum, Constantini, Ioviniani, Theodosij, et similium, qui doctrina omni cum mansuetudine cottidie per sanctiss. et vigilantiss. Episcopos impartita, tum Concilijs rite coactis, gravique omnium rerum discussione, cum errantibus agere, tentareque omnia, ut in viam eos revocarent, prius quam severius quicquam in eos statuerent, quam eorum quibus constat fuisse consultores, et priscis illis vereque sanctis patribus dissimillimos, et eventum quoque contigisse pietati illorum parum respondentem. Hinc S. M. T. revocare se illud ne patiatur, quod pleraque, de quibus nunc disceptatur, decisa sint olim, et praecipue in concilio Constantiensi, maxime cum videat ex innumeris, non minus sanctis quam necessarijs superiorum conciliorum decretis, ne pilum quidem ab ecclesiasticis servari, sicque degenerasse apud eos omnia, ut nemo vel communi sensu praeditus, non clamet, Concilio ad restituendam religionem, Ecclesiasticique ordinis sanctimoniam, opus esse. Si vero illis adeo placet, quod sancitum est Constantiae, qui factum est, ut nulla prorsus ratione, illud interim obtineri potuerit, ut singulis decennijs Christiana Concilia haberentur, id quod tum constitutum fuit? Nam hac via multum pietatis et fidei, vel recuperari, vel servari potuerat. Sed quis non fateatur, quoties morbus increscit, toties adhibendum esse remedium, et qui veritatem vere habent, eos nunquam gravari illam et docere bonos, et defendere contra malos, ubi ullus modo huius fructus sperari queat? Iam tot millibus in religionis nostrae dogmatis misere adeo perplexis, quis neget spem esse fructus amplissimi, quaeque iure quoscunque Christi spiritus regit, impulerit, ut quibusvis rebus alijs omissis, omni labore sumptuque contempto, in hoc unum totis viribus incumbant, ut Christi doctrina, parens omnis iustitiae et salutis, digne excutiatur, cunctisque erroribus expurgetur, suaque nativa facie, quibuscunque pietas et germanus Dei cultus cordi est, offeratur, quo sancta, et in aeternum firma pax, rerumque omnium vera tranquillitas, perturbatis modo plus nimio ovibus Christi, pro quibus hic sanguinem fudit, restituatur, et confirmetur? Quae illis nulla etiam alia via, ut diximus, restitui et confirmari poterit, certis scilicet, alijs quidem in rebus sibi



Digitized by Google

nihil non cedendum, at in negocio pietatis, sic verbis Dei haerendum, nitendumque esse, ut si mille animas haberent, omnes lanienae offerre oportere citius, quam cedere iota unum, vel minimum apiculum, quem persuasi sunt esse mandatum divinitus. Si iam una duntaxat anima potior est toto orbe, quid facere in salutem tot myriadum addeccat? Tanta nimirum cum spes invitet, cum ex eo, quod hi, qui apud S. M. T. erroris deferuntur, nihil aliud quam doceri se orant, et sacris scripturis ad quemlibet errorem confutandum abunde sufficientibus, totos se addixerunt, tum ex illo quod Christus servator noster luculenter adeo promisit, vel duobus aut tribus in suo nomine congregatis, se medium futurum, et quacunque de re consenserint, hanc illis praestiturum. Ista vero pientissime Caesar, haud alia de caussa hic memoramus, quam ut S. M. T. quae voluit et nos, quid de restituenda religione sentiamus exponere, nos morigeros praestaremus. Nam bona alioqui est spes, ipsam T. S. M. pridem apud se probe dispexisse, satisque videre, quae ad id urgeat necessitas, quis invitet fructus, quam denique hoc ipsum S. M. T. religionis atque clementiae, tantopere laudata, dignum sit, ut convocatis quibusque doctrina et pietate probatissimis viris, ex divinis literis, quid de singulis dogmatis, quae modo controvertuntur, sentiendum sit, petatur, ac tum per idoneos Christi ministros, omni cum mansuetudine et fide, cunctis qui erroribus detenti creduntur, explicetur. Verendum tamen iuxta, haud deesse, qui S. M. T. alio trahere conentur, istis visum est per haec, velut apud te respondere S. M. T. et hoc ipsum, et caetera omnia, quae nullo alio, quam Christi Iesu Dei nostri gloriam, pro nostra portione adserendi, et S. M. T. ut par est obtemperandi, hic exposuimus, confessique sumus, pro eximie celebri sua clementia, in meliorem partem accipiat et interpretetur, nosque inter eos habere dignetur, qui profecto non minus, quam maiores nostri illi nos cum summa subiectione, morigeros et addictos praestare ex animo cupimus, in hoc, quoad liceat, res et corpora nostra impensuri. Rex regum Iesus Christus, S. M. T. in hoc, et alijs negocijs, ad gloriam suam omnia transigere donet, eamque incolumem et florentem, in totius Reipublicae Christianae salutem diu servet, foeliciterque provehat. Amen.

Digitized by Google

# ADDIT. 2.

# CONFESSIO FIDEI AC RELIGIONIS,

## BARONUM AC NOBILIUM REGNI BOHOEMIAE, SERENissimo ac Invictissimo, Romanorum, Bohoemiae etc. Regi, Viennae Austriae, sub Anno Domini 1535. oblata.

Actorum 24.

Confiteor autem hoc tibi, quod iuxta viam, quam vocant Haeresim, sic colo patrium Deum, credens omnibus quae in Lege et Prophetis scripta sunt.

## PRAEFATIO MINISTRORUM,

### ECCLESIAE PICARDORUM, UT VOCANT, IN BOHOEMIA ET MORAVIA, IN CONFESSIONEM SUAE FIDEI.

*SIQUIDEM cum multa et falsa et impia de nobis ac fratribus quoque in regno Bohoemiae et Marchionatu Moraviae adversarii vulgo dissiparunt, coacti sumus et nos, ut Ecclesiae bono et gloriae consuleremus, istorum calumnias et mendacia refellere, praesertim cum huiusmodi de nobis sparsa, adeo quorundam improbitate invaluerunt, ut non finitimas modo regiones, sed longe dissitas etiam pervaserint, Ubi nos in hac causa nihil commeriti, atrocium tamen et gravissimarum rerum insimulamur, ac pessima nobis passim nota infamiae inuritur. Dum non a paucis nil nisi quaedam omnium scelerum ac malorum lerna et colluvies habemur, homines impii, malefici, prophani, impostores, perfidi, sectarii, ac haeretici, neque ullum tam foedum aut grave facinus esse, quod nobis indignum arbitrentur: et quod nusquam esse, nisi apud nos tantum veram et catholicam Ecclesiam, asseveremus: omnesque alios, qui Ecclesiis nostris non adcensentur, ut a Deo reiectos, salvos fieri non posse, uno ore audeamus pronuntiare. De Divis, ac praesertim de beatissima Virgine matre Domini, impie ac per-*



Digitized by Google

*verse sentiamus. Ieiunia, Ceremonias, caeterosque ritus omnes Ecclesiasticos, velut ludicra quaedam et vana existimemus.*

*Commenti sunt et hoc malevoli, qui nullum criminandi finem faciunt, quod nostrates omnes, Sacramenta ipsa, ut a Christo instituta, ita praecepta, nihili faciant, nec eis uti velint, sed ea indignis modis aspernentur, ac elevent. Ut in Sacramento sacrae synaxeos, seu coenae Domini, praesentiam veri corporis ac sanguinis Christi, non adesse haud dubie credant, plurima denique et gravia et innominanda flagitia designent. Sed et hanc adiecerunt Catastrophen adversarii (nec enim omnia quae oblatrant, verius quam loquuntur, persequi libet) ut summa sit omnium laudum coronidis, nos et eos fere Filio Dei nihil tribuere, verum iam damnatis haeresibus ac impia doctrina, omnia et maxime simpliciorum animos labefactare et corrumpere.*

*Haec pauca de multis recensuimus, quae ab adversariis eo conficta et in vulgus sparsa sunt, quo a nobis omnium animos abalienarent, omnibus nos partibus vociferantes, indignos nimis esse, qui hoc communi Spiritu et luce fruamur. Ut vel sic tandem mundus ipse in nos, velut in piacula quaedam et Catharmata concitatus, animadverteret. Verum ad horum maledicta et Sycophantias, saepius iam pridem, a maioribus nostris responsum est, ut nemini obscurum sit, quam illi doctrinam et professi sint et tenuerint. Nam ne forte deserta causa, adversarii de ipsis triumphum agerent, quominus eorum calumnias, criminationes et haec impudentissima mendacia refellerent, non commiserunt, quam rem adhuc hodie ipsorum libri, regibus, principibus ac variis heroibus missi, testatissimam faciunt, ut omnibus iam olim conspicuum sit, nos tantum Evangelii nomine, ac propugnandae veritatis, haec perpeti et sustinere, et ea ab osoribus Christi salutariumque rerum omnium inventa esse, quae de nobis maleferiati homines vanissime nugantur et garriunt. Sed nos bene sperare iubet, nihil tam sancte aut subducta ratione fieri posse, quod sycophantae morsum vitare queat, cum etiam hoc ingenio nusquam non sint homines, si tamen hoc nomine eos dici fas est, qui sese totos ad optima quaeque convellenda ac deturpanda compararunt.*

*Quo autem iure impietatis accusemur, pro suo candore boni iudicent, Patres nostri provocabant ad synodum nostrorum, quae vero ritu et legitime coacta, verbo Dei et non humanis opinionibus Ecclesiae controversias et religionis conciliaret, Summopere expetentes, ut sibi suorum explicandorum dogmatum copia fieret. Ubi si quid dissentaneum Scripturis reperiretur, per omnia ex animo et amanter ipsius Concilii censurae et ordinationi subiacere volebant et obsequi. Nec illi ulla in re se reclamaturos promittebant: quin continuo, missis erroribus, ostensam veritatem amplecterentur. Sed quamvis id impense rogarint, non obtinuerunt tamen: quin etiam adversarii non modo in hac causa nostra, licet gravissima, non sunt aequiores facti, verum nos subinde aliis*

Digitized by Google

*malis cumularunt, dum nos suo ore, maledicentia et probris, ipsi vulgo invisos reddiderunt. Id vero inprimis Sacerdotes quosdam, invidia actos in fratres, fecisse constat: quibus tamen omnino incomperta fuit sententia Fratrum, nec enim unquam inter eos fuere, nec ulla dogmata, aut de religione quidquam cum eis per Scripturas contulerunt. Imo ne eos quidem saepius rogati audire dignati sunt, tantum abest, ut ultro eos ad se invitarint, aut convenerint aliquando ad libere et fraterne colloquendum, tractandumve super rebus et negotio religionis: Sed in credendo faciles, nullius rei ad nostratium dogmata spectantis facti certiores, qui de nobis omne genus mendaciorum portenta comminiscebantur, continuo aures praebuerunt, ac eis ut in nos quicquid possint struant, fidem suam obstrinxere. Insuper et hoc tentare ausi, quo suam magis traducerent invidiam, et in amantes veritatis ac Evangelii odium: nempe vulgo persuadere, libros, seu tractatus Fratrum, impios, et errorum plenos esse, quique ne vendi aut emi possent, utrisque dira minantes, diligenter caverunt, dum eorum lectione popularibus suis interdixerunt, ut sic verus ac germanus Scripturae sensus, quem semper et cupierunt, et Dei bonitate amplexi sunt fratres, in lucem prodire nequiverit.*

*Et cum adversariis nihil pateret, unde hanc Fratrum doctrinam damnare possent, tantum hunc in modum ignarae et credulae plebi subinde dictitabant: Attendite, ne alloquamini illos, neve illorum libros legite, blande enim et suaviter loquuntur et scribunt, at vulpem et virus in pectore gestant, Ne adhibete illis fidem, quia mendaces sunt et Daemon sua per illos agit et loquitur. Declinate igitur eorum colloquia, quamlibet etiam caeteris doctrina et fide aut factis praestare videantur: subsunt enim insidiae ad perdendum vos, etiam cum de optimis rebus eos pie ac sancte disserere putatis. Atque sic huiusmodi praestigiis et artibus, ut a nobis populum averterent, aut ne ab ipsis deficeret, magna in nos invidia madentes, haec pro rostris deblaterare soliti sunt. Quorum semel (inquit unus) ut sit omnium instar, minimo minus abfuit, quin illorum erroribus seducerer, et irretirer, vulnus enim gravissimum mihi inflixerunt sua blandiloquentia, adeo ut nequirem postea intra aliquot annos ad me redire, et ab istis, quos iam mihi persuaseram erroribus, excuti. Quod cum mihi contigerit, pestilentissimum illud virus ex eorum colloquiis hausisse, idemque virus elui ac evomi intra tot annos non potuisse. Quid quaeso vobis non tenentibus scripturas fieret? Quamobrem consilio huic meo acquiescite quaeso, ac eiusmodi nocentissimos homines cavete, haereticos, pietatis hostes, Dei contemptores, ad omnia perdendum destinatos, nec sit vobis cum eis quid consortii, nec in urbes vestras, aut rempublicam admittite, ne quando teterrima peste illorum dogmatum afflati, ita demum vobis pereundum sit. Et hoc pacto suis istis plusquam vanissimis nugis, vanum incutientes hominibus errorem, eos a nobis audiendis avocabant. Praeterea cum initio in Religione Bohemorum,*

Digitized by Google

*qui sub utraque specie communicant, quidam et nati et educati essemus et institueremur, in eorum concionibus saepe ac identidem audire soliti sumus, quonam pacto Christiana Ecclesia per dogmata ac traditiones humanas ex diametro pugnantes legi divinae, a veritate et Evangelio retracta sit. Item, si vellemus aeternae vitae consortes fieri, per omnia nos parere, agi ac gubernari verbo Dei oportere, et quicquid huic pugnans aut contrarium esset, id non ex Deo, sed errorem tantum, imposturamque constanter esse pronunciabant. Nec non et hoc commemorare soliti sunt praedecessores eorum, veteres Bohemos, multo aliter super rebus Ecclesiae et religionis sensisse, quam nunc recentiores.*

*Haec omnia nos nihil sinistre affecti ab illis audientes, omni studio et opera literis sacris indulsimus, ut germanum illarum sensum hauriremus. Et ad id adhibuimus quoque libros veterum, qui Ecclesiam semper ab impia doctrina et hominum traditionibus vindicare conati sunt. Adhibuimus et eos, qui olim praefuere Ecclesiae Bohemorum, Magistrum IOHANNEM HUS, virum nulla unquam seculorum serie obliterandum: Magistrum Mathiam Parisiensem, Magistrum Iohannem Rokicanum, Item Martinum Lupac et caeteros complures. Deinde et Petrum Chelcikij, quem tametsi Romani sermonis ignarum, Magister Iohannes Rokicana plurimum diligebat et eius libris suum etiam calculum addidit, ac usus est. Horum scriptis omnium perlectis, inde manifeste deprehendimus, cum plebem, tum Sacerdotes, tota vita, ut dicitur, ab ipsa puritate doctrinae et scopo literarum sacrarum deerrare. Ideo ut abusus istos et errores, ne nos pariter ad interitum et perditionem demergent, vitaremus, ab illis descivimus. Interea fama de Fratribus auditur, eos seditiosos, haereticos et perniciosos homines esse, utpote qui verbo Dei reclamarent et adversarentur. Haec fama primum animos nostros non mediocri timore perculit, ut non iam illis couteremur, veriti ne ab eis in errores a veritate revocati, iustam nobis damnationem acquireremus, si in ea etiam flagitia, quibus obnoxii esse ferebantur, prolaberemur. Tantum enim suo astu, vafritie, dolis eos multi posse credebant, ut quo ipsi vellent, rudiorum animos traherent. Attamen reperti sunt quidam sani homines, tum ex sacerdotibus, tum etiam ex plebe, qui in fratrum doctrina, nihil vitii aut erroris haberi, sibi exploratissimum esse dicebant. Unde et nos aequiores sumus redditi erga fratres. Et in mentem nobis veniebat huius rei, num non ipsi fortasse ii essent, quorum et Christus meminit: Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, et dicent adversus vos omne malum, mentientes propter me, et eiicient nomen vestrum veluti malum propter filium hominis. Itaque nec nos conquiescere aut cessare potuimus, quoad certo nobis constaret, num vera essent, quae de ipsis passim ferebantur: Sed et hoc obstitit, quominus eos persequeremur, cum ab omnibus illa, quorum accersebantur, controverti videremus, neque quenquam inveniri posse, qui ea*

Digitized by Google

*ut vera asserere auderet. Iam nos adversus eos nihil moliri voluimus, donec ipsorum causa nobis compertior fieret et exploratior, ne forte in Dei praeceptum, proximum perperam et inique iudicantes, aut illius falsi criminatores facti, iustas Deo poenas daremus.*

*Adhaec cum videremus inter sacerdotes ipsos etiam in doctrina male convenire, et eorum atque adeo populi, multos impios cultus ac publica et manifesta flagitia nulla Ecclesiastica disciplina corrigi: coacti sumus, ut ipsos fratres accederemus, ac de eorum doctriua et religione perquireremus, non ob aliud, quam ut salutem et conscientiarum pacem, ubi ubi tandem id per Evangelium fieri liceret, consequeremur. Convenimus itaque eos, ac omnia diligenter explorantes, quaenam foret eorum doctrina religio vita et conversatio, re ipsa experimur, nullam ansam hosti praebitam esse, ut has de ipsis tragedias excitaret, nihilque prorsum in eis vidimus, quo merito male audire possent vel incusari. Comperimus item et eorum doctrinam, religionem, totamque vivendi formam, nihil a sacris canonibus, aut primitivae Ecclesiae ritu ac exemplari recedere aut deflecti. Inventi sunt praeterea nobis inter eos quatuor illi articuli, quorum gratia veteres in Regno Bohemiae, cum Romanis post multas tandem disputationes, gravissima bella gesserunt, quosque in Synodo Basiliensi, magna vi defenderunt ac obtinuerunt. Primo, Scripturam sacram, a ministris omnibus, sacerdotibus ac Levitis, ad id Ecclesiastico ritu ordinatis non admixtis humanis figmentis, traditionibus aut doctrinis, sed pure ac syncere ubique praedicandam esse. Deinde utramque speciem Sacramenti, corporis et sanguinis Christi, iuxta ipsius constitutionem et mandatum, ut a sacerdotibus, ita a caeteris omnibus, indiscriminatim ex aequo sumi oportere. Eumque nihil minus, quam transgressorem verborum Christi haberi, qui sub utraque specie communicaret. Tertio publica et manifesta flagitia, in quolibet hominum statu et conditione secundum Scripturae regulam, quod corrigi debeant et argui. Postremo quod sacerdotum munus sit concionari et docere, non seculari modo dominari, aut imperia, ditiones et principatus possidere, sed esse debeant in officio suo, quod est praedicatio Evangelii. Haec bona praeter multa alia plurima inter fratres reperimus. Quare non satis mirari poteramus, qua rabie et furiis acti forent, qui adeo misere ac impotenter, tam bonos viros suis maledictis impeterent.*

*Cum igitur religionis illorum dogmata ex scripturis sacris, et non hominum commentis esse, et manere videremus, Dei benignitate effectum est, ut nos in ipsorum sententiam iverimus. Ascripti igitur sumus illorum Ecclesiae, et illius gratiae universorumque bonorum participes facti. Nec nos fugiebat, quae ipsi quondam tulerant, et adhuc ferrent mala, nos non minus olim eadem laturos. Sed hoc nihil morabamur, audientes non tantum homini dari, ut in Christum credat, sed ut etiam pro illo patia-*

Digitized by Google

*tur. Et eiusmodi Christus ipse, salutis autor, beatos pronuntiat, qui ob iustitiam adversa perferunt, atque id ipsum universa scriptura comprobat. Ideo sapienter Moses maluit affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem. In paucis enim vexati, ut scriptum est, in multis bene disponentur. Atque dum aliquandiu cum illis consuevissemus, manifeste cognovimus, quod quae a veteribus Bohoemis, qui haec futura praedixerant, bona accepissent, non tantum non imminuerunt verum in dies multo magis auxerunt.*

*Sed praeviderunt veteres illi, quod videlicet ea doctrina temporibus eorum inchoata, lente ac paulatim proveheretur, et inprimis Magister Matthias Parisiensis, eo libro, quem de abominatione inscripsit, capite trigesimo septimo, Qui sub titulo et nomine Magistri Iohannis Hus excusus in lucem exiit, sic scriptum reliquit, Surget, novus populus, secundum novum hominem formatus, qui secundum Deum creatus est, ex quo novi Clerici et Sacerdotes provenient, et assumentur, qui omnes oderint avaritiam et gloriam huius vitae, ad conversationem coelestem festinando. Haec tamen puto successive agi, et in temporibus a Deo, et pro ea dispensatis, Hoc autem facit atque faciet Deus propter suam bonitatem et misericordiam, divitiasque longanimitatis suae et patientiae, dans locum poenitentiae peccatoribus inveteratis, fugiendique a facie furoris Domini, donec similiter patientur et successive populus carnalis, et sacerdotes et clerici defluent, et quasi a tinea consumentur. Hactenus ille.*

*Hunc secutus est Magister Iohannes Hus, clarus pro testimonio Iesu Martyrii corona, qui in quibusdam literis suis, e carcere ad suos in Bohemiam missis, ita habet.*

*Utinam mandare literis omnes abominationes Antichristi liceret, ut hae a fidelibus observari ac caveri possent. Verum confido in Domino, quod me in hac vita defuncto, is vobis pastores, qui eius ope, ipsius Ecclesiae munia, me integrius et foelicius obibunt, suscitabit. Quique universas illius filii perditi impostu-ras, scelera, errores, dolos, superbiam, hypocrisim et foeditatem, plenius in lucem proferent: nullaque praemia aut minae, eos a veritate abducere poterunt, quin pro ea semper omni confusione et morte contempta, parati sint testimonium ferre, Is est, qui nobis et mihi ob divitias gratiae suae daturus est perpetem vitam, indeficiens gaudium.*

*Qui autem erant a partibus Magistri Iohannis Hus, de quibus etiam ipse divinitus inspiratus scripserat, hi et praesertim Magister Iohannes Rokicana, eo temporis in Bohemia primas tenens, subscripsit verbis et sententiae Magistri Iohannis Hus, Etenim, inter concionandum, Ecclesiam dirutae urbi componens, aiebat.*

*Nos adhuc, inquit, per superficiem negotii gradimur, ac veluti per cancellos, seu nebulam prospicimus, nondum ad interiora scilicet penetrantes, Verum subingredietur populus, qui adusque ipsa*

Digitized by Google

*negotii fundamenta penetrabit, quique in solida basi superstruet, Verum id paulatim fieri oportet. Futurum quoque est, cum magna pressura et angustia, cumque summa rerum difficultate.*

*Haec omnia sic accepimus ac legimus, antequam Fratrum Ecclesiae inauguraremur, aut ulla cum illis necessitudine copulati fuissemus. Postquam autem diu cum illis egissemus, eos ceu lapides vivos, vero et stabili fundamento, quod olim iam fideles Bohemi, strenui veritatis vindices, secundum datam sibi gratiam, iecerant, superstructos cognovimus. Videntes igitur hoc inter eos, non humanum, sed plane divinum opus esse, cum omni fiducia, synceritatem fidei, ac alias res sacras, una cum illis communiter amplexi sumus Deo gratias agentes, cui placuit nos e tenebris in agnitionem Filii sui ac omnis veritatis adducere.*

*Cum autem multo tempore simul cum eis omnibus rebus sacris usi essemus, in Ministros tandem ac sacerdotes Ecclesiarum suffragio, electi atque ordinati sumus. Inviti autem ac renitentes hanc provinciam suscepimus, multas enim in hoc negotio graves ac periculosas res, quibus sustinendis nos non esse videbamus pares, praesertim hoc decursu saeculi, quando ut divina habent oracula, exulcerata sunt omnia, nullo non scelere et maledicto, ut ait Propheta, quasi torrente inundantibus super terram, divina tamen ope confisi, verboque eius, cuius hic opus agitur, hanc provinciam in totum detrectare noluimus, neque Fratribus nostram operam, in re tam pia et utili, postulantibus, denegare.*

*Porro interea temporis, dum hoc in Ecclesia ministerio fungimur, en multi prodeunt hostes, qui odio plusquam novercali adversus nos insurgentes, non uno modo grassari coeperunt, et nos suis mendaciis apud omnes praegravare conabantur. Nec tantum liguae petulantia et detractationibus, sed scriptis etiam suis palam insectabantur. At istorum malitia, quae intus alebatur retecta, quam ipsi fidem habeamus, cuicunque manifestum fecimus ac aliarum rationem rerum reddidimus, quas ad salutem omnium facere credebamus. Nec non de quibus hostis se palmam relaturum sperabat et gloriabatur. Ut videre est in libello, quem nuncupavimus Illustrissimo Principi ac Domino Domino Georgio Marchioni Brandenburgensi etc. flagitante id a nobis generoso Domino Domino Conrado de Kragek.*

*Praesertim autem quid sentiamus de Sacramentis, Baptismo et Caena Domini, hic candide et aperte explicuimus, et non modo ibi, verum in libello etiam aedito pridem a nobis contra Thabroanitas seu Lilecienses, clare et simpliciter fidem nostram exponendam curavimus, nullis anfractibus aut verbis obscuris, huic tractationi interiectis, usi sumus communissima phrasi et usitata, quo facilius intelligeremur ab omnibus.*

*Quanquam autem haec omnia secundum Scripturas congessimus, quo sic hostium animi praemolirentur, ut vel hoc darent gloriae Christi, ne nos posthac suis maledictis proscinderent: vix ta-*

Digitized by Google

*men istud nobis profuturum est, nisi prius audiendae veritati locus detur. Indesinenter enim sua tela, quasi sagittantes ad scopum, in nos collimant furiosi quidam, nosque conviciis incessunt et persequuntur, quaeque etiam scribimus damnant et haereseos accersunt. Suadent enim rudioribus, qui eorum tendicula ignorant, nos aliud scriptis et verbis enunciare, aliud dicere foris, et aliud intus in secessu cordis premere, ut solent, qui (quod aiunt) altera manu ferunt lapidem, altera panem ostentant.*

*Praeterea hoc et quicquid isti belli homines, in nos apud plebem effutiunt, hac egregia ratione, quod videlicet ita sentiant, omnibus plurimum bene probatum putant, eumque ab omnibus haereticum irrefragabiliter (sic enim loquuntur) credi volunt, quemcunque talem esse pronunciaverint, cum tamen is saepe sit inculpatissimus.*

*Sed quia forte qui sic sentit nonnihil eorum ventri et ingluvei detrahit, abusus eorum impios patefacit, veritatem colit et ornat, per paucos denique in Ecclesia primates suum officium facere dicit, et cum Ezechiele, pastores malos appellat, qui sese tantum pascunt et non gregem Domini, ipsis commissum. Ideoque ut hostis Ecclesiae reiicitur, feritur anathemate, flagris et pyrae adiudicatur.*

*Atqui si continuo verum foret, eum haereticum et perniciosum hominem esse, qui talis ab hominibus habetur, quorum multis nunquam rectiora placent, necessario inde colligeretur, Christum quoque cum Apostolis ac omnes denique quotquot steterunt a partibus veritatis perniciosos homines ac impostores extitisse. Nam caput Ecclesiae Christus et omnes Apostoli non minus atque patres nostri, ab ingrato mundo talibus nomenclaturis ac titulis sunt insigniti ac decorati.*

*Porro si id verum esset, ut ipsis placet, nos intus impie sentire omnisque generis sceleribus obnoxios esse, verbis tamen bene profiteri et docere, iam profecto propter hoc posterius bonum, cedendum esse veritati, ac monente Christiana charitate corroboranda esset veritas. Proinde quod in rem omnium sit, non eorum tantum, nemo non videt. Nec equidem nostrum tantum sed et illorum ac piorum omnium est, contra prophanos quosdam Sacramentis Ecclesiae derogantes, ut ea usque apud omnes salva et inviolata maneant, agere.*

*Istud ergo liquet, eos debere aequi bonique facere, quod Sacramenta in suo semper honore et loco, autoritate Scripturarum haberi cupiamus. Atque hoc nomine ut reipublicae Christianae consuleremus, hunc laborem contra adversarios Sacramentorum suscepimus. Et hoc in primis sacerdotum munus erat, non nos suis conviciis impetere. Verum Sacramenta Christi ab his phanaticis spiritibus, qui ea e suo gradu deturbare conantur per Scripturas tueri ac vindicare.*

*Sed nonnulli fortasse inscitia Sacramentorum partes tueri*

Digitized by Google

*prohibentur, alios ut peritiores fere laboris piget, alii videntes se parva dicendi facultate munitos, hoc oneris subire recusant. Proin cum non omnes aequaliter valeant, aut idem possint, et qui huius causae adversariis, opponere patrocinium suum queant, nolint, multas res sacras silentio iacere et obscurari videmus. Et qui hanc causam indefensam reliquerunt, hi sunt, ad quos maxime adtinebat, quique ut iam olim maioribus nostris, ita nunc nobis quoque hoc impingere crimen non cessant, quod Sacramenta, ut quae nihil ad salutem conferant, contemnamus. At hi, cum ea ab adversariis calcari patiantur, huius potius criminis rei sunt, quod nobis obtrudunt. Nam haec convicia, quae ex malitia tantum et odio in nos evomit adversarius, simul cum patribus, alias multis argumentis, revulsimus. Si quando cum huiusmodi hominibus de his rebus disserere pro palam, et libere usu veniret, non operose equidem, eos in horum albo esse ostenderemus, qui acriter et curiose festucam in oculo Fratris viderent, trabem vero in proprio oculo, non animadverterent: et nihil ipsis malorum, quae tamen semper nobis minantur, intentantes, non carcerem, non aculeos, non exilium, non etiam faces ad latera moventes, imo sine rixa, et verborum concertatione, quae non decent Christianos, sed tantum certissimis Scripturae locis, et per ea, quae ipsi operantur et agunt, et in propatulo sunt, Deo adiuti efficeremus, ut suam ipsi culpam et errata fateri cogerentur. Res tota cum modestia et lenitate transigeretur, et nos verum dicere non abnuerent.*

*Nec vero id facere optamus, ut eos in contemptum et ignominiam vocemus, sed tantum ut Christo, tanquam germanos Fratres lucrifaciamus, utque superioris vitae poenitudine ducti, pristinae dignitati restituantur. Non enim Dei gratia adeo sumus Christianae affectionis expertes, quod nos non illorum miserescat. Praesertim cum etiam publicum illis ac sanctissimum Ecclesiae munus demandatum sit, cui cum non respondeant, in sese horribilem Dei iram, mirabiles tenebras et caecitatem experiuntur. Hinc eos denique videmus ob tam insignes lapsus et apertissimos errores, a bona hominum parte vehementer contemptos esse. Quam rem profecto, eorum causa non libenter audimus. Unde cum sint hoc pacto homines erga illos affecti, parum illis fidei habent, et vix unquam de quoquam illorum bene sentiunt aut loquuntur. Qua ratione omnis eorum authoritas ac opinio plurimum imminuta, nulliusque iam fere pensi apud plebem est.*

*Et praedicatio verbi, cui primus ac summus in Ecclesiis honos esse debet, per eos spreta iacet. Nam sicut eorum mores et vita ridetur, ita et omnis administratio, et verbum Dei contemnitur nec aedit inter homines fructus suos. Conscius nobis est Deus, et qui nos etiam exploratos habent, multi homines boni: quam cupiamus, non minus atque maiores nostri, omnibus illis a Deo dari, ut resipiscant aliquando, et ex animo veritatem amplectan-*

Digitized by Google

*tur. Quod si illis hoc divina praestaret bonitas, experientur profecto, nos fideles in ministerio verbi coadiutores, et quidem in Ecclesiis praeesse, et inter administros earum illos primas tenere cuperemus, nec ipsi eos ob Evangelii gloriam, merito honore et obedientia frustraremur.*

*Et quanquam hoc etiam modo maiores nostri citra omnem dolum, tum scriptis, tum verbis, tum modis aliis pluribus, omni in re, se illis morem gesturos recipiebant: haudquaquam tamen persuasum est adversariis, Fratres hoc animo praeditos esse, verum de illis, omnia sinistre interpretabantur, pessimi semper rerum nostrarum censores. Nec aliter ipsis, olim usu venit, atque nunc nobis hoc tempore, tametsi non omnes adeo immiti, praefracto ac ferali animo, erga Fratres fuere. Multi enim positis, odio et ira, bonam de Fratribus opinionem conceperunt, pieque de illis iudicaverunt, ac ipsis nonnulli eorum adiuncti sunt, et inculpate suo munere functi, relictis terris in pace quieverunt.*

*Atque his temporibus plerosque audimus, qui coelestem hanc doctrinam magis propagatam vellent. Sed cum magna sit adversantium vis et authoritas, ut nusquam non maior pars vincat meliorem, nihil moliri ausi, hoc supprimunt, donec Deus haec omnia in melius convertat et ab huiusmodi malis et offendiculis, asserat Ecclesiam. Porro hi omnium maxime, nobis et Evangelio Christi, quod profitemur, adversantur et contradicunt, qui nulla suae salutis et proximi cura tenentur: Sed luculentis tantum sacerdotiis inhiant, ambitiose honores ac summas dignitates aucupantur, consulunt pulvillos sub cubitis manuum, nec aliud quam terram sapiunt, ac de terra loquuntur.*

*Hi sunt, et nulli magis, qui nos semper allatrant, conviciis aspergunt et cum omni Ecclesiae, petulantissima et praeter omnem modum scurrili maledicentia lacerant, et passim per pagos et urbes, exuto omni pudore ac Dei metu, nos iusta plebis opinione fraudant, rident, opprobriis infamant: nec istos tamen quod sciamus, vel minimum unquam laesimus.*

*Sed quia dilatant os suum sine termino et omnes malitiae numeros expleri volunt. Ideo nos cum Anabaptistis, pariter accensuerunt, qui non ita pridem ex variis Germaniae locis, se repientes, in has regiones penetrarunt, ubi cum aliquandiu restitissent, lata in eos demum Principum sententia, inde proscripti sunt.*

*Nos ex factione Anabaptistarum non esse, nemini ignotum est. Nam abhinc plurimos annos, ex Ecclesia Bohemorum, qui sub utraque specie communicant, originem duximus: nec cum Anabaptistis quidquam commune habemus, nec plena eorum erroribus dogmata tuemur, nec quicquam ab illis mutuati sumus: perdiu enim ante congregatio nostra extitit, quam de Anabaptistis quidquam auditum fuerit, aut nomen eorum mundo in lucem prodierit. Quae res omnibus notior est, quam ut scribatur. Et*

Digitized by Google

*tamen adversarij contra suam ipsorum conscientiam, nobis hunc titulum et nomen indere conantur.*

*Quanquam autem maiores nostri itidem, et nos superioribus annis a Romanis sacerdotibus baptisatos, rebaptisare soliti sumus, multo alia tamen mens ac propositum, ac alius deinde finis longeque diversiores causae nobis fuere, quam Anabapistis: Nunc autem iam apud nos rebaptisatio illa abrogata est. Qua de re inter prima, a nostratum Ecclesiae heroibus in hoc libello, Regiae Maiestati, ratio paucis infra redditur.*

*Porro si rebaptisationis gratia a Bohemis iam Rationisantibus sacerdotibus, Anabaptistae censeamur, hoc ipsum telum necessario in eos retorquebitur. Nam et ipsorum patres a pontificiis sacerdotibus Baptismate initiatos, rebaptisabant, pontificii rursus relata talione, Bohemorum Baptisma iterabant. Utrique autem a nobis ac maioribus nostris baptisatos, rebaptisarunt, et vi etiam homines ad hoc suum Baptisma coegerunt. Et non modo id, verum coniugii vinculis astrictos, iterum ac denuo confirmabant: haec neque nos nec praedecessores nostros aliquando fecisse constat. Nec matrimonio ab illis copulatos, rursus a nobis confirmari unquam probatum fuit. Sed obtendunt Sacerdotes, se nihil deliquisse, aut quicquam errasse rebaptisando a nobis Baptisatos. Quandoquidem nos haereticos, sectarios, ab Ecclesiaque excisos credebant: ideo etiam optimo iure Baptisma nostrum nullius nomenti, energiae seu efficaciae aut virtutis, eis esse videbatur, proinde rebaptisabant.*

*At si sicut eis, qui rei agunt suas partes, citra iniuriam tueri licet, ita illis etiam respondere compellimur, quod quemadmodum hi Baptismo aliisque rebus nostris nihil differebant, et nos sic, ac caeteri complures, eadem ratione Baptismum, quem conferebant, irritum et cassum esse ducebamus. Habentes ad haec magnas insignesque occasiones, ab illis eorumque maioribus in concionibus et scriptis praestitas atque oblatas. Romani itidem, retroactis temporibus aperte illos haereseos damnarunt, quamvis ut sementem fecerunt, ita et messuerunt. Nam illi licet modo consilescant, hoc factum tamen olim Romanis abunde, ac cum foenore pensarunt. Tantundem igitur illos a nobis, quam nos ab illis, baptisatos, rebaptisando, commeruisse palam est.*

*Utrisque ergo nostrum, idem luditur, nihilque possunt hic nobis impingere, quod non in eos regeri possit: nisi fortasse hac parte dispares sumus, quod invitos etiam illi absque ullo Scripturae exemplo, praeceptoque, ad id, quod volebant, credendum cogere, hactenus soliti sunt. Hac in re, cum his minime nobis convenit. Neminem enim ad nostram sententiam amplectendam compellimus. Atqui praeterea cum plebs ipsa, suis affectibus indulgens, ad multa supra aequum et iustum*

Digitized by Google

*incogitanter ruat, Sacerdotum intererat illius animos et motus restinguere. Sed magis iam id, quod nemo nisi indignissimus ferat, tantum contra nos omnes exsuscitant. Et in aures eius quicquid ipsis affingere ac comminisci libet, obganniunt. Nec dum eo contenti sunt sacrifici isti, plane nescii pacis et reconciliationis, quod nos Ecclesiamque nostrum, infinitis malis affecerunt ac deformarunt, et plurimos a nobis suis fucis ac mendaciis averterunt. Verum apud Regiam Maiestatem nos calumniose detulerunt, hoc toto molimine agentes, ut nos favore et gratia Regiae Maiestatis exuti, illius indignationem et severitatem experiremur.*

*Eorum ergo opera et studio, eo res deducta est, ut ipsi voti sui compotes facti, Regiae Maiestati, alioqui suopte ingenio clementissimae, miris artibus persuaserint, ut Regia Maiestas non ita pridem quendam ex nostratibus sacerdotem, in carcerem coniici non abnuerit. Ideo hoc nomine potissimum Ecclesiae nostrae heroes, ac alii generosi viri complures, quosdam ex Ecclesia ad id negotii tractandum diligentes, ad Regiam Maiestatem mittere coacti sunt. Adeoque hunc libellum per eosdem offerendum R. M. curarunt.*

*Hanc etiam ob causam hi heroes hoc faciendum esse censuerunt, quandoquidem purissima nastrae fidei, dogmatumque confessio non semel facta, nunquam tamen, quomodo vel a maioribus nostris, vel a nobis reddebatur, suscipi potuit. Si fortasse nostratium Ecclesiae, divina bonitas id praestaret, ut vel nunc ab adversariis, horum heroum authoritate, testimonio et fide, qui omni commendatione virtutis in hoc regno nullis inferiores sunt, nostra haec fidei ratio confessioque non odiose et gravatim recipiatur.*

*Nam cum optimi heroes hi, ex Ecclesia nostra sint, omnes illius ritus, doctrinam et religionem integre norunt. Proinde eorum testimonium et fides omnibus esse debet ratissima indubitabilisque. Alios testificari super rebus nostris oportere docet Christus, qui rogatus ab Anna Pontifice, de doctrina sua, respondit, de ea a discipulis percontandum esse et auditoribus suis. Quid me, inquit, interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid locutus sum ipsis. Ecce hi sciunt, quid dixerim ego.*

*Quare hoc Christi paradigmate, ducti amplissimi heroes illi, fidei nostri atque dogmatum rationem in hoc libello compendiosissime reddunt. Unde speramus apud omnes bonos et Christianae doctrinae candidatos lectores, horum magnatum testimonium et authoritatem plurimum valituram, quemadmodum et ore divino sancitum est. In ore duorum aut trium testium constabit omne verbum.*

*Rogamus autem et obsecramus per Dominum fideles omnes, ne posthac de nobis assentiantur ullis calumniosis sermonibus. Verum persuassimum habeant, haec dogmata et hunc religionis modum, nihil a saeris literis dissidentem, inter nos extare et*

Digitized by Google

*teneri, quem hic libellus, Regiae Maiestati oblatus, breviter exponit. Et nos antea saepius, atque adeo patres nostri multis voluminibus aeditis, testati sunt.*

*Cum ergo retinemus Christianam doctrinam, nec in ullam sectam deficimus, viderint adversarii, cur sic omnis Christianae indolis obliti, hanc de nobis famam ferant.*

*Palam est nos non infideles aut Ethnicos esse, sed Christianos, de Scripturis recte sentientes, ac Ecclesiae Christi membra, non haereticos. Nos enim omnia amplectimur et retinemus, quae verae Ecclesiae sunt, et sine quibus nusquam ea in terris esse potest.*

*In primis literarum sacrarum authoritatem, augustissimam et sacrosanctam esse ducimus, nec ea inter omnium scripta, quidquam prius aut antiquius habemus et huic tantum subnixa est Ecclesia nostra, ab ea pendet et, regitur.*

*Item, fidem sanctam et Apostolicam, sine qua Deo placeri non potest, quaeque in Symbola duodecim articulis deducitur, corde credimus ac ore confitemur, Iesum Christum Dei Filium, unum Dominum et servatorem nostrum colimus et veneramur, illumque invocamus ac in eo uno omnem salutis spem defiginus. Et per Baptisma ab eo institutum omnes ipsi Ecclesiae consecramus. Munus seu ordinem Ecclesiasticum, qui sacerdotium, et claves regni Dei dicitur, habemus, ac eo utimur. Sacramentum corporis et sanguinis Christi sub utraque specie omnes promiscue suscipimus. Deo soli solumque per Christum fidendum novimus: nec impiae ulli doctrinae patrocinamur, nec hostes Christianismi sumus nec in Christianam religionem blasphemi, ut nobis obiiciunt, qui nunquam maledicendo satiantur.*

*Evangelium enim, quod vehiculum est aeternae vitae, et quod Paulus aliis verbis effert, potentia Dei ad salutem omni credenti, unice diligimus, complectimur ac tenemus: Huc nos ipsi atque adeo alios hortamur, in eoque uno per Christum puppim et proram, quod patres dicunt, salutis omnium collocamus. Haec certe firmissime demonstrant, nos, quemadmodum et praedecessores nostros, ex Ecclesia sancta et Catholica esse, nec ab ea in ritibus, doctrina verbi, religione, functione clavium, Sacramentorum administratione, vel tantillum dissidere.*

*Ad id quoque contendimus, ut in Ecclesia permanentes a morte aeternis gaudiis potiamur.*

*Quanquam autem nunc iuxta externam faciem, et modum peculiarem habemus congregationem, hoc tamen apud nos non ob aliud fit, quam ut commodius doceamus verbum, ministremus Sacramenta, controversias et lites, si quando inter Fratres exoriantur, et nos consulant, dirimamus. Et ad Ecclesiasticam disciplinam exercendam, erga eos qui correctione digna committunt, quique manifestis flagitiis infames resipiscere nolunt, ut excommunicatione ab Ecclesiis arceantur. Ubi vero resipuerunt, rur-*

Digitized by Google

*sum ad consortium Ecclesiae et Eucharistiae Sacramentum admittantur. Non igitur ab Ecclesia catholica segregamur, cum earum rerum omnium, quae propriae Ecclesiae sunt, usum habeamus.*

*Quantum vero attinet ad externos ritus aut ceremonias, sicubi dissimiles in Ecclesiis sint, nihil referre putamus, nam apud alios aliae pro gentium ac locorum varietate, inter Christianos existunt. Mutantur ceremoniae, non mutatur fides, Christus aut verbum. Non ergo aliae ceremoniae, si minus pugnent verbo Dei incommodant Christianismo, nec separant ab Ecclesia: Non enim haec religio aut Christiana pietas, in ceremoniis aut ritibus externis sita est, sed in spiritualibus bonis, iustitia, fide, gaudio, pace et vero cultu, iacto fundamento (ut Paulus ait) Apostolorum et Prophetarum, summo angulari lapide Christo Iesu, in quo quaecunque structura coagmentatur, ea crescit in templum sanctum in Domino.*

*Faxit autem, quae sua est bonitas Trinae illud semper adorandum beatitudinis numen, ut in Christo omnes usque charitate et fide omnisque aliis divinis dotibus adolescamus. Utque alii aliorum infirmitates, lapsus ac errata, quae et Deus ipse pater indulgentissimus tolerat, patienter ferre studeamus eaque verbo eius invicem nobis ipsis ostendentes, fraterna dilectione corrigamus, quo ad poenitentiam agnitionemque veritatis revocemur, atque in ea perstantes, aeternam vitam possimus adipisci, et Deo, cui omnia accepta ferenda sunt, pro sua inexhausta bonitate, divitiasque gratiae, quibus cumulamur, quas possimus, gratias habeamus. Facessant ergo calumniae procul: absit hostilis animus, pellatur omnis amarulentia ac odium in fratrem, tollantur inimicitiae, dissidia et rixae, perennis ineatur pax, diligamus invicem, ut in Evangelio consentiamus omnes. Praestet haec nobis omnia propter Christum beatissimus Deus e supernis, per Spiritum suum. Amen.*

---

## PRAEFATIO BARONUM
### ET NOBILIUM ECCLESIAE PICARDORUM, UT VOCANT, CONSENTIENTIUM.

*QUONIAM multi, si alias unquam, nunc magis (paratiores profecto semper bona carpere, quam imitari) propter sua deliramenta et insanias hoc nobis crimen intendunt, quod haereticis quibusdam subscribamus, eorumque errores tueamur et propugnemus. Ne quis ideo haec nobis iuste impingi putet, visum est hic ea paucis revincere.*

*Quanquam enim eorum Ecclesiae nos adiunximus, qui Fratres vulgo vocantur, ab adversariis vero, quibus, quia venenum aspidum sub labiis est, ut Psaltes ait, in nigra semper candida*

Digitized by Google

*vertunt, Picardi et Valdenses in contemptum cognominantur, non tamen hac gratia nos illis copulavimus, quod haeretici dicerentur: Quis enim lubens errare velit, aut pro luce tenebras accipere. Sed quia re ipsa, tales eos esse cognovimus, quibus inprimis omnis astucia et dolus displiceat: quodque in omni synceritate, in re et negotio salutis, divinis tantum eloquiis et fide, quae in Christum est, ac veterem orthodoxorum sententiam imitantur.*

*Quare nos verbum Dei ab eis audientes, per illud veritatem, quae nos salvos reddere possit, docti sumus. Persuasissimum itaque nobis est, hoc ipsum verbo Dei, ut lidio lapide indicante, sacerdotes nostros, cum septa ipsa Evangelicae doctrinae non transiliant, nullis haeresibus addictos, sed ministros Christi ac veros vicarios esse, quibus parendum esse, ipsa veritas monet dictatque. Quo certe minus fas est, ut cum his sanctorum communio detrectetur haberi, praesertim astringente nos ad hoc, ipso Symboli Apostolici articulo, Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.*

*Iudicet igitur pius lector, an eo habendi sumus haeretici, erorumve fautores, quod hominibus, etsi plurimum mundo despectis ac vilibus, piis tamen ac vere Christianis adsensi sumus. Quamvis nequissimi homines, quorum os redundat malitia, et semper mendacia ac dolos lingua eorum concinnat, multo secius iudicent, ac in eos gravissima probra iacientes, ut ab omnibus haeretici audiant, conentur efficere. Sed nemo haec, de quibus accusantur, nisi plane communis sensus expers, si audierit, ita haberi dixerit.*

*Valeat ergo hoc scelestissimum genus hominum, qui semper in lucem suas offundunt nebulas. Si enim ob haec tantum, nempe religionem et doctrinam, quae sycophantae et adversarii damnant et persequuntur, haeretici habeamur, non minus equidem divo Paulo, simulatque Apostolis omnibus haereseos crimen intentaretur, Paulus enim ingenue profitebatur, se ex ea secta esse, quam tum homines impii, qui in eum semper tumultus excitabant, omnium malorum sentinam, turbantem respublicas, pestiferam et exitialem esse dicebant. Ad hunc enim modum foelicem ipsum affatur praesidem in urbe Caesarea: Confiteor, inquit, hoc tibi, quod iuxta viam, quam vocant haeresim, sic colo patrium Deum, credens omnibus, quae in lege et Prophetis scripta sunt.*

*Ut ergo nullis clam esset, nos vere Christianos et fideles esse, non haereticos: earum rerum, quas tantum nostrae salutis nomine complexi sumus, quasque etiam cum tota nostratium Ecclesia, ab illius ministris publice et privatim docemur.*

*Regiae Maiestati, Domino nostro clementissimo hanc nostrae simplicissimam fidei rationem reddidimus. Quam ut omnibus aliis etiam, qui haec scire dignabuntur, manifesta fieret, excudendam*



Digitized by Google

*typis curavimus. Unde poterit haec legens, quicunque pietatis studiosus est, quam vera sint, quae de nobis iactantur, pro sua modestia iudicare.*

---

## SUMMA RATIOQUE FIDEI AC DOGMATUM,

quae quidem tum per Regnum Bohoemiae Marchionatumque Moraviae, tum alias quoque a nostrae professionis senioribus, omnibus eodem animo praeditis, de Iustificatione, in Ecclesiis nostris docentur, Primum Regiae Maiestati, deinde piis omnibus et candidis lectoribus, sincere ac simpliciter oblata atque exhibita.

---

*Articuli seu Themata Confessionis.*


I. De Scripturis sacris.
II. De Catechismo.
III. De fide sanctae Trinitatis.
IV. De Peccato, et sui ipsius cognitione.
V. De Poenitentia.
VI. De Christo Domino, et fide in ipsum.
VII. De bonis operibus.
VIII. De Ecclesia sancta Catholica.
IX. De Praefectis seu ministris Ecclesiae.
X. De Verbo Dei.
XI. De Sacramentis.
XII. De Baptismo.
XIII. De Coena Domini.
XIV. De Clavibus Ecclesiae.
XV. De Caeremoniis.
XVI. De Magistratu, seu potestate seculari.
XVII. De Sanctorum cultu.
XVIII. De Ieiuniis.
XIX. De Coelibatu.
XX. De Tempore gratiae.


---

QUANQUAM autem retroactis temporibus, ab Ecclesiastis nostris, huius, quam tenemus, fidei religionisque, tum etiam doctrinae, ratio reddebatur saepissime, Regibus, Principibus, ac demum omnibus, qui eam sibi reddi postularent, et in ecclesiastica et seculari potestate constitutis. Visum tamen nunc nobis ope-

Digitized by Google

rae precium est, rebus etiam non paucis ad id monentibus, uti iuxta hosce articulos, qui nobis, praesertim hoc tempore, aliis esse communiores, ac magis praecipui videbantur, tuae Regiae Maiestati, de ea doctrina, quam ab illis accepimus, quam compendiosissime fieri posset, rationem reddoremus, ut nullus nesciat, iniuste omnia nobis ab adversariis huius doctrinae infligi, de quibus apud Regiam Maiestatem tuam, ut nobis nostratibusque vis adferatur, accusamur.

## *DE SCRIPTURIS SACRIS.*

### *Articulus I.*

PRincipio, nostri omnes unanimi consensu docent, scripturas sacras, quae in Bibliis ipsis continentur, et a patribus receptae, auctoritateque Canonica donatae sunt, pro inconcusso veris certissimisque habendas: ac quorumcunque aliorum scriptis, ut sacra prophanis, et humanis divina, per omnia praepositos iri oportere. Illisque integre ac simpliciter credendum esse: nec non dogmata veritatis, per quae homines ad salutem et iustitiam, per fidem instituantur ac formentur, ex illis petenda esse.

Proinde quod a Deo ipso, Petro et Paulo, praeter alios id astruentibus, traditae et inspiratae sunt, hancque ob causam potissimum, ut ab omnibus intelligantur, eas ecclesiis nostris, lingua vulgari et patria, praesertim vero Evangelia ipsa et Epistolas, ut in veteri ecclesia fieri solitum est, legunt ac recitant. Indeque etiam documenta, exhortationes, ut poscunt res et negotia, concionesque frequenter ad populum publice fiunt.

Scripta autem Doctorum ecclesiae, praecipue veterum itidem pro veris fideque dignis haberi, utiliaque esse ad instituendam plebem, dicunt. Attamen in quibus a divinis Scripturis non dissident. Sic enim et ipsi sua teneri volunt, ut eatenus illis fides habeatur, utique eis liceat, quatenus eis cum divinis scripturis conveniat. De hoc Augustinus in praefatione libri tertii de Trinitate. Noli inquit meis literis, quasi Scripturis canonicis inservire, sed in illis, et quod non credebas, cum inveneris, incunctanter crede: in istis autem, quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmiter tenere. Et alibi: Noli meis neque Ambrosii verbis peraeque credere, ut Scripturae canonicae. Et habetur in Decretis distinctione nona.

## *DE CATECHISMO.*

### *Articulus II.*

Hinc Catechismum docent, hoc est, Catholicam hanc et orthodoxam Patrum doctrinam: quae Decalogus est mandatorum Dei, et fides Apostolica, in duodecim Articulos digesta, et tradita



Digitized by Google

in Symbolo per Nicenam Synodon, atque adeo alias confirmata et exposita: denique Precatio dominica. Haec autem omnium sanctissima, bonam, beneplacentemque Dei voluntatem esse, constanter affirmant.

Deinde praecepta haec, opere ac corde, cum quidem lex spiritualis sit, servari, fidei etiam articulos omnes indubitato credi, oreque confiteri, et opere testari oportere docent; ac eos Scripturis, pro viribus communiunt et roborant, simplicem eorum sensum, et si quid in eis abditum aut abstrusum sit, ad quidve faciat hoc quicquid est, ex eisdem Scripturis fuse ac aperte explicare conantur.

Idem docent, Deum tantum per nomen solius Christi mediatoris, orandum ac invocandum esse. Non autem pro semetipsis tantum, verum pro Christianis etiam omnibus, ubiubi tandem terrarum sint, homines orare docent, pro omnibus Ecclesiae praefectis: item pro omnibus in eminentia et quavis potestate, ad alios regendum, constitutis.

Maxime vero, et primum pro Caesaris semper Augusti celsitudine ac incolumitate et pro Regiae Maiestatis tuae fastigio ac successu, consiliariisque omnibus, multis precibus Deum implorantes, ut Regiae Maiestati tuae, et Carolo Caesari semper Augusto invictoque, omnia e re totius Ecclesiae, prosperet ac fortunet, et imperium quam latissime proferat, ut ad omnes, qui Regiae Maiestati tuae subduntur ac parent, Deique ac Christi eius cultores veri sunt, clemens tibi ac propitium pectus praestare dignetur. In summa iuxta Christi et Apostolorum praeceptum, Ecclesiaeque primitivae exempla indiscriminatim, pro omnibus amicis pariter ac inimicis, orandum esse docent. Atque ob id studiosius populum ad conventus solennes convocant, eumque ibi ad preces ardentiores, omni diligentia hortantur.

Hoc salutari Christianoque Catechismo, non modo provectiori aetate homines instruunt, verum pueros ipsos etiam, ut a primis statim annis huic adsuefiant, et veram religionem ac pietatem discant: Ideoque privatos etiam cum illis seorsum celebrant conventus, parentes eorum ac susceptores admonentes, ut in hac eos doctrina sacra diligenter instituant, pro ipsisque ac aliis omnibus, Christo Domino consecratis infantibus, pias Deo ipsi offerant preces.

Quicquid autem huic pio Christianoque Catechismo fuerit adversum, reiiciunt, certisque Scripturae argumentis, prout illis sufficit omnium Dominus vives, revincunt ac confutant, populumque, ut illud caveat, praemonent.

## *DE FIDE SANCTAE TRINITATIS.*

### *Articulus III.*

Praeterea fide nosci Deum, Scripturis docent, Unum in substantia divinitatis, Trinum autem in personis, Patrem, Filium, et

Digitized by Google

Spiritum sanctum: Ex parte quidem personarum, habere discrimen, ex parte vero essentiae ac substantiae coaequalitatem et indistinctionem: Id autem fides catholica et Nicenae Synodi, aliarumque cum hac idem consensus, decreta et sanctiones, Athanasiique confessio seu symbolum aperte testantur.

Hinc etiam docent, eiusdem unius Dei summam potentiam, sapientiam et bonitatem. Tria quoque praestantissima eius opera ipsi soli, et nulli praeter eum congruentia. Opus scilicet creationis, redemptionis, conservationis seu sanctificationis. Docent insuper, hunc solum verum Deum, in una divinitatis essentia, et personarum trinitate beata, semper adorandum, venerandum, summaque reverentia, honore et laude colendum, ut omnium Dominum ac Regem summum, in aevum regnantem: Ab eoque solo pendere omnia, expectare et petere. Illi soli summam subiectionem, obedientiam, timorem fidemque exhibendam, atque ob hoc omnem religionis cultum syncere observandum, et id quidem qui non facit, damnationem sibi acquirere. Deuteronomii sexto, Dominum Deum tuum adorabis, et illum solum coles. Iterum, Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, et ex tota anima et mente tua: Et in summa, ex omnibus, tam internis quam externis viribus tuis.

## *DE PECCATO ET EIUS FRUCTU AC SUI IPSIUS COGNITIONE.*

### *Articulus IV.*

Hic docent, ne peccata ignoremus, quae cum in proximos, tum in Deum admittuntur et fiunt.

Primum, ut homines sese in peccato et conceptos et natos, atque mox ab ipsa natura et utero peccatores esse, et subinde ab ipsa pueritia legem Dei, corde et opere praevaricantes, peccatorum mole pressos ac gravatos agnoscant, uti scriptum est. Dominus, cum de coelo prospiceret super filios hominum, ut videret an esset, qui aut saperet, aut numinis curam gereret: Hic omnes defecerant, omnes pariter corrupti sunt, nullus quod rectum est faciebat, ne unus quidem. Iterum: vidit Deus, quod multa malitia hominum esset super terram, et omnis cogitatio cordis illius in malum esset conversa omni tempore: Et rursum, Dixit Dominus ad cor suum, Sensus et cogitatio humani cordis, mala ab adolescentia sua. Paulus etiam: Eramus, inquit, filii irae natura, quemadmodum caeteri.

Deinde docent ex Scripturis, Quod homines agnoscere debeant, propter hanc sui ipsorum depravationem ac corruptelam, et propter peccata, ab hac radice nascentia, dignam sibi imminere perditionem, formidabilem Dei vindictam impendere, et dignam suis factis, gehennae poenam propositam esse. Authoramentum enim, ut inquit Paulus, peccati mors. Item Dominus in Evange-

Digitized by Google

lio: Ibunt qui mala egerunt, in supplicium aeternum, ibi erit fletus et stridor dentium.

Ad haec docent, Necessum esse, ut animadvertant omnes, ac norint infirmitatem suam, extremamque inopiam et mala, in quae ob peccata coniecti sunt, quodque se ipsos modo nullo servare, nullisque suis operibus aut studiis iustificare possunt: Nec quicquam habere praeter Christum solum, cuius fiducia a peccatis, Satana, ira Dei, et morte aeterna, sese redimant ac liberent. Itemque nihil esse in hominibus, quo coram Deo alter alteri suppetias ferre queat: Siquidem aeque omnes peccato obnoxii sunt, et iustitia Dei vacui, ut per Prophetam dixit: Reduc mihi in memoriam (ut scilicet homo quisquis es) et iudicemur; simul narra, si quid habes, ut iustificeris: pater tuus primus peccavit, et interpretes tui praevaricati sunt in me. Item Ceremoniae et sacrificia tua mihi displicuerunt: nec apparatus thuris abs te probavi. Sed nec adipe sacrificiorum tuorum me satiasti. Paulus etiam ad Hebraeos: Sacrificium et oblationem noluisti, et holocaustomata pro peccato non comprobasti, aut requiris.

Insuper docent: omnia incommoda et afflictiones, quibus hic quatimur conflictamurque, meritissimo iure a Deo ob peccata hominibus infligi, seu propositas esse, ut aestus, frigora, fames, sitim, labores omnes, curas, infortunia, moestitudines, taedia, languores varios, ipsam denique mortem, sicut scriptum est, In quacunque die comederis ex eo, morte morieris. Et: Maledicta terra propter te: In labore comedes ex ea omni tempore, omnibusque diebus vitae tuae, spinas et tribulos germinabit tibi.

Attamen omnia haec incommoda, patienter nobis ferenda docent, utpote adhuc graviora commeritis. Non tamen quod per huiusmodi, quotquot sunt, malorum sustinentiam, sibi vitam aeternam quisquam promereatur, Cum Apostolus praedicet, non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur erga nos: Sed ut scelerum suorum magnitudinem, suamque imbecillitatem ad miseriam omnes noscant intelligantque, quam malum et amarum sit, ut Propheta dicit, relinquere Deum suum. Utque his malis onusti ac pressi, expergefiant, et excitentur, ad quaerendam gratiam ac opem Dei, qui misericors est miserator, et multus ad ignoscendum.

## *DE POENITENTIA.*

### *Articulus V.*

HOc loco docent, Poenitentiam esse, quae ex peccatorum et irae divinae agnitione nascitur, quae per Legem Dei, primum dolores et terrorem conscientiae incutiat: Scilicet cum verbo Dei intus arguuntur peccata, et redditur mens male conscia sibi, inquieta, praetristis et desperabunda, cor anxium, confractum et pavidum, ut homo per se nulla re prorsus erigi possit, aut con-

Digitized by Google

solationem nanciscl, sed totus afflictissimus est, spiritu defecto ac trepidante, et ingenti horrore concussus, a conspectu irae Dei, ut David de se ait. Quoniam non est sanitas in carne mea, propter indignationem tuam. Non est pax ossibus meis, propter peccatum meum. Miser factus sum, et curvatus sum nimis, tota die contristatus ingrediebar. Interim docent, ne sic pavefacti et territi desperent: sed ut ad Deum toto corde redeant, et fide in Christum, quae pars quoque poenitentiae est: misericordiam apprehendant dolentes, se peccasse: Etsi enim omni iustitia vacui sint, divinam tamen gratiam et clementiam implorent, ut sibi ipsis misereatur, et peccata condonet propter Christum eiusque meritum, qui nostra causa factus est peccatum et maledictum, ut pro peccatis nostris Iustitiae Dei satisfaceret.

Suntque sic affectis, divinae promissiones inculcandae. In die tribulationis tuae invoca me, eripiam te et glorificabis me. Et hanc poenitentiae formam, per omne vitae tempus, cum opus est, teneri docent. Eos etiam, qui sic resipiscunt, docent, quod apud Esaiam scriptum est, ut desinant perverse agere, discant autem benefacere. Idem et Ioannes praecursor Domini. Facite (inquit) dignos fructus poenitentiae. Consistit autem in hoc maxime poenitentia, ut mortificetur vetus homo, ac deponatur cum actis et concupiscentiis suis, induaturque novus, qui secundum Deum creatus est. Colossenses tertio.

Itidem docent, ut poenitentes Sacerdotem accedant, peccataque sua Deo ipsi coram illo confiteantur, tametsi non praecipimus neque exigimus enumerationem peccatorum, consilium autem modumque vitandi peccata, et per claves Ecclesiae absolutionem ab ipso petant, ut remissionem peccatorum, per huiusmodi ministerium, sic a Christo institutum, consequantur.

Item docentur homines, ut absolutionem magni faciant, credantque indubitate fieri, quod per claves promittitur, cum vox Christi sit, et mandato eius expressa, Iohannis vigesimo: Accipite Spiritum sanctum, cui remiseritis peccata etc. Sciantque clavium usu ac ministerio, Christique autoritate verborum, sibi omnia peccata condonari.

Docent etiam, absolutos, id est, quibus per Christum peccata remissa sunt, ut gratiae Dei, in Christo acceptae, grati sint, ne in vanum eam recipiant, neu etiam in peccata relabantur, iuxta illud. Vade et posthac ne peccaveris, ne quid deterius tibi contingat. Item; Si volentes peccaverimus, post acceptam cognitionem veritatis, non ultra pro peccatis reliqua est hostia, sed terribilis quaedam exspectatio iudicii et ignis vehementia.

Etiam docent, fundamentum et omnem virtutem poenitentiae in merito mortis Christi consistere. Lucae vigesimo quarto, Sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertia die, et praedicare sub nomine eius poenitentiam ac remissionem peccatorum in omnes gentes. Et iterum: Resipiscite et credite Evangelio.

Digitized by Google

Item docent, ut qui in Dei nomine dum in vivis est, poenitentiam agere neglexerit, eum malo exitio perdendum, iuxta Christi verbum: Dico vobis, nisi resipueritis, omnes simul peribitis.

## *DE CHRISTO DOMINO, ET FIDE IN IPSUM.*

### *Articulus VI.*

Omnium primo docent, certam firmamque fidem habendam de Christo Domino, quod scilicet verus, et natura Deus sit simul et homo, per quem facta sunt omnia, in coelis et in terra, visibilia et invisibilia. Quem Ioannes aeternum verbum vocans, Deum esse lumen, filium unigenitum in sinu patris manentem, plenum gratiae et veritatis interpretatur. Idem in priore Epistola capite quinto: ipse (inquit) est verus Deus, et vitae aeterna. Itemque de operibus eius ad nostram salutem editis, incarnatione, nativitate, passione, morte, sepultura, resurrectione, ascensione in coelos, consessu ad dexteram Dei, deque reditu ad iudicandum vivos et mortuos, et quod per verbum ac Sacramenta, boni fructus in nos, ut salvi fiamus, derivantur ac emanant, ut scripturae arcanae habent, edisserunt.

Docent praeterea, Christum modo illo sensibili et corporali, quo in terris olim mortalis conversabatur, et prodi, tormentisque affici voluit, ac ligno suffixus, mortem oppetiit, deindeque gloriose resurgens per durum saxum, atque clausum ostium penetravit, iam non esse in mundo, neque fore donec finiatur mundus: Esse autem hoc modo in coelis, ubi una cum Patre, eum omnis lingua confiteri, et pii omnes venerari debent. Hoc et fidei articulus clare testatur, Ascendit in coelum, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Et Paulus Thessalonicenses quarto: Ipse Dominus cum clamore et voce Archangeli ac tuba Dei descendet de coelo. Item Petrus in Actis. Quem oportet quidem coelum accipere usque ad tempora restitutionis omnium. Et Marci ultimo, Itaque Dominus, postquam locutus fuisset eis, receptus est in coelum, et consedit a dextris Dei: Angeli autem assistentes, dixerunt ad illos: Hic Iesus qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum.

Hic vero in terris etiam Christum ipsum verum Deum et verum hominem nobiscum quoque esse docent. Ratione tamen et modo existentiae a priore diverso, nempe invisibili, insensibili, sed tamen vero, et ad salutem nostram necessario: Per hunc enim is in nobis operatur, ut nos in illo, et ipse in nobis sit, idque per Spiritum sanctum et dona ipsius, quem suae visibilis essentiae loco se missurum Ecclesiae suae recepit, per quem potentia, gratia, bonitate et veritate sua, qua sibi obedientes salvos reddit, manet in ea cunctis diebus, usque ad consummationem

Digitized by Google

seculi. Ioannis decimo sexto: Expedit vobis, ut ego vadam, si enim non abiero, consolator ille non veniet ad vos: Sin autem abiero, mittam eum ad vos. Rursum: Ego rogabo patrem, et alium (quam scilicet me) consolatorem dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere; qui non vidit eum neque novit eum, vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manet, et in vobis erit. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos, per hunc scilicet Spiritum veritatis.

Hic autem Scripturae sensus haud quaquam confictus ac recens est: nam et in veteri Ecclesia docebatur vulgo, et tenebatur constanter, ut habetur in Decretis, distinctione secunda, capite primo. Et sunt Augustini verba: Donec mundus finiatur sursum est Dominus. Sed tamen hic nobiscum est veritas Domini: Corpus enim, in quo resurrexit, in uno loco esse oportet, veritas autem eius in omni loco diffusa est. Quamobrem docent: Christum Dominum hoc suo altero existendi modo, quem nos invisibilem vocamus, esse in ministris Ecclesiae, verbo et Sacramentis, et per haec postea omnes eum in se sic fide recipere debent, ut per eam cum eis inhabitet, insitque per Spiritum veritatis, de quo dixit, In vobis erit. Et iterum, Veniam ad vos etc.

Porro etiam docent: per Christum homines gratis fide in Christum, per misericordiam iustificari, salutem et remissionem peccatorum consequi, citra ullum humanum opus et meritum. Solam itemque eius mortem ac sanguinem, ad abolenda et expianda omnia omnium hominum peccata sufficere docent. Sic enim in Actis Petrus concionatur. Non est in alio quoquam salus, quam in uno Domino Iesu; nec aliud est nomen sub coelo datum inter homines, in quo nos oporteat salvos fieri. Iterum: Huic omnes Prophetae testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum accepturus sit in nomine eius, quisquis crediderit in eum. Et Paulus ad Hebraeos: per semetipsum purgationem peccatorum fecit. Ac rursum: Per quem habemus redemptionem, per sanguinem eius, remissionem peccatorum. Et Iohannes: Advocatum habemus apud patrem, Iesum Christum, iustum, et ipse est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Rursum Paulus: Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel peractam. Et nonnihil inferius: Unica enim oblatione perfectos effecit in perpetuum eos, qui sanctificantur.

Docent ad haec, ut omnes homines ad solum Christum, provenia et remissione peccatorum suorum, pro salute, et quavis alia re impetranda, per omne suae vitae tempus accedant. Hebraeos quarto: Habentes igitur Pontificem magnum, qui penetravit coelos, Iesum Christum, Filium Dei, teneamus professionem (eius scilicet fidei de Christo:) et subinfert: Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiae, ut consequamur misericordiam, et gratiam inveniamus, ad oportunum auxilium. Et Christus ipse

Digitized by Google

clamat: Si quis sitit, veniat et bibat. Qui veniet ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam.

Item docent: in eo uno fiduciam omnem et spem deligendam esse, in eumque etiam omnem curam reiici debere. Et quidem his addunt, propter ipsum tantum, eiusque solius merita, Deum placari et propitium esse, nos diligere, tueri, et pro filiis habere vitamque aeternam in eo esse, ac eam per ipsum possessuros, quotquot illi fidunt. Ioannis 6: Qui credit in me, habet vitam aeternam. Iterum: Haec est autem voluntas eius qui misit me, ut omnis qui videt filium et credit in eum habeat vitam aeternam, et ego suscitabo eum in novissimo Die.

Item docent, quod nemo fidem hanc suis viribus, voluntate et arbitrio habere potest: donum equidem Dei est, qui ubi, et quando illi visum est, eam per Spiritum sanctum in homine operatur, Ut ad salutem, quicquid ei per verbum externum et Sacramenta, a Christo instituta, rite fuerit administratum, percipiat.

De hoc Iohannes Baptista Domini ait, Non potest homo habere quicquam, nisi fuerit illi datum e coelo. Et Christus ipse: Nemo (inquit) potest venire ad me, nisi Pater, qui miserit me, traxerit eum. Et paulo inferius: Nisi datum ei fuerit a Patre meo, scilicet per Spiritum sanctum.

Pergunt docendo, Sola fide seu fiducia in Iesum Christum iustificari homines coram Deo, sine ullis eorum studiis, meritis, et operibus. Ut Paulus dicit. Porro ei qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiam. Iterum: Nunc vero absque Lege iustitia Dei manifestata est, dum comprobatur testimonio Legis ac Prophetarum. Et haec iustitia per fidem Iesu Christi, etc. Alibi: Per hunc omnis, qui credit, iustificatur. Et hic sextus articulus, apud nos omnium maxime principalis habetur, ut qui totius Christianismi ac pietatis summa est. Proinde eum nostri omni diligentia et studio docent ac tractant, omnibusque insinuare conantur.

## *DE BONIS OPERIBUS.*

### *Articulus VII.*

HIs addunt, ut qui sola Dei gratia, fideque in Christum, iustificati sunt, bona opera, quae Deus praecipit, faciant, digneque in eis quisque iuxta vocationem suam, in quocunque vitae genere, statu, ac aetate ambulet. Sic enim Dominus apud Matthaeum: Docete eos (inquit) servare omnia, quae praecepi vobis. Verum, cum de hoc multa passim extent in Scripturis, pluribus agere supersedemus.

Atqui etiam docent, qua potissimum ratione et consilio, bona opera sint facienda, non ideo scilicet, ut per ipsa homines iustificationem, salutem, peccatorumve remissionem se consequi arbitrentur: Nam et ipse Dominus ait, cum feceritis omnia, quae

Digitized by Google

praecepta sunt vobis, dicite servi inutiles sumus. Rursum Paulus: Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro in conspectu eius. Item David: Non intres Domine in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Sed facienda ideo bona opera docent, ut per ipsa approbetur fides: Sunt enim bona opera certa testimonia, signacula et indices, latentis intus vivae fidei, et fructus eiusdem, per quos dignoscitur arbor bona aut mala, Matthaei septimo. Item ut per ea firmam certamque efficiant suam vocationem, atque in ea sine peccato serventur. Ut Petrus habet Epistolae posterioris capite 1: Fratres, operam date, ut vocationem vestram atque electionem firmam faciatis. Et rursum: Omne adhibite studium in hoc, ut refugiatis a corruptione quae est in mundo per concupiscentiam, et subministrate in fide vestra virtutem, in virtute vero scientiam, etc. Sequitur: Haec enim cum vobis adsint et exupérent, haud otiosos, nec in irritum laborantes efficient vos, ad Domini nostri Iesu Christi cognitionem.

Hanc etiam ob causam bona opera fieri docent, ut abunde subministretur introitus in aeternum regnum, atque inde copiosior merces a Deo referatur. 2 Pet. 1. Haec enim si feceritis, non labemini unquam, Siquidem ad hunc modum, etc.

Praesertim autem, per misericordiae opera et charitatis in proximum, eleemosynas, infirmorum curam, aliorum institutionem, et hoc genus alia, quae promissionem gratiae et premii habent, id fieri docent. Lucae sexto: Estote misericordes, sicut et pater vester misericors est. Date, et dabitur vobis. Remittite, et remittetur vobis. Alibi: Vendite, quae possidetis, et date eleemosynam. Parate vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in coelis. Iterum: Cum facis convivium, voca pauperes et debiles etc. et beatus eris, quia non possunt rependere tibi, rependetur enim tibi in resurrectione iustorum. Et Matthaei vigesimo quinto: Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum vobis ab exordio mundi, esurivi enim, et dedistis mihi edere, sitivi, etc. Amen dico vobis, quod fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Opera ergo in fide facta, placent Deo, et suam mercedem habent in hac vita, et in futura.

Docent etiam, universa bona opera in nomine tantum Christi servatoris, ad gloriam Dei esse facienda, ut Paulus scribit primae Corinthiorum decimo et Colossenses tertio: Quicquid egeritis sermone aut facto, omnia in nomine Iesu facite. Et ipse Dominus, Sine me (inquit) nihil potestis facere, scilicet quod Deo gratum, vobisque ad salutem profuturum sit.

Caeterum docent, ut sciamus discrimen inter opera ab hominibus instituta, et opera quae a Deo praecepta sunt, et qua ratione utraque facienda ac servanda sint, Siquidem opera a Deo praecepta, neutiquam sunt praetermittenda, propter humanas tra-

Digitized by Google

ditiones, Dominus itaque eos, qui diversum faciunt, severe arguit: Quare vos transgredimini praeceptum Dei, propter traditiones vestras: et frustra colunt me, docentes praecepta, doctrinas hominum. Ideo diligenter admonent opera ab hominibus instituta, non tanti facienda esse, quanti quae Deus constituit et praecepit.

Item docent, fidem et charitatem, quae dilectio est, tum Dei, tum proximi, fontes esse omnium virtutum et bonorum operum. In priore ad Timoth. I. Finis praecepti est charitas, de corde puro et conscientia bona, et fide non simulata: Sine fide enim, ut Epistola ad Hebraeos habet, fieri non potest, ut quis Deo placeat: Sine charitate autem, nihil est conducibile, primae Corinth. 13.

Docent praeterea, neminem esse, qui praecepta a Deo opera, factis expleat. Neminem item esse, qui non peccet, quamlibet studiose se in bonis operibus et Lege Dei exerceat, Sicut scriptum est: Non est homo ullus in terra, qui operetur bonum, et non peccet. Unicuique igitur in Christo Iesu perfectio Legis, vita, iustitia, salus ex merito et gratia eius, per fidem petenda est. Quicunque enim Christum apprehenderint, ac in eum se abdiderint et inclinarint, qui pro omni credenti legem implevit, omnia eorum per eius sanguinem eluuntur peccata, sic ut transgressiones legis, non possint damnare credentes. Unde Apostolus Romanos octavo: Nulla condemnatio est his, qui insiti sunt Christo Iesu, qui non iuxta carnem versantur, sed iuxta Spiritum. Christus ergo cunctis credentibus est satisfactio, et ut Paulus habet: sapientia, iustitia, sanctificatio et redemptio.

## *DE ECCLESIA SANCTA CATHOLICA.*

### *Articulus VIII.*

DOcent primum, Christum Dominum suo merito, gratia et veritate, Ecclesiae caput et fundamentum esse, in quo ipsa per Spiritum Sanctum, verbo et Sacramentis superstruitur, ut Christus ad Petrum ait: Et super hanc petram (id est, me ipsum) aedificabo Ecclesiam meam. Et Paulus 1 Cor. 3: Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter hoc, quod positum est, quod est Iesus Christus. Idem alibi: Ipse est caput corporis Ecclesiae, qui omnia in omnibus adimplet.

Etiamnum credere et confiteri oportere docent, Ecclesiam sanctam Catholicam, quo ad praesentem statum collectum in mundo esse Christianos omnes, quibuscunque hi in terris agant, aut ubivis locorum dispersi sint, qui per sacrum Evangelii verbum ex cunctis gentibus, populis, tribubus et linguis, cuiuscunque hi ordinis, aetatis, statusve fuerint, in unam Christi, sanctaeque Trinitatis fidem congregati sunt. Ut a Iohanne in Apocalypsi scribitur: Post haec vidi, et ecce turba magna, quam dinumerare nemo poterat; etc. Et Dominus: Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine

Digitized by Google

meo (in quacunque gente et populo), ibi ego sum in medio illorum. Ubicunque enim Christus praedicatur et suscipitur, ubicunque verbum et Sacramenta eius sunt, et ex illius praescripto ac voluntate dispensantur suscipiunturque, ibi Ecclesia sancta et societas Christiana est, ac Dei populus, quantus quantus fuerit eorum numerus: Ubi vero Christus abest, verbumque eius reiicitur, ibi nec vera Ecclesia, nec populus Deo gratus esse potest.

Docent insuper, Ut quisquis in hac Ecclesia unitatem Spiritus Christi teneat, omniaque eius membra charitate complectatur, totumque se in rem illius et usum devoveat ac consecret, sectas non invehat, seditiones non excitet, sed in vinculo pacis, et eodem cum omnibus consensu ac animo, in ea versetur, quod is sit verum membrum Ecclesiae. De hoc sic Paulus ad Ephesios, Hortor itaque vos, ut ambuletis ita, ut dignum est, vocatione qua vocati estis, in omni submissione ac mansuetudine, cum animi lenitate, tolerantes vos invicem per charitatem, studentes servare unitatem Spiritus, per vinculum pacis, etc. Iterum: Unusquisque nostrum proximo placeat in bonum ad aedificationem, et ne quid fiat per contentionem aut inanem gloriam. Item: Cavete concisionem.

De sua vero congregatione sic sentiunt et docent, quod ipsa, ut aliae quoque quantumvis magnae aut parvae fuerint, non est universalis Ecclesia sancta, sed pars tantum ac membrum eius, ut Corinthii fuere, de quibus Apostolus primae Corinthiorum duodecimo: Vos autem estis corpus Christi et membra ex parte.

Docent etiam: in ecclesiam ordinem servari oportere, ut nemo suis tantum commodis studeat, neve etiam de se arroganter sentiat, sed singuli quae aliorum sunt, quaerant, non sua, et invicem sibi subiiciantur propter Christum, ac suae salutis causam. Et hunc subiectionis modum Petrus, itemque alii, leges quoque ipsae, et veteres Canones ecclesiastici tradunt: ideo nostri cum summo studio observant.

Praeterea docent, ut manifeste impii, impoenitentes et contumaces, id est, ecclesiae monitis non audientes, censura et poena illius, quae recepta appellatione, anathema dicitur, seu excommunicatio, coherceantur. Idque fiert sine personarum acceptione, in eos omnes, quorum nota est impietas, quique crassioribus peccatis addicti, saepius admoniti adhuc in peccatis pertendunt.

Hisque conspicuis et apertis, qui resipere nolunt, cuiuscunque status aut conditionis, fuerint, Ecclesiasticae, aut secularis, non vi humana, sed verbo et interdicto Domini, qui sic fieri praecipit, a consortio Ecclesiae excludentur. Matth. 18: Si peccaverit in te frater tuus, vade et argue eum, inter te et ipsum solum: si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos: quod sic nec ita audierit, dic Ecclesiae: quod si nec Ecclesiam audierit, sit tibi velut Ethnicus et Publicanus. Paulus item: Praecipimus vobis Fratres per nomen Domini nostri Iesu Chri-

Digitized by Google

sti, ut subdicatis vos ab omni Fratre, qui inordinate se gerit, et non iuxta constitutionem, quam accepit a nobis. Et alibi: Profligate malum istum ex vobis ipsis.

Adhaec docent, Hypocritas et impios, in occulto patrantes iniquitatem, in Ecclesia semper fuisse ac fore ad extremum usque diem, qui neque argui, neque facile excommunicari possunt. De his sic Dominis dicit, quod in die novissimo tandem Angeli segregabunt eos de medio iustorum, et mittentur in caminum ignis, ubi erit ploratus et stridor dentium.

Caeterum docent, Antichristum illum scelerosum, sedere in templo Dei, hoc est in ecclesia, de quo Propheta, Christus quoque et Apostoli praecinuerunt: pios omnes admonentes, ut sibi ab eo, eiusque erroribus caveant, neque se seduci a veritate patiantur.

Duplicem in Antichristo malitiam ac fraudem ponunt, Falsae doctrinae alteram, contra sensum et mentem Christi totamque Scripturam. De quo Apostolus: Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed iuxta concupiscentias suas coacervabunt sibi Doctores, hi quibus pruriunt aures, et a veritate quidem aures avertent, ad fabulas convertentur. Alteram vitae eius omni genere peccatorum plenae et abominabilis: de qua etiam Paulus secunda Timoth. 3. Illud autem scito, quod in extremis diebus instabunt tempora periculosa: erunt enim homines sui amantes, avari, fastuosi, superbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, etc. Christus etiam ait Matth. 24. Tunc offendiculum patientur multi, et alius alium invicem tradent, seque odio habebunt invicem, et multi Pseudoprophetae surgent, ac seducent multos: et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum, qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Alibi: Vae mundo ab offendiculis, etc. Et beatus est, quisquis non fuerit offensus propter me.

## *DE ORDINE ECCLESIASTICO, SEU PRAEFECTIS VEL MINISTRIS ECCLESIAE.*

### *Articulis IX.*

Docent, Ministros Ecclesiae, quibus administratio verbi et Sacramentorum demandatur, rite institutos esse oportere, ex Domini et Apostolorum praescripto. Utque ad hoc munus obeundum vocentur ex plebe pia et fideli, viri pleni fide et inculpati, donaque habentes ad hoc ministerium necessaria. Praeterea vitae consuetudinem honestam, atque ut hi probentur prius, tum demum a senioribus facta precatione, per manuum impositionem ad hoc munus in caetu confirmentur. Hebraeos quinto: Omnis Pontifex ex hominibus assumitur. Et ad Titum scribens Paulus ac Timoth. quoque ordinationis huius modum normamque tradit: Tu igitur fili mi, fortis esto in gratia, quae est per Christum Iesum,

Digitized by Google

et in his quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui erunt idonei, ut alios quoque doceant.

Quare apud nos sacerdotis officio fungi nemini sane permittitur, nisi is, ut decet, vocatus, et secundum huiusmodi praecepta institutus fuerit. E vestigio eorum qui sic ad ministerium Ecclesiae allecti sunt, partes esse docent, diligentem curam animarum ipsis creditarum gerere, illisque Evangelii verbum et Sacramenta, iuxta Christi institutionem fideliter ministrare, ac praebere sese exemplum bonum ad imitandum omnibus, pro illis Deum, ut a peccatis et erroribus liberentur, deprecari. Et quae illius voluntas sit in omnibus, per Scripturas exquirere. Prima Petri quinto: Pascite eum, qui in vobis est gregem Christi, curam eius agentes, non ex necessitate, sed ultro, non turpis lucri studio, sed animo per se propenso. Et Paulus: At tu vigila in omnibus, oddura in afflictionibus, opus perage Evangelistae, ministerium tuum ad plenum probatum reddito. Iterum: Esto igitur forma fidelium, in sermone, in conversatione, in dilectione, in spiritu, in fide, in puritate, donec venero, attende lectioni, exhortationi, doctrinae, ne neglexeris quod in te est donum, quod datum est tibi per prophetiam, cum impositione manuum, authoritate sacerdotii, haec exerce, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit in omnibus, attende tibi ipsi, et doctrinae, persiste in his, nam id si feceris, te ipsum servabis, et eos qui te audierint.

Caeterum docent, ut officio Ecclesiasticae administrationis fungentes, eam doctrinam in Ecclesia teneant, quae nihil a sacris canonibus deflectat, eamque unanimiter omnes eodemque spiritu profiteantur. Secundae Timoth. primo: Formam habeto sanorum sermonum, quos a me audivisti, cum fide et charitate, quae est in Christo Iesu, etc. Ac iterum: Renuncies quibusdam, ne diversam sequantur doctrinam.

Insuper docent, ne ulli qui Ecclesiis praeficiuntur, quenquam supplicio, vi aut minis per se, per aliosve, ad fidem cogant, nec dominentur Ecclesiae, aut in fidem dominium exerceant. Matthaei 20. Scitis quod Principes gentium dominantur illis, et qui magni sunt, potentiam exercent in eos, non ita erit inter vos; sed quicunque inter vos voluerit magnus fieri, etc. Et Petrus, non tanquam dominantes in haereditatem, sed sitis forma gregis. Rursum Paulus: Non quod dominemur vobis ratione fidei, sed adiutores sumus vestri gaudii in Domino.

Debent autem Ecclesiae ministerio admoti, iuxta quod Paulus ad Timotheum et Titum praescribit, malos et adversantes veritati, patienter ferre, nitique, ut scripturarum testimoniis eos convincant, Christoque lucrifaciant.

Docent etiam, ut Sacerdotes negotiis secularibus non occupentur, praesertim vero, ut ab statu coniugii liberi sint, quo aptiores sint et expeditiores ad serviendum proximi commodis et ecclesiae. Etenim coniugium multa secum adfert impedimenta,

Digitized by Google

quae multos, quo minus bene respondeant suae vocationi, remorantur. Proinde nostri idoneos magis habilioresque ad Ministerium ecclesiae existimant coelibes, si quibus tamen hoc peculiare donum a Deo datum fuerit.

Non quod Sacerdotes peccare putent, si matrimonium contrahant, si id moneat necessitas, sintve ad hoc aliae iustae rationes. Nam et Paulus aperte docet, ad ecclesiastica munia tractanda, unius uxoris viros eligendos esse.

Nec ita inique iudicant, quin honestum ac legitimum coniugium, multis nominibus praeferant, impurissimo quorundam coelibatui, qui in manifesta turpitudine vivunt, ventri ac scortationibus dediti: In professo enim illud Pauli est: Melius est nubere quam uri: nam ob huiusmodi flagitia, tam foedae ac nefariae libidinis, quae multi exercent, non Sacerdotes modo, sed quisquis alius etiam, citra personarum respectum, merito a communione ecclesiae exigi debet.

Nec non docent, quod tota plebs ac populus, his qui ecclesiis praeficiuntur, ultro subiici et parere debet, ac in his, quae ad salutem spectant, ab illis dirigi, eosque honore afficere. Lucae 10: Qui vos audit, me audit, et qui vos recipit me recipit. Et Apostolus: Parete his, qui praesunt vobis, et concedite: Siquidem illi vigilant pro animabus vestris. Rursum: Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in sermone et doctrina.

Hinc quoque docent, Ad victum pertinentia illis prospicienda suppeditandaque esse, ut Paulus ait, Dominus ordinavit, ut qui Evangelium annunciant, ex Evangelio vivant.

Item docent, ut qui possunt, et non perinde labore multo in negotiis populi occupantur, nec alio aliquo modo impediti sunt, ipsi sibi suis manibus victum parent, ne aliis oneri sint, neu etiam otientur et desides sint (nam et otium seditiosum est) et ne oneri ecclesiae sint: in hoc Pauli exemplum sequentes. Actorum 20. Meminisse oportet verborum Domini Iesu, quoniam ipse dicit, Beatius est dare quam accipere.

Si vero contingat apud nos, quempiam ex ordine sacerdotum in crimen aliquod, aut errorem prolabi, aut sui officii esse negligentiorem, is principio paterne admonetur. Deinde fraterna castigatione corripitur, qui si pertinax esse, et fratrum ac totius Ecclesiae monita contemnere pertendat, is primum omni Ecclesiastico ministerio et functione privatur, postea etiam ab ipsius Ecclesiae communione excluditur, tanquam servus inutilis, membrum putridum, ramus arefactus, sal infatuatum. De quo Dominus ait: Ad nihil valere ultra, nisi ut proiiciatur foras. Et Paulus ad Timoth. capite quinto: Peccantes (nempe Sacerdotes) coram omnibus argue, ut et caeteri timorem habeant.

Item docent, ut populus erga huiusmodi sacerdotes erroneos, sectarios, facinorosos ac impoenitentes, autoritate Ecclesiae ex-

Digitized by Google

communicatos sic se gerat, quemadmodum Scriptura praecipit: Cavete vobis a Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, a fructibus eorum cognoscetis eos. Et Paulus Rom. decimo sexto: Obsecro autem vos, fratres, ut consideretis eos, qui dissidia et offendicula contra doctrinam, quam vos didicistis, gignunt, et declinetis ab illis. Nam qui eiusmodi sunt, Domino Iesu Christo non serviunt, etc.

## *DE VERBO DEI.*

### *Articulus X.*

Deinde docent, quod verbi Dei seu Evangelii praedicatio, est ministerium a Christo institutum et praeceptum. Matthaei ultimo: Ite in mundum universum, et praedicate Evangelium omni creaturae. Item Petrus Actor. 10: Praecepit nobis Dominus, ut praedicaremus.

Et haec administratio verbi apud nostros principalis habetur, omniumque maxime fit, ut quae plus ad salutem conferat ac necessaria sit, quam Sacramenta ipsa. Ut Paulus ait: Non misit me Christus ut baptisarem, sed ut evangelizarem, nempe praecipue ac primo: Per ipsum namque Evangelium, eiusque praedicationem, fides, intus eam Spiritu Dei suggerente, acquiritur: Sensus deinde ac voluntas eius Christique, circa Sacramenta, et res alias, quae ad salutem faciunt, cernitur.

Docent etiam: tenere discrimen inter vim Legis et Evangelii, quod illud quidem sit administratio mortis: hoc autem administratio vitae et gloriae per Christum. Secundae Corinthiorum tertio: Litera occidit, spiritus autem vivificat. Et Ioannis sexto: Verba, quae loquor vobis, Spiritus et vita sunt.

Concedunt insuper, quod veram fidem nemo assequi potest, nisi verbum Dei audiat. Iuxta illud Pauli: Fides ex auditu, auditus vero per verbum Dei. Et iterum: Quomodo autem credent in eum, de quo non audierunt? Igitur nostri omnem operam navant, ut verbum Evangelii, impermixtum humanis traditionibus, in Ecclesia doceant ac praedicent. Proinde ipsa Evangelia, nec non alias scripturas, lingua vulgari in templis legunt: ac ita demum populo interpretantur, et ferias ac statos dies habent iuxta veterem morem, quibus ad audiendum omnes conveniant.

## *DE SACRAMENTIS.*

### *Articulus XI.*

DOcent imprimis, Sacramenta per Christum instituta, ad salutem necessaria esse, quorum beneficio fideles, meritorum Christi participes redduntur consortesque fiant. Si quis autem studio ea contempserit, aut non digne aestimarit, aut iis quocunque



Digitized by Google

modo alio, quam voluntas et praeceptum Christi est, utatur, eum graviter in illorum authorem, Christum, peccare dicunt.

Si vero usu veniat, ut quispiam vere cupiat, iuxta mentem et mandatum Christi, Sacramentis communicare, sed tamen re aliqua impeditus, carcere, aegritudine, aut captivus, ad alias gentes abductus, vel ab inimicis hostibusque fidei oppressus, etc. tam salutaris sui voti compos fieri nequeat. Hunc sic stantibus rebus, si modo pure integreque Evangelio credat, per solam Christi fidem, haud dubie servatum iri.

Docent deinde, quod Sacramenta per se, vel ut quidam dicunt, ex opere operato, his qui prius bono motu non sunt praediti, et intus per Spiritum sanctum vivificati, non conferunt gratiam, nec fidem illam iustificantem, quae mentem hominis Deo per omnia obsequentem, fidentem ac morigerum reddit, largiuntur. Praecedere enim fidem oportuit (de adultis loquimur), quae hominem per Spiritum sanctum vivificet, et cordi bonos motus iniiciat: Sine fide enim, nec salus nec iustitia est, nec ulli Sacramenta prosunt.

Huius quidem rei, in sacris literis aperta nobis exstant testimonia, praesertim autem in Iuda Ischariote, qui ab ipso Christo Sacramenta acceperat, et sacerdotii concionatorisque munere functus est. Itidem in Anania et Zaphira eius uxore, ab Apostolis Baptismi lavacro tinctis, et ut credere fas est, Coena quoque Dominica usis. Qui tamen in colligatione malitiae et nequitiae, et mendacio in Spiritum sanctum permansere, nec Sacramenta ab eis, malum hoc amolita sunt, neque fidem vivificam, quae securam tranquillamque conscientiam, et cor Deo auscultans ac subditum reddit, illis donarunt. Perinde ac circumcisio et sacrificia legis eam fidem, quae et iustificat et vivificat, non conferebant.

In hac sententia Paulus est, Romanis scribens, capite quarto, Abraham in exemplum adducens, quem cum adhuc in praeputio esset, iam tum eum iustitiam fidei habuisse astruit. Et de populo Israelitico alibi dicit, quod similiter baptizati erant, eandem escam spiritualem pariter comedebant, eundemque potum spiritualem bibebant: Attamen plures illorum non approbavit Deus, sed ab eo reiecti et postrati sunt in deserto.

Enimvero, si quis indigne ad Sacramenta accesserit, non is per ea dignus aut mundus redditur, sed inde sibi tantum peccatum maius et damnationem accersit. Hoc clare Paulus ostendit: Quisquis (inquiens) ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Et iterum: Iudicium sibi ipsi edit et bibit, non diiudicans corpus Domini.

Docent praeterea hic nostri, Sacramenta ex Christi instituto, suam perpetuo retinere efficaciam, testificandi videlicet et confirmandi: Dignis quidem praesentem gratiam et salutem, indignis autem peccatum et condemnationem, seu illa per bonos, seu per indignos et malos hypocritas, et occulte impios administrentur.

Digitized by Google

Et donec huiusmodi hypocritae suis flagitiis ac sceleribus prodantur, ut iuxta morem ac ritum Ecclesiae argui possint. Et si contumaces tandem fuerint, a consortio eius exigantur, Sacramenta per ipsos administrata, si modo iuxta mentem ac institutionem Christi administrentur, sunt recipienda: Non enim Sacramenta propter exhibentem illa, qualis qualis sit, neque ob eum qui ea suscipit, sed propter ordinationem et mandatum Christi sunt efficacia.

## *DE BAPTISMO.*

### *Articulus XII.*

Docent item, quod Baptismus sit salutaris administratio, a Christo instituta, et Evangelio adiecta, per quem ipse Ecclesiam suam purificat, emundat et sanctificat, in morte et sanguine suo, ut Paulus dicit: Christus dilexit Ecclesiam, et semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret, mundatam lavacro aquae per verbum. Et hanc de Baptismo fidem, soli tantum nostri Ecclesiastae in Regno Bohemiae ac Marchionatu Moraviae Scripturis ab his vindicarint, qui credunt, confitentur ac scribunt, baptismum sordes tantum corporis abstergere, animae autem in salutem nihil prodesse.

Item docent, Pueros in salutem baptizandos esse, Christoque consecrandos, iuxta eius verbum: Sinite pueros ad me venire, nec prohibete illos, talium est enim regnum Dei. Nostri itaque his Domini verbis innixi, pueros in nomine sanctae Trinitatis baptizant. Etenim universalis est locus: Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti. Nec deinceps eos rebaptizant, nec rebaptizarunt unquam.

Etsi olim eos rebaptizarint, qui ex aliis, Ecclesiis nostris adscribi petiissent. At neque hunc rebaptizandi morem illi invexerunt. Sed cum in causa fidei ac religionis adversus Bohemos, armis Romani decertarent, amborumque Ecclesiis praefecti Scripturis contenderent, ac iis utrique alteros erroris astringerent, post multa vicissim in se iacta convicia, res tandem eo deducta est, ut sese, tum sacerdotio, tum Sacramentis, atque adeo toto plane Christianismo exuerent. Tum per loca alii aliorum Baptismum repetebant, perstantibus istis in summo odio, cum professionis nostrae maiores, iam tum ab eis segregati, peculiarem suam seorsum haberent congregationem, et Sacramenta administrarent, omnes Ecclesiis suis adscenseri volentes, rebaptizabant. Insignes multas ad hoc habentes causas ac occasiones, non a praesentibus modo id temporis, sed etiam a veteribus plerisque summae autoritatis, pietatis ac eruditionis viris, praebitas: Praesertim vero a divo Cypriano Martyre Christi, tum ab aliis quoque non paucis, qui illius causae patrocinabantur Episcopis, qui omnes in Affrica



Digitized by Google

rebaptizabant, scripturis (ut ipsis videbatur) probantes, ab haereticis baptizatos, rebaptizandos esse.

Is autem rebaptizandi modus, hucusque in Ecclesiis nostris extitit, donec certior eius rei intelligentia non accessit. Postea quam vero Dei benignitate progressu temporis, veritatis lumen nostris clarius illuxit, ipsique scripturam diligentius excussissent, adiuti etiam doctorum virorum quorundam ope, Rebaptismum hunc, nihil Ecclesiae opus esse compererunt: Ideoque continuo eum, omnium calculis tolli curarunt. Abrogata itaque est unanimi omnium nostratium consensu iteratio illa Baptismi, nec usquam iam apud nos revocatur Baptismus. Tametsi sacerdotes quidam, et quos Bohemiae et Romanae partis vocant, ut olim, ita nunc quoque nostros rebaptizent, parentibus plaerumque invitis ac reclamantibus.

Quidam praeterea coniugia nostrorum dirimunt ac rursus copulant, et vi eo etiam homines cogunt: sed iuste mala haec nobis irrogentur nec ne, Deo ipsi bonisque omnibus nolentes malum malo pensare, iudicandum relinquimus.

Docent etiam nostri: quod quisquis Baptisma susceperit, Christoque per id in mortem eius consepultus fuerit, ut is deinceps in novitate vitae ambulet, etc. Verum si ex Evangelii praedicatione, nec certam in Deum fiduciam, nec erga eos omnes, qui regenerationis lavacro Christo inseruntur, charitatem consequatur, nec digne sua vocatione ambulet, studiose seduloque curans placere Deo, nec in eo etiam uno, spem vitae aeternae collocet, is equidem Baptismi gratiam ac S. Trinitatis nomen, quod super eum invocatum est, in vanum se suscepisse testatur. Quod Deum olim graviter ulturum esse Scriptura comminatur.

## *DE COENA DOMINI.*

### *Articulus XIII.*

DOminicam Coenam seu Sacramentum Eucharistiae, ministerium esse a Christo institutum, deinde Apostolis, et per hos eius gratia et bonitate, toti Ecclesiae ad communem omnium usum, salutemque exhibitum docent. Quemadmodum Evangelistae testantur, et Apostolus, cuius verba universa recinit Ecclesia: Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus, in ea nocte, qua traditus est, accepit panem, etc. Et aliquanto inferius: Itaque fratres mei, cum convenitis ad manducandum (hanc videlicet Coenam), alius alium expectate.

Item, et hic corde credendum ac ore confitendum docent, panem Coenae dominicae verum corpus Christi esse, quod pro nobis traditum est, Calicemque verum sanguinem eius, qui pro nobis in remissionem peccatorum fusus est, ut Christus Dominus aperte dicit: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus, etc.

Docent etiam, quod his Christi verbis, quibus ipse panem

Digitized by Google

corpus suum, et vinum speciatim sanguinem suum esse pronunciat, nemo de suo quidquam affingat, admisceat aut detrahat, sed simpliciter his Christi verbis, neque ad dexteram neque ad sinistram declinando credat.

Horum verborum, dum a quibusdam in Regno Bohemiae et Marchionatu Moraviae, simplex ac germanus sensus oppugnaretur, silerentque hi, quorum intererat, id scripturarum authoritate tueri ac vindicare, nostri tantum prodiere, et Scripturis evicerunt, ut simpliciter his Christi verbis fides habeatur, atque ob id multorum calumnias, ronchos, sannas, obtrectationes, apertaque convicia sustinent.

Est autem duplex adversariorum genus, qui nostratibus semper haereticum nomen obiiciunt. Quidam enim eorum confessioni, quam tamen candide ac syncere reddunt, nec itidem doctrinae, cui etsi cum ipsis nihil conveniat, ab Scripturis tamen in ea nihil dissentit, non credentes, ferunt, nostros multa secus ac intus sentiant, verbis eloqui. Praeterea etiam blasphemos esse in Sacramentum corporis et sanguinis Domini. At vetus haec sacerdotum calumnia est, qua illi nostros, Christiano nomine apud vulgus spoliare conantur. Sed hanc nostri iam pridem refellerunt ac nunquam non refellere parati sunt, et multorum indubitabili fide ac firmissimis argumentis ostenderunt, se nunquam, quales eos adversarii faciunt, fuisse, esse, nec, Deo volente, futuros.

Sed quis bonus de quopiam adversariis credat? Et nos cum in Fratrum doctrina ac religione exploratissima quaeque habeamus, nihil horum de quibus accusantur, nisi malorum fraudes et dolos reperimus: Quin et hoc omnibus constat, eos in multos, veritati et Sacramentis adversantes, saepius scripsisse.

Quidam rursus phanatici Spiritus in verbis Christi non manentes, hanc in nostris sacrae Synaxeos confessionem defensionemque summo odio prosequuntur. Panem namque et calicem Coenae, quam hic cum Paulo Dominicam vocamus, verum Christi corpus et sanguinem esse pernegant. Atque hi nostros, quibus coeperunt conviciis, indesinenter perfundunt. Eos propter hanc Coenae Dominicae fidem ac confessionem, papismi feces, ac bestiae charactere signatos, Idololatras, Antichristos, nunc meretricem illam, de qua Ioannes in Apocalypsi vaticinatur, et si quo graviori nomine possunt, appellantes. Et hoc genus maledictis ac blasphemiis eos criminari non cessant. Haec omnia nostri, Evangelii gratia, quod pro inimicis etiam deprecari iubet, patienter sufferunt.

Docent ad haec, in huius Sacramenti administratione nihil aliud faciendum esse, nisi quod his clarissimis Christi verbis ostensum et praeceptum est: Qui discipulis panem praebens, ait: Accipite, comedite. Hoc est corpus meum. Et accepto poculo gratias egit ac dixit: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus, novi testamenti, qui pro multis effun-

Digitized by Google

ditur, in remissionem peccatorum. Ac ita iuxta hoc Domini praeceptum docent, corpus et sanguinem eius promiscue ab omnibus, sub utraque specie, quemadmodum ab eo seorsum et per se instituta et ordinata est, et primitiva etiam Ecclesia hoc integro sacramento usa est, sumi oportere. Quod si quis temerario ausu, contra hanc Christi institutionem quidpiam facere attentarit, is in Christum eius authorem, ipsiusque voluntatem Scripturae verbis expressam, peccat.

Insuper, Sacramentum hoc, cum animi puritate, reverentia ac fide, percipiendum docent, nec non imprimis et sui ipsius probatione, quae ut hic hominibus necessaria et utilissima est, ita et Christo gratissima. Ut in veteri Ecclesia Paulus docuit: Probet autem, inquiens, seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat: Nam qui edit aut bibit indigne, iudicium sibi ipsi edit et bibit, non diiudicans corpus Domini. Et alibi: Vos ipsos tentate, num sitis in fide: Vos ipsos probate, an non cognoscitis vosmetipsos, quod Iesus Christus in vobis est. Nisi sicubi reprobi estis. Qui vero non prius in se descenderit, nec secum ante reputarit, qua fide, quove animo ad hoc Sacramentum accedat, is Sacramentum ipsum contumelia afficit, totamque hanc Christi ordinationem contemnit. Proinde qui Ecclesiis praesunt apud nos, neminem ad hoc Sacramentum admittunt, nisi quantum in eo est, se ante probet et excutiat, seque erga Sacramentum hoc reverenter gerat.

Ubi vero sacrae huius Coenae communio fieri debet, iuxta veteris Ecclesiae morem, de Christo ac morte eius, de gratia saluteque per fidem, interveniente illius sanguine cunctis oblata, de immensis bonis quae per fiduciam mortis ac sanguinis sui, ipse in credentibus operatur concio fit. Et simul deinde cum toto coetu populi precationes fiunt, Ministri vero dominicae Coenae verba referentes, plebem ipsam ad hanc fidem hortantur, ut corporis Christi praesentiam adesse credant. Et procumbentibus interim in genua distribuunt. Plebs autem ipsa cum gratiarum actione sumit, in hymnis et canticis spiritualibus beneficia Dei recolens, totam se in hoc impendit ac exerit, ut iuxta Christi verbum hoc faciat, in eius commemorationem. Quod equidem sic Paulus interpretatur: Quotiescunque comederitis panem hunc, et de poculo biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec venerit.

## *DE POTESTATE ECCLESIASTICA, SEU DE CLAVIBUS.*

### *Articulus XIIII.*

ET hic docent, ut credatur Claves a Christo Ecclesiae traditas esse, de quibus ipse ad Petrum pro omnibus ait. Tibi dabo Claves Regni coelorum: Has autem esse administrationem Christi, Ecclesiae eiusque Ministris traditam, quae in ea ad praesentem

Digitized by Google

usque diem perseverat, nec finem acceptura est ante mundi consumptionem.

Huius administrationis munus et autoritas, ex Christi mandato et officio, ut divinae referunt literae, est, in Ecclesia scelerosos et impoenitentes corrigere ac ligare, eisque regnum coelorum claudere, hoc est, a Christo Ecclesiaeque usu et participatione excludere. Et e contra vere poenitentes absolvere, in conscientia tranquillos reddere, in spe certa salutis ac fide collocare, sicque eis regnum coelorum aperire, et adversus omnes tentationes ac illius hostis assultus, terriculamenta et praestigia instruere a roborare. Id vero non sua potestate et arbitrio, sed tanquam dispensatores Mysteriorum Dei, ministri ac servi Christi autoritate, eius verbo et Sacramentis facere debent.

Munus namque illis ac officium suum committens Dominus, ita ait Ioannis capite 20: Sicut misit me pater, ita et ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum, quorumcunque remiseritis peccata, remittentur eis, quorumcunque retinueritis, retenta sunt. Et hic clavium usus ac autoritas in incestu illo Corinthi declarata est: Quoniam Paulus ipse, interdicto Domini, una illic cum Ecclesia excommunicavit, ac Satanae tradidit, qui hoc scelus admiserat. Rursus ubi Dei beneficio resipuisset, absolvit, et in Ecclesiae Sacramentorumque communionem recepit. Hoc itaque pacto ei regnum coelorum reclusit.

Docent item, quod claves Domini seu haec clavium administratio et potestas, primo praefectis et ministris Ecclesiae, deinde etiam cuique Christiano coetui, ut maxime pauci in eo fuerint, concessa et tradita est, ut Domini verba clare testantur: Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata in coelo, ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Post haec docent, quod quisquis his clavibus, quoties opus habuerit, per sacerdotem Ecclesiae, cui adscriptus est, utatur, tam certo sibi credat, virtute clavium remitti peccata, quam si a praesente Domino absolutionem acciperet, cum sacerdos Domini officium gerat, et ab eo hanc authoritatem traditam habeat, quemadmodum ipse in Ioanne dicit: Quorumcunque remiseritis peccata, etc. Ac iterum: Qui vos audit, me audit. Rursum: Qui vos accipit, me accipit, et qui vos spernit, me spernit.

Admonent etiam, ut qui in Ecclesiae ministerio sunt, his clavibus duntaxat, iuxta ordinationem et voluntatem Christi, verbo eius retectam, non autem, ut ipsis collibitum fuerit, ex propensione animi sui, utantur, ne propheticum illud compleatur in eis: At nunc ad vos mandatum hoc o Sacerdotes! si volueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum. Mittam in vos egestatem, et maledicam benedictionibus vestris, et maledicam illis, etc.

Digitized by Google

## *DE TRADITIONIBUS HUMANIS.*

### *Articulus XV.*

Humanas traditiones, ritus et consuetudines, quae nihil pietati adversantur, in publicis conventibus servandas docent. Quemadmodum monet Apostolus, omnia decenter (in Ecclesia videlicet) et secundum ordinem fiant. Alibi: State et tenete institutiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.

Verum huiusmodi traditiones, ritus aut ceremonias, quae Christi gloriam, atque adeo gratiam obscurant, plebem a veritate et fide abducunt ac retrahunt, divinis praeceptis aequantur aut praeferuntur, aut earum nomine, si quis illa transgreditur, verbi Dei syncerum usum relinquat, vitari et reiici docent. Scribas enim ac Pharisaeos, harum traditionum observantes, dure arguit Dominus apud Marcum cap. 7: Bene vaticinatus est Esaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me, in vanum autem me colunt, docentes doctrinas, praecepta hominum. Nam omisso praecepto Dei, tenetis constitutiones hominum.

Et Paulus etiam huiusmodi traditiones caveri vult. Col. 2: Videte, ne quis sit, qui vos depraedetur per Philosophiam et inanem deceptionem, iuxta constitutionem hominum, iuxta elementa mundi, et non iuxta Christum. Hoc equidem et Canones tradunt dist. 8. praesertim autem 2. cap. Consuetudinem, Ubi sic scriptum legimus: Consuetudinem laudamus, eam tamen, quae contra fidem Catholicam nihil usurpare dignoscitur. Quamobrem nostri eos ritus tantum et traditiones, quae fidem, cultum Dei, aliaque bona inter fideles provehunt, aluntque, concordiam et pacem in populo conciliant et retinent, ac politiam et harmoniam quandam constituunt, quoscunque tandem authores habeant, Synodum, Pontificem, Episcopum aut alium quemvis, servandas docent. Nulli siquidem in illarum authoribus offendi debent, quo minus, si nihil habent incommodi, eas observent.

Summe tamen cavendum est, ne nos a gravioribus, magisque principalibus rebus abstrahant: Etenim per omnia humanis divina praeferenda sunt. Ad haec enim praecipue referendus est animus, nihil interim morantes traditiones, si quid impietati ancillentur. Nam et Iudaeorum primores, qui suis traditionibus divina praecepta posthabebant, Christus sic in Evangelio increpat: Reliquistis, quae graviora sunt legis, iudicium et misericordiam ac fidem, haec oportuit facere, et illa non omittere. Et quidem multi hodie apud nos veteres ritus Ecclesiastici adhuc retinentur, utpote ieiunia quaedam, condictae ac praestitutae feriae, quibus ut sacris intersit populus conveniat. Matutinae et vespertinae precationes, Dies Dominicus, Festi dies Christi, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, etc. Praeterea Sanctorum memoriae ce-

Digitized by Google

lebrantur, ut beatissimae Virginis, Apostolorum, et aliorum item, sed eorum praesertim, quorum Scriptura meminit.

Haec autem omnia apud nos, verbis et cultus divini gratia fiunt. Quanquam etiam nostri, non omnium ritus ac mores servant, quod neque fieri potest, neque ut ubiubi in omnibus Ecclesiis idem ritus et cerimoniae serventur, necessarium est. Nullo tamen bono pioque ritui adversantur, nec adversari animus est. Etsi huiusmodi ritus nonnulli, non perinde necessarii videantur, modo tamen nihil obsint pietati, nec quicquam fidei, quae una et iustificat et beatos reddit, detrahant, non reiiciendos putant.

Itidem docent, quod multis traditionibus, ut olim sub Mose, non est gravanda Ecclesia. Nam id et Apostoli fieri vetuerunt, ut ad quosdam, observationem legalium urgentes, Petrus in actis dixit: Quid tentatis Deum, ut imponatur iugum super cervices discipulorum? quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus. Et alicubi Paulus: Videte, inquit, ne iugo servitutis implicemini.

Christus quoque traditionum mole onerantibus populum, severius interminatus est, dicens: Et vobis legisperitis, vae, quia oneratis homines oneribus, quae portare non possunt.

Ad haec docent, Humanas traditiones pro inviolabilibus ac aeternis legibus non haberi oportere. Verum quemadmodum certis ac iustis causis feruntur, ita etiam aliis causis ac rebus exortis, et diversum monentibus, liceat eas absque peccato violare: etenim Apostoli traditiones seniorum transgrediebantur, cum illotis manibus edebant panem, nec iterum cum caeteris ieiunabant, at utrobique tamen, cum excusentur a Christo, sine peccato erant. Ac rursum in primitiva Ecclesia Apostoli, cum aliis sanctis unanimiter congregati, per Spiritum sanctum, ut fideles se ab idolothytis, sanguine et suffocato abstinerent, decreverunt. Postea autem cessantibus iis, ob quae id tum sanciebatur, cessat etiam et praeceptum.

Docent deinceps, ne ob ceremoniarum, consuetudinum et rituum discrimina, quae in variis Ecclesiis inter Christianos videre est, nec reclamant aut officiunt pietati, alii in aliis offendantur, aut se vicissim contemnant, oderint et persequantur. Neu etiam sectas aut seditiones excitantes, se ab Ecclesiae unitate alienent et distrahant, cum nunquam in Ecclesiis eaedem fuerint, nec nunc quoque sint. Quod quidem etiam et patrum Decreta palam ostendunt, Dist. 12. capite scit: Scit sancta Romana Ecclesia, quod nihil obsunt saluti credentium, diversae pro loco et tempore consuetudines, si illis Canonica non obstat authoritas. Cuique autem in Ecclesia ad pacem conscientiae sufficerit, si uno omnes Christi fideles Spiritu praediti sint, hoc est, si in doctrina et fide consentiant. Qui enim Spiritum Christi non habet, ut Apostolus dicit, hic non est eius: Qualescunque tandem ritus, ceremonias aut traditiones observet.

Digitized by Google

Qui ergo sunt Christi tanquam unius corporis membra, se invicem fovere ac iuvare debent, et sufferre per charitatem, citra quam, ut Paulus ait, nihil, quod in salutem cuipiam cessurum sit, effici potest.

## *DE POTESTATE SECULARI.*

### *Articulus XVI.*

Docetur hic apud nos iuxta Scripturas, quod sublimior potestas seu Magistratus secularis, Dei ordinatio sit, ut in iis, quae politica et temporaria sunt, populus regatur. De hoc illustris est Pauli locus: Non enim est potestas, nisi a Deo, quae vero sunt potestates, a Deo ordinatae sunt.

Docent ad haec, ut qui in potestate sunt, publico munere magistratuque funguntur, quemcunque gradum teneant, se non suum, sed Dei opus agere sciant, quodque is eorum aliorumque Dominus et Rex summus sit, cui etiam, quod dispensationis suae rationem in supremo die reddituri sunt, meminisse oportet. Et haec sententia multis verbis apud Philonem, tum alias quoque tractatur, monentque, ut Magistratus loci huius Psaltae subinde recordentur: Et nunc reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram. Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, seu osculamini filium, Christum videlicet, Regem omnium et iudicem summum, cum affectu, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via, cum exarserit in brevi ira eius. Beati omnes, qui confidunt in eo.

Insuper eos qui Magistratum gerunt beneficos esse hominibus oportere docent. Ut ipse Dominus ait: Qui in alios potestatem habent, benefici vocantur. Sunt autem Magistratuum partes ac munus, omnibus ex aequo ius dicere, in communem omnium usum, sine personarum acceptione, pacem et tranquillitatem publicam tueri ac procurare: De malis ac facinorosis, hanc interturbantibus, poenas sumere, aliosque omnes ab eorum vi et iniuria vindicare. Certum est enim, Magistratus servire Deo, eiusque opera tractare, cum et Dii vocentur: ideoque ut eius voluntatem faciant, adniti debent. Nam et Paulus, Magistratus Dei ministros appellat, et ad malorum vindictam, ad laudem vero bonorum positos esse dicit.

Docent quoque, verbo Dei praecipi, ut omnes sublimioribus potestatibus per omnia subdantur, in his tamen, quae Deo eiusque verbo non adversantur. Primum vero Regiae Maiestati tuae, deinde quibuscunque aliis etiam, in eminentia et Magistratu constitutis, tum bonis, tum indignis ac malis. Utque illos cuncti eorum in locis ac ditionibus, aliasque pro gradu et officio, suo quemque honore afficiant et revereantur, omne debitum illis persolvant, census ac tributa, ut quisque tenetur, sic pendat.

Quod autem attinet ad eas res, quae animarum, fideique et

Digitized by Google

salutis sunt, docent, Tantum Dei verbo, eiusque ministris audiendum esse, ut Christus ipse ait: Reddite, quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo.

Si quis autem ipsos ad ea, quae in Deum sunt, cum verboque eius, quod in aeternum manet, pugnant et reluctantur, cogere velit, Apostolorum exemplo, qui sic Hierosolymis Magistratui responderunt, utendum docent: Obedire oportet, inquiunt illi, magis Deo, quam hominibus.

De hoc etiam et Patrum instituta extant, et habetur dist. II. qu. 3. cap.: Si Dominus iubet ea, quae non sunt contraria vel adversa sacris Scripturis, subiiciatur Domino servus: sin autem contraria praeceperit, magis obediat spiritus quam corporis Domino. Et infra: Si bonum est, quod praecepit Imperator, iubentis exequere voluntatem, sin malum, responde, Deo obedire oportet magis quam hominibus.

## *DE CULTU SANCTORUM.*

### *Articulus XVII.*

Initio docent, quod post creatos homines nullus eorum unquam extitit, nec nunc quoque est, nec aliquando futurus est, qui suis viribus, meritis, studiis et operibus, sanctus sit aut iustus. Ut Moses scribit: Nullus apud te per se innocens est. Et beatus Iob: Quid est homo, ut immaculatus sit et iustus appareat natus de muliere? Ecce, inter sanctos eius nemo immutabilis, et coeli non sunt mundi in conspectu eius, quanto magis inutilis homo qui bibit, quasi aquam, iniquitatem. Et ad unum omnes nos natura, et a prima statim origine peccatores esse, Scripturis convincimur. Psal. 13: Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, etc.

Quicquid autem in sanctis bonorum est, Dei largitati et gratiae acceptum ferendum est. Nam quod sancti Deoque grati sint, illis citra omne meritum, divinae tantum voluntatis sorte contingit. Etenim Deus ex mera et inenarrabili gratia, divitiisque bonitatis suae ab aeterno, ad fruendam cum Christo gloriam, quos voluit, elegit, qui redemptionem, iustitiam et remissionem peccatorum, et propitium Deum habent, per sanguinem Christi. Cuius gratia per fidem in filios Dei adoptati sunt, sancti effecti, ab omni labe emundati, bonis operibus ac virtutibus, tanquam filii lucis praediti, spiritu Dei obsignati, quique postquam fidem, salutis cardinem, ad extremum usque vitae firmam tenuerint, in coelos tandem, ubi sua Deus in eis dona coronat, recepti sunt.

Docent etiam, Sanctos aliquos a Deo, qui omnia in omnes dividit, ut melius videt esse futurum, specialibus gratiis, dotibus ac virtutibus, ad communem totius Ecclesiae profectum, prae aliis donatos esse. Ephes. 4. Idem dedit alios quidem Apostolos, alios vero Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem pastores

Digitized by Google

ac doctores, ad instaurationem Sanctorum, in opus administrationis, in aedificationem corporis Christi, quod est Ecclesia. Horum autem memoria in Scripturis, in Ecclesiaque opera et fructus in hunc usque diem permanent. Seorsum autem de beatissima Virgine matre Domini, ut Scripturae habent, credere ac confiteri oportere docent, quod ex Regia stirpe, de domo et familia David progenita est, a Deo ante secula electa, inter mulieres, ut Angelus ad eam dixit: Benedicta, gratia et Spiritu Dei plena, eoque sanctificata, ut fieret Mater Servatoris, qui cum Filius Dei sit, in huius tamen utero, carnem nostram induit.

Haec virgo ante partum fuit, et virgo post partum, quae se ancillam Domini nominavit: non minus tamen quam caeteri, Filii sui sanguine et merito gratuito, redempta est, et aeternae beatitudinis haeres facta, Spiritus sancti templum seu habitaculum, huiusque insignibus donis, virtutibus et gratiis praedita. Etenim Deus ei prae caeteris magnalia fecit, ideoque huius festos dies Ecclesiae nostrae, ad Dei laudem et gloriam, honorifice celebrant. Cantiones item pias de ea componunt, ac eas et privatim, atque adeo publice in templis concinunt, in eaque Deum laudant, et omnes ad eius fidei, virtutumque aliarum, vitae ac operum imitationem hortantur: nec non labores, quos Domini causa subiit, pie commemorant. Tum illam, ut optimae vitae exemplar, pro virili sua aemulari student, verborumque eius haudquaquam immemores sunt: Beatissimam enim eam, cum tota Ecclesia Sanctorum ebuccinant, nec in his quicquam, ut videre est, a Scripturis receditur.

Insuper docent, Honorem et cultum Deo debitum, non esse ad Sanctos, nec eorum imagines transferendum, ut in Esaia scribitur: Ego Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus. Docent autem, Sanctos hoc pacto honorandos, ut statis et praescriptis feriis ac temporibus, omnes eodem, ad verbum Dei audiendum, et cultum Deo praestandum convenientes, illorum memoriam celebrent, ac beneficia et dona, quae Deus illis, et per illos Ecclesiae contulit, commemorent, recordenturque fidei, vitae et conversationis illorum, quo ad ea imitandum excitentur, ut in omni opere bono, per verbum Dei fructificent.

Ad haec, ut de Sanctis haec recolentes, Deo pro tantis donis, quae ipse pro sua inexhausta bonitate in eos effudit, gloriam dent, cum laude et gratiarum actione, pias cantiones de ipsis psallant, et eorum instar vivendum se mutuo hortentur, atque ut in hac et futura vita, eorum consortes reddi possint, Deum deprecentur, nec in his omnibus quidquam a scripturis deflexum est: Hebr. 13. Memores estote eorum, qui praesunt vobis, qui locuti sunt vobis sermonem Dei, quorum imitamini fidem, considerantes, qui fuerint exitus conversationis illorum.

Item ut sciatur credaturque docent, non de iis sanctis tan-

Digitized by Google

tum, qui superioribus seculis ante nos fuerunt, et his miseriis exoluti, in beatam vitam accepti sunt, verum etiam de iis, qui nunc in mundo sunt. Omnes enim in Christum credentes, ubicunque gentium agant, sancti sunt. Et hi omnes regenerationis lavacro abluti, interque Dei filios ac haeredes adcensi sunt, fide in Christum gratis donati, iustificati, charitate in omnes flagrantes, fide Ecclesiaeque ministerio a peccatis emundantur, Christi corpori et sanguini communicant, ad bona opera edenda, ad quae conditi sunt, ut in eis ambulent, toti contendunt.

Hos equidem omnes, adhuc hic in vivis agentes, et mortali carne indutos, divinae literae Sanctos appellant, 1 Petr. 2. Vos estis genus electum, et regale sacerdotium, gens sancta, populus, qui in lucrum accessit. Item Paulus, 2 Corinth. 13. Salutant vos omnes sancti. Et alibi: Salutate omnes, qui praesunt vobis, et omnes sanctos, id est, fideles seu Christianos. Hanc ob rem docent, quod licet prae aliis Christianos omnes, malos etiam charitate complecti, eisque cum alias, tum in necessitate praesertim, auxiliares manus praebere debeamus, iis tamen maxime, qui eadem nobiscum doctrina et fide defuncti sunt, eamque factis exprimunt, quibuscunque in rebus possumus, usui esse debemus. Eosque cum Christianam veritatem et doctrinam sectentur, in sancta et fraterna societate habendos, ac bene semper de illis sentiendum, honoreque, a quibus ut pro nobis orent, pietatis iure requirere licet, ob Christum, Christianaeque charitatis vinculum, adficiendos, eorumque commodis et rebus consulendum docent. Nec non ut se quique illorum precibus commendent, saepius hortantur.

Istos autem qui Christi nomen profitentur, verum nequiter ac impie vivunt, aut falsa doctrina irretiti, errare se agnoscunt, quantum in unoquoque situm est, humaniter corrigendos, et per charitatem sufferendos esse docent, Deumque precandum, quo eos ad salutis viam revocet, ut Evangelium gloriae Christi ornetur in omnibus.

## *DE IEIUNIIS.*

### *Articulus XVIII.*

Ieiunia nostri cultum quendam externum in piis esse, Deo soli exhibendum, eaque pro personarum, gentium, locorum ac rerum ratione, a cunctis et unoquoque etiam citra superstitionem et hypocrisin servare docent. Nec sui huic Articulo desunt Scripturae loci: Sed e multis tantum hi sunto, 2 Cor. 6. Commendemus nos ipsos, ut Dei ministri, etc. in ieiuniis. Et Christus Dominus: Tunc, inquit, ieiunabant. Rursum in alio loco Paulus, ut vacetis ieiunio et precationi.

Docent deinde, non esse ieiunium in discrimine ciborum, sed in parco illorum sumptu, sobrietate, et temperantia, et sui corpo-

Digitized by Google

ris afflictione et humilitate coram Deo. Refert autem in totum, quo quis animo aut voluntate ieiunet. Quod autem ieiunium salutare sit, Deo gratum et acceptum, docetur apud Matth. cap. 6. et Esa. 58.

An vero in cibis delectus aliquis habendus sit, unumquemque verbis Christi dirigi monent, qui advocatis ad se turbis, dixit: Audite et intelligite, non quod ingreditur in os, impurat hominem, sed quod egreditur ex ore, hoc impurum reddit hominem. Et Apostolus: Novi, inquit, et persuasum habeo, per Dominum Iesum, nihil esse commune per se, nisi ei qui existimat aliquid esse commune, illi commune est. Verum si propter cibum frater tuus contristatur, non iam secundum charitatem ambulas, ne cibo tuo illum perdas, pro quo Christus mortuus est. Non est enim regnum Dei cibus et potus, sed iustitia et pax, et gaudium per Spiritum sanctum.

Siquidem Christiana libertas eo usque porrigitur, ut tamen infirmis fratribus scandalo esse non debeat. Ut inibi rursum apud eundem est: Omnia quidem pura, sed malum est homini, qui per offendiculum vescitur. Item alibi: Atque esca nos non commendat Deo, neque si comedamus, aliquid nobis superest, neque si non comedamus, quicquam nobis deest.

## *DE COELIBATU.*

### *Articulus XIX.*

Ad Coelibatum, docent, neminem cogendum, aut ab eo retrahendum esse, nam hunc Deus nulli praecepit aut vetuit, sed in cuiusque voluntate et arbitrio, ut coelebs vivat, aut matrimonium contrahat, reliquit.

Qui autem se Coelibatui propter regnum coelorum addixerit, hunc rectius et tutius facere dicunt, quam si se coniugio involvat ac implicet, iuxta quod ad Corinthios prioris cap. 7. Apostolus dicit: De virginibus autem praeceptum Domini non habeo, consilium tamen do, quod bonum est homini sic esse. Et in calce capitis: Beatior est, si sic maneat, iuxta meam sententiam. Opinor autem, quod et ipse Spiritum Dei habeam.

Deinde docent, ne quis hoc consilio coelibatum eligat, ut sibi aliisve remissionem peccatorum et vitam aeternam per ipsum promereri putet. Nullus etenim coelibatus, nec opus nostrum nobis haec adfert, sed unius tantum Christi mors et gratia. Verum hoc nomine se astringere coelibatui debet, qui ad eum idoneus est, quo commodius ac expeditius ipsi Ecclesiae, fratrumque societati in rebus salutis inservire queat, compertum habens, multa coniugatos incommoda comitari: si sic permanere possit, bene facit. De hoc etiam Paulus: Velim autem vos absque sollicitudine esse; Qui coelebs est, curat ea, quae sunt Domini. Ac rursum: Arbitror igitur hoc bonum esse, propter praesentem ne-

Digitized by Google

cessitatem. Et Dominus ipse commendat eos, qui se castrarint propter regnum Dei. Oportere autem docent, eos qui coelibem vitam delegerunt, ad id summa ope, quod Apostolus habet, contendere ac niti, ut cum primis bonisoperibus praesint, ut sint sancti corpore et spiritu.

Docent praeterea, ut qui se coelibatui, omnibus interim rebus, quibus vitae castitas conservari possit, diligenter diuque expensis, consulto dedicarit, hoc animo, ut in Ecclesia Dei, aliquo salutari ministerio fungatur, et fidem dederit Deo Ecclesiaeque eius, se caste coelibatum servaturum, ideo, ut sit ad hoc Christi Ecclesiaeque ministerium (cui se liberrime consecrarit) expeditior habiliorque. Talem iam ad contrahendum matrimonium, sui iuris, ut antea, non esse, excepta, ut Apostoli verbis utamur, ustione hoc est, si ei in coelibatu contigerit, ut ita uratur, ut nec ullo consilio, doctrina, castigatione, aut monitu ustionem domare aut cohibere possit. Nam ut is, qui se matrimonio mancipaverit, non est sui iuris ut antea, ita et qui se Christo et Ecclesiae eius in ministerium devovit, Ministerium hoc, omnis generis voluptatibus praeferre debet, cuius gratia omnia etiam, et propriam vitam abnegare tenetur. Habet haec castimonia vitae et voluptatum abstinentia, certas quasdam promissiones huius et futurae vitae, Marci 10. Rursum: Qui non pugnant cum concupiscentiis et affectibus carnis, adeo ut cupiant vincere, hi abiiciunt donum sibi a Deo collatum, amittunt Spiritum sanctum, et sunt offendiculo Ecclesiae, quam sua inconstantia labefactant et lacerant.

Praeterea docent, dona gratiarum diligenter ab omnibus et summo studio conservanda esse, ita nemini imponunt iugum intolerabile, cum conscientiae offendiculo, verum quia propter bonum ordinem, et ut Paulus ait, propter bonum Schisma omnia fieri debeant in Ecclesia.

Censent ex re Ecclesiae esse et commodare publicae tranquillitati, ut is, qui continere non potest, deferat eam rem ad Praesidentes in Ecclesia, quorum autoritate et consilio utatur. Decet enim Ecclesiae ministrum, Ecclesiae et fratrum autoritate omnia facere, ut sit aliis bono exemplo: Et minus peccatur, si corum, qui Spiritum Christi habent, utaris consilio.

## *DE TEMPORE GRATIAE, IN QUO DIVINUS FAVOR, ET QUAERI DEBET ET INVENIRI POTEST.*

### *Articulus XX.*

Hoc demum loco docent, ut sciant homines tantisper, dum in vivis sunt, tempus a Deo, quod gratiae est, sibi concedi, ut ipsum eiusque gratiam, bonitatem, misericordiam et lenitatem quaerant. Sicque ex illius promissione inveniant, ac ita beatam salutem adsequantur. De hoc sic in Actis Paulus concionatur: Deus praefiniit praestituta tempora, praefixitque terminos habitationis hominum, ut quaererent Deum, si forte palpent eum et

Digitized by Google

inveniant. Et Dominus per Prophetam ait: In tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adiuvi te. Ecce nunc tempus acceptum. Ecce nunc dies salutis.

Ideo diligenter admonent nostri, ne quis hoc tempore gratiae abutatur, sed ut interea dum in prospera valetudine est, dumque per hoc tempus gratiae licet, superioris vitae poenitentiam agat, Deo reconcilietur, suamque conscientiam fide in Christum, ac per eius in Ecclesia administrationem, pacificet ac tranquillet, et securam reddat. Hinc firmiter credens, sibi condonari peccata, et propitium Deum esse propter Christum, in cuius gratia firmatus, in bonisque operibus ambulans, ac proficiens, certo expectare debet, animam suam corporeis vinculis explicatam, transituram non in poenam aliquam, sed instar Lazari illius, ab Angelis in aeterna bona deportatum iri, illicque eam Christo Domino, quo cum adest quicquid bonorum est et expeti potest, perpetuo mansuram: Nec equidem in novissimo die iudicium mortis extimescet, nam in coelestem vitam rapietur. Ad hanc nos contendere vult Paulus, Hebraeis scribens: Exhortemini vos invicem quotidie, quoad appellatur dies hodiernus. Ne quis ex vobis indueretur seductione peccati: Ingrediemur enim in requiem, nos qui credidimus, id est, Dei voci auscultavimus in tempore.

Docent insuper certissimum cuique esse debere, quod si absque poenitentia et fide Evangelii, in peccatis suis decesserit, animam suam a morte, veluti impii illius divitis, cui iam nulla reliqua erat gratia, aeterni iudicii ream fieri. Qui sic impoenitentes vita hac defunguntur in extremo omnium conclusionis die, suis auribus horribilem Dei vocem audient, Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo et Angelis eius. Rursum Iohannis quinto: Et prodibunt qui mala egerunt in resurrectionem condemnationis.

Monent ad haec, ne quisquam ad Dominum converti suorumque admissorum culpam deprecari, poenitentiamve agere, ad senectam aut aegritudinem differat, interea autem temporis securus, ac in utramque aurem dormiens, carni et mundi illecebris indulgeat, suaeque voluntati morem gerat. Scriptum est enim, ne adiicias peccatum super peccatum, et ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur: Misericordia enim et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius: Non tardes converti ad eum, et ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictae disperdet te. Is vero omnium maxime, qui post adeptum divini erga se favoris testimonium, suapte ac voluntarie peccatis sese immerserit, totque admonitiones salutares, ut in tempore resipiscat, spreverit ac neglectui habuerit, verum stulte ac procaciter Dei abusus misericordia, in eaque suppodiatus, in peccatis perduraverit, ad usque postremum ac iam imminentem mortis articulum, ac tum primo expergefactus mortis instantis, infernique horrore

Digitized by Google

et metu incipiat, vel sero sapere, periculosum est, ne Domini furorem (ut clare verba illius testantur) extremo suo malo, et non misericordiam experiatur. Clamabunt, inquit Dominus apud Micheam tertio, ad me, et non exaudiam eos, et abscondam faciem meam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in studiis suis, quippe qui vocem meam audire noluerint, cum expandi manus meas tota die. Verendum profecto, ne digna factis suis praemia referat, qui tempore, quod Deus illi ad poenitentiam concesserat, tam ignave ac perdite abusus fuerit.

Attamen ne quis desperet, docent, Nam si etiam in extremo mortis periculo, vere poenitentiae signum apparuerit, quod rarissime tamen accidit talibus, recte enim Paulus: Id inquit faciemus si permiserit Deus, absque consolatione absolutionis non dimittitur. Durat enim tempus gratiae, quoad vita ista durat. Meminerint huius quod Paulus cum Propheta dicit: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem, tentationis in deserto, etc. Quo iis admoniti omnes, adquiescant quoque in tempore, etiam antequam contenebrescat sol, et operiantur montes caligine, resipiscant: ac missa vetustate, ad Deum redeant, omniaque agant, ne a gloria excidant, nostri summo studio curaque adhortantur.

## *CONCLUSIO.*

Hactenus ex his R. M. tuae invictissime Rex, fidei nostrae, religionis, atque adeo doctrinae, quam Seniores nostri omnes, unanimi consensu in his regionibus profitentur, ratio paucis (cum satis ipsa per se veritas polleat) exposita, quasique delineata est, verum et doctrinam hanc ab iis, qui erroris eam, aut impietatis, quibuscunque possunt nominibus, omni licentia criminantur, pugnantiaque ei, falsa et impia adtexunt, pro se quisque iuxta Dei munus, non humana vi, sed Scripturis tuentur ac vindicant. Nec sic suis tamen mordicus haerent, nec haeserunt unquam, quin si quid eos non satis assecutos esse, aperte Dei verbo, quod omnium regula esse debet, lenitatisque quo decet spiritu ostendatur, per quos in lucem veritas asserta est, gratias habentes, sua semper melioribus posthabere, et rectiora sequi, ut usque fuere, parati sint.

Digneris autem his legendis, Clarissime Rex, aliquid ocii decidere, tecumque expendere, an quisquam capita haec doctrinae nostrae, seu symbola, ut quae arcanis literis adversentur, et parum pia sint, iure damnare queat. Quoniam autem mundo plausibilia non sunt, hoc magis Regiae Maiestati tuae ac omnibus bonis, placere debent. At si quis tamen eo amentiae agatur, ut haec contemnat, is etiam, quod nemo obscure iudicaverit, ut veteres Orthodoxos, simulque divinas scripturas, a quibus haec desumpta sunt, ac Ecclesiam quoque, quae de principio hanc ipsam sententiam amplexa est, contemnat necesse est.



Digitized by Google

Hinc colligi potest, quo iure quave iniuria nos nostrique, ab huius doctrinae osoribus, apud Regiam Maiestatem tuam deferamur. Quamobrem quam possumus maxime obsecramus, ne Regia Maiestas tua eiusmodi Sycophantis, qui ex composito, quacunque possunt haereseos nobis crimen intentant, nosque aliam quandam doctrinam et dogmata, diversa iis quae hic exposuimus, tenere dicunt, fidem habeat. Palam enim est, nos in doctrina ac religione, nihil literis sacris politicisve ordinationibus, in primis vero Regni huius Bohoemiae, quod reluctetur, habere.

Scit Regia Maiestas tua, nobilissime Rex, eius nos iussa et imperium nunquam detrectasse, sed pacis semper studiosos, in cunctis obsequi paratissimos. Nec quippiam unquam per nos, quod in rem Maiestatis tuae, communisque hominum societatis effici potuerit, infectum reliquisse. Nec quondam Deo volente, quae ad officii nostri partes spectent, animumve publicae utilitatis amantem, in nobis desiderari committemus. Non modo enim honestatis, concordiae, pacis, civiliumque constitutionum gratia, Regiae Maiestati tuae parere ac subdi iustum ducimus, Verum quia, ut a nostris etiam, cum plebe ipsa docemur, quod dicto omnes, Magistratibus audiant, eos revereantur et colant a Deo praeceptum novimus. Calumniae ergo, technae, doli et fraudes sunt, quibus ut in nos inquiratur, apud R. M. T. per adversarios traducimur.

Quare, Illustrissime Rex, nos omnes benignitati tuae, gratiae ac patrocinio commendamus, responsumque ad haec, tuae Regiae Maiestatis clementia et bonitate dignum, nobis dari precamur. Deus Regiam Maiestatem tuam incolumem servet, et ad Ecclesiae usum semper provehat.

Proverbiorum 20.

Misericordia et veritas custodiunt Regem, et roboratur clementia thronus eius.

Finis Confessionis Bohoemiae.

Digitized by Google

# ADDIT. 3.

# CONFESSIO BOHEMICA,

HOC EST,

## CONFESSIO SANCTAE ET CHRISTIANAE FIDEI, OMNIUM TRIUM ORDINUM

Regni Bohemiae, Corpus et Sanguinem Domini nostri IESU Christi in Coena sub utraque specie accipientium:

*Invictissimis et Potentissimis quondam Imperatoribus Augustis, Bohemiae Regibus, D. MAXIMILIANO II. Anno* 1575. *et D. RUDOLPHO II. Anno* 1608. *humilime oblata, et ab ijsdem publicis Caesareis ac Regiis decretis liberaliter concessa confirmataque: secundum quam etiam omnes Ecclesiarum Evangelicarum Bohemicarum Pastores et Ministri sentiri et docere tenentur:*

E Bohemico Idiomate Latinitate donata, et nunc primum in lucem edita.

*Seriem et Ordinem eorum, quae in hac Confessione continentur, sequens monstrabit pagina.*

---

Francofurti apud Christophorum Vetterum, Anno 1619.

---

### SERIES ET ORDO EORUM, QUAE IN HAC CONFESSIONE CONTINENTUR.

I. Dedicatio Confessionis omnibus tribus Ordinibus Evangelicis sub utraque communicantibus facta a Dn. Michaele Spanovvski de Lisa in Patzovv, supremo Notario Regni Bohemiae.

II. Praefatio Ordinum ad Imperatorem Maximilianum II. Augustum, qua Confessionem hanc Caesareae ipsius Maiestati offerunt, liberumque eiusdem exercitium humilime petunt.

III. Articuli Confessionis, quorum numero sunt viginti quinque.

1. De Verbo Dei Scripturis sacris Veteris et Novi Testamenti comprehenso. 2. De DEO. 3. De Sacrosancta Trinitate.



Digitized by Google

4. De Lapsu primorum parentum et peccato originis. 5. De libero hominis arbitrio. 6. De Authore, causa et magnitudine peccati. 7. De Lege praeceptorum Dei. 8. De Iustificatione hominis coram Deo. 9. De Fide. 10. De Bonis operibus. 11. De Ecclesia Dei. 12. De clavibus Ecclesiae vel potestate Ministerij. 13. De Sacramentis, eorumque fructu et usu. 14. De Baptismo. 15. De Coena Domini. 16. De Poenitentia. 17. De Confessione. 18. De Ministerio Ecclesiae. 19. De Ritibus Ecclesiasticis. 20. De Magistratu Politico. 21. De Coniugio. 22. De Memoria Sanctorum. 23. De Ieiunio. 24. De Resurrectione mortuorum, et extremo iudicio. 25. De Vita aeterna.

IV. Paragraphus de unione omnium trium Ordinum Regni Bohemiae corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi sub utraque specie accipientium, sub praemissa confessione facta: ex articulis transactionis illorum, Anno 1609. die Wenceslai conscriptis, et Novo Consistorij Albo fol. 39. insertis, desumptus.

V. Declaratio Fratrum Unitatis, quos vocant, editioni Confessionis Bohemicae, Anno 1608. ab ipsis curatae, praefixa, qua publice eam approbant, commendant et recipiunt.

---

## GENEROSIS DOMINIS BARONIBUS,

**STRENUIS DOMINIS EX ORDINE EQUESTRI ET NOBILIUM,** Amplissimis et Praestantissimis Dominis Pragensium et aliarum Civitatum, omnibus tribus Ordinibus Regni Bohemiae, corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi sub utraque accipientibus:

*Dominis suis gratiosissimis atque amantissimis, Dominis suis cognatis, affinibus et amicis charissimis, officia sua cum apprecatione salutis, omnisque generis felicitatis et prosperitatis, promptissima paratissimaque offert.*

Non dubito, quin vestris Generositatibus et vobis in recenti et firma adhuc sit memoria, graves et necessarias fuisse causas, easque bene admodum ponderatas, ob quas in Generalibus illis Comitiis in arce Pragensi, praesente Serenissimo et Invictissimo Principe ac Domino, Domino Maximiliano, Romanorum Imperatore, Hungariae et Bohemiae, etc. Rege, etc. felicissimae recordationis, Anno a nativitate Filii Dei, millesimo, quingentesimo septuagesimo quinto, die Lunae post Dominicam primam Quadragesimae habitis, de Clementissimo Caesareae ipsius Maiestatis consensu humilime rogando inter vos convenit, ut, durantibus adhuc Comitijs, Confessionem fidei nostrae Christianae vobis certo loco congregatis, scripto comprehendere, Caesareaeque Maiestati offerre liceret; quemadmodum sequens libellus supplex, Caesareae

Digitized by Google

Maiestati, beatae memoriae, a vestris Generositatibus et vobis, una cum praedicta fidei nostrae Christianae Confessione, hac ipsa de causa eo tempore oblatus, pluribus exponit et declarat.

Accepto vero Clementissimo a Caesarea Maiestate responso, tantum summo studio ac diligentia (mediantibus et non parum laborantibus, certis quibusdam, ijsque praecipuis personis, tum e numero vestrum omnium trium Ordinum, tum ex Ecclesiasticis, viris pijs et in Scripturis sacris exercitatis, ad id deputatis) per singularem et immensam Dei Omnipotentis gratiam, divinumque eiusdem auxilium, felicissimo cum successu, in Christiana unanimitate et concordia perstitistis: ut Confessio Christianae nostrae fidei, Ordine secundum omnes articulos scripto comprehensa, Scripturis Propheticis et Evangelicis, Veteris ac Novi Testamenti, consona inventa fuerit: id quod merito vobis et posteris vestris maximae consolationi esse debet. Atque haec ipsa fuit fidei nostrae Confessio Caesareae Maiestati, sacratissimae memoriae, a vestris Generositatibus et vobis postmodum oblata, humilimeque insuper petitum fuit, ut Caesarea Maiestas vestras Generositates et vos cum Christiana hac Confessione, ut et Pastoribus ac toto pio ordine Ecclesiastico, clementissima manu fovere, tueri, et clementissimus Caesar, Rex et Dominus noster esse et permanere dignaretur. Quam clementissime autem illa vestris Generositatibus et vobis annuerit, deque iusta et necessaria assecuratione, ut vos et sacerdotes vestros in eadem confessione et pio ac Christiano ordine Ecclesiastico, nemo turbaret et impediret, oretenus confirmata providerit, id omne vestras Generositates et vos, magna ex parte, bene adhuc meminisse, existimo.

Qua de causa non immerito debitas Deo gratias agere, nomenque eius sanctum celebrare tenemur, quod non tantum praedicta caesarea Maiestas, Illustris memoriae usque ad finem temporalis vitae suae, sed et moderna Caesarea Maiestas, Imperator Rudolphus, Rex et Dominus noster clementissimus vestras Generositates et vos omnes, cum Christiana illa nostra Religione, clementer admodum et paterne, uti pium ac Christianum Magistratum decet, foverit et defenderit, ijsdemque tanquam fidelibus subditis, vel ulli etiam alij propterea negotium et molestiam exhiberi minime permiserit, adeo, ut in hoc Regno Bohemiae bona in pace hactenus conservati et defensi simus.

Cum vero maximum hucusque defectum in eo animadverterim, quod pauci admodum ex sacerdotibus sive Ecclesiae ministris, et multo pauciores etiam ex omnibus Rebuspublicis regni huius, fide digna exemplaria Christianae illius nostrae Confessionis, cum erudiendae plebis, tum propriae utilitatis causa, in promptu habeat; aequum omnino et necessarium esse duxi, ut Christianam illam nostram Confessionem publicis typis excudendam traderem. Et quia vestrae Generositates et vos, tempore praedictorum Comitiorum apud Caes. Mai. D. Maximilianum, illustris beataeque me-

Digitized by Google

moriae, summa cura et fidelitate, labore et studio effecere, ut Christianum illud opus, Omnipotentis Dei auxilio, ad optatum finem feliciter perductum fuerit, non vidi aequius et convenientius alicui, praeterquam vestris Generositatibus et vobis, hanc meam Praefationem cum libello dedicari et offerri posse.

Itaque vestras Generositates et vos officiose et amice rogo, ut hunc meum, quamvis exiguum, laborem et impensas, benigne et amice suscipiatis, hunc que preciosissimum Thesaurum vobis et posteris vestris fideliter asservetis, quo eo melius voluntate et cognitione Domini, Dei Omnipotentis, ut et quibus in rebus clementissimo nostro Magistratui et charissimae patriae nostrae obligati et devincti simus, imbui et assuescere queant, atque ita omnes simul in futura vita, per merita Filij Dei Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi, aeternam beatitudinem consequamur, eiusdemque participes reddamur, Amen.

Michael Spanovvsky de Lisa in Patzovv, supremus Notarius Regni Bohemiae.

---

## PRAEFATIO AD IMPERATOREM MAXIMILIANUM II. Augustum etc.

*Serenissime, Invictissime et Potentissime Romanorum Imperator, Hungarorum et Bohemorum etc. Rex et Domine, Domine nostre Clementissime: Non dubitamus, quin sicuti Deo Omnipotenti atque omniscio, ita et Caesareae vestrae Maiestati, tanquam totius orbis Christiani Domino, Regi ac Domino nostro clementissimo, bene constet, imo etiam et multis aliis notum sit: nos verae illi, Christianae et antiquae Religioni et sanctae Fidei sub utraque addictos esse, quae a Filio Dei, Domino et Salvatore nostro Iesu Christo, exorsa, per sanctos Apostolos in universo mundo praedicata est, donec et in hoc Bohemiae Regnum, peculiari dispositione Dei, annis abhinc aliquot centum primo pervenit: deinde per M. Iohannem Hussum, beatae recordationis, aliosque sanctos viros praedicatione et doctrina verbi Divini renovata, et tandem hinc etiam ad finitimas regiones usque progressa fuit: cuius Religionis et fidei verae causa Maiores nostros magnas persecutiones sustinere oportuit, cupientes in agnita veritate et puro Dei verbo persistere, nobisque posteris suis Thesaurum tam pretiosum et divinitus revelatum relinquere.*

*Itaque et nos scientes ex verbo Dei, quod ideo a Domino Deo nostro creati simus, ut eum tanquam creatorem nostrum eo cultu, quo ipse in verbo suo coli vult, in hoc Mundo colamus, glorificemus et celebremus, divinam eius voluntatem in omnibus sequentes, et pro viribus nostris exequi et implere conantes: primam semper huius rei curam habuimus, ut pax, charitas et con-*

Digitized by Google

*cordia circa Religionem ex parte nostra conservarentur. Cum vero his ipsis annis a multis, et praesertim ab impiis quibusdam Sacerdotibus, a vera Religione, Christianaque et antiqua fide ac bono Ordine, magno cum plebis scandalo, periculose exorbitatum, indeque simplicioribus ad peccandum quasi fores apertae sint: nos desiderantes, ut Christianus, antiquus et bonus Ordo in Ecclesias nostrae partis reduceretur, id non semel a Caesarea vestra Maiestate supplices contendimus; quin et in praesentibus hisce comitiis eandem petitionem ad animum revocantes, primum dilectis nostris Dominis et amicis omnium trium Ordinum* sub una *communicantium, conservandae concordiae et mutui amoris causa, mentem nostram cum amica repromissione declaravimus, rogantes, ut nobiscum Caesaream vestram Maiestatem accederent, inque bono hoc proposito nostro auxilio nobis essent. Illi instituto ea de re colloquio, amicoque pari et reciproca cum stipulatione responso dato, disertis verbis testati sunt, nihil id sibi adversari neque dubitare etiam, quin in omni eo, quicquid in hac causa nostra boni meditemur, Caesarea vestra Maiestas, re probe intellecta, clementer et prout par est, sese erga nos exhibitura et declaratura sit.*

*Atque ita amice cum iis in charitate consentientes Caesaream vestram Maiestatem nos omnes* sub utraque *communicantes simul accessimus, eidemque per supremum Praetorem Regni Bohemici oretenus supplices et unanimes retulimus; nos verae illius, Christianae et antiquae (ut supra dictum) Religionis et Fidei sub utraque esse, quae praeteritis temporibus hinc ad finitimas etiam regiones percrebuit, et tandem in publicis Sacri Imperij comitiis Augustae Anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo celebratis, certis Articulis delineata, ac inclytae sanctaeque memoriae Pontentissimo Caesari Carolo, eius nominis Quinto, in praesentia piae memoriae, Regis Ferdinandi, Caesareae vestrae Maiestatis Parentis dilectissimi, exhibita, statibusque Sacri Romani Imperij concessa, a multis Ecclesiis pro vera, Christiana, antiqua et sancta fide, cum Scripturis sacris, Propheticis et Apostolicis, et Christi Domini doctrina consentiente, agnita et recepta est: qua ipsorum consensione, inter status sacri Romani Imperij concordia et charitas sancita, et pax confirmata est, ita ut omnia alia noxia, erronea, et haeretica dogmata, verbo Dei minime consentanea, Confessione ista tanquam Regula quadam dijudicari et extirpari queant. Et ad istud tam laudabile Statuum sacri Imperij exemplum nos quoque, constituendae et conservandae in hoc Regno mutuae concordiae, charitatis, pacis, et boni ordinis gratia, imo etiam secundum praestitum nostrum Christianum iuramentum, quo (ut supra attigimus) cumprimis Domino Deo nostro, deinde Caesareae vestrae Maiestati, ac denique patriae nostrae, ut et posteris nostris, devincti sumus, ut ante omnia illorum, quae honorem et gloriam Dei Omnipotentis et animarum nostrarum sa-*

Digitized by Google

*lutem concernunt, in hac nostra mortalitate fidelem semper ac diligentem curam habeamus, Caes. vestram Maiestatem, tanquam supremum Magistratum et Dominum nostrum clementissimum supplices humilime rogavimus, ut clementissimo ipsius indultu nobis convenire, deque antiqua nostra fide ac Christiana Religione colloqui, et Christianum nostrum in Ecclesia Ordinem, a quo iam dudum in hoc regno perniciose discessum et exorbitatum fuit, denuo certo scripto comprehendere liceat, atque ita tandem aliquando hoc medio falsa dogmata, omnesque perniciosae sectae, quae nostris sese partibus tanquam pallio tegunt, radicitus extirpentur.*

*Nacti autem de his omnibus, ut supra scriptum est, Clementissimum Caes. vestrae Maiestatis consensum, magna omnes consolatione perfusi sumus, Deoque Omnipotenti ex animo gratias agentes, divinam eius Clementiam supplices rogavimus, ut Caes. V. Maiestati in longam aetatem, felix et tranquillum inter nos imperium, omnium regnorum et regionem amplificationem, victoriam adversus hostes, et denique temporalem atque aeternam benedictionem effuse largiri, suoque Sancto Spiritu cor ipsius consolari, regere, et ad vitam aeternam sustentare, una cum Caes. V. Maiestat. coniuge, omnibusque ipsius haeredibus charissimis, Domina et Dominis nostris clementissimis, dignetur. Itaque habito, ex clementissima Caes. V. Maiestatis concessione, unanimi consensu hisce diebus conventu, convocatisque ad nos viris aliquot piis et doctis, Ecclesiasticis et Politicis, summam antiquae nostrae, Christianae et verae religionis in certos Articulos redactam scripto comprehendimus: idque hac vice Caes. V. M. omni cum subiectione et humilitate unanimiter clementissime perlegendum et perpendendum offerimus: Sancte hoc ad unum omnes attestantes, quod in agnita divina veritate et hac nostra verae fidei confessione, ac bono Christianoque Ordine constanter (nusquam a verbo Dei, vel ad dextram, vel ad sinistram deflectentes, et sub Caes. vestrae Maiestatis, tanquam a Deo nobis constituti Magistratus, clementi tutela consistentes) perseverare velimus, et auxilio Dei etiam perseveraturi simus, ita ut nullum erroneum dogma recipiamus, neque in fide etiam cum iis, quoscunque quacunque in re veritati Scripturae sacrae, et Institutioni Christi Domini contrarios deprehenderimus, sint illi qualescunque Sectarij, Haeretici, Sacramentarij veteres aut novi, unquam consentiamus.*

*Et quia certo fundamento sacrarum Scripturam religionem nostram cum Maioribus nostris infallibiliter superstructam habemus: eaque sanctae fidei confessio nullo modo absque bono ordine consistere et durare potest: ideo a Caesarea vestra Maiestate clementer nobis permitti supplices quoque contendimus, ut, more Maiorum nostrorum, Administratores et Consistorium nostrum ex viris piis et honestis aliisque bono exemplo praeeuntibus constituere liceat, qui sacerdotes nostros ordinent et confirment, eosque*

Digitized by Google

*secundum hanc nostram Fidei sacrae confessionem in bono ordine et vitae morumque integritate contineant regantque, ne ullae sint in Ecclesiis nostris dissensiones, sed pax, charitas et concordia inter nos omnes conserventur. Nullum enim Confessioni fidei nostrae, Administratoribus et Consistorio nostro alium post Deum defensorem et Patronum habere volumus, nisi tantum Caesaream vestram Maiestatem tanquam Regem et Dominum nostrum clementissimum, et eos, qui consensu et voluntate Caesareae vestrae Maiest. ab omnibus nobis tribus statibus sub utraque delecti, inspectioni et curae eiusdem Consistorij destinabuntur et praeficientur, quo eo facilius hoc modo in hoc Regno et sub regimine Caes. vestrae Maiestatis honor et gloria Dei promoveri, verbum eius sanctum pure praedicari ac propagari, populus ad veram pietatem adduci, et ab iniquitatibus, peccatis ac Idolomania, mediante verbo Dei, revocari queat, quemadmodum ex hoc nostro scripto de forma Consistorij, quod cum hac fidei nostrae confessione exhibemus, Caes. vestra Maiestas magna ex parte intelligere poterit.*

*Et cum, Clementissime Caesar, traducamur, quasi non omnes in fide consentiamus, praesertim vero Domini et amici nostri dilecti, qui ex unitate Fratrum nominantur: propterea humilima cum subiectione Caes. vestrae Maiestati significamus: quemadmodum illi superioribus annis Confessionem suam Caes. vestrae Maiestati exhibuerunt, et ut ea libere uti liceret, humilime orarunt; ita nos iisdem, ideo quod in omnibus principalibus articulis cum hac nostra exhibita Fidei nostrae Christianae confessione consentiunt, in Religione ipsorum molesti esse nolumus, sed omnes simul et unanimiter a Caes. vestra Maiestate submisse petimus, ut nostrum omnium clementissimam defensionem suscipere, et tutum ac liberum Christianae nostrae Religionis, iuxtaque eam divini cultus, exercitium clementer nobis permittere dignetur. Id erga Caes. vestram Maiestatem nos tanquam fideles subditi, summis nostris viribus humilima cum subiectione quocunque tempore libentissime recompensaturi sumus. Atque his Caesareae vestrae Maiestati tanquam Caesaris Christianissimi, et Regis ac Domini nostri clementissimi, patrocinio clementissimo humilima cum devotione nos recommendamus.*

*Dab. die Martis post Festum Ascensionis Christi in coelum, in publibis illis Comitiis, quae die Lunae post Dominicam Invocavit inchoata, et usque ad diem Martis, memoriam D. Wenceslai antegressum, celebrata fuerunt, Anno Domini* 1575.

*Caes. Vestrae Maiestatis*

*Fideles subditi*

*Barones, Nobiles, Pragenses, et reliquae civitates omnium trium Statuum Regni Bohemici sub utraque communicantium.*

---

Digitized by Google

# CONFESSIO SANCTAE ET CHRISTIANAE FIDEI, OMNIUM TRIUM ORDINUM REGNI BOHEMIAE, CORPUS ET SANGUINEM DOMINI IN COENA SUB UTRAQUE SPECIE ACCIPIENTIUM.

## Articulus I.

## DE VERBO DEI, SCRIPTURIS SACRIS VETERIS ET NOVI TESTAMENTI COMPREHENSO.

Corde Credimus, et ore confitemur, quod Scripturae sacrae Veteris et Novi Testamenti, quibus de unica Divinitate et tribus distinctis personis in una ista Divinitate, ut et determinata voluntate Dei agitur, sint sine omni exceptione et immutabiliter verae sanctae, certae et catholicae, hoc est, universae Ecclesiae ad credendum et servandum a Deo datae et praeceptae: et quod hoc duplici foedere Veteris et Novi Testamenti, quicquid nobis necessarium est ad salutem, totum, non obscure, sed dilucide et sufficienter contineatur.

Confirmat hoc ipsius Filii Dei sermo, ita dicentis, Iohan. 5. Scrutamini Scripturas, quia putatis vos in ipsis vitam aeternam habere, et illae sunt, quae testimonium perhibent de me, et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Et iterum, cum se duobus discipulis, Hierosolymis Emaunta euntibus, in via adiunxisset, Evangelista Lucas commemorat, ipsum locutum fuisse, quod de se scriptum erat in lege Mosis, et Prophetis et Scripturis. Et rursum de dignitate et auctoritate Verbi Dei scribit D. Lucas 11. cap. Quod beati sint, qui audiunt Verbum Dei, et custodiunt illud: Et D. Iohan. 8. Qui ex Deo est, Verbum Dei audit. Tota quoque sacrosancta Trinitas apud hominem istum mansionem facere vult, qui sermonem Filii Dei servat, quemadmodum in Evangelio D. Iohannis habetur, et ipse Christus Dominus ait: Qui diligit me, sermonem meum servabit, et ad ipsum veniemus, et mansionem apud illum faciemus. Et D. Paulus ad Rom. 1. Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Huic igitur Verbo Dei citra omnem controversiam quaevis alia dogmata cedere, et locum dare debent, et nec sunt, nec possunt, nec debent haberi tantae dignitatis et auctoritatis, ut Verbum Dei, quod est tanquam gladius anceps et penetrans. Deus enim Pater coelestis de Filio suo hoc coelitus promulgavit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit, hunc audite: Et Deuteronomii 4. Non addetis ad verbum meum quicquam, neque ab eo auferetis quicquam.

Digitized by Google

## Articulus II.

## DE DEO.

Corde credimus, et ore confitemur, prout articuli sanctae catholicae et Christianae fidei, Concilium Nicaenum, et Symbolum D. Athanasii habent, quod una tantum sit essentia divina, quae appellatur et vere est Deus aeternus, invisibilis, potentia, sapientia, iustitia et bonitate sua immensus et incomprehensibilis, qui est conditor omnium rerum, visibilium et invisibilium, conservator, moderator, et gubernator admirabilis. Veruntamen, unius eiusdemque divinae essentiae tres sunt distinctae personae, aequalis et unius substantiae, potentiae et aeternitatis, nempe, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus. Vocabulo vero PERSONAE intelligitur, quod unaquaeque habeat suam propriam et destinatam personalem subsistentiam, quam Graeci vocant ὑφιστάμενον.

## Articulus III.

## DE SACROSANCTA TRINITATE, VEL DE DISTINCTIONE PERSONARUM IN DIVINITATE.

Credimus et confitemur, quod aeternus Deus Pater sit prima Persona Divinitatis, Omnipotens et aeternus, immensae et incomprehensibilis potentiae, sapientiae, iustitiae, sanctitatis et bonitatis, qui ab aeterno genuit Filium, consubstantialem et perfectam imaginem essentiae suae; et a quo, sicut et a Filio procedit Spiritus Sanctus; et qui una cum Filio et Spiritu Sancto, omnes res, visibiles et invisibiles, in tempore divinae suae Maiestati placito ex nihilo creavit, easque divina sua providentia sustentat, conservat, regit, et gubernat. Itaque quoad substantiam et essentiam divinam, ut et opera Dei externa, veluti sunt, creatio, conservatio, et gubernatio omnium rerum, nullum discrimen inter Patrem, Filium et Spiritum Sanctum statuimus.

Credimus atque ore etiam confitemur, quod secunda Persona Divinitatis, Verbum aeternum, hoc est, aeternus Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, humanam nostram naturam, in utero Beatae Virginis Mariae, operatione Spiritus Sancti assumere dignatus fuit, ita, ut duae naturae, divina et humana, in unitate personae, aeterno et indissolubili nexu copulatae, unus sint Christus, verus Deus et verus homo, natus ex Maria Virgine, qui pro universo genere humano vere et realiter passus, crucifixus, mortuus et sepultus est, ut nos cum Deo Patre suo reconciliaret, et hostia propitiatoria esset, non solum pro culpa vel peccato Originis, verum etiam pro omnibus aliis actualibus hominum peccatis. Et quod idem ille Dominus noster Iesus Christus descendit ad inferna, ac vere et realiter tertia die a mortuis resurrexit propter iustificationem nostram. Deinde adscendit ad coelos, se-

Digitized by Google

det ad dexteram Dei Patris, aeternum regnat, omnib. creaturis dominatur: omnes in se credentes iustificat, illos sanctificat, misso in corda eorum Spiritu Sancto, qui eos regat, consoletur, vivificet, et adversus Diabolum et vim peccati defendat.

Atque ita perfectus est Mediator, Advocatus, et Intercessor apud Deum Patrem, Reconciliator, Redemptor et Salvator Ecclesiae nostrae, quam Spiritu suo sancto colligit, conservat, tuetur, et regit, donec numerus Electorum Dei compleatur. Tandem vero idem Christus Dominus palam est rediturus ad iudicandum vivos et mortuos, quemadmodum fides Christiana et Symbolum Apostolicum hac de re latius testificantur.

Credimus quoque et confitemur, quod Spiritus Sanctus sit tertia Persona in Divinitate ab aeterno a Patre et Filio procedens, substantialis et aeternus amor Patris in Filium, et Filii in Patrem: cuius infinita potentia et bonitas manifestatur et conspicitur non solum in creatione et conservatione omnium rerum, sed etiam peculiariter in iis operibus, quae in Filiis Dei ab initio Ecclesiae operari dignatur, perficiens in iis per ministerium Verbi divini et Sacramentorum, et vivam fidem, salutem illam aeternam, quae Electis Dei in Christo Domino ante constitutionem Mundi reposita est.

## Articulus IV.

## DE LAPSU PRIMORUM PARENTUM ET PECCATO ORIGINIS.

Credimus etiam et confitemur, quod primus homo Adam in perfecta sanctitate et innocentia conditus et constitutus, Diabolo autore seipsum voluntarie sine ulla coactione per transgressionem divini Praecepti a Deo avertit, et hoc ipso in se et omnem progeniem suam ac universum genus humanum temporalem et aeternam mortem, adeoque omne id, unde haec utraque mors oritur, derivaverit. Omnes enim homines post lapsum Adae naturaliter propagati cum mortalitate et peccato concipiuntur et nascuntur, hoc est, non solum cum fragilitate et imbecillitate carnis, sed inprimis etiam cum interiori labe et corruptione totius hominis et omnium virium eius: ita, ut homo, amissa primaeva sua sanitate, innocentia et iustitia, iam sit aversus ab omni bono, sine timore Dei, sine fiducia in Deum, subiectusque peccato, et innatae malae concupiscentiae. Hoc peccatum Originis, quemadmodum in sese vere est et manet peccatum: ita etiam affert secum omnibus, qui per Baptismum et Spiritum Sanctum non renascuntur, iram Dei, atque sic secundam mortem et aeternam damnationem.

Digitized by Google

## Articulus V.

## DE LIBERO ARBITRIO HOMINIS.

De libero arbitrio hominis confitemur, quod illud suam quandam habeat libertatem ad efficiendam externam civilem disciplinam et iustitiam, in iis, quae rationi subiecta sunt; ita ut homo in eiusmodi operibus (sicut attigimus) ratione, iudicio et voluntate utens, in quovis proposito suo, cum divina lege pugnante, excusationem coram Deo praetendere nequeat. Verumtamen non habet vim sine Spiritu Sancto, ut possit iustitiam Dei, sive iustitiam spiritualem efficere. Animalis enim homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei: sed haec spiritualis iustitia fit in cordib. cum per Verbum Dei Spiritus Sanctus concipitur.

## Articulus VI.

## DE AUCTORE, CAUSA, ET MAGNITUDINE PECCATI.

De causa peccati confitemur, quod tametsi Deus sit creator et conservator naturae, tamen peccati causa non sit, sed voluntas malorum, videlicet diaboli, et hominum impiorum, quae non adiuvante Deo se a Domino Deo suo avertit, sicut de hoc Christus Dominus in Evangelio D. Iohannis cap. 8. ait: Cum Diabolus loquitur mendacium, ex suo proprio loquitur. Quodque omne peccatum (ideo quia contra legem vel praeceptum Dei est, et opus Dei destruit,) Deo et perfectae eius sanctitati ac iustitiae omnimode et maxime sit adversum. Et quod eam ob causam Deus (qui nullum peccatum, nullamque peccato contaminatam creaturam ullo modo ferre vult ac potest) unumquemque Christi Domini et in ipso perfectae salutis non participem, propter peccatum suum aeternum abiiciat et condemnet: quemadmodum hanc immotam suam voluntatem, et immutabilem iustitiam in lege praeceptorum suorum nobis ostendit.

## Articulus VII.

## DE LEGE PRAECEPTORUM DEI.

Deus enim Omnipotens legem suam aeternam et immutabilem homini promulgare dignatus est, non solum ad probitatem et honestam ac bonam externam disciplinam inter omnes homines in hac temporali vita conservandam: verum principaliter et in specie ad ostendendam nobis magnitudinem peccati, et reatus nostri, ut hinc agnoscamus, cum delicta et quoslibet interiores et exteriores defectus nostros, tum etiam adversus peccata nostra iustam iram Dei, et aeternam damnationem. Atque hinc oritur in impiis quidem desperatio et contemptus Dei, in filiis vero Dei per gratiam Spiritus Sancti vera cordis contritio, pariens timorem Dei in corde, itemque perpetuum ac genuinum odium cuiuscunque

Digitized by Google

peccati et defectus interioris et exterioris, cumque hoc verum et ardens desiderium consequendi repositam in Christo Domino Redemptore nostro salutem, id est, remissionem peccatorum, liberationem a maledictione legis et ira Dei, a morte aeterna, et potestate Diaboli, reconciliationem cum Deo, iustificationem et sanctificationem, quae est participatio Spiritus Sancti, et haereditas vitae aeternae.

## Articulus VIII.

## DE IUSTIFICATIONE HOMINIS CORAM DEO.

Et ita credimus ac confitemur, quod iustificatio hominis coram Deo sit reputatio et pronuntiatio divina peccatoris poenitentis pro innocente, sancto et iusto. Et quod homines ad talem coram Deo iustificationem non perveniant propriis viribus, meritis et operibus suis: sed iustificentur gratis ex mera gratia divina, propter solum Christum Dominum per fidem in sanguine eius; cum per gratiam Spiritus Sancti corde sine ulla dubitatione credunt, quod Deus secundum fideles suas promissiones sibi omnia sua peccata remittat, seque in gratiam recipiat propter redemptorem et salvatorem Iesum Christum, qui integra et perfecta sua obedientia et morte sua horribili atque innoxia pro totius mundi peccatis satisfacere dignatus est. Et hanc ipsam fidem in solum Christum Dominum, eiusque merita pro perfecta iustitia coram se reputat, quemadmodum hac de re Divus Apostolus Paulus ad Romanos tertio et quarto scribit. Homo enim, qui credit, per fidem vere particeps factus Christi, etiam simul in eo particeps fit universae sanctitatis et iustitiae, quam Christus Dominus propter ipsum et pro ipso habere et implere dignatus est, quamque ei, tanquam membro suo, appropriat. Atque hanc ob causam fides imputatur et adscribitur omni credenti ad perfectam iustitiam, et propter talem eius in Christo perfectam iustitiam donatur ipsi vita aeterna, cuius pignus est Spiritus Sanctus, sicut confirmat illud Christus Dominus in Evangelio Divi Iohaun. 6. Amen, Amen, dico vobis, qui credit in me, habet vitam aeternam.

Ideoque ad consequendam salvificam fidem in Christum Iesum institutum est ministerium docendi et praedicandi sanctum Evangelium, et administrandi venerabilia Sacramenta. Per Verbum enim Dei et usum Sacramentorum, tanquam per media divinitus instituta, donatur Spiritus Sanctus, qui fidem salvificam, ubi et quando Deo visum fuerit, efficit in iis, qui audiunt Sanctum Evangelium; quod docet, Deum non propter nostra aliqua merita, sed propter solum Christum Dominum omnes illos, qui in Christum credunt, in gratiam recipere, iustificare et Spiritu suo Sancto ad vitam aeternam sanctificare.

Atque ita sanctificatio, renovatio vel regeneratio hominis fit per fidem et Spiritum Sanctum, quando per fidem in Christum Dominum participes reddimur Iesu Christi omnium meritorum

Digitized by Google

cius, atque hoc pacto perfecte coram Deo iustificamur. Ubi vero statim per eandem participationem et communionem Christi Domini simul infunditur in nos, tanquam viva membra sancti ipsius corporis, Spiritus Sanctus, qui nos sanctificat et renovat, ut inchoate sancti simus, et morientes omnibus a pravis cupiditatibus carnis, iamque Deo viventes, indies magis magisque recuperemus primam illam per Adamum amissam sanctitatem, quam in vita aeterna demum perfecte consequemur.

Et quia haec nostra per Spiritum Sanctum in nobis inchoata sanctitas in hac vita perfecta non est; siquidem ad mortem usque in nobis permanent multi defectus et infirmitates, atque ita multa etiam delicta, pro quibus indesinenter oramus, dicentes: Remitte nobis debita nostra: Ideo non sumus nec esse possumus coram Deo perfecte sancti nostra illa per Spiritus sanctum in nobis inchoata sanctitate, iuxta dictum Christi Domini in Evangelio D. Lucae 17. Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus: et 1 Canon. D. Ioan. 1. cap. Si dixerimus, quod peccatum non habemus, nosipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Et sanctus David orat, dicens: Ne intres Domine in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo ullus homo.

Quapropter, ut supra dictum est, Iustificatio nostra coram Deo tantum in solo Christo Domino posita est, et sola fide acquiritur, sicut et veteres Ecclesiae sanctae Doctores hac de re docent. Beatus enim Ambrosius hunc in modum scribit: Hoc a Deo constitutum est, ut qui in Christum credit, salvus sit, sine operibus, sola fide, gratis consequendo remissionem peccatorum.

## Articulus IX.
## DE FIDE.

Itaque de fide haec est nostra iuxta Verbum Dei confessio, quod fides salvifica sit, quando homo non tantum credit esse Deum, et omne id, quod in sancto suo Verbo nobis annunciare et promittere dignatus est, esse verum (quod et Diaboli credunt et contremiscunt) sed etiam per Spiritum Sanctum corde confidit, quod gratiosae promissiones divinae de remissione peccatorum, et salute aeterna unicuique in Christum Dominum credenti factis, ad se etiam in specie pertineant: et quod iuxta promissiones illas aeternus Deus non solum aliis peccatoribus, sed et sibi ipsi etiam propter Christum Dominum peccata remittere, se in gratiam recipere, et Spiritu suo Sancto ad vitam aeternam sanctificare velit. Atque sic fidelibus promissionibus divinis in Christo fundatis innixus, illis ipsis de sua ad vitam aeternam electione, et certa in Christo salute sese, quantum potest, firmiter certiorem reddit, perque talem cordis ad Deum fidem vel fiduciam superat omnes tentationes, acquirit vivificam consolationem, et pacem cum Deo, ad quem confugit confidenter, clamans Abba Pater: sicut D. Apo-

Digitized by Google

stolus ad Rom. 5. dicit: Iustificati igitur ex fide, pacem habemus cum Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem habemus accessum in fide ad gratiam hanc, in qua stamus et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei.

Et quia salvifica fides, ubi in homine per Spîritum Sanctum existit, sive sit infirma, siva firma, semper apprehendit Christum Dominum cum omnibus beneficiis suis (is enim sub hac unica conditione, si corde tantum in ipsum credamus et confidamus, sese nobis donat) atque ita homini credenti affert remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, iustificationem, regenerationem per Spiritum Sanctum, et vitam aeternam: propterea illa in homine mortua non est nec esse potest, sed indesinenter operatur novam et aeternam vitam, mortificat omnes pravas hominis cupiditates, accendit in corde dilectionem Dei et proximi, et ita per charitatem operatur quaevis bona et sancta opera, ex quibus tanquam arbor ex fructibus cognoscitur. Sicut enim ignis absque calore, et sol absque splendore: ita etiam vera fides et Christi particeps, sine renovatione et sine charitate, adeoque sine multis sanctis et bonis operibus nunquam et nusquam esse potest.

## Articulus X.

## DE BONIS OPERIBUS.

De bonis operibus confitemur, quod ea vere sint bona et sancta opera, quae Deus in Verbo suo praecepit, quaeque ex vera fide proficiscuntur, et sunt fructus Spiritus Sancti. Gal. 5. Quicquid enim fit ab iis, qui non ducuntur Verbo Dei, et vera in Christum fide, et destituti sunt Spiritu sancto; id omne, quacunque etiam ratione coram oculis hominum speciosum et bonum esse videatur, coram Deo abominabile et odiosum est, et peccatum manet, secundum dictum Apostoli, Rom. 14. Quicqnid ex fide non est, peccatum est. Et ad Hebraeos 11. Sine fide impossibile est placere Deo.

Itaque bona opera proprie sunt et fiunt tantum in solis filiis Dei, qui per fidem in Christum omnia beneficia eius et universam salutem, hoc est, iustificationem et renovationem consequuntur, ductique Spiritu Dei faciunt et servant, quicquid Deus in verbo suo praecepit et constituit, iuxta dictum Ezechielis Prophetae 20. cap. In praeceptis meis ambulate, ut faciatis ea: Et in Evangelio Sancti Matthaei 15. cap. Frustra me colunt, docentes doctrinas et traditiones humanas.

Et talia bona opera placent Deo, non propter propriam ipsorum dignitatem et perfectionem, quae in illis prorsus non reperitur, secundum Verbum Prophetae Esaiae, quo de suis et totius Ecclesiae operibus loquens, ita dicit, cap. 64. Tanquam pannus menstruatae omnes iustitiae nostrae: sed placent Deo per solum Christum Iesum in persona vel homine, qui prius a Christo Domino per fidem in ipsum iustificatus, et Deo acceptus redditus

Digitized by Google

est, quando credit: primo, quod remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, iustificationem et sanctificationem non consequamur, nisi tantum ex gratia Dei, gratis propter solum Christum Iesum, et per fidem in ipsum: Secundo, quamvis per Spiritum sanctum regeneratus sit, quod tamen in hoc mundo legem Dei perfecte implere prorsus nequeat, sed in ipso sit et maneat, cum magna imperfectio et imbecillitas in fide et omnibus aliis bonis operibus, tum etiam multae transgressiones et interiores pravae inclinationes et cupiditates, quibus per Spiritum sanctum studiose resistit, et pro remissione eiusmodi defectuum et delictorum suorum indesinenter orat: Tertio, quando credit, quod per gratiam Dei et debeat et possit inchoare novam vitam, secundum praecepta divina, et quod ipse omnisque sua inchoata, licet imperfecta, obedientia et bona opera Deo placeant, propter solum Christum Dominum, quemadmodum sanctus Petrus dicit S. Canon. 2. c. Offerte hostiam spiritualem Deo placentem per Iesum Christum. Et propterea etiam cum alacritate ac sine coactione voluntatem Dei perficit, faciendo bona opera propter dilectionem Dei et sanctam eius voluntatem, ad declarandum suum erga Dominum obsequium et Charitatem suam erga proximum, ut et ad testificandam coram hominibus bonam conscientiam et veram fidem, quae tantummodo per bona opera cognoscitur. Atque ita credimus et confitemur, quod bona opera a Deo praecepta facere debeamus et teneamur. Primo propter nostram in CHRISTO redemptionem, Iustificationem et sanctificationem. Nam qui in Christo est iustificatus, et spiritu sancto renatus ac sanctificatus, is non potest nisi bona opera facere, quia ideo nova creatura in Christo Iesu est, ut bona opera faciat, Ephesios 2. pari ratione, quemadmodum et sol non potest non lucere, cum a Deo ad id sit conditus ut luceat. Ideoque ubi in Christiano deprehenditur vita impoenitens et mala opera, ibi certe opus Dei destruitur, et talis filius Dei ac salvandus appellari minime potest.

Secundo, propter divinum mandatum et debitam nostram obedientiam, secundum ordinationem Dei quam indicat D. Paulus ad Romanos 8. capit. dicens: Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Et Filius Dei in Evangelio D. Iohan. decimoquinto, inquit: Hoc praecipio vobis, ut diligatis vos invicem. Quilibet igitur credens, cum ex Deo sit, mandata diligit, et sedulo observat, contraque ea facere et sciens volens peccare nulla ratione potest, quemadmodum D. Iohan. docet in Canon. 5. cap.

Tertio propter fidem et bonam pacatamque coram Deo conscientiam retinendam. Nam intermissione bonorum operum et commissione peccatorum contra conscientiam Spiritus sanctus contristatur et excutitur, et hoc modo fides cum vera Dei invocatione amittitur. Omnino enim impossibile est, ut laeto et tranquillo animo Deum fiducialiter et confidenter invocare possint, qui indul-



Digitized by Google

gendo pravis cupiditatibus peccata volentes scientes admittunt, vulneratamque et malam habent conscientiam. Ideo sanctus Iohannes S. Canon. 3. capit. dicit: Charissimi, si cor nostrum non condemnaverit nos, fiduciam habemus ad DEUM, et quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quonam mandata eius custodimus, et id quod placet illi, facimus.

Quarto, ad evitandas temporales et aeternas poenas divinas, quoad corpus et animam quas Deus pro aeterna sua Iusticia transgressoribus praeceptorum suorum constituit, quemadmodum ea de re varia et inumerabilia Exempla ab initio mundi et etiamnum hodie extant. Omnium vero poenarum divinarum in hac vita gravissima est, quando Deus peccatum peccato punit, permittens in peccatoribus propter contumaciam illorum, et inprimis propter contemptum verbi sui et voluntatis in eo patefactae, spiritum erroris et obtenebrationem cordis, ut non inquirentes sedulo et syncere veritatem DEI et salutem animarum suarum, in peccato atque exitio suo magis magisque ingravescant, sicut D. Paulus 2. Thessalon. 2. inquit: Quapropter mittet illis Deus efficaciam erroris ut credant mendacio et iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

Quinto, propter nostram in Christo excellentiam et sanctam vocationem. Nos enim qui credidimus in Christum, facti sumus membra sancti ipsius corporis et templa spiritus Dei, 1 Corinth. 6. capit. Ideoque dilecti filii Dei, Iohann. 1. Hanc ipsam igitur ob causam sancti esse debemus, quemadmodum Deus noster sanctus est. Et Christus Dominus iubet, ut existentes filii Dei, sequamur naturam et ingenium Patris nostri in Evangelio D. Matth. 5. cap. dicentis, Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri, qui est in coelis.

Sexto, ad consequendam magnam et copiosam remunerationem, quam Deus bonis operib. nostris, non propter propriam illorum dignitatem et perfectionem, sed propter Christum Dominum, cuius membra sumus, ex gratia promittere dignatus est. Nos enim propter promissionem ipsius, remunerationis eiusmodi in hac et aeterna vita secundum militiam nostram certo participes futuri sumus, sicut dicit Dominus 1 Reg. 2. Qui honorat me, honorabo eum: et S. Paulus 1 Tim. 4. c. Pietas promissionem habet huius et futurae vitae.

Omnis autem praeclara virtus et iustitia legis, quae sine Spiritu Dei reperitur in hominibus probis, honestatis, disciplinae et iustitiae amantibus, plurimum differt a bonis operibus: quandoquidem non est nisi particula tantum legis Dei de externa iustitia hominis, et honesta atque ingenua conservatione inter homines, quam D. Paulus Heb. 9. c. appellat iustitiam carnis, ideo quod animalis etiam homo ea sine Spiritu sancto et interna renovatione operibus externis iuxta legem Dei efficere possit. Eius-

Digitized by Google

modiau tem externa virtus et honestas, quamvis non sit spiritualis iustitia legis eorum, qui proprie sunt filii Dei, ideoque etiam nemo illi, more hypocritarum et Pharisaeorum, confidere debeat, iuxta Verbum Domini scriptum a D. Matthaeo c. 5. Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam Pharisaeorum et scribarum, non introibitis in regnum coelorum: attamen in universum ab omnibus omnino hominibus, et potissimum in Ecclesia Dei, multis de causis diligenter et accurate observari debet, cum primis vero propter severum mandatum Dei in lege naturali et scripta ad omnes omnino homines directum, et ad evitandas poenas, ut aeternas, ita etiam temporales et corporales, quib. secundum ordinationem Dei quilibet Magistratus politicus transgressores legis Domini et bonae disciplinae debita cum severitate afficere tenetur. Deinde etiam ad conservandam pacem publicam et laudabilem conversationem humanam, quae sine ordine et iustitia esse non potest. Ad extremum ideo, ut externa virtus et disciplina populum in Ecclesia Dei ad omnem pietatem, cumprimis etiam ad suscipiendum Verbum Dei, et Spiritum sanctum aptum magis reddat. Deus enim opus suum non peragit in hominibus impiis, quamdiu vitam tam beluinam et impoenitentem agunt, ut neque externam honestatem curare, neque ullum bonum ordinem et disciplinam recipere dignentur.

## Articulus XI.

## DE ECCLESIA DEI.

Credimus et confitemur, quod una Ecclesia sancta et catholica sit, et semper maneat. Ea vero in hoc mundo est visibilis coetus hominum fidelium et sanctorum, qui in omni loco veram et puram doctrinam Christi amplectuntur, eo modo, quo a sanctis Evangelistis et Apostolis in Sacro-sancto Evangelio Christi fideliter et syncere proposita est, quique etiam per vinculum charitatis in omnibus se accommodant et conformant ad legem et statuta unici sui Regis, Episcopi et capitis Iesu Christi, mysteriisque eius, quae communiter Sacramenta vocamus, utuntur, quemadmodum ea Christus instituit, et Evangelistae et Apostoli Christi Domini usurparunt, et in Scripturis sacris reliquerunt.

Et quamvis Ecclesia sancta proprie sit coetus sanctorum, qui per ministerium puri Verbi et venerabilium Sacramentorum, credentes in Christum, cum ipso unum corpus facti sunt, et in communione unius fidei, unius charitatis, et unius spiritus unam spiritualem vitam ducunt: quia tamen istiusmodi sanctis semper multi hic hypocritae admixti sunt, qui eandem veritatem confitentes, et ad illam provocantes a fidelibus saepenumero dignosci, et ab Ecclesia segregari non possunt: Ideo Ecclesia visibilis in hoc mundo generaliter vocatur omnis coetus Christianorum, bonorum et malorum, Christum et legem eius agnoscentium. Et hic simi-



Digitized by Google

lis est tritico zizaniis referto: et reti, in quo sunt mali et boni pisces Matth. 13.

Talis autem coetus bonorum et malorum nominatur et est Catholica, Christiana et sancta Ecclesia, tantum respectu bonorum piscium et tritici, hoc est, Electorum filiorum Dei et verorum fideliumque Christianorum, qui omnes in universum et sine discrimine imputata in Christo et per spiritum sanctum in ipsis inchoata sanctitate sancti sunt: et hos solos Dominus vocare dignatur oves suas, quarum communio vere est sponsa Christi, domus Dei, columna et firmamentum veritatis, mater omnium credentium, et unica illa Arca, extra quam nulla est salus. Quod vero attinet admixtos et notorios in specie hypocritas, et alios malos atque impios Christianos, qui in Ecclesia illa manent, quorum etiam plerumque maior est numerus: hi et similes non vocantur proprie Ecclesia sancta, sed mortua illius membra. Et quanquam reperiantur in Ecclesia Christi, tamen de Ecclesia et corpore eius sunt minime.

Quapropter notae certae et infallibiles sanctae Ecclesiae praecipuae sunt. Primo pura praedicatio et doctrina verbi Dei et sancti Evangelii, maxime quoad fundamentum et praecipuos articulos Catholicae et Christianae fidei. Secundo, pura conservatio, administratio et usus Sacramentorum Domini, iuxta ipsius institutionem. Tertio, debita et Legitima obedientia in servandis omnibus iis rebus, quas sanctum Evangelium et lex Christi praecipit.

Ideoque et haec signa Ecclesiae Dei sunt, nempe, mutua et fraterna Charitas, tanquam membrorum Christi, Crux et afflictiones magnae propter veritatem et regnum Dei, et tandem repressio manifestorum scelerum, multorumque in Deum peccatorum, cum per amicam et fraternam admonitionem et correptionem, tum etiam per ordinariam a Deo institutam excommunicationem a sancta Ecclesia, eorum, qui per antegressas admonitiones sese non patiuntur corrigi. Et hoc sancti patres nominarunt disciplinam Ecclesiasticam.

Quamvis autem haec signa sanctae Ecclesiae, per quae illa infallibiliter cognoscitur, non semper in eodem statu reperiantur: Interdum enim admodum splendide lucent, interdum vero usque adeo exigue conspiciuntur, ut vera Ecclesia agnosci vix queat; praesertim, quando Deus Ecclesiam castigare et cribrare cogitat, auferendo lucem verbi sui et immitendo in eam propter ingratitudinem et contemptum verbi ac beneficiorum suorum efficaces operatores errorum, qui derelinquentes verbum Dei vivi Ecclesiam in seipsis, et traditionibus suis fundant et ostentant: pii tamen in tanta etiam seductione et Eclipsi Ecclesiae aberrare ab illa nulla ratione possunt, si modo caput Ecclesiae Christum Dominum respiciendo eidem adhaerere studeant, fide verbum eius, ubiunque secundum scripturas sacras pure et syncere praedica-

Digitized by Google

tur, recipientes et a veritate eius nuspiam, tum quoad doctrinam, tum quoad vitam recedentes.

Nam ubicunque verbum Christi Domini fidelibus ita praedicatur, et venerabilia sacramenta, secundum institutionem ipsius administrantur, ibi certo est pars Ecclesiae eius, et in tali coetu Christus Dominus vere praesens est, et per ministerium verbi et sacramentorum suorum salutem in cordibus fidelium iuxta ordinationem suam operatur, etiamsi interdum ministri Ecclesiae qui verbum et sacramenta Domini administrant, hypocritae sint et mortua membra Ecclesiae. Verbum n. Dei et usus venerabilium sacramentorum potentia Dei est ad salutem omni credenti, non propter dignitatem eius, quia ea administrat, sed propter solam ordinationem Christi Domini, qui per veram suam praesentiam et operationem spiritus sancti efficax est. Ideoque sicut dignitas ministri verbo et sacramentis Christi nihil addit: Ita etiam indignitas et hypocrisis eius nihil adimit, iuxta dictum Domini Matth. 23. In cathedra Mosis sedent scribae et Pharisaei: quicquid ergo dixerint vobis servate et facite; at secundum opera eorum nolite facere; dicunt enim et non faciunt.

Decet tamen Ecclesiam Dei, eos, qui manifeste scandalosam et impoenitentem vitam agunt, mediisque legitimis corrigi non possunt, a ministerio Ecclesiastico removere, et quantum fieri potest, in id incumbere, ut in Ecclesia Dei et doctrina et vita sancta et inculpata sit.

## Articulus XII.

## DE CLAVIBUS ECCLESIAE, VEL POTESTATE EIUS IN MINISTERIO.

Omnis potestas Ecclesiastica, quam Dominus in Scriptura sacra Ecclesiae suae Prophetis et Apostolis, eorumque successoribus concedere et tribuere dignatus est, proprie se extendit non ad ipsorum personas, sed ad Verbum Dei, cuius ministri sunt, et ad officium hoc pacto iis concreditum, ut secundum Verbum Dei et voluntatem eius in illo patefactam eodem fungantur: quemadmodum Dominus Iesus discipulis suis emissis certa instructione data praecepit, nimirum ut euntes docerent Ecclesiam servare omnia, quae praecepisset ipsis: et ut non sint neque dicantur Magistri, quia solus ille Magister eorum sit. Neque vult, ut alio aliquo doctrinae genere se et Ecclesiam suam gubernent, nisi eo tantum, quod ab ipso tanquam Magistro suo ex ore eius audiverunt, et quod in memoriam etiam Spiritus sanctus illis revocare debuit, docendo eos omnia, quae Christus Dominus locutus est ipsis, et non alia his contraria.

Officium igitur Pastorum et ministrorum Ecclesiae, verorumque Apostolorum successorum, hoc est, nempe, doctrina Christi et Apostolorum, Ecclesiam Dei plantare et colere, Sathanae vero destruere et evertere, oves Christi pascere, lupos rapaces ab iis

Digitized by Google

arcere, poenitentes erudire, admonere, consolari, et a peccatis absolvere: impoenitentes vero et praefractos corripere et redarguere, peccata illorum exaggerare, et retinere, atque ita (secundum dictum D. Pauli 2 Cor. 10.) quamlibet potestatem et supereminentiam, quae extollit se adversus doctrinam DEI, deprimere atque evertere, captivantes et subiicientes omnem intellectum sub ministerium et obsequium Christi, idque totum efficere solo Verbo DEI, et non alia, nisi hac spirituali potestate, quae Ministris Ecclesiae a DEO data est, non ad destructionem, sed aedificationem nostram.

Huius vero officii et potestatis Ecclesiasticae duplex praecipue discrimen vel duae partes in Scriptura sacra reperiuntur. Primum enim et praecipuum officium et potestas Ecclesiae est respectu Verbi Dei, hoc est, praedicare sanctum Evangelium, et secundum illud (quod proprie iis solis convenit, qui pastores Ecclesiae vel sacerdotes sunt) legitime administrare venerabilia Sacramenta, aliaque peragere munera, quoad preces Ecclesiasticas et confirmationem ac benedictionem coniugalem, quam copulationem nominamus, et alia quaedam officia ad munus sacerdotale proprie pertinentia, quae omnia Dominus nomine clavium potissimum complexus est, solvendo et ligando, remittendo et retinendo peccata. Matth. 16. et 18. Ioh. 20.

Nam cum in coelum tanquam in occlusum peccatoribus habitaculum non sit accessus, nec via alia, praeter Christum Dominum, ad eundem vero non detur accessus, nisi per solam fidem in ipsum: quam fidem Spiritus Sanctus communiter in nobis tantummodo per Verbum Dei et usum Sacramentorum operatur: Ideo, quando pastoribus et ministris Ecclesiae potestas ministerii Verbi Dei, et venerabilium Sacramentorum datur, concreditur, et commendatur, eo ipso illis dantur verae claves ad Regnum coelorum. Etenim per illud Ministerium illorum aperitur poenitentibus coelum, et monstratur via ad vitam aeternam. Denique quia peccata nostra nos vere et graviter ligant, atque ita tanquam constrictos in vinculis Diaboli et mortis aeternae detinent: praedicatio vero Verbi Dei ex Sacrosancto Evangelio annunciat poenitentibus et credentibus in Christum liberationem a peccato, Diabolo, et morte aeterna: impoenitentibus autem aeternum iudicium et damnationem propter contemptum oblatae ipsis in Christo salutis: propterea ministri Ecclesiae, cum officio suo fideliter secundum ordinationem Filii Dei funguntur, tunc praedicatione sancti Evangelii et legis praeceptorum divinorum, potenter homines solvunt et ligant, peccataque illis remittunt et retinent.

Altera et praecipua quoque pars Ministerii et potestatis Ecclesiasticae et Iurisdictio Ecclesiastica, qua secundum Verbum Dei iudicantur et reguntur, non res et causae politicae sed spirituales, eo inprimis spectantes, ut pura doctrina in Ecclesia conservetur, unde oritur verus cultus Dei et mutua Cha-

Digitized by Google

ritas totius Ecclesiae; Item ut omnis bonus Ordo, iuxta verbum Dei in communione sancte, et in omnibus externis Ecclesiae negotiis conservetur. Et hoc officium proprie quibusdam tantum in Ecclesia personis, sapientia et donis spiritus sancti illuminatis et ornatis competit, qui peculiariter ad id a tota Ecclesia, ut alios regant et gubernent, delecti sunt.

Verumtamen haec et quaevis alia ministerii potestas in Ecclesia Dei, nullam habet politicam potestatem, neque ei ulla politica Iurisdictio, potestas, administratio et dominatio huius mundi competit, siquidem regimen Ecclesiasticum et politicum, alterum ab altero filius Dei clare distinxit. Praeterea Ecclesia non habet nec habere potest ullam potestatem vel statuendi aliquid in ritibus Ecclesiasticis contra verbum Dei, vel proponendi aliquid in doctrina ad credendum praeter manifestum verbum Dei, ac si substantiam salutis concerneret. Pari modo potestatem non habet, vel Ecclesia vel aliquis in Ecclesia Christi, ita interpretandi scripturam sacram, ut unum cum altero pugnet, praesertim vero cum articulis fidei Christianae et Catholicae.

## Articulus XIII.

## DE VENERABILIBUS SACRAMENTIS A CHRISTO DOMINO INSTITUTIS, UT ET DE FRUCTIBUS ET VERO EORUM USU.

Credimus et confitemur, quod venerabilia sacramenta sint visibilia signa et sigilla promissionum divinarum et illustres significationes gratiae Dei: in quibus sacramentis visibilia Elementa, verbo et institutione divina, vere et reipsa sunt res coelestes, invisibiles et humana ratione incomprehensibiles, quae illa, quae de misericordi voluntate Dei in verbo sacrosancti Evangelii nobis sunt proposita, et foedere in Christo nobiscum de participatione Christi Domini et omnium beneficiorum eius pacto, confirmant.

Itaque de fructibus venerabilium sacramentorum ita credimus: quod a Christo Domino ea instituta et ordinata sint, ut non solum exterius discernant fideles Christianos ab Ethnicis, et aliis quibuscunque diversae a vera Ecclesia religionis sectatoribus, verum etiam peculiariter, ut sint pignus et locuples ac illustre testimonium singularis et gratiosae voluntatis Domini Dei nostri erga nos.

Et hanc ob causam fructus illorum primus et principalis est hic, ut illorum usu excitemus et confirmemus in nobis fidem de promissionibus divinis, nimirum, quod in venerabilibus sacramentis Christus Dominus seipsum nobis cum omnibus meritis et beneficiis suis communicet, ut per usum venerabilium sacramentorum et fidem in ipsum revera illius magis magisque participes reddamur, et omnia beneficia in eo nobis promissa consequamur, nempe remissionem peccatorum, liberationem a morte aeterna, et pote-

Digitized by Google

state Diaboli, reconciliationem cum Deo, iustificationem, communicationem Spiritus sancti, et haereditatem vitae aeternae.

Alter principalis fructus esto ut venerabilia sacramenta nos confirment et excitent ad sedulam et accuratam observantiam illius Foederis, secundum quod tanta beneficia a Deo accipimus, et nos vicissim etiam Deo hoc ipso nomine obstricti sumus, quod sacrosancto verbo eius toto corde adhaerentes fideliter et syncere velimus strenuam militiam militare adversus peccatum, Diabolum, mundum et propriam carnem, ipsumque colere, omni ab illo praecepto cultu atque obsequio, cumprimis vero dilectione proximi nostri, ut nostri et Christi Domini proprii membri, omniumque rerum coelestium consortis.

Itaque hi digne utuntur venerabilibus sacramentis, qui in vera poenitentia et vera fide CHRISTI DOMINI eo animo illa accipiunt, ut vere participes fiant istorum et similium insignium fructuum, quorum causa Filius Dei Sacramenta sua instituere dignatus est. Qui enim venerabilibus Sacramentis aliter et citra hos fructus utitur, illaque institutionem Christi tractat, is ea contemnit, et quantum in ipso mutat et annihilat. Unde venerabilia Sacramenta talibus non afferunt remissionem peccatorum et salutem, sed horrendum iudicium et damnationem.

## Articulus XIV.

## DE SACROSANCTO BAPTISMO, PRIMO CHRISTI SACRAMENTO.

De sacro Baptismo confitemur et credimus, quod Sacramentum illud ab ipso Christo Domino institutum sit lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, qui in nos opulenter effunditur per Iesum Christum Salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius haeredes simus in spe vitae aeternae. Et hic Baptismus vel ablutio hominis per aquam cum iuvocatione nominis Sacrosanctae Trinitatis, Patris, Filii et Spiritus Sancti, homini Ecclesiae Christi inserto affert remissionem peccatorum, et vitam aeternam, quemadmodum Filius Dei in Evangelio Sancti Marci 16. cap. inquit: Qui crediderit ac baptisatus fuerit, salvabitur; qui vero non crediderit, condemnabitur.

Confitemur etiam, quod infantes (cum ad illos etiam regnum Dei, secundum promissiones divinas pertineat, et illorum quoque sit; Matth. 19.) baptizari debeant, et quod per preces ac Baptismum Deo oblati in gratiam recipiantur, iuxta plurima sacrae Scripturae argumenta.

## Articulus XV.

## DE COENA DOMINI, ALTERO CHRISTI SACRAMENTO.

De Venerabili Sacramento Testamenti et ultimae Coenae, ab ipso Christo Domino ante passionem suam instituto, credimus et

Digitized by Google

confitemur, quod panis in Coena illa sit verum Corpus Christi Domini pro nobis traditum et proditum, et vinum in calice sit verus sanguis Domini nostri Iesu Christi pro nobis effusus in remissionem peccatorum, et accipientibus porrigatur, ut manducantes corpus, et bibentes sanguinem Christi Domini, hoc faciant in commemorationem et annunciationem mortis ipsius innocentis, donec veniat: quemadmodum ipse Christus Dominus in ultima illa coena et Testamento suo propriis verbis ita instituit et testatus est, ut sancti Evangelistae et D. Paulus Apostolus hoc ipsum manifeste docent, scribunt et confitentur.

Atque hoc venerabile Sacramentum institutum est, primo ad excitandam et confirmandam fidem nostram de participatione Christi Domini et omnium beneficiorum eius, ut sumentes spiritualiter et substantialiter, fide atque etiam ore, in Sacramento corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, minime dubitemus, sed firmiter credamus, quod vere simus, et per talem usum Coenae Domini magis ac magis reddamur viva Christi Domini membra, qui nos corpori suo sancto ita coniunxit, ut quemadmodum palmes ex vite sua, ita et nos membra eius ex corpore ipsius sancto, tanquam ex unico et vero cibo nostro, consequamur et acquiramus veram saturitatem animarum nostrum, vivam illuminationem, laetitiam, consolationem, et omnia beneficia, quae Christus Dominus nobis morte sua, et tota obedientia promereri, et in sancto suo Evangelio cuivis poenitenti proponere et promittere dignatus est, nempe remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, iustificationem, communicationem Spiritus sancti, et haereditatem vitae aeternae.

Deinde, ideo etiam Sacramentum coenae Domini institutum est, ut in publico coetu Ecclesiae ex imo corde Deo pro omnibus divinis nobis in Christo praestitis beneficiis gratias agamus, et sumptione Sacramenti corporis et sanguinis Domini, vere excitemur et corroboremur, ad perseverantiam in corpore Christi Domini: cui eum in finem coadunamur, et in ipso multivariis peccatis et pravis cupiditatibus nostris morientes, et ad iustitiam resurgentes, vivamus Deo in omni pietate et sanctitate, secundum omnia praecepta Dei, et per mutuam atque ardentem Charitatem servemus unitatem corporis Christi, quod est Ecclesia: scientes, quod omnes, qui in venerabili hoc sacramento ex uno pane comedimus, unum corpus efficimur (quemadmodum 1 Cor. 10. D. Paulus ait) ut mutuo nos tanquam communia membra unius Christi Domini charitate syncera et fervente diligamus, certo statuentes, quod prorsus non possimus ullum ex proximis nostris contemnere vel offendere, quin confestim in illo contemnamus et offendamus Christum Dominum: et quod etiam Christum Dominum diligere nequeamus, nisi eum diligamus in proximis nostris, sicut dicit Dominus: quicquid fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

Digitized by Google

## Articulus XVI.
## DE POENITENTIA.

De poenitentia sentimus et confitemur, eos, qui post acceptum sacrum Baptismum lapsi sunt et peccaverunt, peccatorum remissionem iterum consequi posse, quocunque tempore ad Deum per gratiam eius vera poenitentia se convertant: et quod Ecclesia poenitentes istiusmodi Christianos absolvere et in communionem sanctorum recipere debeat.

Constat autem vera poenitentia sive conversio tribus partibus; quarum prima est, Contritio cordis, et terror ac luctus in conscientia per agnitionem peccati: quae contritio (ut etiam supra ostensum) in homine verum odium omnium peccatorum interiorum et exteriorum, ardensque desiderium liberationis ab ira Dei et aeterna damnatione operatur.

Altera pars est fides in Christum Iesum, quae oritur ex sancto Evangelio, monstrante absolutionem in solo Christo, hoc est, liberationem ab omnibus peccatis, reconciliationem cum Deo, et Iustificationem propter merita Christi. Et talis fides per spiritum sanctum in homine operatur veram et consolationem et laeticiam cordis, unde dilectio Dei et mandatorum eius promanat.

Itaque tertia pars verae poenitentiae est nova vita, omneque bonum propositum, quo spiritus sanctus hominem poenitentem immutare et quasi renovare dignatur, ut priorem malam vitam ac quodlibet peccatum a Deo prohibitum odio habens, amplius illud sciens et volens nunquam committat, sed factus iam iterum filius Dei in posterum Deo vivat in omni pietate et sanctitate, iuxta omnia praecepta divina, atque ita secundum dictum D. Pauli S. Tim. 1. cap. militet bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam.

## Articulus XVII.
## DE CONFESSIONE.

De confessione et absolutione sentimus, quod in Ecclesia confessio peccatorum, eorum absolutio esse debeat: licet enumeratio omnium peccatorum in confessione neque possibilis neque necessaria sit iuxta verbum divinum in psalmo positum: delicta quis intelligere potest?

Debent etiam in confessione hominibus a Ministris Ecclesiae salutares et consolatoriae doctrinae ex scripturis sacris proponi, ut conscientiae humanae peccatis gravatae et lege Dei consternatae consolationem ex verbo Dei queant consequi.

## Articulus XVIII.
## DE MINISTRIS ECCLESIAE.

De Ministris Ecclesiae sentimus, quod nemo in Ecclesia publice docere, vel Sacramenta administrare debeat, nisi legitime vocatus.

Digitized by Google

## Articulus XIX.

## DE RITIBUS ECCLESIASTICIS.

De Ritibus et Ceremoniis Ecclesiasticis, quae in Ecclesia Dei et omnibus officiis Ecclesiasticis, tum circa sacram Missam, hoc est, circa preces publicas, praedicationem verbi Dei, et dignum usum et administrationem coenae Domini, tum etiam in reliquis aliis congressibus Ecclesiasticis et officiis divinis observari debent, alibi dictum reperietur.

Sentimus tamen et confitemur cum antecessorib. nostris, quod tales tantum ritus et caeremoniae in Ecclesia Dei esse debeant, quae neque Verbo Dei adversae neque superfluae sunt, sed gratae et utiles, cedentes ad honorem et laudem Dei, ad unitatem et aedificationem Ecclesiae, et ad conservationem boni Ordinis, ut in congressibus publicis, ita etiam in quovis loco, et omnibus negotiis ad Ecclesiam pertinentibus. Et quanquam nulli ritus et ceremoniae Ecclesiasticae ab hominibus institutae, ut maxime sint splendidissimae, tales haberi debeant, quasi proprie in iis cultus Dei, et salus hominum consistat, et Ecclesia ad easdem tanquam ad praecepta divina alligata sit: tamen, quando Ecclesia Dei (secundum praescriptum Verbi Dei, et sanum eiusdem sensum, iustis, gravibus, et populo Dei maxime utilibus et necessariis de causis) aliquid constituit, id omne, quatenus in tali bono statu et ordine permanet et permanere potest, minime ab iis, quicunque ad iurisdictionem Ecclesiasticam pertinent, leviter et temere, cum aliorum scandalo violari aut negligi debet. Talis enim neglectus et contemptus Ecclesiae et Constitutionum eius, quae hoc modo iuxta praescriptum Verbi Dei factae sunt, manifeste a Deo in Evangelio D. Matt. c. 18. prohibitus est: si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus et Publicanus.

## Articulus XX.

## DE MAGISTRATU POLITICO.

De Magistratu Politico confitemur, quod sit ordinatio Dei, et quod omnes (hoc est, omnis anima, sine ulla exceptione) illi tanquam ordinationi divinae non solum propter mandatum ipsius, et evitandas poenas temporales, sed inprimis etiam propter mandatum Dei, et servandam coram Deo bonam conscientiam, secundum voluntatem Dei obedire debeamus et teneamur, ita ut sub regimine eius in statu Christiano constituti vitam tranquillam in omni pietate et honestate transigere possimus. 1 Tim. 2.

## Articulus XXI.

## DE CONIUGIO.

Confitemur etiam, quod coniugium sit legitima a Deo ordinata coniunctio duarum personarum liberarum, maris et foeminae,

Digitized by Google

omnibus hominibus, qui secundum necessitatem, et ordinationem Dei illo uti volunt, concessum, hoc est, a Deo et sancta eius ordinatione privilegio munitum, honestum, et immaculatum, Hebr. 13. Nam Deus ipse de Adamo et universa humana natura dixit: Non esse bonum homini, esse solum. Genes. 2. cap. Et B. Paulus etiam inquit: Ad vitandam scortationem unusquisque habeat suam uxorem, et unaquaeque suum virum. Et quamvis vellemus sacerdotes sine uxoribus continentes esse, atque ita officium ministerii sui maiori cum diligentia facere posse: tamen considerantes hac in re consilium et ordinationem Spiritus sancti et Apostoli D. Pauli, inprimis vero scientes, quod et ipsi sint homines et aeque peccato ac fragilitati, secundum communem naturam humanam maxima ex parte subiecti: propterea iuxta tenorem scripturarum sacrarum ratum esse debet, ut quicunque non habet donum continentiae, pie et secundum ordinationem Ecclesiae uxorem ducat. Idem. n. D. Paul. ait: Melius esse nubere, quam uri: idque ideo quia, cum coniugium sit bonum, purum, sanctum, et a Deo etiam in statu innocentiae institutum, melius est in divina ordinatione, quam in impia, impura et a Deo severe prohibita confusione consistere: praesertim vero iis, qui Verbum Dei et Sacramenta administrant, aliisque bono exemplo esse debent, secundum admonitionem Dei: Sancti estote, sicut et ego sanctus sum Dominus Deus vester.

## Articulus XXII.

## DE MORIA SANCTORUM.

Confitemur etiam, quod memoriae Sanctorum, quantum imitationem fidei et bonorum operum illorum attinet, in Ecclesia hoc modo ad magnam eius aedificationem retineri possint et debeant.

Invocare autem sanctos non debemus, neque ad eos confugere. Invocatio enim opus est proprie soli Domino et Deo competens, sicut scriptura dicit: Dominum Deum tuum adorabis, et ipsi soli servies: et alibi: Invoca me in die tribulationis tuae, et ego eripiam te, et tu glorificabis me. Pari ratione sancti Mediatores nec vocari nec haberi debent: siquidem scripturae sacrae unicum nobis Mediatorem et intercessorem, Dominum nostrum Iesum Christum, monstrant.

## Articulus XXIII.

## DE IEIUNIO.

De Ieiunio sacro confitemur, quod bonum sit et valde utile. Primo ad coercendam et frenandam carnem, ne contra spiritum lasciviat. Deinde, ut ad preces sacras et diligentem considerationem et meditationem rerum divinarum quovis modo alacriores simus. Tertio, ut hac ratione declaremus et testemur cordis co-

Digitized by Google

ram Deo humiliationem, peccatorumque et delictorum nostrorum humilimam coram Maiestate eius confessionem.

Itaque ieiunium duplex est: Unum privatum, quando quis (praecipue vero primam ob causam vel fructum supra dictum) vel Solus, vel cum familia sua, Ieiunio sua sponte, et quandocunque Iusta causa et necessitas urget, pie et legitime utitur.

Alterum est publicum, quando tota congregatio sive Ecclesia Dei, propter publicam necessitatem, vel magnam aliquam imminentem calamitatem et flagellum Dei, a praepositis suis admonita, unanimiter vera poenitentia ad Deum per Christum Dominum confugit, et externis etiam verae poenitentiae signis, hoc est, ut propheta loquitur, toto corde suo, ieiunio, fletu et planctu se coram Deo humiliat, delictaque sua, quavis interiore et exteriori humilitate, confitetur; quemadmodum innumera Exempla in scriptura sacra utriusque Testamenti, et in primitiva etiam Ecclesia, id nobis demonstrant.

Est autem ieiunium, non solum temperantia et moderata frugalitas in usu donorum Dei, quovis tempore piis Christianis conveniens, utpote quorum vita continuo ieiunio perpetuo similis esse debet, secundum fidelem exhortationem Domini, dicentis: cavete, ne corda vestra graventur crapula et ebrietate: sed proprie etiam est id, quando praeter consuetam temperantiam, maiorem adhuc frugalitatem et abstinentiam in omnibus rebus carni nostrae adlubescentibus, praesertim vero, et proprie in cibo et potu, nobis ipsis ad diem unum vel aliud aliquod certum tempus, serio imperamus, ita ut ea inprimis, quorum causa ieiunium indictum est, ieiuno corpore alacrius et diligentius exsequamur: Deinde etiam, ut communi tantum et modico cibo ac potu utentes, nullas voluptates in cibo et potu sectemur: Et tandem, ut in tali simplicis cibi et potus usu, maiorem frugalitatem, quam alias fieri consuevit, servemus.

Diligenter tamen attendendum, ut verus usus sacrorum ieiuniorum in Ecclesia Dei maneat, ita ut populus Dei sciat et cognoscat, quomodo et cur ieiunare debeat, nec opinetur, id ieiunium esse, quando aliquis delectum in cibis observat, neque in hoc errore versetur, quasi cultus Dei in solo ieiunio, sine interiori pietate, positus sit.

## Articulus XXIV.

## DE RESURRECTIONE MORTUORUM ET EXTREMO IUDICIO, etc.

Credimus, quod Dominus noster Iesus Christus in consummatione huius Mundi in gloria veniet, omnes iudicaturus, et omnes etiam mortuos resuscitaturus. Tunc piis et Electis Dei dabit vitam aeternam et gaudium perpetuo duraturum: Impios

Digitized by Google

vero homines cum diabolis condemnabit, ut sine ullo fine aeternum crucientur.

## Articulus XXV.

## DE VITA AETERNA.

Ore confitemur, et corde magna cum consolatione credimus, quod post hanc temporalem vitam sit, et in aeternum duret vita iucunditate et laetitia plena, omnibus in Filium Dei Iesum Christum credentibus ab aeterno parata, in quam ipse unigenitus Filius Dei per mortem et perfectam obedientiam suam viam praeparavit, et portam aperuit.

Omnino etiam ita credimus, ut ex animo confitemur, quod in hanc vitam aeternam per nullum aliud medium quis introire, neque aliter illam consequi possit, nisi per solum Christum Dominum, quemadmodum ipse Dominus et Salvater noster dixit, inquiens: Ego sum resurrectio, via, veritas et vita; qui credit in me, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo illum in die novissimo. Item: Pater volo, ubi ego sum, ut sit et servus meus, et quos mihi dedisti: nemo rapiet eos e manu mea.

Huius vero futurae aeternae iucundaeque vitae hic tantum primitias accipiunt illi, qui ex verbo Dei veram ac certam cognitionem Domini nostri Iesu Christi et communionem Spiritus S. acquirunt, ut manentes in Christo, et in vera fide in ipsum, ac spe indubia hic viventes, postea certo perfectam beatitudinem in regno coelorum consequantur, quando iuxta dictum Apostoli, Deum de facie ad faciem visuri sunt. Nam et ipse Filius Dei Ioh. 17. cap. dicit: Hanc esse vitam aeternam, ut cognoscamus verum Deum, et quem ille misit, Iesum Christum. Et apud eundem Evangelistam 5. cap. Amen dico vobis, qui sermonem meum audit, et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam, et in iudicium non venit, sed transit ex morte ad vitam.

Denique vita haec aeterna repleta est laetitia incomprehensibili et ineffabili, de qua Apostolus dixit: quod auris non audiverit, et oculus non viderit, in cor hominis non ascenderit, quod Dominus electis suis praeparare dignatus sit: Ad quam nos et omnes, qui in unigenitum Filium Dei Salvatorem nostrum credimus, perducere dignetur Deus Pater, qui cum eodem Filio et Spiritu Sancto, in una ac indivisa Deitate vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

Finis.

Digitized by Google

Cum non pauci de Fratribus Unitatis, quos ita vocant, dubitent, num huic Confessioni Illustrium Ordinum Regni Bohemiae sub utraque communicantium vere addicti sint: et vero ipsi non solum cum praedictis Ordinibus sub ea sese univerint et coniunxerint, sed et publica Praefatione illam ornarint et commendarint: sequentia maioris fidei causa, in gratiam pii et Christiani Lectoris, adiecta sunt.

## PARAGRAPHUS DE UNIONE

omnium trium Ordinum Regni Bohemiae, corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi sub utraque specie accipientium, sub praemissa confessione facta, ex articulis transactionis illorum, Anno 1609. die Wenceslai conscriptis, et novo Consistorii Pragensis Albo, fol. 39. insertis, desumptus.

Haec autem nostra Christiana unio, compositio et transactio, cuius in diplomate Caesareae Maiestati superius nominato saepissime fit mentio, facta est, quemadmodum omnes norunt, et Caesarea etiam Maiestas, humilimis scriptis nostris edocta est, ex una parte inter nos Status sub utraque confessionem Bohemicam, quam Augustanam quidem vocant, amplectentes, ex altera vero, dilectos nostros Dominos et amicos, qui ex Unitate Fratrum nominantur, sed eandem sanctam et Christianam fidem in confessione illa comprehensum, sicut et antecessores ipsorum, nobiscum professi sunt et adhuc profitentur.

Ideoque non tantum praefatio seu supplicatio, quam Status huius Regni sub utraque Anno 1575. Illustris et sanctae memoriae, Caesari Maximiliano, una cum hac sua confessione obtulerunt, et publicis typis describi curarunt (ad quam, ut et transactionem in eadem comprehensam supra dictum quoque Caesareae Maiestatis diploma nominatim respicit) clarissime ostendit, et statim eo tempore, Anno nimirum 1575. compositionem et unionem istam inter nos coepisse: sed praeterea etiam, unanimiter praedictum diploma a Caesarea Maiestate petentes, nos cum illis et ipsi nobiscum, certa unione constituta, in hoc convenerunt, quod in sancta et Christiana fide, secundum Confessionem illam, quae Anno 1575. praeclarae et beatae recordationis, Caesari Maximiliano, et nunc etiam praesenti Caesareae Maiestati a nobis Ordinibus oblata fuit, unitatem colere, et servare velimus.

Atque hoc Caesareae Maiestati in humilimis nostris scriptis et responsis palam quoque significavimus; quantum illos concernat, siquidem unum iuxta confessionem illam nobiscum sint, ideo et antehac et nunc nos omnes coniunctim et unanimiter petitionem nostram Caesareae Maiestati proposuisse: Et quia antecessores illorum, cum antecessoribus nostris et nobiscum, amica

Digitized by Google

compositione facta consenserint, ipsos quoque diserte testatos esse, quod nobiscum, et cum hac confessione, quam Caesareae Maiestati, illustris memoriae, Caesari Maximiliano, Anno 1575. et nunc etiam hodiernae Caesareae Maiestati obtulimus, consentiant, eandemque nobis constanter profiteri et amplecti velint.

Cui tandem accessit et hoc, quod plerique Sacordotum Pragensium, qui sub utraque specie existentes Ordinationem suam ad ministerium Ecclesiae ab iis, qui sunt sub una, hoc est, ab Episcopis Romanis, vel Archiepiscopo Pragensi hactenus acceperant, sua sponte ad nos ordines unitos accesserunt, confessionemque illam Bohemicam amplexi sunt, rogantes, ut ad eandem a nobis admitterentur: agnoscere enim sese, illam esse sanctam, et ex fundamentis scripturarum sacrarum extructam, ideoque etiam polliceri, quod populo Dei, cui praepositi sint vel praeponentur, eam ipsam doctrinam sacram in Ecclesiis Christianis syncere proponere, traditionibus humanis, cum verbo Dei, et confessione ista pugnantibus, valedicere, populumque ab iisdem ex verbo Dei dehortari et in omnibus omnino eum ordinem, qui cum verbo Dei consentiat, studiose observare et sequi velint. Quam ob causam libenter ipsos ad nos recepimus, etc.

Declaratio fratrum Unitatis, quos vocant, editioni Confessionis Bohemicae, Anno 1608. ab ipsis curatae, praefixa, qua publice eam approbant, commendant et recipiunt.

Ad pium Lectorem, sanctam et Christianam unanimitatem in fide, Christumque Dominum amantem.

Perquam gratum est Deo et Ecclesiae Christianae salutare, unitatem in vera Christiana et Catholica fide (quae in scripturis sacris suum fundamentum certumque sensum habet, et duodecim Articulis summarie comprehenditur) servare, adhaec in nomine Sacrosanctae Trinitatis baptisatum esse, cultumque Dei ac religionem iuxta purum Dei verbum intelligenter et uniformiter exercendo inter se invicem convenire, atque sic in fide, Charitate et spe vitae aeternae mutuo sese aedificare et confirmare. Atque hoc quilibet verus et pius Christianus non tantum optime intelligit, sed et magnum illud Dei beneficium, eique acceptum esse, ideoque magni etiam aestimare novit et debet. Praeclarum enim res ista encomium et testimonium a Spiritu sancto habet, qui per Sanctum Davidem inquit: Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres, (hoc est, omnes Christianos, et credentes) in unum, Psalm. 133. Et Christus Dominus paulo ante mortem suam Patrem pro tali unitate orabat, dicens: Pater, rogo, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint. Ioh. 17. Et D. Paulus ad Philippenses ait: Ad quod iam pervenimus, in hac eadem regula permaneamus, et idem sapiamus. Phili. 3.

Ad istam autem in fide et religione Unitatem maxime necessaria fuit, et etiamnum est, sacrosancta charitas, quae vinculum

Digitized by Google

est perfectionis. Col. 3. Ideo enim Christus Dominus ait: in hoc cognoscent omnes, quod mei discipuli sitis, si habueritis dilectionem ad invicem. Ioh. 13. Et Apostolus inquit, per charitatem servite vobis invicem Galat. 5. Et iterum: Omnia vestra fiant in charitate. 1 Cor. 16. Rursum itaque sectemur ea, quae faciunt ad pacem, et ad aedificationem invicem: Nam qui in hoc servit Christo, charus est Deo, et hominibus acceptus. Romanos 14. Hoc vinculo unius eiusdemque animi, et mutuae charitatis ac concordiae, coniuncta fuit Ecclesia primitiva, ita, ut omnium fuerit quasi cor unum Act. 4.

Quod cum omnes illustres tres Ordines inclyti huius regni Bohemici, Corpus et sanguinem Domini, Salvatoris et Redemptoris nostri Iesu Christi, sub utraque specie accipientes, considerarent et perpenderent; et ipsi in charitate et concordia unanimiter tunc et futuris temporibus Deo servire, omnibusque dissensionibus, contradictionibusque et impedimentis obviam ire decreverunt. Itaque in publicis illis et Generalibus Comitiis Anno 1575. in arce Pragensi habitis exoptatam transactionem et unionem inter sese constituerunt, certamque sanctae catholicae et christianae fidei confessionem scripto comprehenderunt, et piae atque illustris memoriae, Caesari Maximiliano, una cum supplice suo libello obtulerunt, quae et postea publice typis divulgata est.

Et quia per Gratiam Dei Omnipotentis res eo pervenit, ut supradicti omnes tres Ordines Regni Bohemici in praeteritis Comitiis publicis, Anno hoc 1608. die Lunae post Dominicam Exaudi in arce Pragensi habitis, denuo hoc urserint, Caesareamque Maiestatem, Regem et Dominum nostrum clementissimum, ut saepe nominata confessio Archivis Regni Bohemiae inserta confirmaretur, humilima subiectione rogarint, et hac de re quoque ab eadem vere clementissimum et benignissimum responsum acceperint: Nos audientes illud, aeterno Deo pro tanta tamque immensa misericordia et beneficio unanimiter gratias egimus, submissoque animo divinam eius clementiam rogavimus, et assidue rogare non desistimus, ut Caesareae Maiestatis, Regis et Domini nostri clementissimi, cor (quod in manibus eius divinis est) Spiritu suo sancto gubernare et regere, omnibusque tribus inclytis Ordinibus clemens et benignum reddere atque efficere dignetur: quo pium et salutare illud propositum ad exoptatum suum finem, et plenam confirmationem, propter honorem et gloriam sanctissimi nominis sui, ad concordiam et charitatem inclyto Regno Bohemico conservandam, sub felici regimine Caesareae Maiestatis (cui Dominus temporaliter et aeternum benedicere dignetur) perduci queat.

Cum vero praedictae Confessionis fidei exemplaria fere nulla amplius extarent, neque pauci etiam, ut denuo excuderetur, obnixe rogarent: Nos pio, Christiano et syncero animo eam iisdem plane verbis, sicuti olim a Nobili et strenuo equite, Domino Michaele



Digitized by Google

Spanovvsky de Lisa, supremo Notario Regni Bohemiae edita fuit, (praeterquam quod in marginibus loca Scripturae sanctae cum brevissimis notis, ubi de quovis scriptum legatur, facilioris intelligentiae causa addita sunt) typis iterum describi curavimus. Idque his de causis. Primo, Quamvis antecessores nostri, sanctae et illustris memoriae, Caesari Ferdinando, Anno 1535. et Caesari Maximiliano Anno 1564. Confessionem fidei suae (ut et superioribus Regibus Bohemicis clementissimis, illorum antecessores) exhibuerint, semperque ad legitimum iudicium appellaverint, demonstrare volentes, quod per Dei gratiam nulli erroneae, novae et peregrinae, Deo et Ecclesiae ipsius sanctae contrariae doctrinae, sed huic soli purae, Evangelicae, antiquae a Prophetis, Apostolis, et solo Christo Domino propositae, et a Magistro Iohanne Husso Martyre Dei, beatae memoriae, hic in Bohemia et alibi praedicatae, adhaereant, quam veram etiam Evangelicamque doctrinam per omnes pios homines libere illis propagare licuit: Attamen cum Anno 1575. pars sub utraque, ut Ordo Baronum et equestris, ita et tertius Ordo civilis, ad pleniorem eius rei declarationem, quod fideles sectatores doctrinae Christi et Apostolorum essent, Caesareae Maiestati, D. Maximiliano, praeclarae et augustae memoriae, unanimiter confessionem fidei suae offerre constituissent, ad illud viros illuminatos ac pios, solam Dei gloriam quaerentes elegerunt, inter quos et ex nostris aliquot, iam in Domino quiescentes antecessores fuere. Hi omnes uno animo et spiritu, hanc confessionem (quae tandem etiam, approbantibus et profitentibus eam, omnibus tribus Statibus Regni Bohemici, Caesareae Maiestati, D. Maximiliano, una cum praefatione oblata est) conscripserunt, atque sic toti Mundo testatum fecerunt, quod praeter omne ius meritum ipsis imputetur, quasi erronei aliquid, quod cum Scripturis sanctis, Propheticis et Apostolicis, non concordaret, crederent, Sacerdotesque ipsorum auditores suos docerent. Et quamvis dilecti antecessores nostri peculiarem suam confessionem habuerint, quae ab illustribus etiam Dominis Ordinibus ipsis concessa fuit, (id quod libellus supplex, Caesareae Maiestati ab iisdem oblatus, sufficienter testatur) attamen et hanc omnium trium Ordinum Confessionem, in omnibus praecipuis articulis, secundum et ipsorum et nostrum iudicium, cum nostra confessione consentientem approbavimus, et ad eam accessimus. Idque ad testificandam re ipsa charitatem, quod ab omnibus tribus inclytis Ordinibus Regni Bohemici corpus et sanguinem Christi Domini sub utraque accipientibus minime dividamur, sed in sancta fide cum iis conveniamus et consentiamus.

Deinde, cum inveniri fortassis aliqui possint, qui opinentur, modernos sacerdotes et ministros unionis, vestigiis antecessorum suorum non insistere neque hanc confessionem approbare, sed contra illam auditoribus suis aliquid proponere: nulla equidem ratione potuimus, neque etiam iure debuimus praeterire, quin

Digitized by Google

iterata editione saepe nominatae confessionis, coram toto orbe Christiano testificaremur, quod imitantes dilectos antecessores nostros, confessionem hanc in omnibus principalibus articulis cum nostra congruentem approbemus, Religionemque hanc, in confessione ista Caesareae Maiestati, D. Maximiliano, oblata, comprehensam, et ab antecessoribus nostris ut et a nobis pro vera et salutari agnitam profiteamur, et Deo dante etiam usque ad mortem nostram, in hac fidei sanctae omnium trium Ordinum confessione (quoniam una veritas Dei tam in ea, quam in nostra continetur) constanter permanere et perseverare velimus. Qua in re nos adiuvet aeternus et misericors Dominus, Deus benedictus in secula seculorum, Amen.

Sacerdotes et Ministri Domini, et Praedicatores Sancti Evangelii in Unitate Fratrum.

Digitized by Google

Ex officina C. P. Melzeri.

BRITISH MUSEUM DE21 96

Digitized by Google